M





Summa de Ecclesia


D. IOAN. DE TVRRECREMATA

Tituli Sancti Sixti presbyteri Cardinalis,

VNA CVM EIVSDEM APPARATV, nunc primùm in lucem edito, super decreto Papæ Eugenij IIII. in Concilio Florentino de Vnione Græcorum emanato,

Semper quidem, sed his potissimùm temporibus, perquàm utilis, & necessaria,

CVM INDICE COPIOSISSIMO per ordinem Alphabeticum ducto.



Ne turbata uolent rapidis oracula uentis,



Nunc folio uates commodiore sonat.

Domus S. M. … Magri. Vrbis

[Pri]uilegio summi Pont. Pij IIII. & Illustriß. Senatus Veneti ad annos XV.

PIVS PAPA IIII.

MOTV proprio, &c. Cum, ſicut accepimus, dilectus filius Michael Tramezinus, bibliopola Venetus, nobis nuper exponi fecerit, ad communem omnium ſtudiorum utilitatẽ ſua propria impenſa diuerſa opera latina & Italica, ipſa Italica tam ex Latino, Gallico, & Hiſpanico idiomate translata, quàm Italica facere minimeq́; translata, hactenus non impreſſa, imprimi facere intendat: dubitetq́; ne huiuſmodi opera poſtmodum ab alijs ſine eius licentia imprimantur, quod in maximum ſuum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes, Motu ſimili & certa ſcientia eidem Michaeli, ne prædicta opera hactenus non impreſſa, et per ipſum ab inquiſitoribus loci illius examinata & approbata, uel ſi in urbe a magiſtro ſacri Palatij, imprimenda per decem annos poſt eorundem operum, uel cuiuslibet ipſorum impreſſionem, à quocunque ſine ipſius licentia imprimi, aut ab ipſis uel alijs uendi, ſeu in eorũ apothecis, uel aliàs uenalia, præterq́;, a dicto Michaele impreſſa uel imprimenda teneri poſsint, concedimus & indulgemus, inhibentes omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, tam in Italia, quàm extra Italiam exiſtentibus præſertim bibliopolis & librorũ impreſſoribus, ſub excõmunicationis latæ ſententiæ. In terris uerò Sãctæ Romanæ Eccleſiæ mediate, uel immediate ſubiectis etiã quingentorũ ducatorũ auri Cameræ apoſtolicæ applicãdorum, & inſuper amiſsionis librorum pœnis: toties ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendum, quoties cõtrauentum fuerit, ne intra decennium ab impreſsione dictorũ operum, uel cuiuslibet ipſorum reſpectiue computandum, dicta opera, tam latina, quàm Italica hactenus non impreſſa, & per ipſum Michaelem imprimenda, ſine eiuſdem Michaelis expreſſa licentia, dicto decennio durante imprimere, ſeu ab ipſis, uel alijs, præterquàm a dicto Michaele impreſſa & imprimenda uendere, ſeu uenalia habere, uel proponere, uel ea, ut ſupra, habere audeant. Mandantes uniuerſis uenerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, eorumq́; Vicarijs, in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, etiam legatis & uicelegatis ſedis apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus gubernatoribus, ut quoties pro ipſius Michaelis parte fuerint requiſiti, uel eorũ aliquis fuerit requiſitus, eidem Michaeli efficacis defenſionis

præsidio assistentes; præmissa ad omnem dicti Michaelis requisitionem contra inobedientes & rebelles per censuras ecclesiasticas: etiam sæpius aggrauando, & per alia iuris remedia auctoritate apostolica exequantur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachij secularis. Et insuper, quia difficile admodum esset præsentem Motum proprium ad quelibet locũ deferri, uolumus, & apostolica auctoritate decernimus, ipsius transumptis, uel exemplis, etiam in ipsis operibus impressis, plenam & eandem prorsus fidem ubiq;, tam in iudicio, quàm extra, haberi, quæ præsenti originali haberetur. Et cum absolutione a censuris ad effectum præsentium, & quód sola signatura sufficiat. Et ne de præmissis aliquis ignorantiam prætendere possit, quód præsens Motus proprius in acie Campi Floris, & in ualuis Cancellariæ apostolicæ huius almæ urbis affigatur, & ibidem per affixionem publicetur, & quód sic affixus & in ipsis operibus per tempora impressus, ad omnium quos tanget, notitiam deductum esse, ac si eisdem personaliter intimatum foret, expresse uolumus & mandamus irritum & inane censendum quicquid secus contigerit, præmissis omnibus constitutionibus & ordinibus apostolicis, ceterisq; in contrariũ faciendis, non obstantibus quibuscumque.

Placet motu proprio. I.

M D LX. Die 3. Februarii in Rogatis.

Che per auttorità di questo conseglio sia concesso alli fideli nostri Francesco, & Michele Tramezzini, che alcuno altro, ch'essi, ò chi haurà causa da loro, non possa per lo spacio di anni quindici prossimi futuri, ne in questa città, ne in alcuna altra città, ò luogo del Dominio nostro stampare, ne altroue stampata in quelli uendere la Somma de Ecclesia D. Ioannis de Turre cremata Cardinalis, & l'apparato del medesimo super decreto unionis Græcorum Florentiæ fe. re. Eugenii papæ quarti, sotto pena alli contrafacenti di perdere tutte l'opere per loro stampate, & di ducati ducento, da esser diuisi, uno terzo al magistrato, che farà l'essecutione, un terzo all'arsenale, & l'altro terzo all'hospitale della pietà: essendo, però essi obligati di osseruare quanto per le leggi nostre è disposto in materia di stampe.

Aloysius Garzonius Duc. Not.

VITELLOTIVS S. R. E.
Cardinalis Vitellius, PIO quarto
Pontifici Maximo.




VLTI quidem Pater beatissime, tam ex Græcis, quàm ex Latinis doctrina & pietate præstantes uiri de Apostolicæ sedis, & Romani Pontificis auctoritatē scripserunt: sed nemo melius, copiosius, aut efficacius scripsit quā Ioannes de Turre cremata Cardinalis tituli Sancti Sixti, cuius multa extant opera diligenter, & eruditè scripta: sed omnium præstantissima est summa, quam composuit de Ecclesia, utilissimum sanè opus, & ad apostolicæ Ecclesiæ aduersariorum calumnias, redarguendas ualde necessarium. Sed eò minus eius libri utilitas percipitur, quò paucioribus nota est, non auctoris culpa: ille enim ad omnes scripsit, sed quòd liber ipse multis abhinc annis semel impressus, aut nusquàm, aut raro inuenitur. Cùm igitur tam utile ac planè necessarium opus à multis illud quidem desiderari, eiusq; lectionem ad Ecclesiæ Catholicæ ueritatem defendendam maximè pertinere animaduerterem: his præsertim temporibus, quibus eò pluribus ac ualidioribus opus est armis, quò hostes ipsi

plures sunt, & eorum malitia cumulatior: lucernam hãc sub modio latere passus non sum, sed super can delabrum ponẽdam curaui: ut luceat omnibus, qui in domo sunt: hoc est, ut liber ipse denuò impressus à multis legi possit: quem librum sanctitati uestræ dedicandum curaui, cùm opus, in quo de Catholicæ Ecclesiæ potestate disseritur, nulli melius conueniat quàm tibi, qui totius Ecclesiæ & omnium Christianorum caput & rector ac magister, ut Christi Vicarius, & Petri successor. Itaque dubium non est quin S. V. Summam hanc libenter sit acceptura, in qua summatim comprehensa sunt argumẽta, quibus Ecclesiæ dignitas ita defenditur, & aduersariorum obiectiones sic diluuntur, ut nisi quis obstinatæ mentis esse uelit, nihil habeat quod amplius contradicere ualeat.

SVMMAE DE ECCLESIA

D. Ioannis de Turre cremata, tituli sancti Sixti presbyteri Cardinalis, Index copiosissimus, per ordinem Alphabeticum ductus.



Concilium

I.

FINIS.


SVMMAE DE ECCLESIA

D. IOANNIS DE TVRRE CREMATA

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctæ Mariæ in transtyberim presbyteri Cardinalis Sancti Sixti uulgariter nuncupati

PROLOGVS

In quo auctor ipse, & causam sui instituti, quare hoc opus composuerit, & diuisionem suę summæ quam in quattuor libros distinxit, dilucide nobis explicat.



N lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios in manibus, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Canticorum.iii. Inter cetera singularis dilectionis signa, quibus cœlestis spósus dei filius sponsam suam sanctam uniuersalem Ecclesiam, sincero amore complecti facile cerni potest: illud euidens extat signum, quòd ei contra antiquum serpentem humanę salutis perniciosissimum hostem in custodiam, & præsidium firmumq; tutelę munimem, prouida superni consilii dispensatione delecta est primatus cœlestis illa (quam & Angelicam dicimus) inuictissimę uirtutis militia. de qua dominus per Esa.ca.62. ait. Super muros tuos Hierusalem posui custodes. Dehinc militia terrestris catholicorum scilicet doctorum cœtus, quorum studii atque industriæ potissima cura esse debet contra tentatoris insidias ecclesiam tueri, ut catholica fides in ea ab omni errorum contagione contra hereticos immaculata seruetur, & pax & unitas aduersus scismaticos imperturbata consistat. de quibus per Zachariam dominus ipse locutus est. Zach.ix. Circundabo domum meam.i. ut glo.explicat ecclesiam, ex his quæ militant mihi quos milites Christi, fidem pacemq; tuentes ecclesiæ spiritussanctus describens, à magnitudine roboris animi, à zelo feruentissimo fidei, à strenuitate bellandi, ab amplitudine sapientię, denique ab infatigabili prouidentia in uerbis propositis ait. En lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes. Sanè si unquam Christi militibus incubuit (quos esse doctores catholicos diximus) fortibus accinctos gladiis ualidissimisq; munitos armis Salomonis lectulum ambire, & illum peruigili circumsepire custodia, ne aliqui simplicitate mentis capti uel errore ducti, aut aliqua fallentis astutię calliditate decepti, de castris pereant ecclesiæ, id maxime nouissimis diebus nostris eis incumbit. Quippe cum eos eo maiore uigilantia maioreq; cum fiducia esse oporteret, quo aduersarii subtiliore acrioreq; insidiantur astutia. Insurrexerunt namq; hoc nostro lugendo tempore pestilentes quidam homines spiritu ambitionis inflati, quæ diabolico instinctu fraudeq; nimia excitati, falsa dogmata tam circa potestatem ecclesiasticam quam secularem, a sanctorum patrum doctrinis penitus alienam perniciosis ausibus introduxerunt, quibus uniuer-

salem ecclesiam acerrime oppugnando magnis illam uulneribus grauiter afficerent, uelle siquidem usi sunt inanibus suis disputationib. unitatẽ ecclesiæ discerpere, claritatem nobilitatis eius confundere, datum uero diuinitus ordinem subuertere & speciositatem decoris eius turpiter offuscare: apostolicæ insuper sedis quæ fidei magistra cunctarumq; ecclesiarum mater est, primatus gloriam supremamq; eius auctoritatẽ diuinitus concessam deprimere & labefactare moliti sunt. Vniuersum igitur ecclesiæ corpus ita perturbant, ut nihil ex ipsius corporis compage inconcussum insauciatumq; euadere uideatur. Cum itaq; horũ impiorum hominum sacrilegę assertiones tanta impietate contra Dei ecclesiam & apostolicã sedẽ crassentur, ut nõ solũ euangelicę ueritati aduersentur, sed multis scismatibus & errorib. animarũ periculis principum dissensionibus & scandalis populorũ uię per eos paratę sint, luculenter quisq; intelligere potest quòd non portionem aliquam ecclesiæ, sed ipsa Christianæ religionis conari uideantur fundamenta cõuellere. Quocirca merito per catholicos doctores celeri festinatione illis est occurrendum, & fidei inexpugnabilibus armis quam citissime resistendum. Quoniam ut ait Leo papa, in talibus casibus non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret ueritas si fallitas displiceret. Hinc nos Ioannes de turre cremata sanctę Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Mariæ in trãstyberim presbyter cardinalis sancti Sixti uulgariter nuncupatus, zelo fidei inexpugnabilibus armis quamcitissime resistendum & honoris sponsæ Christi uniuersalis ecclesiæ pulsi, licet non satis ad rem tantam periti, satis debito nostro & dignitatis loco facere optantes, ne etiam in hac nimis graui causa taciturnitatis culpę teneamur obnoxij, aduersus huius ecclesię dei & primatus sancti Petri aduersarios, iuxta uires ingenii nobis desuper crediti librum quẽ summam contra ecclesiæ & primatus apostoli Petri aduersarios censuimus esse appellandum opitulante Domino condidimus. In quo ex scripturæ diuinę radicibus & patrum sanctorum irrefragabilibus sententijs prædictas impiorum hominũ assertiones abunde (ut arbitramur) consutatas a cordibus fidelium repellendas esse ostendimus, quorum uanis obiectionibus respõsis subiectis ab eorum infestatione lectulum. i. ecclesiam Christi ex dauidica turre clipeis pendentib. tutatam præmunitamq; pro nostra uirtute reliquimus. Scripsimus autem hæc rudi sermone scholasticum morem secuti quia ut ait Aug. contra Manichæum. Non ornato politoq; sermone, sed rebus manifestis conuincenda est uanitas hæreticorum. Quam summam in quattuor libros distinximus. Quorum primus titulum habet de uniuersali ecclesia. Secundus de ecclesia Romana & pontificis eius primatu. Tertius de uniuersalibus concilijs. Quartus de scismaticis & hæreticis. Verumetiã licet in his nostris scriptis sicut & in quibuscunque alijs semper studuerimus non pro uoluntatis nostrę appetitu de rebus scribere, sed quantũ de thesauris dominicis aut a sanctis patribus uel præclarissimis sacræ theologiæ professoribus studiosa diligentia summa cũ fide accipere potuimus. Nihilominus quia nulla penitus inflexibili animositate dixisse uoluimus, nisi quæ iuxta fidei orthodoxę regulam aut sanctorum patrum approbatissimas sententias dicenda ueniunt, hoc opus opitulante nobis diuinitate iam absolutum sancto domino nostro Nicolao papę quinto, qui hoc nostro euo diuinæ gratiæ munere cum multa meritorum claritate in cathedra Petri dignissime sedet. Cuius fides ut beatus Sixtus prædecessor eius in. c. memor. xxiiij. q. j. ait. Nullã

Diuisio summæ

hæresim

hæresim fouet, sed omnes hæreses destruit, corrigendum emendandumq; offerimus dicentes cum beato Hiero. Hæc est fides papa beatissime quã in catholica didicimus ecclesia quamq; semper tenuimus, in qua si minus peri te aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & sedem & fidem tenes. Si autem nostra cõfessio apostolatus tui iudicio probatur, quicunque me culpare uoluerit se imperitum & maleuolum, uel non etiam catholicum sed hæreticum comprobabit.

DE VNIVERSALI ECCLESIA

LIBER PRIMVS.

De nomine ecclesiæ & differentia eius à nomine synagogæ, Cap. I.



E ecclesia cũ adiutorio omnipotentis Dei locuturi a quid nominis ecclesiæ inchoabimus. Vt autem dicit uenerabilis Beda exponens illud Prouerb. 5. Pene fui in omni malo in medio ecclesię & sinagogæ. Ecclesia & synagoga græca nomina sunt, & unam eandemq; rem significant. Latinè conuentum scilicet plurimorum adinuicem. Si autem subtilius distinguantur ecclesia conuocatio, synagoga cõgregatio interpretatur. Quia autem uox & conuocatio proprie est rationalis creaturæ, congregatio uero etiam irrationalis creaturæ esse potest. Vnde Gen. 1. dicitur. Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt. Et gallina etiam dicitur congregare pullos suos. Math. 23. Cumq; inter homines soli rationales habendi sunt fideles, uerbum rationabile fidei audientes & mente percipientes, uetus ille hæbreorum populus quamdiu in unius ueri Dei fide & cultu permansit, utroq; nomine ecclesia scilicet & synagoga uocatus legitur, sicut in multis sacræ scripturæ locis patet. Vnde numeri. 16. uocatur synagoga ubi dicitur. Insurrexerunt contra Moysen ducentiquinquaginta uiri proceres synagogæ. Item in eodem lib. c. 22. Idem populus ecclesia legitur nominatus, ubi Moysi dictum est. Cur eduxisti ecclesiam Dei in solitudinem, post aduẽtum autem Saluatoris nostri populo iudęorum, exceptis paucis in Christum credentibus, infidelitatis tenebris obcæcato, gratia distinctionis sicut partita sunt nomina, ut pars illa hæbreorum qui lumen dei non receperunt quasi irrationabilium animalium & brutorum congregatio synagoga tantum dicta sit. Pars uero hæbreorum & aliorum qui in Christum crediderunt, ecclesia & nunquam synagoga sit appellata. Vnde beatus Aug. super psal. 81. tractans illud. Deus stetit in synagoga, deorum id est populorum Israel, ita in confirmationem eorum quæ diximus dicit Ipsorum proprie synagoga dici solet, quamuis & ecclesia dicta sit. Sed nostram apostoli synagogam nunquam dixerunt sed semper ecclesiam siue discernendi causa: siue quòd inter congregationem unde synagoga, & conuocationem unde ecclesia nomen accepit aliquid distet, quòd scilicet congregari, & pecora solent ac ipsa proprie quorum & greges proprie dicimus, conuocari est magis utentium ratione sicut sunt homines, hæc

Ecclesia & synagoga quid differant.

Augustinus. Et sunt etiam uerba Isidori. 8. libr. Ethimol. cap. 8. Vt notetur ergo iudæorum infidelitas dicta est eorum synagoga, id est congregatio quasi pecorum & indiscretorum. Et ut fidelitas nostra ipso uocabulo innueretur, nostra dicta est ecclesia, id est conuocatio quasi rationabilium & discretorum. Vnde de ecclesia dicitur in psalm. 34. Confitebor tibi in ecclesia magna & in populo graui laudabo te. Populus enim ecclesiæ inquit Albertus magnus dicitur esse grauis maturitate uirtutis, & illi soli sunt qui rationem colunt & rationabiles dei uoces intelligunt & audiunt uocationem Christi. Habemus iam ex dictis quid nominis ecclesiæ. ex quibus illico colligitur notitia eius quid sit ecclesia secundum rem. Est enim catholicorum siue fidelium collectio, ut de consec. dist. j. in. c. ecclesia habetur. Siue ecclesia est uniuersitas fidelium quæ unius ueri dei cultu, unius fidei professione conueniunt. Vnde glo. j. ad Thi. 3. super illud. Quod est ecclesia dei uiui, dicit. Ecclesia est conuocatio multorum ad unius dei cultum. De qua ecclesia apostolus ad Ephe. in. c. 5 sic loquitur, Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret mũdans eam lauacro aquę in uerbo uitę ut exhiberet eam ipse sibi gloriosam ecclesiam &c. Et infra. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suã & adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. In quibus uerbis beatissimus Paulus quattuor uidetur tangere causas ipsius ecclesiæ, uidelicet efficientem, materialem, formalem, & finalem, ex quibus perfecta colligi potest notitia naturę ipsius ecclesiæ. Dicit enim Aristoteles. 1. posteriorum. Tunc enim unumquodque perfectè arbitramur cognoscere, cum omnes eius causas cognoscimus. Causa efficiens ecclesiæ duplex distinguitur, una principalis, & alia instrumentalis. Principalis est ipse Christus qui plantator est & fundator ecclesiæ. Vnde Hiere. 2. ait. Ego te plantaui uineam electam omne semen uerum. Et Math. 16. ait Petro. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et hanc causam efficientem ecclesiæ tangit apostolus ad Ephe. 5. dicens Christus caput est ecclesiæ & saluator corporis eius, ubi gl. inquit. Christus est rector & actor ecclesiæ. Causa uero instrumentalis ecclesiæ dicuntur ipsa sacramenta quæ a Christi passione habentia uirtutem tanquam instrumenta diuinę pietatis disponunt & operantur ad ędificationem & formationem corporis ecclesiæ. Ait enim Aug. super psalmos. Quando dormiuit in cruce Christus signum gestabat, immo implebat quod significatum erat in Adam, quia cum dormiret Adam, costa illi detracta est & Eua facta. Sic & dominus cum dormiret in cruce lancea latus eius percussum est, & sacramenta fluxerunt unde facta est ecclesia. Item gl. Aug. ad Eph. 4. Dormiuit Adam ut fiat Eua. Moritur Christus ut fiat ecclesia, dormiente Adam fit Eua de latere, mortuo Christo lancea latus percutitur, ut perfluant sacramenta quibus formetur ecclesia. Baptismus uero præcipue ad hanc corporis ecclesiæ formationem inter alia sacramenta dicitur cooperari, qui basis est aliorum & ostium quo quis Christo incorporandus ecclesiam ingreditur. Vnde gl. super illud Gen. 6. Ostium autem archę pones in latere deorsum, dicit. Nemo intrat in ecclesiam nisi per sacramentum remissionis peccatorum, quod de latere Christi aperto emanauit. Hanc autem causam efficientem instrumentalem formationis corporis ecclesiæ tangit apostolus in uerbis supradictis, ubi ait. Mundans eam lauacro aquę. s. sanctificare ut ait gl. in uerbo uitę. i. quo

Baptismus

datur

datur uita. Quo accedente ad elementum fit sacramentum, quo sanctificatus homo accipit uitam eternam inquit glo. Causa autem materialis sunt ipsi fideles, quam apostolus tangit in nomine ecclesiæ dicens. Dilexit ecclesiam, ecclesia autem ut dictum est, collectio fidelium est. Causa autem finalis ecclesiæ duplex est. Vna in præsenti scilicet sanctificatio eius, & hæc tangitur ab apostolo cum ait. Vt illam sanctificaret. gl. iustam bonæ uitæ. Secunda est finis ultimus qui expectatur in alia uita, ad quem perducenda est ecclesia, quando introducetur in thalamum sponsi, quæ est adeptio supernæ beatitudinis. Et hanc causam tangit apostolus in uerbis superioribus ubi ait. Vt exhiberet ipse sibi eam gloriosam glo. in anima & in corpore rutilantem geminata stola decoratam. Causa uero formalis est unitas corporis mistici cum Christo. Et hanc tangit apostolus cum ait. Erunt duo in carne una, sacramentum hoc magnum est in Christo & in ecclesia, quia ut ait glo. Coniugalis copula signum est spiritualis unitatis Christi & ecclesiæ. Et ita patet quam plene beatissimus apostolus in auctoritate prædicta quadruplicem causam ecclesiæ describat. Et hoc tantum a nobis dictũ sit ut quid nominis & quid rei ipsius ecclesiæ. Ex quibus aperte confutatur hæreticorum stultitia qui congregationes suas ecclesias uocant, cum magis synagoga sathanæ dicendę sint, secundum illud Eccl. 21. Stuppa collecta synagoga peccantium.

De uaria acceptione huius nominis ecclesia. Cap. II.

Ecclesia uarie accipitur.

QVONIAM uariis & diuersis modis nomen ecclesiæ tam in sacra scriptura, quam apud sacros canones legimus accipi: ut manifestius fiat sub qua significatione de ecclesia sumus locuturi, oportunum nobis uisum est in hoc principio uarietatem acceptionis illius præmittere. Pro quo sciendum quòd ecclesiæ nomen aliquando capitur pro domo materiali diuinis laudibus, & orationi dedicata illo genere locutionis quo continens nomen solet accipere contentum, sicut uas argenteum uel aureum uel de alio metallo, in quo Christi sanguis continetur nominatur calix sanguinis Christi. Et domus in quibus scholares ad audiendam doctrinam & doctores ad docendum conueniunt, scholæ nominantur. Sic pari modo locus in quo fit congregatio & conuocatio fidelium ad aliqua diuina opera consummanda communiter & rationabiliter uocatur ecclesia, quod triplici ratione conuenire ostenditur. Primo quia in tali domo fit fidelium conuocatio ad audiendã fidei doctrinam. Vnde pro hac causa constitutus est beatissimo Petro locus. s. cathedra in antiochia. Vnde de eo cantatur illud psal. 16. Exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eũ. Et de Christo dicitur Luc. 18. Et erat quotidie docens in templo. Secundo locus ille rationabiliter dicitur ecclesia, quia ibi fit congregatio & conuentio fidelium ad orandum, & benedicendum deum, atque ad impetrandum diuinitatis auxilium. Vnde Iudith. 6. Conuocatus omnis populus per totam noctem intra ecclesiam orauerunt petentes auxilium a Deo. Et. 1. ad Cor. 11. dicit apostolus. An ecclesiam dei cõtemnitis. gl. i. domum orationis. Tertio locus ille materialis merito ecclesia dicitur, quia in ea fideles congregantur ad offerenda sacrificia deo & suscipienda diuina sacramenta quibus ipsa formatur & decoratur ecclesia. Vnde Deuter. 12. dicit ita dominus. Ad

locum quem elegerit dominus Deus noster de cunctis tribubus uestris, ut ponat nomen suum ibi & habitet in eo, uenietis & offeretis in loco illo holocausta, & uictimas uestras decimas, & primitias manuum uestrarum, & uota atque donaria. Et idem in.c.xvj. Secundo nomen ecclesiæ inuenitur accipi pro uniuersitate omnium fidelium tam uiatorum, quam compræhensorum hominum scilicet & angelorum. De quo apostolus ad Eph. 1. de Christo loquens inquit. Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, gloss. quæ in cœlo & quæ in terra est. Tertio accipitur pro uniuersitate fidelium hominum tantum, sicut ad Eph. 5. ubi apostolus ita loquitur. Christus caput ecclesiæ est ipse saluator corporis eius. Et infra Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea. Planum est autem quòd Christus nó est mortuus pro angelis, sed pro hominibus quibus in saluté natus est. Quod manifestestè innuit angelus qui ad pastores loquens ait. Ecce euangelizo uobis gau-
Lucæ. 2. dium magnum quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie Saluator qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Quarto legitur ecclesia assumi
Psal. 21. pro uniuersitate omnium fidelium uiatorum, sicut in psal. Erit apud te laus mea in ecclesia magna, gl. in toto orbe, non modo in Africa, ut aiunt donatistæ. Et Aug. super eodem. Ecclesia magna quid est, fratres, nunquid exigua pars orbis terrarum ecclesia magna est? An ecclesia magna totus orbis est? Quinto accipitur ecclesia pro uniuersitate unius prouincię aut unius familiæ. Sicut ad Ro. ult. Salutat uos Gaius hospes meus & uniuersa ecclesia, glo. prouinciæ unde gaius erat. Item. 2. ad Corin. 1. Paulus ecclesiæ dei quæ est Corinthij id est omnibus fratribus ecclesiæ Corinthię. hoc modo distinguimus ecclesiam Romanam, ecclesiam Tolletanam, ecclesiam Gallicanam, & Germanicam. Sexto ecclesia accipitur pro uniuersitate fidelium habentium fidem charitate formatam, sicut Sapientię. 3. Filij sapientiæ ecclesia iustorum & natio eorum obedientia & dilectio. Septimo aliqui per ecclesiã accipiunt prædestinatorum siue electorum tantum uniuersitatem inducentes pro se illud. 1. Thi. 2. Nouit dominus qui sunt eius, ubi gl. ita dicit. Quos præsciuit futuros conformes fieri imagini filij sui i. prædestinauit, uocauit, iustificauit, & glorificauit. Sequitur, numerus talium est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ uiuæ, paradisus cum pomorum fructibus. Octauo ecclesia accipitur pro præsidentibus tantum in ecclesia, sicut Math. 18. ubi dicitur. Si peccauerit in te frater tuus &c. dic ecclesiæ, gl. Crisostomi, idest his qui præsunt. Hoc modo accipitur in. c. si peccauerit. j. q. j. ubi gl. sup illud dic ecclesiæ, exponit. i. sacerdoti. Nono ecclesia accipitur pro subditis tantum alicuius prælati, sicut Act. 12. ubi habetur. Oratio autem fiebat ab ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo. s. Petro qui ecclesiæ prælatus erat. Item Act. 20. Paulus maioribus ecclesiæ Ephesi inquit. Attendite uobis, & uniuerso gregi, in quo posuit uos spiritussanctus regere ecclesiam suam. Decimo sumitur ecclesia pro maioribus, & potioribus in ecclesia, siue sint ecclesiastici siue laici. sicut sumitur. 3. Regum. 10. ubi dicitur. Conuertit rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel, ubi ecclesia non pro uniuerso Israel accipitur, cum totus populus ibi præsens non fuerit, sed ut ex principio capituli colligitur pro maioribus natu & principibus tribuum qui tunc ibi congregati erant. Pari modo accipitur. i. Paralyp. 29. ubi dicitur. Locutus est Dauid rex ad omnem ecclesiam: ibi tamen tantum primates tribuum conuenerant. Item hoc mo

do

do accipitur ecclesia ad Ephe. 3. ubi dicitur. Vt innotescat principibus & potestatibus cœlestibus per ecclesiam, gloss. i. per apostolos in ecclesia prædicantes. Vndecimo ecclesia accipitur pro personis minoribus siue inferioris gradus in ecclesia, sicut est illud Act. 15. Suscepti sunt ab ecclesia, & ab apostolis, & a senioribus. Et iterum in eodem. Placuit apostolis, & senioribus cum omni ecclesia eligere uiros ex eis, ubi gloss. interli. inquit. Præter apostolos & seniores. Duodecimo ecclesia accipitur pro solis ecclesiasticis uiris siue pro solis clericis sicut. 63. distin. cap. i. ubi dicitur. Quòd quisquis secularium principum uel potentum uel alterius dignitatis laicus aduersus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici regiminis, agere attentauerit, anathema sit donec obediat, & consentiat quicquid ecclesia de ordinatione ac electione proprii præsulis se uelle monstrauerit. Decimotertio ecclesia accipitur magis stricte non pro omnibus clericis, sed pro maiori parte clericorum, probatur in cap. apostolica. lvi. distinct. ubi dicitur, quòd qui ab ecclesia electus est, si altero dignior inuentus fuerit, & canonice electus consecretur ubi gloss. inquit Hic accipitur ecclesia pro maiori parte eligentium. Decimoquarto accipitur ecclesia strictius pro solis canonicis matricis ecclesiæ, & sic sumitur extra de uerb. signi. c. cum clerici, ubi dicitur quòd cum quis præstat iuramentum fidelitatis alicui ecclesiæ, non intelligitur totus clerus illius diocesis, sed tantum episcopus & canonici matricis ecclesiæ: quę uacante sede sunt ecclesia hoc modo dicta, sicut ex eodem. c. colligitur. Decimoquinto ecclesia accipitur pro forma alicuius sacramenti ecclesię, sicut est illud Aug. in lib. sententiarum prosperi, & habetur. i. q. i. in. c. extra, ubi dicitur. Extra catholicam ecclesiam non est locus ueri sacrificii, gloss. i. extra formam ecclesiæ. Et hoc modo etiam ponit sanctus Thom. uerbum ecclesia in. iiii. sententiarum dist. xiii. Decimosexto nomen ecclesiæ aliquando sumitur pro auctoritate, sicut in. cap. quodcunque. xxiiii. quæstio. i. ubi dicitur. Si hoc uerbum scilicet quodcunq; ligaueris tantum Petro dictum est non hoc fecit ecclesia, gloss. archi. i. auctoritas ecclesiæ. Nos uero de hac tam uaria acceptione nominis ecclesiæ sub ea sola ratione de ecclesia in sequentibus agemus qua ecclesia collectio siue uniuersitas dicitur fidelium, sicut in sequenti capitulo tangemus.

Sub qua significatione de ecclesia habendus sit sermo in consequentibus, ubi declaratur quòd in ecclesia sint boni, & mali simul permitti. Cap. III.

CVM autem de ecclesia uniuersali & secundum conditionem præsentis status loqui proposuerimus, quia loqui de ea & eius membris, secundum conditionem status futuri supergreditur intellectus nostri uirtutem cum soli deo cognitus sit numerus electorum in superna felicitate locandus. Ecclesiā in ea significatione impræsentiarum accipimus, secundum quam ecclesia catholicorum collectio, siue fideliū uniuersitas describitur. Fidelium dico, siue sint prædestinati siue non, siue in charitate existant siue non, dum tamen catholicam fidem teneant integram, & pastoris sui censura ab ecclesia, non sint præscisi. Hic autem modus acceptionis uni-

Ecclesia quomodo in hoc opere accipietur.

uersalis ecclesiæ est conuenientior quam modus ille sub quo quędam errantes dogmatizarunt ,'quòd sancta & uniuersalis ecclesia dicenda sit tantum uniuersitas prædestinatorum siue charitatem habentium. Cuius conuenientiæ ratio multiplex assignari potest. Primo quia hic modus accipiendi ecclesiam uniuersalem, ut. s. dicat collectionem, siue uniuersitatem fidelium, siue bonorum, siue malorum, est magis conformis sacræ scripturæ, & sanctorum patrum dictis in cuius clarissimum argumentum Christus in euangelio sanctam uniuersalem ecclesiam multis legitur comparasse rebus quæ mixturā malorum, cum bonis simul patiuntur, de quibus exempla pauca proferamus in medium. ait enim Math. 13. Simile est regnum cœlorum, sagenę missę in mari, & ex omni genere piscium cógreganti. Super quo dicit beatus Greg. in homel. Sancta ecclesia comparatur sagenę missę in mari & ex omni genere piscium congreganti, quia nunc bonos malosq; communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet. sed littus sanctæ ecclesiæ. i. finis indicat sagena quid trahat. Item idem Greg. in alia homel. Boni soli nusquam sunt nisi in cœlo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno, hæc autem uita quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit ita utrarumq; partiū ciues communiter recipit, quos tamen sancta ecclesia, & nunc indistincte suscipit & postmodum in egressione discernit, hæc Greg. & habetur. 23. q. iiij. c. hæc autem uita. Item in eodem. c. euangelij Christus ecclesiam comparat agro, in quo simul cum bono semine inuenta sunt orta zizania, & Math. 3. Areę ea ratione ecclesia legitur comparata, quia quemadmodum in area simul cum granis paleę permiscentur, ita in uniuersali ecclesia mali cum bonis simul continentur. unde beatus Aug. de fide ad Petrum. ca. 4. ita dicitur. Firmissime tene & nullatenus dubites aream dei esse ecclesiam catholicam & intra eam usque in finem seculi frumenti paleas contineri, hoc est bonis malos sacramentorum communione misceri, & in omni professione siue clericorum, siue monachorum, siue laicorum esse bonos, simul & malos, hæc Aug. Præterea hac de causa ecclesia sancta & uniuersalis Christo legitur cóparata decem uirginibus, quarum quinque erant fatuę, & quinq; prudentes. Math. 25. super quo ait beatus Greg. Præsens ecclesia regnum cœlorum dicitur, & quia ex utroq; sexu multipliciter colligitur sancta ecclesia decem uirginibus similis denunciatur, in qua quia mali cum bonis & reprobi cum electis sunt admixti, recte uirginibus prudentibus, & fatuis similis perhibetur, hæc Greg. Hac insuper ratione figurata dicitur ecclesia per Archam Noe, in qua immitia cum mitibus, & munda cum immundis animalia locata simul fuisse leguntur, ubi gl. super Gen. c. viij. ita inquit. Quòd cuncta animalium genera includuntur in archa, significat quòd ex omnibus gentibus, & nationibus congregatur ecclesia. sicut in disco petri mūda & immunda sunt animalia, sic in ecclesiæ sacramentis uersantur boni & mali. Et sub illo uerbo emisit columbam post coruum, ita subiungit. Archa continet coruum & columbam, ita ecclesia bonos & malos. Secunda ratione conuenientiæ est quia huic modo acceptionis nominis ecclesiæ magis conuenit ratio uniuersalis & catholicæ discretionis, quoniam ambitu uniuersalitatis suæ plures quam cæteri modi continet, immo omnes alij modi acceptionis nominis ecclesiæ sunt tanquam partes eius, sicut enim apud ciuilitatem secularem intra ambitum totius reipub. una multitudo pars alterius est. sicut multitudo domestica pars multitudinis ciuilis, ut. 1. Politicorum deducitur, & ciuilis multitudo pars multitudinis regni, cuius ambitu omnia includuntur. Ita apud

apud rempu.religionis Christianæ sub hac amplitudine nominis ecclesiæ secundum quam dicit uniuersitatem omnium qui in catholica fide & sacramẽtorum societate conueniunt,compræhenduntur omnes modi alii, secũdum quos particularius nomen ecclesiæ accipitur,& ita huic modo acceptionis ecclesiæ nomen & ratio uniuersalis & catholicæ discretionis plenius conuenit. Tertia ratio conuenientię est quoniam ex hoc amplior & extensior manifestatur essentia populi Dei,quoniam in gloriam ipsius dei cedit secũdum illud Prouerb.14.In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis,dicitur autem Baruch.3.O Israel quam magna est domus domini & ingens locus possessionis eius. De hac autem amplissima multitudine populi dei ita dominus Abrahæ loquitur Gen.13.Faciam semen tuum sicut puluerem terræ,& infra.c.15.dicit. Suscipe cœlum & numera stellas cœli si potes,& dixit ei.Sic erit semen tuum,gl.j. populus Christianus,cuius pater futurus es in fide,ubi semen Abrahę comparatur nunc Arenæ maris propter carnales & aridos,& a bonis operibus infœcundos, nunc autem stellis cœli propter eos qui uelut stellę uirtutibus fulgẽt,ut dicit gl. Hæc autem Christiani populi amplitudo esse nota non posset,si sancta & uniuersalis ecclesia uniuersitas tantum prædestinatorum aut collectio tantum in charitate existentiũ censeretur:cultus namq; Christianæ religionis & ipsius catholicæ fidei sacramentum in quo catholica societas conuenit, plus habet notitiæ & experientiæ apud nos quam scriptura prædestinationis & etiam quam status charitatis.Non ei nobis ita datum est cognoscere aliquẽ esse prædestinatũ aut charitate Christo cõiunctũ,sicut nobis concessum est cognoscere si quis sit de religione Christiana,unde Aug.li de bap. & habetur de conse.dist.4.c.Est unitas ecclesiæ quæ late patet in sacramentorũ uidelicet societate & cõione quæ amplectitur cum grauis etiã paleas, ubi gl. inquit.Est unitas quæ late patet,sed ecclesiæ unitas quæ est in fidei charitate non ita late patet,sed hæc amplectitur solos bonos sed secundum unitatẽ sacramentorum etiam malos hæc gl.Quarta rõ quoniam per hoc cognoscit unusquisq; si ad ecclesiam pertineat an non, in quo non parũ consolationis accrescit fidelibus posse habere notitiam apud se unumquemq; si ad ecclesiam Christi pertineat.Scit.n.unusquisq; & cognoscit ueraciter si fidem habeat an non,quod de prædestinatione aut charitatis statu minime cõcessum est cognoscere dicit.n. Aug. Nihil est homini certius fide sua qua creditur quod longissimum est a sensu.Item Aug.in li.de tri.& ponitur a magistro in iii.sentẽ. dist. xxiij.Fidem inquit suam uidet quisq; in corde suo si credit,uel non esse si non credit,non sicut corpora quæ uidemus oculis corporeis uel per ipsorum imagines,nec sicut animam quam conijcimus ex motibus corporis,non sic uidetur fides in corde in quo est ab eo cuius est, sed eam tenemus certissima scientia,hæc ille,& sanctus Tho.in.3. suo super eodem passu magistri.Dicit aliud esse de charitate,& de fide,quoniam habens fidem scire potest se habere illam,quod non contingit de charitate qua ex re notum & perspicuum fit unicuiq; si ipse ad ecclesiam uniuersalem pertineat quod ad prægrandem dignitatem, & gratiam singularem habendum est a fidelibus.Quinta ratio conuenientię est,quoniam per modum prædictum acceptionis nominis ecclesiæ pax,& concordia maior seruatur in populo Dei.Si enim soli prædestinati,& in Christi charitate existentes ad ecclesiam pertinere dicerentur,cum ignotum esset qui tales forent,non dubium quin inter fideles multa scismata,& scissurę plurimę orirentur, sicut experientia co-

gnouimus eo tempore quo dogma hoc pestiferū a quibusdā hæreticis dogmatizatum est, quare dominus ait discipulis non esse eradicandam zizaniā, sed usq; ad messis tēpus cū tritico permittendam. Mat.13. Et Aug. super psa. cxix. tractans illud. Cum his qui oderunt, dicit sic. Qui sunt qui oderunt pacem? Qui conciderunt unitatem. Si.n. pacem non odissent, in unitate permansissent. Et infra catholica uox dicit. Non est dimittenda unitas, non est præscindenda ecclesia Dei, iudicabit Deus de bonis & malis postea. Si nūc mali a bonis separari non possunt, ferendi sunt ad tempus. Mali in area nobiscū esse possunt, in horreo esse non possunt. Et forte qui hodie mali apparent cras boni erunt, & qui hodie de bonitate superbiunt, cras mali inuenientur. hęc ille, & Aug. in li. de bap. & habetur in.c. quantus. xxiij.q.iiij. ita dicit. Quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & leuitatis obliuio, & arrogantiæ quanta iactatio ut quis se posse facere credat, quod neq; apostolis concesserit dominus, ut zizaniam uidelicet a frumēto putet se posse discernere. Sexta rō est quoniam ex hoc principatus ecclesiæ magis firmatur in mētib. fideliū & roboratur plane si soli prædestinati ad ecclesiā Dei cēserent pertinere credentib. hominib. principatū ecclesiæ tantū his qui de ecclesia sunt cōuenire, nulla haberetur apud fideles certitudo prælationis, nisi super hoc reuelatio fieret singularis, quæ incertitudo, aut dubietas nullo mō habēda est circa principatum & ptātē ecclesiæ, quæ ueluti clarissima ciuitas super montē posita refulget uniuersis. Mat.5. Ad quod optime facere uidet illud Hiero. quod habet. xxiiij.q.j.c. omnib. ubi sic dicitur. Omnib. cōsideratis puto me non temere dicere alios ita esse in domo Dei ut ipsi ēt sint domus Dei, quæ domus ēt claues accepit atq; ptātem soluendi & ligandi, hæc ibi. Sane si ecclesia in solis prædestinatis consisteret, eadem incertitudine uacillaret pontificiū clauium ecclesiæ, quę apud nos infirma est certitudo prædestinatorum. merito ergo uniuersitas fideliū sine alia limitatione, aut determinatione nomē, & rōnem obtinuit uniuersalis ecclesiæ: licet ēt alijs modis ut dictum est, minus tamen uniuersaliter ecclesia accipit. Ex hoc etiā manifestissimum redditur quam rationabiliter dānatus sit error dicentiū, ꝙ sancta & uniuersalis ecclesia sit tantū prædestinatorū siue electorū uniuersitas.

In quo ponuntur obiectiones aliquæ contra illud quod dictum est ꝙ in sancta & uniuersali ecclesia boni contineantur simul & mali. Cap. IIII.

VIDEBITVR fortassis aliquib. ꝙ sancta & uniuersalis ecclesia non sit dicenda quæ bonos simul & malos contineat, sed quæ bonos tantum, quod multipliciter arguitur. Primo ex illo quod de ecclesia sācta & uniuersali habetur Cant.4. Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum uiuentium: quod uerbum Aug. li. v. contra donatistas dicit. Non audeo intelligere, nisi in sanctis, & iustis, non in auaris, non in fraudolentis raptorib. & ebriosis: ergo uidetur quòd sancta & uniuersalis ecclesia sólos iustos, & sanctos contineat. Secundo idem arguitur ex illo Cant. in eo.c. quod sponsus ad sponsam loquitur.i. Christus ad ecclesiā. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Planū est aūt quòd si sancta & uniuersalis ecclesia tota pulchra & sine macula est, quòd non habebit turpes & deformes moribus, & peccatorum sordib. maculatos admixtos cum bonis qui decore uirtutum speciosi refulgent. Tertio idē arguitur ex illo apostoli ad Eph.5. Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret, se

Argumētū primū cuius, & sequentiū solutiōes habentur cap. 5.

Secundū

Tertium

qui.ur

quitur, ut exhiberet eam non habentem maculam, neq; rugam, nec aliquid huiusmodi. Haberet aût maculam, & rugam, si malos simul cū bonis admixtos haberet. Quarto ostenditur ex illo, quòd ut inquit Aug. Archa domini quæ ecclesiam significabat de lignis sethin, quæ sunt imputribilia, & albæ spinæ similia facta est. unde uidetur quod etiam ecclesia in solis sanctis consistat & non in omnibus fidelibus generaliter. Quinto arguitur ex eo quod in symbolo patres sancti dixerunt quòd ecclesia sancta sit: si autem ecclesia sancta est, & sanctitas teste Dionysio. xij. c. de diuinis nominibus, sit ab omni immunditia libera & perfecta, & omnino immaculata munditia, non uidetur quòd ecclesia sancta ueraciter dici possit, quæ malos tot peccatorum maculis deturpatos contineat. Sexto arguitur ex illo Hiero. in commentario suo super epistolam Pauli ad Eph. qui tractans illud. Ecclesia subiecta est Christo, dicit. Ecclesia Christi gloriosa est non habens maculam neque rugam, nec quid istius modi, qui ergo peccatorem, & aliqua sorde maculatus de ecclesia Christi non potest appellari nec Christo subiectus dici, de pe. distin. j. §. ecclesia. Septimo arguitur auctoritate beati Aug. in li. iij. contra donatistas qui de malis loquens qui seculo uerbis & non factis renunciant, inquit. Nec isti ecclesiæ deuoti sunt qui uidentur esse intus, & contra Christū uiuunt. i. contra naturam Christi faciūt, nec omnino ad illam ecclesiam pertinere iudicandi sunt quam sibiipse mundat lauacro aquæ uitæ in uerbo, ut exhibeat sibi gloriosam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Vltimo arguitur ex illo apostoli. 2. ad Cor. 6. Quæ conuentio lucis ad tenebras. Cum autem mali tenebre esse dicantur, boni uero lux, secundum illud ad Ephe. 5. Eratis aliquando tenebrę, nunc autem lux in domino, ergo uidetur quòd boni, & mali simul non sunt censendi, nec in unitate sanctæ & uniuersalis ecclesiæ compræhendendi.

Quartū. Quintum. Sextum. Septimū. Octauum.

In quo assignata differentia, qua fideles iusti in ecclesia, & fideles peccatores esse dicantur: respondetur ad obiectiones factas. Cap. V.

QVIA de hac re opitulante Deo plenius locuturi sumus in sequentibus, cum de ecclesia sub nomine, & ratione corporis, & eius mēbris agemus, breuiter nunc ad ista respondentes dicimus quòd modus cōuenientissimus accipiendi nomen ecclesiæ est sicut dictum est, quòd sancta & uniuersalis ecclesia, dicitur collectio siue uniuersitas generaliter omnium fidelium, quod tam ex euangelica doctrina quam ratione multiplici in superiori. c. monstratum est. Dicit etiam Rabanus de institutis clericorum. ca. i. Ecclesia Dei catholica. i. uniuersalis quæ per totum mundum dilatata diffunditur Christi nominis nobilitate glorificatur. Omnis enim homo qui recte fidei existit particeps, & sacro baptismate regeneratur, a Christo Christianus uocatur, & Dei patris ac ecclesiæ matris esse noscitur filius. Ecclesia græcum est, quæ in latinum uertitur uocatio siue conuentus, eo quòd omnes ad se uocat, hæc ille. Et tamen pro ampliori intelligentia dictorum, & pro solutione argumentorum factorum notandum quòd licet in sancta, & uniuersali ecclesia boni & mali fideles simul permixti contineri dicantur, differentur tamen hi & illi, quoniam cum ecclesia collectio siue uniuersitas sit fideliū in unius ueri Dei cultu, unius fidei professione cōueniētium, tamen

Differentię bonorū, & malorū existentiū in ecclesia.

quis uerius, & perfectius ad ecclesiam sanctam tanquā eius filius aut membrum iudicatur pertinere, quanto magis & perfectius unitate, & cōione sanctæ ecclesiæ dei participat. Hæc autem unitas maxime fidei spei, & charitatis integritate perficitur, ut ait Aug. & colligitur ex.c.nuptiarum.xxvij. q. j. Hinc est quòd boni & iusti fideles qui non solum in unitate fidei sed insuper in unitate dilectionis & charitatis, quæ est uinculum perfectionis, ad Colo. 3. uniuntur ecclesiæ multo differentius & nobilius ad ecclesiam iudicantur pertinere quā fideles peccatores, qui in unitate fidei tantum, & cōione quadam exteriori sacramentorum, ceteris sanctis fidelibus communicant, quā uero differenter hi & illi ad ecclesiam pertineant, licet satis aperte colligatur ex parabola illa euangelica apud Math. ubi Christus ad aream dominicam bonos tanquam granum, malos uero tanquam paleas pertinere declarat, alijs tamen uiis sic demonstrare curabimus.

Prima differentia

Primo quidem cū fides sine operibus mortua sit. Iac. 2. Quòd fides autem quæ est apud deum uiua sit & quæ precium habet, est fides quæ per dilectionem operatur, ad Gala. 5. Profecto qui in ecclesia continentur per unitatem fidei, charitate formatę ad ipsam ecclesiam pertinent tanquam lapides uiui & mēbra uiuificata dei spiritu ex quibus ipsa ædificij spiritualis corporis ecclesiæ statura consurgit. Vnde Hiero. & habetur in.c.omnibus consideratur.xxiiij.q.j.dicit sic. Omnibus consideratis puto me non temere dicere alios ita esse in domo domini, ut ipsi sint etiam eadem domus domini quæ dicitur ædificari super petram quæ unica columba appellatur &c. Fideles uero iniusti & peccatores cum uita gratiæ priuati sint & a spiritu dei sint alienati, in comparatione iustorum tanquam arida & mortua membra, siue tanquam humores mali in ecclesia sancta dei a sanctis doctoribus iudicantur contineri. unde Aug. li. de bapt. & habetur in.c.est unitas, de consec. dist. iiij. Est unitas ecclesiæ quæ late patet in sacramentorum uidelicet societate, & in cōione quæ complectitur cum granis & paleas &c. sic ergo sunt in ecclesia homines mali, ut in corpore humano humores mali qui interdum exeunt de corpore, hæc Aug.

Secunda

Secūdo hæc differentia colligitur ex eo, quia cum fides charitate formata non patiatur secum maculam aliquam damnabilis erroris aut criminis, quia uniuersa delicta operit charitas. Prouer. 10. Fides uero informis secum patiatur maculas aut sordes multorum peccatorum. Hinc est quòd in illis qui per fidem charitate formatam ad ecclesiam pertinent sancta ecclesia dicitur formosa, decora, speciosa, & immaculata. In illis uero qui per unitatem tantum fidei in ecclesia esse perhibentur, ipsa ecclesia in comparatione ad primos magis fusca, & maculata pronunciatur, unde beatus Augusti. tractans illud Cant. 1. Nigra sum sicut tabernacula cedar & speciosa sum ut pelles Salomonis dicit sic. Vtrunque se esse dixit propter unitatem temporalem intra una retia piscium bonorum, & malorum. Tabernacula enim cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erat hæres cum filio libere, hæc ille. Et. iij. de doctrina Christiana ita dicit. Non enim ait fusca sui ut tabernacula cedar, & speciosa ut pelles Salomonis, & Bernar. super Cant. ad idem propositum ita inquit. Quamquam sponsam dixerim perfectam sed ex parte, non ex parte tabernaculorum cedar, formosa tamen siue in illa portione sui quæ iam beata regnat, siue etiam in illustribus uiris quorum in hac nocte sua sapientia, & uirtutibus tanquam cœlum suis sideribus adornatur, & Aug. exponens illud psalm. xxiiij. Domine dilexi decorem domus tuæ, dicit. Domus dei ecclesia

clesia est, adhuc habet malos, sed decor domus dei in sanctis & econuerso. Ecclesia enim ratione malorum nominatur spelunca latronum. unde Orige. & habetur in ca. & hoc diximus. xvj. q. vij. Nunc autem arbitror templũ dei ex lapidibus uiuis constructum ecclesiam Christi. Sunt autem multi in ea non sicut condecet spiritualiter uiuentes sed secundum carnem militantes, qui domum orationis ex lapidibus uiuis constructam faciunt speluncam esse latronum actibus suis. Tertio ex hoc differentia prædicta colligitur, quia cum unitas fidei sit unitas imperfecta, unitas uero quæ est per fidem charitate formatam sit completa, charitasq; ipsa principium & radix sit meriti dicente apostolo. i. ad Corum. 13. Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam &c. charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. Illi qui in ecclesia continentur per fidem solam informem de ecclesia in comparatione iustorum quasi numero solo esse dicuntur, qui uero per unitatem fidei, quæ per dilectionem operatur, in ecclesia sunt numero & merito ad ecclesiam pertinere iudicantur, unde Aug. super Io. tractans illud. Vnus ex uobis &c. dicit unus ex uobis numero non merito, unus specie non uirtute, commixtione corporali non uinculo spirituali, carnis adiunctione non cordis, socius unitate, & gl. magistri super psal. 25. de malis loquens ita dicit. Et si de nobis sunt corpore non mente, numero non merito, nomine non numine. Quibus notatis dicendum est ad rationes factas in oppositum. Ad primam in qua dicitur quòd ecclesia sancta est hortus conclusus &c. Respõdetur quòd scriptura sancta loquitur ibi de ecclesia quæ ad illos qui numero & merito sunt de ecclesia: cuiusmodi sunt iusti & sancti, in istis plane sancta ecclesia est hortus, quia cuncti generis arborum uirtutibus redolens Conclusus. i. clausus disciplinæ custodia contra hostiles incursus demonũ. Fons est quia in illis diuinę gratiæ aquis repleta est. Fons signatus dicitur, quia perennis puteus aquarum uiuentium propter sanctarum exuberantiã doctrinarum. iuxta illud psal. Fluminis impetus lętificat ciuitatem dei. Licet ergo mater ecclesia hoc modo in sanctis sit, ut in. c. quæritur de conse. dist. iiij. Nihilominus alij quæ integritatem catholicæ fidei habent quæ de se sancta & immaculata est ad ecclesiam uniuersalem pertinere aliquo modo: licet non ita principaliter non negantur iuxta ea quæ determinata sunt in superioribus. Ad secundam rationem quæ sumitur ex illo tota pulchra es amica mea. Respõdetur sicut ad superiorem rationem quòd loquitur de his qui numero & merito sunt de ecclesia sine macula mortalis criminis. ut ait gl. Ad tertiam dicendum quòd dictum apostoli non intelligitur uniuersaliter de ecclesia secundum præsentem statum. Nam ut dicit Aug. li. de perfectione iustitiæ. Tunc ecclesia erit sine macula & ruga aut aliquo huiusmodi quando erit gloriosa, non enim modo in tantis periculis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, & in tantis opprobrijs impiorum dicendum est eam esse gloriosam, & in li. ij. retractationum idem Aug. ad propositum nostrum ita loquitur. Vbicunque autem in libris commemoraui ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendũ est, quasi ea sic sit, sed quæ præparatur ut sic sit quando apparebit gloriosa. Nunc autem propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat dimitte nobis debita nostra, hæc Aug. Dicitur tamen iuxta ea quæ dicta sunt in solutione rationum præcedentium quòd ecclesia est sine macula criminis & ruga duplicitatis in his

Tertia

Ioh. vj.

Ad argumentũ primum quarti capituli.

Psal. xlv.

Ad secũdũ

Ad tertiũ

Ad quartũ qui in ecclesia sunt numero & merito. Ad quartam dicendum quòd ecclesia fuit figurata per archam domini quo ad eos qui sunt de ecclesia numero

Ad quintũ & merito sicut dictum est. Ad quintam pariter dicendum quòd ecclesia uniuersalis sancta est in omnibus qui de ecclesia sunt numero & merito, cuiusmodi sunt omnes sancti, in quibus splendor sanctitatis ecclesiæ refulget, de quo in psal. 169. dicit propheta. Laus eius in ecclesia sanctorum. Super quo Aug. ita loquitur. Hæc est ecclesia sanctorum ecclesia frumentorum to

Ad sextum to terrarum orbe diffusorum per agrum domini seminata. Ad sextam dicendum quòd illud dictum Hyero. quòd sorde maculatus de ecclesia Christi nó potest appellari, intelligendum est numero & merito, non prohibetur auté

Ad septimum quin numero appellari potest sicut iam sæpe expositum est. Ad septimam uero pariter respondendum est eodem modo exponendo dictum Aug. sicut

Ad octauũ dictum Hyero. exposuimus. Ad ultimam rationem quæ sumitur ex apostolo dicendum quòd ex ea parte qua fideles peccatores sunt tenebræ, & iusti lux, non possunt pertinere ad unam & eandem societatem, sed ex ea parte qua in una integritate fidei quæ lux est animarum fidelium conueniunt optime possunt pertinere ad unam & eandem sanctam communitatem unitatis ecclesiæ, & ita est in proposito.

Probans quòd ecclesia est una. Et de multiplici unitate eius. Cap. VI.

Ecclesia é una. POST considerationem eius quid nomine & re per ecclesiam importatur, & explicata ratione sub qua de ecclesia locuturi sumus, restat de conditionibus & proprietatibus eius agendum & potissime de illis quas sancti patres in symbolo fidei attribuunt ei dicentes. Credo unam sanctam ecclesiam catholicam & apostolicam, ubi quattuor de ecclesia sancti patres tradunt docét & prædicant. Primo quòd una sit, & hoc cótra tria genera hominũ. s. cótra conuenticulas hęreticorũ, cótra scismaticos & contra excómunicatos ecclesiæ uincula conténentes. Secũdo ꝙ sit sancta cótra falsi nominis Christianos. Tertio ꝙ sit catholica id est uniuersalis cótra singulares & pertinaces in proprio sensu recedétes a cómuni doctrina fidei & sanctorũ patrũ, cuiusmodi sunt hęretici omnes. Quarto ꝙ sit apostolica, contra præsumptores nouitatum & introductores nouellarum sectarum & peregrinorum dogmatum, dicamus de singulis. Quia autem ecclesia una sit ueritatis magistraliter per spiritum sanctum Cant. iiij attestatur dicens. Vna est columba mea, una est perfecta mea. Circa quod notandum quòd unitas ecclesiæ colligitur ex multis. Primo ex unitate principis seu capitis quo regitur & gubernatur, qui unus est. s. Christus dominus deus noster, quem pater dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius. ad Ephæsi. 1. Secundo ecclesia dicitur una ex unitate fidei qua illustratur & in qua fundatur. Est enim fides diuinum lumen quoddam & admirabile, in quo uocati sumus & Christianæ religionis fundamentum ut dicit Crisostomus. Omnes enim Christiani idem credunt corde & ore confitentur id est ad Corin. 1. Idipsum dicatis omnes & non sint in uerbis scismata, propter

Io. 17. hanc fidei communitatem inquit Aug. super Ioh. Omnes unum sumus, iux-

Gal. 3. ta illud apostoli. Omnes unum uos estis in Christo Iesu. gl. j. in fide Christi. Hac ratione beatus Hierony. utitur scribens ad Euandrum episcopum. ut habetur in cap. legimus. xciij. distinc. Nec altera Romanæ urbis ecclesia al-

sia altera totius de his existimanda est & Galliæ,& Britanniæ. Nam & Africa, & Persis, & Oriens,& India,& omnes barbaræ nationes unum Christum adorant,unam obseruant regulam ueritatis. Tertio ecclesia una dicitur ex unitate sacramenti baptismi quo sanctificatur, quod est idem apud omnes & quantum ad materiam de qua Io. iij. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & quantum ad formam,de quo Math.ult.Baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Et quantum ad effectum ultimum. Marc. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Siue quo ad efficaciã collati muneris quod equale est a quocunque detur,ut ait Aug.in cap.sicut in bonos,de consec.distinc.iiij. Per hanc autem unitatem baptismi quia ianua sacramentorum est, intelligitur unitas aliorum sacramentorum, de qua habetur in cap.est unitas ecclesiæ,de consec.distin.iiij. De istis autem talibus unitatibus in ecclesia similiter loquitur apostolus ad Eph.iiij. dicẽs. Vnus dominus,una fides,unum baptismum:ubi gloss.inquit. Vnus dominus debetis seruare unitatem, quia uobis est unus dominus non tres, pro quorum diuersis uoluntatibus uos oporteat discordare, & ita iubemus credere & eodem modo operari. Item glo. super illud Cant.5. Vna est columba mea dicit, sicut una est quamuis multæ & diuersæ personæ,tamen fides una est in eis, unum baptisma,unus Deus, unum opus. Quarto ecclesia dicitur una ab unitate spei, qua ad bona cœlestia erigitur, & eleuatur in unam expectationem beatitudinis, de qua apostolus ad Eph. iiij. Vocati estis in unam spem uocationis uestræ, gloss. j. ad unam rem separatam quæ est effectus uocationis. Quinto ecclesia est una unitate charitatis qua connectitur & uiuificatur, de qua inquit apostolus ad Philip. 2. Eandem charitatem habentes unanimes idipsum sentientes, de hac autem unitate quam charitas facit dicitur Act. 4. ubi de primitiua ecclesia habetur, quòd multitudinis credentium erat anima una & cor unum in domino, quia ut ait gloss. copula charitatis inuicem iungebantur. Item gloss. super illud id est ad Corin. 10. Vnus panis & unum corpus ecclesia dicitur, quia sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris componitur, sic ecclesia Christi ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hinc dicit August. in lib. de bapt. & habetur in cap.multæ.j.q.j.Quòd charitas proprium donum est unitatis catholicæ & pacis. Sexto ecclesia dicitur una unitate spiritus uiuificantis, unus enim & idem spiritus, scilicet sanctus tanquam ultima & principalis perfectio corporis mistici quasi anima in corpore est in omnibus membris ecclesiæ diuidens singulos ut uult, diuisiones enim gratiarum sunt. idem autem spiritus inquit apostolus.i.Corin. xij. Ad quam unitatem idem apostolus ad Eph.4. ita exhortatur dicens. Solicite seruate unitatem spiritus,gloss.j.unitatem ecclesiasticam quam facit spiritussanctus, ut unum corpus sitis opere spiritussancti. item in eodem apostolus ad propositum ita loquitur. Vnum corpus & unus spiritus,gloss.unum corpus esse debetis, quia unus spiritus habitat in uobis quo unum corpus efficimur. Sicut enim unum corpus hominis ex multis constat membris & uegetat omnia membra una anima, faciens in oculo ut uideat, in aure ut audiat, & sic in ceteris, ita spiritussanctus membra corporis Christi quod est ecclesia continet, & uegetat. Septimo ecclesia dicitur una unitate ultimi finis, quæ est ipsa beatitudo ad quam ordinatur. Vnde & idem denarius per quem

doctores sancti beatitudinem intelligunt omnibus fidelibus pro mercede laborum legitur assignatus Math.20.ubi dicitur quòd cũ uenissent qui circa horam undecimam uenerunt acceperint & ipsi singulos denarios gl.dicit quia ad eandem æternitatem cum his qui ab initio mundi uocati sunt,& Augu.super illud psal.85.Omnes gentes, dicit.Multæ gentes & una gens, quare una gens? quia una expectatio postremo, quare non una gens si una patria hierusalẽ est. Octauo ecclesia est una unitate unius præsidẽtis rectoris & gubernatoris uisibiliter conuersantis cũ ea, de quo dicitur Iohel.1.Congregabuntur filii Iudæ,& filij Israel pariter & ponent sibi caput unũ. Et dominus dicit Ioã.10.Fiat unum ouile & unus pastor. Hic autem unus præsidens pastor rector & gubernator in tota uniuersali ecclesia uicem Christi gerens summus pontifex est, sicut in sequentibus ostendetur. Vnde beatus Cyprianus tractans illud Math.16.Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,de hac unitate ita loquitur. Super unum ædificat ecclesiam,& quamuis omnibus apostolis post resurrectionem suam parem. i. similem potestatem tribuat cum diceret.Sicut misit me pater & ego mitto uos, accipite spiritum sanctum, tamen ut unitatem manifestaret unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit, & infra. Exordium ab unitate proficiscitur,ut ecclesia Christi una monstretur, habetur hoc in.c.loquitur.xxiiij.q.j.

In quo ponuntur obiectiones contra ea quæ dicta sunt de unitate ecclesiæ. Cap. VII.

VT ueritas eorum quæ de unitate ecclesiæ iam dicta sunt, illustrior fiat,mouebuntur contra ea aliquę obiectiones.Contra ergo iam dicta arguitur multipliciter. Et primo ex illo psal.lxvj. In ecclesiis benedicite domino.Item ex illo Apoc.1.ubi Io.scribere dicitur septem ecclesiis, in quibus locis non una sed plures designantur ecclesiæ. Secundo sic, communiter distinguitur ecclesia præsens ab ecclesia primitiua.Ecclesia enim sumpta ex circuncisione & ex præputio siue ex iudæis & ex gentilibus sunt distincti populi.Vnde gl.Cant.4.super illud. Est fons hortorum, dicit sic fons hortorum,quia de primitiua ecclesia processit in mundum doctrina cœlestis quæ plures ecclesias. i. hortos procrearet. Tertio ecclesia est una constituta ex angelis & hominibus.Vnde Aug.super psal. 36. Omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque ad finem, adiunctis etiam legionibus & exercitibus angelorum ut fiat una illa ciuitas sub uno rege,una quędam prouincia sub uno imperatore, sed hominibus & angelis non est communis fides nec spes,ergo unitas fidei aut spei non pertinet ad unitatem ecclesiæ. Quarto sic,fides,spes,& charitas, cum sint accidentia diuersa numero,sunt in diuersis, ergo omnes homines fideles non possunt pertinere ad unam ecclesiam, cum non uideantur habere eandem fidem spem & charitatem. Si uero dicatur quòd fides ex parte subiecti non est una, quia diuersificatur secundum quod est diuersorum,sed ex parte eius quod creditur est una.Contra quia multa sunt quæ proponuntur nobis ad credendum cum duodecim sint articuli fidei inter quos magna est differentia, sicut patet manifeste. Quinto sic,eadem est ecclesia a primo iusto Abel usque ad ultimũ nasciturum, sed non uidetur eadem fides antiquorum patrum & modernorum,cum

Argumentũ primũ.
Secundum
Tertium
Quartum
Confirmatio
Quintum

rum,cum confeſſio,quæ eſt actus fidei,non ſit una & eadem apud omnes.Nā illi credebant futura ſicut incarnationem filij Dei, paſſionem , reſurrectionem,aſcēſionem,& ſimilia quæ nos credimus præterita: ergo uidetur quòd ueritas fidei non includitur in unitate eccleſiæ . Sexto omnis excommunicatus eſt extra unitatem eccleſiæ,cum ſit ab eccleſia & conſortio fidelium euidenter ſeparatus xi.q.iij.c.Canonica.Et Math.18.Si eccleſiam non audierit,ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus,ſed ſtat excommunicatum habere fidem, ſpem, & charitatem,& inhabitantem ſpiritum ſanctum ergo iſta non uidentur facere ad unitatem eccleſiæ. conſequentia patet, minor etiam nota eſt de eo qui iniuſte excommunicatur.Septimo multi pertinent ad unitatem eccleſiæ in quibus nec charitas eſt nec ſpirituſſanctus inhabitat, huiuſmodi ſunt peccatores fideles.Vnde ſupra per multa oſtenſum eſt, quòd eccleſia uniuerſalis omnes generaliter comprehendat fideles.Vnde Math.13. habetur,quòd tritico adiuncta ſint zizania,& ſicut dicit Aug. Eccleſia ager eſt , in qua radicantur triticum.i boni,& zizania id eſt mali ſimul,tamen in fine ſeculi ſeparabuntur : ergo ſequitur quòd prædicta non requirantur ad unitatem eccleſiæ . Octauo arguitur ſic, ſtat aliquem omnia habere iſta.ſ. fidem, ſpem, charitatem , & inhabitantem ſpiritum ſanctum , & tamen non pertinere ad unitatem eccleſiæ,ergo prædicta non ſtant in ueritate . antecedens patet de multis cathecuminis qui habent fidem formatam , & tamen non uidentur eſſe membra eccleſię.cum Aug.dicat de baptiſ.paruul.& habetur de conſe.diſt.iiij.in.c. ad hoc.Ad hoc baptiſmus ualet ut baptizati Chriſto incorporētur.Et idem Aug.ad Bonifaciū ſcribit & dicit quòd in baptiſmo quis efficitur membrum Chriſti. Nono arguitur ſic. Sicut dictum eſt a primo iuſto Abel uſq; ad ultimum naſciturum eſt,una & eadem eccleſia,ſed ante aduentum Chriſti baptiſmus cum non eſſet non poterat dici pertinere ad unitatem eccleſiæ,ergo nec nunc unitas eccleſiæ eſt arguenda ex unitate baptiſmi.Decimo,nō eſt unus baptiſmus ſed tria.ſ.baptiſmus aquæ, pœnitentiæ,& baptiſmus ſanguinis,ſicut habetur in glo. ad Heb.6. & magiſter ſentē. ponit in.iiij.diſt.iiij.ergo unitas eccleſiæ non bene ſumitur ex unitate baptiſmi.Vndecimo Aug.li.de bapt. tangit aliam unitatem eccleſiæ,de qua in.c.eſt unitas de conſe.diſt.iiij. ubi ſic dicit. Eſt unitas eccleſiæ quæ late patet in ſacramentorum uidelicet ſocietate & cōione quæ complectitur cū granis paleas:ergo uidetur quòd non ſufficienter dictum ſit de unitate eccleſiæ. Duodecimo, eccleſia eſt collectio fidelium , ut ſupra habitum eſt in c.eccleſia,de conſe.diſt. j. Sed non ſunt ſemper iidem fideles : ergo non eſt ſemper eadem eccleſia.Tertiodecimo ſic,ſi unitas fidei facit eccleſiam unā ergo quicunque habent fidem eandem, ad unam & eandem eccleſiam uidentur nobiſcum pertinere,ſed demones & damnati habent,unam & eandem fidem nobiſcum:ergo uidetur quòd pertineant nobiſcum ad eandem eccleſiam,quod tamen eſt falſum: cōſequentia uidetur manifeſta,minor uero probatur per illud Iac.2.Demones credunt & contremiſcunt.Et gl. ſuper illud Ro.1.Ex fide & in fidem,dicit,fides informis demonum. Quartodecimo,eccleſia ſemper fuit una,& tamen in ea non ſemper fuit unus paſtor aut rector qui uiſibiliter cum ea conuerſaretur:ergo ex parte unius ſupræmi præſidentis & rectoris non eſt unitas eccleſiæ accipienda.Quintodecimo,papa mortuo eccleſia non minus eſt una quam eo uiuente, ergo unitas talis ſupræmi præſidentis ſiue ſummi pontificis non arguit unitatem eccleſiæ , conſequentia uidetur nota.

Sextum
Septimū
Octauum
Nonum
Decimū
Vndecimum
Duodecimum
Decimū tertium
Decimū quartum
Decimū quintum

In quo reſpondetur ad obiectiones poſitas. Cap. VIII.

Ad primum.

AD primum reſpondetur & primo quantum ad illud pſal. In eccleſijs benedicite dominum, quòd ibi propheta loquitur de eccleſia prout dicit multitudinem aliquam fidelium alicuius certę prouinciæ aut loci,& ſic non dubium quin eccleſiæ multæ ſint: nihilominus tamen omnes tales particulares eccleſiæ una ſunt uniuerſalis eccleſia, & unus thalamus Chriſti,ſicut dicit tex.in.c.quamuis,diſt.xxj.& in.c.legimus, di. xciij. & beatus Aug. tractans illud pſal. 106. Poſuit ſicut oues familias,dicit ſic. Multæ familiæ, multæ eccleſiæ,una eccleſia,una plebs, una familia, una ouis eſt. Ad auctoritatem uero quæ ex Apocal. inducitur reſpondetur quòd ſicut tam ex tex.quam ex gl.patet beatus Io. loquebatur principaliter eccleſiis particularibus in Aſia quibus præpoſitus erat quæ plures erant. Eſt tamē uerum, ut in eadem gl.dicitur quòd per illas ſeptem eccleſias Aſiæ uniuerſalis eccleſia deſignabatur quę ideo per ſeptenarium numerum deſcribitur. Tum quia ſeptenarius uniuerſitatem ſignificat. Tum quia ſeptiformi ſpiritu illuſtratur.

Ad ſecundum

Ad ſecundum dicendum ꝙ una & eadem eccleſia dicitur fuiſſe a principio ſicut infra dicetur,cum una & eadem fides fuerit patrum ueteris teſtamenti & patrum noui teſtamenti,tempora tantum ut ait Augu. mutata ſunt,diſtinctio autem & differentia, quæ importari uidetur in dictis ſanctorum inter primitiuam,& præſentem eccleſiam accipienda eſt ex parte populi non ex parte fidei. Vnde Aug.tractans illud pſal.xlvij. Fundatur exultatione uniuerſæ terræ mons ſyon latera aquilonis ciuitas regis magni, dicit ſic. Duo montes unus ex circuncisione alius ex præputio, ex iudæis unus alter ex gentibus non iam aduerſi,& ſi diuerſi,quia ex diuerſo iam uniti in angulo non diuerſo,ipſe eſt inquit pax noſtra qui fecit utraq; unum ipſe angularis lapis quem reprobauerunt ædificantes factus eſt caput anguli, duos iunxit in ſe,mons ac montes, una domus, ac duæ domus, duæ propter ex diuerſo uenientes,una propter lapidem angularem in quo ſibi ambæ copulantur.

Eph.2.

Ad tertiū

Ad tertium reſpondetur dupliciter. Primo quòd hic, non loquimur de eccleſia prout comprehendit militantes,& triumphantes,ſed prout dicit uniuerſitatem fidelium ſecundum ſtatum uiæ, qui in hac noſtra peregrinatione militant quibus omnibus fides communis eſt. Secundo reſpondetur quòd licet angeli non habeant fidem communem cum hominibus fidelibus,habent tamen quod fidei ſuccedit.ſ.uiſionem,idem eſt enim quod illi uident in patria & quod fideles credunt in uia,& ideo eccleſia ut comprehendit militantes, & comprehenſores poteſt dici una cognitione,licet hinc, & inde ſit diuerſus cognitionis modus,quia hic per ſpeculum & in enigmate ut dicit apoſtolus.1.ad Cor.13.Ibi autem facie ad faciem.

Ad quartum

Ad quartum reſpondetur & dicitur quo ad antecedens,quòd licet præfatę uirtutes diſtinguantur in diuerſis ſecundum numerum conueniunt tamen ſpecie,& in obiecto uno ſecundū numerum ſecundum quod omnis fideles idem credunt ſperant, & amant. Pro quo notandum quòd ut dicit ſanctus Thom.in.iij.quòd ſicut in corpore naturali uires diffuſę per omnia membra differunt numero ſecundum eſſenciam,ſed conueniunt in radice una ſecundum numerum, & præter hoc habent formam ultimam unam numero, ita etiam omnia membra corporis miſtici habent pro ultimo complemento ſpiritum ſanctum, qui eſt unus nu

mero

mero in omnibus. Et ipsę uirtutes fides, ſpes, charitas, quamuis differant in diuerſis ſecundum eſſentiam, conueniunt tamen in una radice ſecundum numerum. Radix autem operationis proprie eſt ipſum obiectum ex quo ſpeciem trahit, & ideo inquantum eſt idem numero creditum, ſperatum, & amatum ab omnibus, ſecundum hoc uniuntur omnium fides, ſpes, & charitas in una radice ſecundum numerum, non ſolum prima quæ eſt ſpiritus ſanctus, ſed etiam proxima quæ eſt proprium obiectum. Et ad confirmationem cum dicitur quòd multa ſunt, quæ nobis proponuntur ad credendum. Reſpondetur quòd cum obiectum formale fidei ſit ueritas prima cui inhærendo credimus quæcunq; ſub fide continentur, & iſta ſit una & immutabilis, & habitus capiat unitatem, uel multitudinem ex obiecto. dicimus quòd fides eſt una ex parte eius quod creditur, quia idem eſt, quod ab omnibus creditur & ſi ſint diuerſa credibilia quæ communiter omnes credunt, tamen omnia reducuntur ad unum, quia ad primam ueritatem ſub cuius ratione cadunt ſub fide. Temporalia etiam non pertinent ad obiectum fidei niſi in ordine ad aliquod æternum, quod eſt ueritas prima, quæ eſt obiectum fidei. Ad confirmationē

Ad quintum dicendo negatur aſſumptum illud uidelicet, quòd non ſit eadem fides antiquorum, & noſtra, & ad probationem reſpondetur quòd iſta differentia præteriti, & futuri non contingit ex aliqua diuerſitate rei creditę, ſed ex diuerſa beatitudine credentium ad unam rem creditam. Ad quintum

Ad ſextum reſpondetur quòd ſi aliquis iniuſte excommunicatus eſt in nullo léditur per talem excommunicationis ſententiam. Vnde Auguſt. & habetur in cap. illud. xj. q. iij. Illud plane non temere dixerim quòd ſi quis fidelium fuerit anathematizatus iniuſte ei potius oberit qui facit quam ei qui hanc patitur iniuriam. Spiritus enim ſanctus habitans in ſanctis per quem quiſque ligatur aut ſoluitur immeritam nulli ingerit pœnam. Dicit enim ſanctus Thom. in. iiij. quòd ſi homo qui iniuſte excommunicatus eſt hanc iniuriam humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum, recompenſat huius excommunicationis damnum. Et hoc ponit beatus Auguſt. in de uera religione ita dicens. Sæpe diuina prouidentia ſinit etiam bonos uiros per nonnullas turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana, quam contumeliam, uel iniuriam ſuam cum patientiſſime pro pace eccleſiæ tulerint, nec ullas nouitates, uel ſciſmatis, uel hæreſis moliti fuerint, & fidem, quam in eccleſia catholica prædicari ſciunt uſque ad mortem muniant, & teſtimonio defendant, hos coronat pius pater in occulto uidens, hæc Auguſt. Vbi notandum pro pleniori intellectu huius rationis, quòd excommunicatus non dicitur ita extra unitatem eccleſiæ poſitus, quòd fide qua eccleſiæ corpori erat unitus, ſit priuatus, ſed quia a conſortio fidelium, & ſacramentorum participatione ſit præſciſus. Excommunicatio enim, ut aiunt doctores dicitur ſeparatio a conſortio fidelium, maxime quo ad fructum qui habetur ex participatione ſacramentorum, & quo ad communia eccleſiæ ſuffragia. Quomodo autem excommunicatus talibus ſuffragijs priuetur, & quomodo non, declarat ſanctus Thom. in. iiij. diſtin. xviij. ita dicens. Suffragia alicuius ualent alteri ſecundum quod ei continuantur, poteſt autem actio unius alteri continuari dupliciter. Vno modo ex ui charitatis, quæ omnes fideles connectit, ut ſint unum in Deo, ſicut dicitur pſal. Particeps ego ſum omnium timentium te, & hanc continuationem excōicatio non intercipit, quia iuſte Ad ſextū

quis excommunicari non potest, nisi pro culpa mortali per quam iam a charitate diuisus est, etiam si non excommunicetur. Iniusta autem excommunicatio charitatem alicui auferre non potest, cum sit de maximis bonis quæ non possunt alicui inuito auferri. Alio modo potest actio unius alteri continuari per intentionem suffragia facientis quæ in aliquem fertur pro quo fiunt. Et hanc continuationem excommunicatio intercipit, quia ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab uniuersitate fidelium pro quibus suffragia facit, unde suffragia ecclesiæ ei nō prosunt quæ pro tota ecclesia fiunt, nec ex persona ecclesiæ oratio pro eis inter membra ecclesiæ fieri potest, quamuis aliqua persona priuata possit ad eius conuersionem aliquod suffragium per intentionem dirigere, hæc sanctus Thomas.

Ad septimum

Ad septimum dicendum quòd licet peccatores fideles, non habeant omnia illa quibus ecclesia una esse dicitur, pertinent nihilominus ad unitatem ecclesiæ aliquo modo, inquantum scilicet in una fide, cum aliis fidelibus conueniant. Est tamen uerum quòd quia charitatem non habent per quam corpus ecclesiæ uiuificari dicitur, tales tanquam membra mortua iudicantur, nec sunt proprie membra corporis Christi, sicut in superioribus partim dictum est, & infra plenius ostendemus.

Ad octauum

Ad octauum respondetur, & dicitur ad antecedens negando illud, diximus enim tales pertinere mentaliter, etsi non corporaliter per uisibile sacramentum ad unitatem ecclesiæ, siue quòd merito pertineant ad ecclesiam, & si non numero. Et ad probationem respōdetur, ut dicit sanctus Tho. in. 4. dist. iiij. quòd incorporari Christo contingit dupliciter, scilicet merito, & numero. Merito quidem potest aliquis de ecclesia effici quod est Christo incorporari etiam ante baptismum actu susceptum sed non ante baptismum propositum uel in baptismū post tempus gratiæ reuelatę. Vnde Ambrosius de ualentino qui cathecuminus mortuus fuit dicit. Quem regeneraturus eram amisi, ueruntamen ille gratiam quam poposcit non amisit, unde talis corde regeneratus est, licet non corpore, ut dicit sanctus Tho. in. 3. parte. Fide quidem incorporatur quis Christo, secundum illud ad Ephe. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Numero uero non potest aliquis effici de ecclesia nisi per baptismum. Vnde ante baptismum, nullus admittitur ad perceptionem sacramenti Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum ecclesiæ, & sic patet, quòd tales cathecumini fidem, spem, & charitatem, habentes ad ecclesiam pertineant animo, etsi non uisibili sacramento, merito & si non numero.

Ad nonū

Ad nonum respondetur negando consequentiam, quia licet baptismus, non semper fuerit a principio ecclesiæ, non sequitur quòd postquam institutus, est unitas illius, non arguat suo modo unitatem ecclesiæ. Pro quo sciendum quòd nunquam homines potuerunt saluari etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi, quia ut dicitur Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, sed ante aduentum Christi etiam homines per fidem Christo incorporabantur per fidem futuri, aduentus cuius fidei signaculum erat circuncisio, ut dicit apostolus Roma. 4. Antequam enim circuncisio instituerctur, sola fides, ut dicit Grego. cum sacrificiorum oblationibus quibus suam fidem antiqui patres profitebantur sufficiebat, ut homines Christo incorporarentur. Post aduentum, etiam Christi homines per fidem Christo incorporantur, secundum illud Eph. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Sed alio signo manifestatur fides rei

præsentis

præsentis quàm demonstrabatur quando erat futura, sicut alijs uerbis signatur præsens, præteritum & futurum. & ideo licet ipsum sacramentum baptismi non semper fuerit, fides tamen cuius baptismus sacramentum est semper fuit & necessaria fuit. Ad decimum dicendum quod proprie loquendo, ut ait sanctus Tho. in. 4. Non est nisi unum baptisma quod in aqua celebratur sub debita uerborum forma. Alia autem baptismata dicuntur per ordinem ad illud secundum proportionem ad eundem effectum, quem tamen agunt quodammodo in uirtute baptismi aquæ, quia baptismus sanguinis, & baptismus pœnitentiæ non ualent ad regenerationem nisi ei qui habet baptismum aquæ in proposito. Tunc enim, ut ait Aug. Prodest baptismus sanguinis uel flaminis cum baptismum fluminis non contemptus religionis sed articulus necessitatis excludit, de conse. dist. iiij. c. baptismi. Vel respondetur secundario quòd baptisma dicitur unum, quia non est iterabile, sicut nec originale peccatum contra quod tanquam medicina est institutum, quod est contra hæreticos nouatianos dicentes. Quotiens homo peccat baptismum debere repeti, uel dicitur unum baptisma. i. equale a quocunque detur, ut exponit gl. Ad undecimum respondetur quòd unitas illa de qua Augu. in auctoritate proposita loquitur importatur per unitatem baptismi qui est fundamentum & principium aliorum sacramentorum sicut dictum est in. c. superiori. Ad duodecimum respondetur negando consequentiam, quanquam enim homines qui sunt quasi materia ecclesiæ fluant continue & refluant, quibus decedentibus alijs nouiter nascentibus nihilo minus quia una est fides in omnibus, ecclesia semper dicitur manere una. sicut dicitur de corpore animalis quòd licet in eo partes materiales fluant & refluant, idem tamẽ manere dicitur quo ad formam quæ eadem semper manet, primo de generatione. Ita uidetur dicendum in proposito. Manet quidem semper eadem fides, manent eadem sacramenta quibus formatur ecclesia, manet eadem lex, & eadem regula ueritatis, permanet eadem habitudo, & ad unum caput ecclesiæ, & ad unum finem ultimum, quare optime beatus Augu. super psal. 85. tractãs uersum illum. Miserere mei domine quoniam ad te clamaui tota die, dicit. Sub descendentibus, & succedentibus membris unus homo usque ad finem seculi extenditur. Ad tertiumdecimum dicendum quòd in dæmonibus non est fides ea quæ ponitur donum spiritussancti siue habitus diuinitus infusus qui inclinat hominem ad credendum aliquem effectum boni: sed dicitur fides, quæ nascitur ex perspicacitate naturalis intellectus eorum ex miraculis quæ uident supra naturam. Pro quo notandum, ut notat sanctus Thom. 2. ij. q. v. articul. ij. quòd intellectus credentis assentit rei creditę, non quia ipsam uideat, uel secundum se, uel per resolutionem ad prima principia per se uisa, sed propter imperium uoluntatis. Quòd autem uoluntas moueat intellectum, ad assentiendum potest contingere, ex duobus modis. Vno modo ex ordine uoluntatis ad bonum, & sic credere est actus laudabilis. Alio modo quia intellectus conuincitur ad hoc quòd iudicet esse credendum his quæ dicuntur, licet non conuincatur per euidentiam rei sicut si aliquis propheta pronunciaret in sermone Dei aliquod futurum, & adhiberet signum mortuum suscitando, ex hoc signo conuinceretur intellectus uidentis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo qui non mentitur, licet illud futurum, quod prædicitur in se euidens non esset, unde ratio fidei non tolleretur. Dicendum est ergo quòd in fi-

Ad decimum.

Ad undecimum

Ad duodecimum

Ad decimũ tertiũ

delibus Christi laudatur fides secundum primum modum, & secundum hoc non est in dæmonibus sed solum secundo modo. Videtur enim multa manifesta iudicia ex quibus percipiunt doctrinam ecclesiæ esse a Deo, quamuis ipsi res ipsas quas ecclesia docet non uideant puta, Deum esse trinum & unum uel aliud huiusmodi. Et ita patet quòd fides quæ unitatem ecclesiæ efficit non est in dęmonibus, & ita ratio non procedit. Ad decimumquartum respondetur negando consequentiam, licet enim ecclesia non semper fuerit in tali dispositione constituta quo ad unum tanquam rectorem, & gubernatorem, ducem & pastorem uice & loco Iesu Christi domini nostri uisibiliter conuersantem: tamen ipsa ecclesia habebat ordinem propter causas infra assignandas cum de uno supremo pontifice in ecclesia a nobis habendus est sermo: non sequitur quod nunc talis ordo in ecclesia non sit. multa enim per temporum successionem instituta sunt in ecclesia quæ non fuerunt a principio, quæ licet tempore quo instituta non fuerunt non importarent necessitatem, instituta tamen de necessitate ueniunt obseruanda. dicunt enim doctores tractantes illud Cant. ultim. Soror nostra paruula est & ubera non habet, quòd ecclesia quæ hic soror dicitur in principio sui status ante aduentum plenitudinis gratiæ in quo gratia, & ueritas per Iesum Christum facta Ioan. 1. Non modo paruula fuit populi paucitate, sed etiam donis gratiarum. Vnde Hugo de sancto Victore. Oportuit inquit ut secundum processionem temporum spiritualium gratiarum signa magis, ac magis darentur, plane post incarnationem filii Dei copiosior facta est splendore doctrinæ, illustrior pulchritudine ordinis, locupletior sacramentorum efficacia salutari, eccellentior nobilitate regiminis quia sub spe nobiliori ordinationis politicę ac diuiniori forma principatus.

Ad decimũ quartum

Ad decimumquintum respondetur quòd ratio non procedit, tum quia si papa moritur, sedes tamen non moritur. Secundo quia ordo talis ad unum caput & gubernatorem semper manet in ecclesia in habitu, & potestas ad eligendum aliquem in sede ipsa apostolica. est etiam actu talis ordo in ecclesia ad eos qui uice summi pontificis illo tempore in ecclesia quo ad aliqua funguntur, cuiusmodi est sacrum collegium dominorum Cardinalium. Et hic conuincitur temeraritas quorundam scismaticorum, & inimicorum ecclesiæ qui dicere præsumpserunt unitatem ecclesiæ, non habere ordinem ad unitatem unius summi Pontificis Christi uicarij, quod quàm falsum sit audiamus Cyprianum in epistola ad Magnum inquientem. Dominus insinuans nobis unitatem, de diuina auctoritate uenientem ponit, & dicit. Ego & pater unum sumus, ad quam unitatem redigens ecclesiam suam denuo ait. Et erit unus grex, & unus pastor. Item in epistola ad Rogationum huiusmodi seminatores, & introductores scismatum in ecclesia idem gloriosissimus Cyprianus percutit ita dicens, hæc sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus scismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant, sic de ecclesia egreditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Et beatus Hiero. pater ecclesiæ religiosissimus Damaso papa scribens, ut habetur in cap. quoniam uetus oriens. xxiiij. quæst. j. ita inter alia sic dicit. Cum successore piscatoris, & discipulo Christi loquor. Ego nullum præmium nisi Christum sequens beatitudini tuæ id est cathedræ Petri communione consocior

Ad decimũ quintum

super

super illam petram ecclesiam fundatam scio, quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus est, si quis in Noe archa non fuerit peribit regnante diluuio, & infra non noui uitalem, miletum respuo, ignoro paulinum, quicunque tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est, hic Hieron. Verum de huiusmodi errore confutando in sequentibus a nobis copiosior erit sermo. per ea etiam, quæ dicta sunt excluditur impietas scismaticorum, qui tunicam Domini inconsutilem scindere nituntur. contra quos inquit beatus Cyprianus, & habetur in capi. alicuius. xxiiij. quæst. j. alienus es, prophanus es, eius hostis es, habere non potest Deum patrem, qui uniuersalis ecclesiæ, non tenet unitatē.

In quo ostenditur quòd ecclesia sancta sit. Cap. IX.

OSTENSO quòd ecclesia una sit, superest iam ut quòd sancta sit ostendamus. Describitur autem sancta a sanctis patribus in concilio Niceno, ad differentiam congregationis malignantium, quæ nō sancta est sed impia, de qua psalm. xxv. Odiui ecclesiam malignantium. De ecclesia uero Christi dicitur psalm. penul. Laus eius in ecclesia sanctorum, ubi gloss. August. Ecclesia sanctorum ecclesia catholica est, ecclesia sanctorum non est dicenda ecclesia hæreticorum. Sancta autem dicitur ecclesia, quia spiritu sancto sanctificata, quam sanctitatē profudit ei spiritussanctus, ut ait Albertus magnus in sacramentis uirtutibus & donis quæ dat ad sanctitatis perfectionem. Verum quia sanctum plures habet intentiones, considerandum est quibus modis ecclesia Christi sancta sit & dicatur. Pro quo notandum quòd sanctum idem est, quod mundum, & huic significationi competit nomen hagios in græco quod interprætatur quasi sine terra, quomodo beatus Dionysius diffiniens sanctitatem. xij. c. de di. no. sic dicit. Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata. In hac significatione ecclesia sancta est, quia munda a fœditate, & corruptione peccati. Plane cum Christus eius sponsus speciosus sit præ filiis hominū, & sanctus sanctorum, sic sanctam habet sponsam, qui ait. Leui. 2. Sancti estote quia ego sanctus sum, unde Cant. iiii. ad ecclesiam sic loquitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et apostolus. 1. ad Corinth. 3. dicit. Templum Dei sanctum est qnod estis uos. Secundo sanctum idem est quod firmum unde apud antiquos sancta dicebantur quæ legibus erant munita. unde etiam sanctum dicitur quod lege firmatum est. hac ratione ecclesia Christi sancta est. Tum primo quoniam a Deo æterna prædestinatione & lege diuina ordinata Paulo apostolo attestante qui ad Ephe. 11. ita loquitur, Elegit nos, gloss. prædestinando, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate gloss. non meritis nostris, sed sua charitate. Tum secundo in hac significatione ecclesia dicitur sancta & firmata, ut uiolari non possit, cum a fide, & charitate quæ in Christo est nunquam defectura sit. Vnde psal. lxxvii. dicit propheta. Ædificauit sicut unicornium sacrificium suum in terra quam fundauit in secula, ubi gloss. Hieronym. id est, ipsam ecclesiam singulari uirtute firmauit, ut immobilis in secula sempiterna con-

Ecclesia est sancta

fisteret. Et in psal. 103. idem propheta domino ita loquitur. Fundasti terram super stabilitatem tuam non inclinabitur in seculum seculi. Super quo uerbo beatus Aug. loquitur. Terram intelligo ecclesiam, quæ est firmitas eius super quam fundata est, nisi fundamentum de quo apostolus ait. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Iesus. Ibi ergo firmati sumus merito, quia ibi firmari non inclinabuntur in seculum seculi, nihil enim firmius isto fundamento. De qua ecclesiæ immobili firmitate ita Christus Petro quem uniuersæ ecclesiæ suæ præficere disposuerat, pollicitus est dicens Math. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram id est super hanc fidei confessionem, fundabo ecclesiam meam, & sequitur, & portę inferi, id est peccata, minę, blandimenta & hæreses ut dicit gl. non præualebunt aduersus eam, gl. id est, non separabunt eam a fide, & charitate mea. Cuius impermutabilis firmitatis testis est beatissimus Paulus ad Roma. 8. dicens. Certus sum quòd nec mors separabit nos a charitate Christi. Tertio modo sanctum idem est, quòd sanguine tinctum uel re spersum siue emundatum. nihil enim sanctum apud ueteres dicebatur nisi quod sanguine hostię esset respersum. Antiquitus etiam homines qui purificari uolebant sanguine hostiæ tingebantur inquit Isidorus. Vnde ad Heb. 9. scribit apostolus. Omnia pene secundum legem in sanguine mundantur & sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum. Huius significationis gratia maxime Dei ecclesia sancta appellanda uenit, quæ Christi sanguine respersa purificationem peccatorũ suscepit, & decorem induit sanctitatis. Vnde. 1. Petri. 2. dicitur. Gens sancta populus acquisitionis. gl. i. sanguine Christi re spersa. Et ad Eph. 5. ait apostolus. Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, & Apoca. 1. inquit Io. apostolus, dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Quarto sanctum idem est, quòd diuinis obsequijs applicatum, quemadmodum homines, loca, dies, uasa, & uestimenta quæ diuino cultui dedicantur, sancta dicuntur. Vnde de hominibus habetur Exo. 30. Aaron & filios eius ungues, sanctificabisq; eos, ut sacerdotio fungantur mihi, & Esdre. 2. c. 11. dicit. Esdras ministris domus domini, uos sancti estis domino & uasa sunt. De loco dicitur psal. 95. Adorate dominum in atrio sancto eius. De uasis dicitur Exo. 30. Archam testamenti cum uasis suis candelabrum & utẽsilia, uniuersamq; supellectilem quæ ad cultum eorum pertinent sanctificabis omnia, & erunt sancta sanctorum. De diebus sanctis scribitur. ij. Esdr. 10. Sanctus enim est dies domini. De uestimentis Exo. 28. dicitur. Facies Aaron fratri tuo uestimenta sancta, & filijs eius. In hac significatione merito ecclesia Dei, ecclesia sancta dicitur quæ unius ueri Dei famulatui, & cultui tota dedicata est, immo in ea sola uerus Dei cultus est, qui fide, spe, & charitate perficitur, ut ait August. in. c. extra. j. q. j. Extra catholicam ecclesiam non est locus ueri sacrificij. Quinto sanctitas dicitur religio siue obseruatio quædam iustitiæ eorum, quæ ad Deum pertinent. Vnde Andronicus, ut dicit sanctus Thom. ita sanctitatem diffinit. Sanctitas est uirtus faciens fideles seruare ea quæ ad Deum iusta sunt, de qua Luc. 1. Seruiamus domino in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Hac ratione ecclesia sancta dicitur, quia summa in ea munda, & immaculata obseruatur religio, sancta est in uotis, sancta in sacrificijs, sancta in ministeriis, sancta in cerimoniis, sancta in singulis obseruationibus, quæ ad

cultum, & reuerentiam pertinent sanctæ diuinitatis. Sexto ecclesia Dei sancta dicitur, quia omnibus uirtutibus gratijs ac donis spiritualiter secundata est, & dotata. Vnde psalm. 64. dicitur. Replebimur in bonis domus tuæ, gloss. cassiodori id est præsentis ecclesiæ, quæ diuersis munerum spiritualium exuberat bonis. Quæ sunt illa bona? illa bona sunt sanctitas in se, & equitas ad proximum. unde sequetur sanctum est templum tuum mirabile in equitate, gloss. j. ecclesiæ. ipsa enim domus & templum Dei est sanctum in se, & mirabile in equitate quantum ad proximum. Septimo ecclesia Dei sancta dicitur, quia optimis iustissimis, & sacratissimis legibus uiuit, regitur, & gubernatur, de lege diuina. Ad Roma. vij. dicit Apostolus. Lex sancta, & mandatum sanctum. Et in psalm. scribitur. Lex domini immaculata conuertens animas testimonium domini fidele Sapientiam præstans paruulis. Leges uero publicæ, quæ pro ecclesiæ regimine a sanctis patribus, sanctæ sunt, tanta pro earum sanctimonia ueritate firmantur, ut beatus Agap. papa omnibus episcopis scribens in cap. sic distin. xxj. dicit. Sic omnis apostolicæ sedis sanctiones accipiendę sunt tanquam ipsius diuina uoce Petri firmata. Vnde uiolatores sacrorum canonum, ut inquit sanctus Damasus papa in cap. Violatores. xxv. quæstio. j. grauiter a sanctis patribus iudicantur. & a spiritusancto, instinctu cuius ac dono dictati sunt damnantur. quoniam blasphemare spiritumsanctum non incongrue uidentur. Octauo dicitur ecclesia Dei sancta secundum quòd sanctum dicitur præditum scientia iustorum. dicit enim Aristoteles, ut dicit Albertus magnus in libr. laudabilium bonorum. Sanctitas est uirtus scientiæ ea faciens quæ ad Deum sunt iusta Sapien. j. Dedit illis scientiam sanctorum. Sub hac significatione potissime ecclesia sancta est quæ sola scientiā sanctorum habet, & notitiā diuinitatis. Vnde de ecclesia dicit dominus Zach. 8. hęc dicit dominus exercituū. Reuersus sum ad syon, & habitabo in medio Hierusalē & uocabitur Hierusalē ciuitas ueritatis, & mōs sanctificatus, quare ut ait beatus Greg. in moralibus, & habetur in cap. Quia. xxiiii. q. i. Quia ex sola catholica ecclesia ueritas conspicitur apud se esse locum dominus perhibet de quo uideatur: in petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit diuinam præsentiam non agnoscit, de qua soliditate dominus dixit. Super hanc Petram ędificabo ecclesiam meam. Nono ecclesia Dei sancta dicitur, quia sacramenta habet quibus homines sanctificantur. dicitur enim sacramentum a sacrando siue sanctificando, quia diuina uirtute in eis operante instrumenta sunt emundationis, & sanctificationis animarum. Vnde ad Eph. 5. dicitur. Christus dilexit ecclesiam, sequitur, ut illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in uerbo uitæ, & August. super Ioan. de uirtute sacramenti baptismi loquens dicit. Quæ uis est aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Decimo ecclesia dicitur sancta, quia sancta & gloriosa triumphante ecclesia quæ sursum in cœlestibus est mater nostra exemplata est. unde Apocalip. 21. beatissimus apostolus Ioannes inquit. Ego Ioannes uidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo, & audiui uocem de cœlo dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabat cum eis &c. Quod uerbum Bernardus pertractans libro. iii. de consideratione cap. xiii. Non uilem reputes hanc formam quæ

in terris est habet formam in cœlo uidit homo qui dicebat, uidi ciuitatem sanctam Hierusalem &c. Ex his apertissime confutatur error, & blasphemia quorundam pseudo prophetarum qui ore suo polluto contra sanctimoniam ecclesiæ diabolica audacia loquentes dicere præsumpserunt ecclesiam non esse sanctam sed meretricem. contra quos sunt ea quæ induximus parum ante, & maxime illud Cant. iiii. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, & illa continua fidei professio quam uniuersalis ecclesia facit dicens. Credo unam sanctam ecclesiam &c.

In quo ponuntur obiectiones contra ea quæ dicta sunt de sanctitate ecclesiæ. Cap. X.

AD ampliorem intelligentiam maioremq; firmitatem ueritatis eorum quæ de ecclesiæ sanctimonia induximus, mouebimus aliquas obiectiones in contrarium probando quòd ecclesia non sit sancta dicenda. Et primo arguitur sic. Cantatur in ecclesia in hymno angelico scilicet. Gloria in excelsis Deo. tu solus sanctus. Si ergo Christus solus est sanctus, cum ecclesia non sit Christus, ecclesia non uidetur dicenda sancta. Secundo sanctitas, ut dicit Dionysius. xii. cap. de distinct. no. ut supra dictum est. est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata immunditia, sed ecclesia in præsenti statu non est libera ab omni immunditia illa peccati dicente beato Ioan. apostolo. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & ueritas in nobis non est, ergo ecclesia pro præsenti statu non est sancta dicenda. Tertio sic Math. vi. docet Christus omnes fideles orare pro peccatorum suorum remissione, sic. Dimitte nobis debita nostra, &c. quam orationem continue facit ecclesia, quod tamen uanum esse uideretur si ecclesia nullum haberet peccatum, maxime cum dicat August. in de bono perseuerantiæ, hoc loco pelagiani confodiuntur hæretici qui audent dicere hominem iustum in hac uita habere nullum omnino peccatum, & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, & ponitur in glo. ordinaria. Quarto arguitur sic, ad Roman. 3. dicit apostolus. Est autem Deus uerax omnis homo mendax: ergo non uidetur, quòd ecclesia quæ est collectio omnium fidelium dicenda sit sancta. Quinto sic, ecclesiæ non conuenit pro statu præsentis uitæ non habere maculam, aut rugam, sed tantum pro statu futuræ uitæ quando apparebit gloriosa: ergo nunc non est dicenda sancta, sed in futura uita. consequentia patet & antecedens probatur auctoritate beati August. qui in fine primi libri enchiridion, tractans uerbum illud apostoli ut exhiberet sibi ecclesiam non habentem maculam, nec rugam, &c. ita dicit per hoc omnes prorsus hominum maculę Christiani lauacri sanctitate tolluntur quo mundat ecclesiam suam Christus, ut exhibeat eam sibi non in isto seculo, sed in futuro non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi. nam qui modo eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata. Si uerum dicunt profecto quoniam mundi non sunt a peccatis, habet in eis ecclesia maculam. Si autem falsum dicunt quia corde duplici loquuntur, habet in eis ecclesia rugam. Si autem dicunt se habere ista non ipsam; ergo se non esse membra eius

Argumétũ primũ

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintum

eius nec ad corpus eius pertinere fatentur, ut etiam sua confessione damnentur. Sexto sic, in ecclesia sunt boni & mali permixti ut superius monstratum est, & mali in multo ampliori numero quàm boni. cum ergo denominatio debeat fieri a maiori parte, uidetur, quòd ecclesia simpliciter magis immunda quàm sancta dicenda sit. Et confirmatur ex. c. Et hoc diximus. xvj. q. vij. ubi dicit Orige. & ponitur in gloss. continua. Math. 21. Quòd carnaliter uiuentes domum orationis, ex lapidibus uiuis constructam faciunt speluncam esse latronum actibus suis. Septimo arguitur sic. In ecclesia continentur non modo peccatores sed etiam multi præsciti, qui licet modo fidem habeant Christi, finaliter tamen in fide uera, & charitate Dei non permanebunt: ergo non uidetur quòd ecclesia simpliciter dicenda sit sancta. Octauo sic, dicit Sapiens Eccle. 9. Nemo scit utrum quis sit dignus odio uel amore, & minus de alio quàm de se, ergo etiam nemo potest scire quis sit sanctus aut immundus: ergo uidetur quòd non pertineat ad articulum fidei credere, quòd ecclesia quæ est congregatio fidelium, sit sancta. Nono arguitur sic. Fideles non sunt confirmati in fide siue in gratia Dei in statu præsentis peregrinationis: ergo non uidetur quòd ecclesia quæ est fidelium collectio dicenda sit sancta, quia firmata siue confirmata. Decimo arguitur sic. Ecclesia aliquando dicitur fuisse fœda & maculata: ergo non semper uidetur dicenda fuisse sancta. consequentia uidetur manifesta, antecedens patet. dicit enim beatus Hieron. & habetur de pœ. distin. j. §. Ecclesia. Possibile autem est, ut quando ecclesia quæ prius rugam habuit & maculam, & immunditiam, postea restituta est, ita & peccator currens ad medicum &c. Et idem beatus Hieronym. super psal. xx. exponens illud. Audi filia & uide, inclina aurem tuam, & obliuiscere domum patris tui. De ecclesia dicit sic. Obliuiscere domum patris tui id est dyabolum qui te prius genuerat, quia totus mundus in maligno positus erat. ideo inclina aurem tuam, quoniam concupiuit rex speciem tuã Christus Iesus a quo regeris, quia nigra eras in domo patris. nunc autem ascendens post baptismum uel intus abluta uel gratia fidei candida, quia ipse est dominus a quo redempta es, & infra. Ante fœdata & deformis erat ecclesia sed postea pulchra & speciosa per lauacrum baptismi, quia iustus pro impiis mortuus est, id est Christus mundans eam per lauacrum sanguinis sui, ut ait apostolus non habentem maculam, neque rugam, & Aug. ad idem propositum super eundem psal. ita loquitur. Assumpta est ecclesia ex genere humano ut Christus caput esset ecclesiæ. Et infra. Gaudeat sponsa amata a Deo, quando amata? dum adhuc fœda. omnes enim peccauerunt, dicit apostolus & egent gloria Dei. Et iterum. Etenim pro impiis Christus mortuus est, amata est fœda ne remaneret fœda, non enim uere fœda amata est, quia non fœditas amata est, hic Aug.

Sextum

Cõfirmatio

Septimũ

Octauum

Nonum

Decimũ

In quo respondetur ad obiecta facta. Cap. XI.

FATENDVM est firmiter cum sanctis patribus quemadmodum dictum est quòd Ecclesia Christi sancta sit. unde Aug. super illud psalm. 85. Custodi animã meam quoniam sanctus sum. ita dicit. Audeat dicere corpus Christi, audeat dicere unus ille homo clamans a finib. terræ cum capite suo dicens. Sanctus sum, accepit enim gratiam sanctitatis gratiam

baptiſmi & remiſſionem peccatorum, & infra. Omnes enim Chriſtiani,& omnes fideles & baptizati in Chriſto ipſum induerũt, ſicut Apoſtolus dicit. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtũ induiſtis.ſi membra facti ſunt corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe,capiti ipſi faciunt iniuriam cuius membra facti ſunt.Iam dicendum eſt ad argumenta. Ad primum reſpondetur quod Chriſtus dicitur ſolus ſanctus ſicut ſolus bonus, quia. ſ. ipſe ſolus ſecundum quod Deus ex ſe, & naturaliter bonus & ſanctus eſt,& ſecundum quòd homo in ſummo ſanctitatis. quamobrem Daniel. 9. ſanctus ſanctorum nominatur. Et in pſal. de eo confitetur propheta dicens. Vnxit te Deus oleo letitiæ præ participibus tuis, ſecundum quem modum ipſe ſolus ſanctus eſt. Et hoc eſt quod dicitur.1.Reg. 2. Quis ſanctus ut eſt dominus,uel ut habet alia littera. Non eſt ſanctus præter te domine, quia ut ait gl.nemo fit ſanctus niſi Deus,& ſi ſint qui dicunt Dii multi, & domini multi.nullus tamen eorum naturaliter eſt id quod eſt Deus, nam ipſe eſt ſolus qui ait.Ego ſum qui ſum.per hoc ergo non negatur quin participatione gratiæ eius fideles boni & iuſti & ſancti ſint.unde dominus ait.Leuit.20.Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum.Et Aug.tractans illud pſal.75.Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum.ita fideles exhortatur.dicat unuſquiſq; fidelium ſanctus ſum.non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati. ſi enim te dixeris ex te eſſe ſanctum ſuperbus es. rurſus fidelis in Chriſto, & membrum Chriſti ſi te dixeris non eſſe ſanctum ingratus es. Ad ſecundum argumentum reſpondetur præmittendo duo notabilia. Primo notandum ꝙ duplex ad præſens poteſt diſtingui ſanctitas.Vno modo quæ dicat liberationem omnimodam ab omni immunditia & corruptione culpę & pœnę,& iſta eſt ſanctitas patriæ,de qua in pſal.Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.Alio modo ſanctitas dicit emundationem non a quocunq; peccato, aut imperfectione, ſed ab eis immunditiis quæ puritatis gratiæ & charitatis luci aduerſantur,cuiuſmodi ſunt culpa originalis & mortalis,de qua dicitur ad Rom.i. Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei uocatis ſanctis,gl.ſancti erant ſanctificati per baptiſmum.Item.1.ad Cor.3. Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis uos,ubi gl.dicit. Sanctum eſt a tempore baptiſmi, quia in nemine habitat deus quem non antea ſpirituſſanctus ſanctificet & purget. Secundo notãdum,ꝙ ſanctitas qua eccleſia in præſenti uita ſancta dicitur,non dicit immunitatem ab omni peccato,corruptione & imperfectione,ſed immunitatem ab his uitiis & peccatis cum quibus charitas Dei ſtare non poteſt,per quã Deus manet in nobis & nos in Deo.1.Io.4.cuiuſmodi ſunt peccata criminalia ſiue mortalia. Vnde gl.ſuper illud Cant.iiii. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:dicit,macula.ſ.criminalis culpæ,& ita habet glo. decreti in.c.omnibus conſideratis.xxiiii.q.i.ſuper uerbo ſine macula. Et ideo uenerabilis Beda ſuper cantica tractans præfatum uerbum Cant. iiii. Tota pulchra es &c. ita dicit.Hæc autem dicta ſunt non quòd in hac uita ſanctorum quiſpiam uel a culpis omnibus immunis uel perfectus poſſit eſſe uirtutibus:cum ueraciter ſcriptum ſit,quia non eſt homo in terra iuſtus, qui faciat bonum & non peccet,ſed quòd ſancta eccleſia inquãtum eccleſia Chriſti eſt & fide recta & munda ſit opere.Quibus notatis reſpondetur ad rationem & primo dicitur ꝙ munditia importata in diffinitione ſanctitatis poſita a beato Dionyſio dicit mũditiã ſiue puritatẽ a peccato, ſiue in intellectu ſiue in affectu qđ cõtrarietatẽ habet ad gratiam, cuiuſmodi eſt originale & mortale,

Ad primum.

Ad ſecundum

mortale, non autem dicit emundationem a peccato ueniali. Vnde Aug. in diffinitionibus rectæ fidei dicit. Nullus sanctorum, uel iustorum caret peccato, nec tamen ex hoc desinunt esse iusti, uel sancti, cum affectu teneant sanctitatem. Secundo ad minorem, ubi dicitur quòd ecclesia in præsenti statu non est omnino libera ab immunditia, quæ diuinæ gratiæ contrariatur, & ad auctoritatem beati Ioan. dicentis. Si dixerimus quòd peccatum &c. Respondetur dupliciter. Vno modo de peccatis uenialibus, quæ in præsenti uita non possunt totaliter uitari: dicitur enim prouer. 24. Septies in die cadit iustus. Et Aug. dicit, & habetur in gl. Impossibile est quemlibet sanctum aliquando non cadere in minimis peccatis neque iusti esse desistunt, quia citius opitulante Deo resurgunt. Secundo respondetur ad idem quòd si beatus Ioan. loquitur de mortali, tunc non est sensus quòd omnes fideles habeant peccatum mortale, sed quòd si dixerimus ex elatione. s. ut dicit glo. interlin. elati de aliqua iustitia, quia cum nemo sciat utrum dignus odio uel amore sit, ut dicitur Ecc. 9. Qui absque reuelatione asserit se esse sine peccato mortali, incurrit peccatum iactantiæ superbiæ, & falsitatis asserens quod nescit. Et ideo dicit, & ueritas in nobis non est. Ista est expositio magistri Nicolai de Lyra. Ad tertium respondetur, quòd per illam auctoritatem Math. 6. licet ut dicit glo. quilibet nostrum instruatur se peccare quotidie, dum pro peccatis quotidie iubetur orare, non tamen datur intelligi, quòd quotidie peccemus omnes fideles peccato quod sanctitati aduersetur. Vnde Hiero. super psal. 118. exponens illud Beati immaculati in uia dicit, quomodo immaculati, quia sine minutis peccatis, homo esse non potest, sicut sanctus Ioannes dicit. Si dixerimus &c. Et propheta dicit. Qui ingreditur sine macula &c. & respondens ait. sine macula: hoc est sine mortalibus criminibus. Ad quartum dicendum quòd non uult apostolus dicere in illis uerbis, quòd omnis homo mentiatur: unde ipse ad se dicit. 2. ad Corin. 12. Deus scit quòd non mentior, sed ut colligitur ex glo. datur intelligi in uerbis apostoli, & prophetæ dicentium. Omnis homo mendax, quòd omnis homo est mutabilis naturæ, & uoluntatis, & ideo potest esse mendax in promissis, non sic autem Deus cum sit inuariabilis, & impermutabilis, & ita ut dicit gl. Omnis homo mendax dicitur, quia quantum a seipso est labilis in essentia & per peccata defluens est, & ita argumentum sumptum ex illa auctoritate non militat contra propositum, quoniam licet omnis homo quantum est ex seipso labilis sit, & defluxibilis per peccatum, per gratiam tamen potest non defluere. Vnde propheta psal. 93. dicit. Si dicebam motus est pes meus misericordia tua adiuuabat me. Et apostolus. 1. ad Corinth. 15. Gratia Dei sum id quod sum & gratia eius in me uacua non fuit. Ad quintum patet responsio ex his quæ dicta sunt ad secundam obiectionem, ubi distinctione facta de duplici modo sanctitatis, dictum est quòd sanctitas importans omnimodam liberationem, & immunitatem ab omni corruptione, & uetustate culpæ & pœnæ, & cuiuscunq; imperfectionis contagione, non est ecclesiæ pro statu præsentis uitæ, sed futuræ quando apparebit gloriosa, & per consequens isto modo loquendo non cõuenit ecclesiæ, pro statu præsentis uitæ, non habere maculam, aut rugam, ut sonant manifestæ sanctorũ auctoritates inductæ. Sanctitas uero quæ dicit immunitatem earum culparum, & rugarum, quæ diuinæ gratiæ animam illustranti repugnant bene cõuenit ecclesiæ, sicut diffuse monstratum est, & per consequens hoc modo

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

modo immunitas competit ecclesiæ etiam pro statu uitæ præsentis non habere maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi. Ad sextum dicendum quòd licet mali numero sint de ecclesia non tamen merito. Ecclesia autem tota est sancta in omnibus qui de ecclesia sunt numero & merito, cuiusmodi sunt omnes fideles qui dilectione charitatis in Christo radicati sunt. Ait enim beatus Hilarius lib. de trini. Sanctus es si fide es perfecte credulus si spe inconcussa firmus si charitate es perfecte radicatus. Vnde licet multi fideles peccatores dicantur esse in ecclesia, nihilominus quia isti non sunt propria membra corporis Christi nec perfecta unitate quæ est per charitatem pertinent ad ecclesiam, non sequitur quòd ecclesia simpliciter non sit dicenda sancta, sancta quidem est ut prædiximus in omnibus qui ad eam pertinent numero & merito siue in omnibus membris suis. Ad confirmationem autem quæ sumpta est ex auctoritate Origenis dicendum quòd quamquam ecclesia habeat malos permixtos bonis, quia tamen mali non sunt uere & proprie membra corporis Christi quod est ecclesia, non est fatendum simpliciter quòd ecclesia Christi sit fœda, aut non sancta, aut spelunca latronum, sed bene dicitur a sanctis doctoribus sicut supra induximus, quòd in aliquibus qui non sunt membra eius perfecte & proprie infirmetur, aut patiatur aliquam fœditatem, & ex peruersitate operum actuum malorum fidelium aliquas detractabiles suscipiat denominationes, ut puta, quòd dicatur spelunca latronum sicut inductum est, ex Origene & alia huiusmodi. Ad septimum respondetur negando consequentiam, quia fideles præsciti aut habent maculam peccati mortalis aut non, sed sunt in gratia, si detur primum, dicendum est de illis sicut de alijs fidelibus peccatoribus, parum ante iam diximus. si uero sine macula sunt peccati mortalis habentes Christi gratiã, dicendum quòd in illis etiam ecclesia sancta dicitur, licet in futurum sint maculam aut contagionem habituri infidelitatis, & impietatis rugam. iudicium quippe de membris ecclesiæ sumitur secundum dispositionem præsentis temporis & non futuri, sicut homo dicitur quis nunc mundus in mẽbris quæ cras aut post immunda futura sunt. Ad octauum respondentur negãdo consequentiam, quoniam scire non possumus uia humana quis de adultis in uita præsenti sanctus sit sanctitate gratiæ, & inhabitatione spiritussancti. nihilominus certissimi sumus quòd talis sanctitas sit in membris ecclesię quę illius uera & propria membra sunt in quibus ipsa sancta dicitur, utpote quæ corpus Christi & sponsa illius dilecta pulcra & sine macula esse describitur. Cant. 4. Ad nonum dicendum quòd ecclesia pro statu uitæ præsentis non ita in fide, & charitate dicitur firmata quòd eius omnia membra ita in gratia sint confirmata, quòd amplius peccare non possint, sed ea ratione, quia semper erunt in ecclesia aliqui homines fideles & sancti. Ad decimum & ultimum dicendum primo quòd capiendo ecclesiam prout comprehendit angelos & homines, ecclesia semper sancta fuit, quia angeli boni in sanctitate in qua creati sunt immobiles permanserunt. Si loquimur de ecclesia sicut in superioribus locuti sumus, quæ. s. sumpta est & collecta ex hominibus fidelibus, dicimus etiam quòd semper ecclesia in aliquo, uel in aliquibus sancta fuit, dicente beato Aug. super psal. cxxiiij. olim est ecclesia & ex quo uocantur sancti est ecclesia in terra. Ad auctoritates autem inductas in contrariũ dicitur quòd Aug. & Hiero. non loquuntur de ecclesia uniuersali quæ ab Abel iusto dicitur incepisse usque ad ultimum iustum, sed de ecclesia secundum

Ad sextũ

Ad confirmationẽ

Ad septimum

Ad octauum

Ad nonũ

Ad decimum.

dum quòd dicit collectionem fidelium ex populo gentilium ueniétium, qui populus prius fuit fœdus sordibus Idolatriæ. Vnde Aug. super psal. 103. subiungit. Nonne ista est quæ iacebat in cœno iniquitatũ, nonne ista est quæ iacebat in fornicatione Idolorum. Vel dicendum & forte melius quòd ecclesia sumpta ex humano genere non est ita intelligenda prius fuisse fœda quòd postquam ecclesia cœpit esse, fuerit fœda in omnibus membris suis. quoniã sicut infra uidebitur in ecclesia quæ ab Abel dicitur incepisse semper fuerũt aliqui uel aliquis sanctus, sed sic accipiendum est, quia omnia membra ecclesiæ de genere humano sumpta excepto Saluatore nostro qui non humano semine, sed de spiritu sancto conceptus, fuerunt prius & si non pro eodem tempore fœda fœditate alicuius peccati saltem originalis. & hæc uidetur esse intelligentia Aug. ut apparet ex auctoritatibus quas inducit ad probandum ecclesiam prius fuisse fœdam, ut patet ex illa ad Ro. 3. Omnes peccauerunt, gl. ex uno peccatore omnes nascuntur peccatores & egent gloria Dei. Et ex illa ad Ro. 5. pro impiis mortuus est.

In quo improbatur modus quorundam loquendi de sanctitate ecclesiæ. Cap. XII.

FVERVNT quidam nouelli doctores Alemanni, quæ docere præsumpserunt quòd ecclesia sancta dicitur non ratione suppositorum, cum in ipsa sint permixti bonis multi mali, sed ratione formæ quam dicunt esse identitatem fidei. Imaginantur enim, quòd sicut ratione unitatis fidei quam dicunt principium formale ecclesiæ, semper permanet una & inuariata partibus materialibus ipsius ecclesiæ, continue sibi inuicem succedentibus, & uariatis secundum merita, & demerita. sic ratione illius formæ semper sancta permanet & immunis, & hæc est identitas, ut dicunt, fidei quo ad credita, & identitas societatis, uel communionis quo ad sacramenta. fides enim quo ad credita & sacramenta inquinari non potest. Et ita dicunt quòd sicut ecclesia catholica manet semper una ratione unitatis fidei, ita semper est sancta ratione eiusdem fidei, quæ semper recta, semper sana, & sancta manet & immunis ab omni contagione erroris, de qua dicunt Apostolum dixisse illud ad Ephe. 5. Christus dilexit ecclesiam suam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret &c. Sed saluo semper meliori iudicio licet a fidei puritate, & sacramentorum communione ecclesia catholica sancta dicatur, nihilominus præfati doctores ecclesiam catholicam ex hac sola parte sanctam describentes non plene loquuntur de sanctitate ecclesiæ, nec eo modo quo scriptura sancta loquitur, & sancti patres ecclesiæ eam sanctam in symbolo Niceno confessi sunt. Nam dominus ait Leuit. 19. Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Manifestum est autem quòd ad homines ipsos loquitur. Et. 1. ad Corin. 3. inquit Apostolus. Templum Dei sanctum est quod estis uos. Item Cant. 4. dicitur. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, gloss. i. criminalis culpæ. Item Cant. 6. Vna est perfecta mea, columba mea gloss. quia omnibus uirtutibus, & charismatibus perficitur, & sic sanctitas ecclesiæ non refertur tantum ad fidem. Præterea hoc idem ostenditur auctoritate sanctorum, patrum supranominatorum, qui, de sanctitate loquuntur, non solum prout dicit integritatem fidei, absque ruga perfidię, sed pro-

ut dicit emundationes a contagione mortalis peccati, per habitum uirtutum diuinitus infusum, quæ fidelium animas sanctificant, & decorant. Vnde Aug. super psal. xliiij. Decor domus Dei in sanctis est. Ceterum hoc quidem ea ratione apertum redditur, quia si integritas fidei informis sufficeret ad denominandam ecclesiam sanctam, profecto quilibet peccator fidelis integritatem fidei habens posset uocari sanctus, quod falsum est dicente beato Aug. in lib. de gratia, & libero arbitrio. Sanctitas est perfectissima uoluntas & serenissima puritas, & iterum sanctus es, si sanctam habes affectionem: sanctitas enim in iustitia, & operibus constat. Demum sancti doctores sicut supra tetigimus, dicunt ecclesiam esse sanctam in ueris membris, non in non ueris siue mortuis, cuiusmodi sunt fideles peccatores qui etiam integritaté fidei obseruant. Item sancti dicunt quòd ecclesia sancta est in granis non in paleis per quas in area dominica peccatores fideles designantur. Amplius beatissimus Aug. doctor ecclesiæ & hæreticorum malleus dicit contrarium qui ut supra meminimus tam in libro retractationum quam in enchiridion, & in de bono perseuerantiæ dicit, quòd ecclesia non in isto seculo est omnino sine macula, & sine ruga, & tamen si sanctitas ecclesiæ acciperetur ex sola integritate fidei falsum esset, quod Aug. tantis irrefragabilibus testimoniis stabilire curauit. Vltimo si sola fidei integritas, & sinceritas sufficeret sanctam nominare ecclesiam, uideretur aliquibus quòd congregatio scismaticorum, & excommunicatorum, cum fidem catholicam adhuc integerrimã custodire uideantur, sancta nominanda ueniret, quod absurdissimum est. Auctoritas autem Pauli ad Ephe. 5. Quam in suæ falsę opinionis robur inducũt non potest secundum literam neque secundum glo. suæ imaginationi suffragari. plane quod inquit Apostolus, quòd Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro illa, ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquę in uerbo uitæ &c. non respicit sanctitatem fidei quæ semper sancta fuit, quia diuinæ ueritatis innitens, & a diuinæ sapientiæ luce emanans, sed ad personas fideles sacro baptismate ablutas, & sanctarum uirtutum ornatibus decoratas quæ sunt membra ecclesiæ, refertur, ut clarissimum est. Quare de sanctitate ecclesiæ tenendum, & confitendum est, non ut isti nouelli magistri, sine auctoritate loquentes, docere præsumpserunt: sed iuxta sanctorum doctorum sententiam, quam in superioribus capitulis plene annotauimus.

Quòd ecclesia sit catholica dicenda. Cap. XIII.

Ecclesia est catholica

IAM considerandum uenit quomodo sancta Dei ecclesia dicatur catholica. Et notandum in primis, quòd tribus consueuimus attribuere hoc nomen catholicum, uidelicet ecclesiæ fidei Christianæ, & hominibus Christi fidem habentibus. Confitemur enim ecclesiam catholicam cum patribus, & simbolo Niceno. Fidem etiam Christi dicimus catholicam cum beato Athanasio, qui in simbolo ait. hæc est autem fides catholica. Item Christianum uocamus catholicum, ut Hieron. ait in. c. hæc est fides pater beatissime. xxiiij. q. j. ubi ait. Quicunque me culpare uoluerit se imperitum uel maliuolum, uel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit. Catholicum autem nomen græcum est, & sonat latine uniuersale. Dicitur autem primo fides Christi catholica multiplici de causa. Vna, quia annun-

ciata,& plantata,& seminata est per uniuersum orbem, & apud omnem gen tem secundum illud psal. In omnem terram exiuit sonus eorum scilicet apostolorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. quod ita apud Esaiam pro Esa. 27. phetatum de eis legimus, ut ait glo. ubi dicitur. Implebunt faciem orbis semine scilicet prædicationis. Hoc etiam fuit eis impositum a saluatore nostro, qui uolens omnes homines saluos fieri, iubet apostolis Math. ulti. Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Mar. ult. dicitur. Illi prædicauerunt ubique. Et apostolus Paulus hanc uni uersalitatem fidei in Romanis commendans, ait ad Rom. 1. Fides uestra annunciatur in uniuerso mundo. Secundo fides Christi catholica dicitur, quia toto tempore ecclesia illam tenuit & tenet. unde August. in tractatu qui di citur de catholica ueritate inquit. Catholicum nomen græcum est, interpretatur autem latino eloquio uniuersale, quia toto mundo diffusa ecclesia in toto tempore hanc fidem tenet, nec unquam aut tempore mutata est aut locis uariata. nam hæreticorum fides non potest dici catholica, quia non est publica sed priuata neque ubique tenetur. Tertio fides Christi dicitur catholica, ut ait Boethius in principio libri de trinitate. Quia eius præcepta non uni genti tantum obseruanda, sed omnibus gentibus proponit, in quo præcipue differt a lege Moysi, qui uni tantum populo præcepta proponebat similiter, & singulæ hæreses suis tantum sectatoribus præcepta commoda tradunt. sed fides catholica de omnibus curam gerens, omnibus præcepta commoda tribuit, non solum continentibus, ut Manichęi, sed etiam coniugatis, non solum innocentibus ut Nouatiani, sed etiam pœniten tibus, quibus illi salutem denegabant. Quarto dicitur catholica, quia ita uniuersaliter uera est, ut ei nihil falsitatis erroris, aut iniquitatis admiscea tur, in quacunque parte, in quocunque articulo, in quocunque casu. Sectę autem gentilium ac hæreticorum doctrinæ & philosophorum, non sic sunt uniuersales, quia si in aliqua sui parte uerum dicant, in multis tamen a ueritate deficiunt. non sic autem est de fide quæ a ueritate cadere nunquam potest. Vnde Propheta ait in psalm. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, omnia mandata tua ueritas. Et infra. In æternum domine per manet uerbum tuum, in generatione & generatione ueritas tua. Præterea quilibet Christianus dicitur catholicus, qui ea quæ fides catholica docet, & prædicat, credit & uera esse tenet. Vnde Aug. li. iij. de quæstionibus euangeliorum. q. ij. de duplici genere catholicorum. s. bonorum, & malorum loquens dicit sic, Illi soli catholici mali putantur, qui quamuis uera credant quæ ad fidei doctrinam pertinent, tamen flagitiosè uiuunt boni catholici sunt qui & fidem rectam sequuntur, & bonos mores, qui autem aliquid eorum non credit dicitur infidelis & hæreticus. Infidelis quidem quia fidem non habet. Hæreticus quia sectæ suæ assertor & defensor, fantasias suorum errorum pertinaciter præfert auctoritati diuinæ. Ex quibus facile patere poterit principale propositum ualet, quare ecclesia sancta catholica sit dicenda. Pro quo notandum quòd ecclesia dicitur catholica siue uniuersalis primo quo ad locum, quia est toto orbe diffusa. & illa est ratio beati Augu. in tractatu de symbolo dicentis. Diuersorum autem hæreticorum ideo ec clesiæ catholicæ non dicuntur, quia per loca ac suas quasque prouincias cōtinentur. Hæc uero a solis ortu, usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. De qua uniuersalitate psalm. lx. scribitur. A finibus terræ ad te

clamaui. Super quo uerbo August. in expositione psalm. xxix. Quis no-
strum clamat a finibus terræ, non ego, non tu, non ille, sed a finibus ter-
ræ ipsa sola ecclesia tota hæreditas Christi. Item in psalm. 112. dicitur. A
solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen domini. Vbicunque autem
timetur Deus & laudatur ibi est ecclesia Christi inquit Aug. Secundo ec-
2 clesia dicitur catholica id est uniuersalis quantum ad omne tempus. nunquã
enim defectura est, ut quidam male arbitrati sunt, sed ipsa ab Abel iusto in-
cipiens usque in finem seculi permanebit. quoniam Deus fundauit eam in
æternum psalm. xlvij. & Math. ult. Christus ita pollicitus est discipulis di
cens. Ego autem uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Tertio
3 ecclesia dicitur catholica id est uniuersalis quãtum ad omnem gentem. col
ligitur enim ecclesia ex omni tribu lingua, populo & natione, secundum il-
lud Apoc 5. Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu lingua & po
pulo & natione & fecisti nos Deo nostro regnum. propter quod inquit bea
tus Petrus act. 10. In ueritate comperi, quia non est personarum acceptor
Deus, sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est
4 illi. Quarto ecclesia dicitur catholica, id est uniuersalis quantum ad con
ditiones hominum, quia nullus abiicitur ab ecclesia, non dominus, non ser
uus, non masculus, non fœmina, non græcus, non iudæus, & breuiter nul
la hominum conditio excipitur. Vnde apostolus ad Colo. iij. inquit. Vbi
non est masculus, & fœmina, gentilis & iudæus, circuncisio & præputium,
Barbarus & scytha, seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus gl. nul-
lus, ut indignus excipitur. Et infra. In nouo homine nulla exterior diuersi-
tas alicui præiudicat, scilicet neque sexuum, neque nationum, neque obser
uationum, neque linguarum, neque conditionum. Quinto ecclesia dici-
5 tur catholica, quia ut ait Boethus in principio libri de trin. Articuli fidei
uniuersales sunt, non habentes instantiam siue exceptionem, quia fidei nõ
potest unquam subesse falsum de quo habetur. 2. Corinth. 1. Fidelis Deus
quia sermo noster qui fuit apud uos, non est in illo, est & non gloss. i. men-
dacium, ut in sermone pseudo prædicatorum, sed est in illo, est id est sim-
6 plex ueritas. Sexto dicitur ecclesia catholica, quia in ea datur generalis
doctrina de uisibilibus, & inuisibilibus de cœlestibus, & æternis quæ ad
instructionem hominum salutemq; humani generis necessaria sunt, & u-
tilia, dicit enim Anselmus. Nihil utiliter ad salutem spiritualem prædi-
camus quod sacra scriptura spiritussancti miraculo fœcundata non protu-
lerit aut in se non teneat. hic plane (ut ait August. ad Volusianum) phy-
sica, ethyca, & logica ad quæ tria omnis reducitur philosophia, ut docet
Plato. Et August. recitat de ciuit. Dei. Hic physica, quoniam omnium
naturarum causæ in Deo sunt creatore. hic ethyca: quoniam uita & ho-
nestas non aliunde formantur quàm cum ea quæ diligenda sunt, quemad-
modum diligenda sunt diliguntur, scilicet Deus & proximus. Hic logi-
ca, quoniam ueritas lumenq; rationalis animæ non est nisi Deus. hic e-
tiam laudabilis respub. salus, non enim custoditur optime ciuitas nisi fun-
7 damento, & uinculo fidei firmeq; concordiæ fuerit solidata. Septimo
ecclesia dicitur catholica propter uniuersitatem præceptorum. præce-
pta quippe data synagoge particularia fuerunt. Tum particularitate tem
poris, quia data sunt ad tempus & tandem mutandam pro tempore aduen
tus redemptoris nostri. erant enim umbra futurorum. Ad Colo. 2. Tum
particu-

particularitate gentis, quia uni genti tantum data est, scilicet populo Israel, ex quo secundum carnem Christus nasciturus erat, psalm. clxviij. dicitur. Non fecit taliter omni nationi & iudicia sua non manifestauit eis. Tum particularitate conditionis hominum. nam præceptum circuncisionis solis uiris datum est. Præcepta uero Christianæ religionis uniuersalia sunt tempore, quia duratura usque in finem seculi. Math. 24. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant, quod Crysog. exponit de generatione fidelium Christi. Secundo sunt uniuersalia quo ad gentem, sicut habitum est. & ad Gala. 3. inquit Apostolus. Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis, non est iudæus, nec græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim uos unum estis in Christo Iesu. Tertio sunt uniuersalia quo ad conditiones hominum, unde datum est præceptum de baptismo, qui uiris, & fœminis est communis. Octauo ecclesia dicitur catholica, id est uniuersalis, quia habet uniuersalia remedia siue medicamenta quæ ad curationem cuiuscunque membri spiritualis efficaciam habent salutarem, quæ sunt septé sacramenta, in quibus sub tegumento rerum sensibilium, secretius diuina uirtus operatur, ut ait magister sententiarum in. iiij. dist. i. Plures istorum modorum uniuersalitatis quibus ecclesia dicitur catholica siue uniuersalis tangit beatus Isidorus libro suo primo de officiis ita dicens. Ecclesia uocatur proprie propter quod omnes ad se uocet & in unum congreget. Catholica ideo dicitur, quia per uniuersum mundum est constituta. Vel quoniam catholica, hoc est, generalis in ea doctrina est ad instructionem hominum de uisibilibus, & inuisibilibus rebus cœlestium atque terrestrium. Vel propter omne hominum genus ad pietatis subuentionem, tam principum, quá etiam quibus principantur, oratorum & Idiotarum, uel propter hoc quòd generaliter curat omnia peccata quæ per corpus, & animam perficiuntur. Hæc Isidorus.

Cap. XIIII. In quo ponuntur obiectiones contra illud quod dictum est quòd fides Christiana catholica sit nominanda.

CONTRA hoc quod dictum est primo in superiori capitulo, quòd fides Christiana catholica appellanda sit multipliciter arguitur. Primo sic, cognitio debet cognoscibili siue obiecto suo esse proportionata, non enim quodlibet quomodolibet cognoscitur. sed fides est cognitio Dei, qui non est uniuersalis neque particularis, ut dicit August. in lib. de trini. ergo fides quæ Dei cognitio est, non est dicenda uniuersalis. Secundo sic, de singularibus non potest esse nisi singularis cognitio. unde singularium non est scientia, sed fide quædam singularia facta tenemus, ut natiuitatem Christi, passionem, resurrectionem, ascensionem, aduentum ad iudicium, & huiusmodi: ergo fides non debet dici uniuersalis, & per consequens nec catholica. Tertio sic, ab eo quod est commune multis non debet proprium nomen alicui rerum imponi, cum nomen causa innotescendæ rei imponatur. sed quælibet traditio, uel secta proponit, ea quæ tradit, ut uniuersaliter ab omnibus creden-

Argumētū primū

Secundū

Tertium

da uel obseruanda, ut uniuersaliter uera: ergo non debet fides Christiana specialiter hoc sibi uendicare, ut uel catholica siue uniuersalis nominetur.

Quartũ Quarto sic. Idolatria ad omnes mundi angulos peruenit, sed fides Christiana non inuenitur ad omnes mundi fines peruenisse, cum aliqui Barbari sint

Quintum qui fidem Christi non cognoscant: ergo idolatriæ secta magis debet dici catholica quàm Christiana fides. Quinto sic, quod non conuenit omnibus, nõ debet dici uniuersale, sed fides Christiana a multis non recipitur, dicente a-

Esa. 53. postolo ad Rom. 10. Non omnes obediunt euangelio. Esa. etiam dicit. Domine quis credidit auditui nostro, gl. inquit aliquis sed non omnes, ergo inconuenienter fides Christiana catholica siue uniuersalis nominatur.

Cap. XV. In quo respondetur ad rationes iam factas.

Fides Christiana est catholica

CREDENDVM est & sine aliqua hæsitatione tenendum quòd fides Christiana rationibus supra assignatis catholica siue uniuersalis dicenda sit. quòd etiam iterum confirmamus primo auctoritate beatissimi Pauli apostoli qui ad Titum. i. scribens ita dicit. Manifestauit autem temporibus suis uerbum suum in prædicatione quæ credita est mihi secundum præceptum Saluatoris nostri Dei, dilecto filio Tito secundum communem fidem gl. j. catholicam. Præterea beatus Aug. in lib. de uera reli. inquit Tenenda est nobis Christiana religio & eius ecclesiæ communicatio, quæ catholica est & catholica nominatur non solum a suis, uerum etiam ab omnibus inimicis suis. Pro pleniori autem intelligentia huius rei notandum quòd fides sicut & quælibet alia cognitio, ut inquit sanctus Thos. super Boethium de tri. duplicem habet materiam. s. materiam in qua qui sunt ipsi credentes, & materiam de qua. s. ipsas res creditas. ex parte autem utriusq; materiæ fides Christiana catholica dici potest. ex parte quidem credentium, quia illam fidem ueram asserit Apostolus ad Rom. 3. quæ testificata est a lege & prophetis. Cum uero prophetarum temporibus diuersæ gentes diuersorum Deorum cultibus insisterent, solus uero populus Israel Deo uero cultum debitum exhiberet, & sic non esset una uniuersalis religio, prædixit per ipsos prophetas sanctus spiritus cultum ueri Dei ab omnibus esse assumendum. Vnde dicitur Esa. xlv. Mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua. Quod quidem per religionem Christianam adimpletur. unde merito catholica nominatur utpote a cuiuslibet nationis hominibus iuxta illud quod dominus per Malachiam. 1. c. dicit. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Quare illi qui ab hac fide & religione communiter promissa, & recepta in proprias quasdam sentẽtias declinarunt, non catholici, sed quasi a communione diuisi hæretici nominantur. Sed ex parte etiam rerum creditarum in fide Christiana uniuersalitas inuenitur. Fuerunt namque antiquitus diuersæ artes & uiæ, quibus hominibus quantum ad diuersa prouidebatur, uel prouideri credebatur. quidam namq; bonum hominis in solis corporalibus ponebant, uel in diuitiis, uel honoribus: aut uoluptatibus. quidam in solis animæ bonis, ut in uirtutibus moralibus, uel intellectualibus. quidam autem, ut August. in libro de ciuitate Dei dicit. existimabant Deos esse colendos propter temporalia bona istius uitæ. quidam uero propter bona, quæ sunt post uitam. Porphirius enim

ponebat

ponebat quibusdam gentilibus obseruationibus, animæ imaginariam partem purgari,& non totam animam, dicebatq;, ut Aug.dicit.x. de ciui. Dei, nondum esse receptam unam sectam quæ uniuersalem contineat uiam animæ liberandæ,hæc autem est religio Christiana,ut Aug.ibidem dicit. Ipsa enim docet Deum esse colendum,non solum propter æterna, sed etiam propter temporalia beneficia non solum in spiritualibus,sed etiam in usu corporalium hominem dirigit,& beatitudinem animæ, & corporis repromittit. Et ideo regulæ eius uniuersales dicuntur,utpote totam uitam hominis in omne quod ad ipsum quomodolibet pertinet ordinantes. Et has duas rationes uniuersalitatis assignat Boethus,ut supra diximus in li.de tri. Quibus notatis dicendum est ad argumenta. Ad primum respondetur quòd quamuis Deus in se non sit uniuersalis nec particularis, est tamen uniuersalis omnium rerum causa & finis,& sic cognitio quæ de ipso habetur ad omnia,quodammodo uniuersalis eit. Ad secundum respondetur quòd ratio non militat,quia illa particularia facta,puta,natiuitatem,passionem, resurrectionem Christi &c.tenet fides ut uniuersalia remedia ad totum genus humanum liberandum.Iuxta illud.1.Thymo.ij.Vnus enim Deus,unus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionẽ pro omnibus gl.interli.nullum excipit qui uellet saluari. Ad tertium dicendum quòd aliæ sectæ licet proponant & nitantur ea quæ tradunt,ut ab omnibus uniuersaliter obseruentur,hoc tamen eis non conuenit,& si hoc sibi uédicare præsumant,quod est proprium fidei Christianæ, nihilominus ad hoc pertingere non possunt unde eis non propriæ uniuersalitatis conuenit nomen. Ad quartum dicendum quòd Idolatria licet ad omnes partes orbis pertingerit,non tamen erat una religio,sed apud diuersos diuersa, cum diuersi diuersos sibi deos colendos instituerint, nec iterum ab omnibus nationibus est recepta, cum a ueri Dei cultoribus fuerit reprobata & etiam a sapientibus gentilium qui dicebant huiusmodi cerimonias esse obseruandas tanquam legibus iussas, non tanquam Dijs placitas, ut de Seneca dicit Aug.in.6.de ciu.Dei. Ad quintum dicendum quòd fides Christiana non dicitur catholica uel uniuersalis propter singula generum, sed propter genera singulorum, quia ex omni conditione hominum ei aliqui adhærent secundum Vaticinium prophetæ dicentis,psalm.21. Conuertentur ad dominum uniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius uniuersæ familiæ gentium.

Ad primum. Ad secundum Ad tertiũ Ad quartum Ad quintum

Cap. XVI. Vbi ponuntur obiectiones contra illud quod dictum est, quòd ecclesia sit catholica dicenda.

CONSEQVENTER contra id quod de ecclesia dictum est ꝙ catholica sit,etiam arguitur multipliciter & primo sic.Tempore quo apostoli condiderunt symbolum,neq; fides nec ecclesia erat per totum orbem diffusa: ergo sequitur quòd ecclesia Christi non est dicta catholica illa ratione,quia scilicet per orbem totum extensa.consequentia patet, antecedens etiam ostenditur ex eo quòd antequam per orbem ad prædicandum apostoli diffunderentur symbolum condiderunt in quo tunc iam affirmauerant ecclesiam esse catholicam. Secundo sic, una & eadem est ecclesia quæ fuit apud patres ueteris testamenti & quæ apud nos est in nouo te-

Argumẽtũ primũ Secundũ

stamento sed ecclesia antiquo tempore ueteris testamenti non dicebatur catholica, cum in sola iudæa notus esset Deus psal. lxxv. ergo uidetur quòd
Tertium etiam nunc tempore gratiæ ecclesia non uenit catholica nominanda. Tertio sic. Ecclesia Ro. dicitur uniuersalis, ut in cap. in nomine Domini, distinc. xxiij. licet non sit per orbem diffusa, ergo uidetur quòd ecclesia non sit di-
Quartũ cenda catholica ea ratione, quòd per totum mundum extensa sit & omnium gentium societate constituta. Quarto sic. Omnes ecclesiæ particulares per orbem dispersæ catholicæ appellantur, ut in cap. quamuis, distinct. xxj. ergo
Quintum hoc non uidetur esse proprium uniuersali ecclesiæ. Quinto sic, si ecclesia esset dicenda catholica, id est uniuersalis, uideretur quòd pastor eius & rector scilicet Rom. pont. dicendus ueniret uniuersalis, sed hoc prohibetur, ut in c. nullus, &. c. ecce, dist. xcix. expresse habetur.

Cap. XVII. In quo respondetur ad obiectiones præcedentis capituli.

Ad primum AD id uero quod in prima ratione obiicitur respondetur dupliciter. Primo quòd etiam pro tempore, quo apostoli symbolum condiderunt, ecclesia catholica erat & sic iuste nominabatur, quia fides eius catholica siue uniuersalis erat uniuersalitate ueritatis, quia quicquid in sacra scriptura docetur credendum, omnino & uniuersaliter sine aliqua instantia uerum est. Nam ut ait August. in epistola ad Hieron. Si ad scripturas sanctas admissa fuerit uel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas? Secundo respondetur, quòd & fides catholica, & per consequens ecclesia tempore quo apostoli ecclesiam professi sunt catholicam, non fuerit diffusa actu per totum orbem, erat tamen in proximo diffundenda, secundum illud psalm. lxxj. Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum, ubi glo. quæ ex August. sumitur ita habet. Ostendit quæ sit amplitudo regni, sic latum est quòd dominabitur a mari, id est a quolibet fine terræ usque ad mare id est usque ad quemlibet finem terræ diffundetur tam late dilatabitur ecclesia & a flumine Iordanis dominabitur ubi uox patris intonuit super Christum. hic est filius meus dilectus, inde ergo doctrina eius incœpit, inde auctoritas magisterii dilatatur usque ad terminos orbis terræ prædicato euangelio regni Christi, inde regula baptismi per totum mundum e-
Ad secundum manauit, hæc gloss. Ad secundum respondetur sicut ad præcedens, negatur enim minor uniuersaliter, quoniam ecclesia semper fuit catholica uniuersalitate puritatis, & ueritatis ipsius fidei. loquendo autem de uniuersalitate dilatationis per orbem minor conceditur & negatur consequentia. licet enim una, & eadem ecclesia sit, & fuerit semper apud ueteres patres quæ apud nos. nihilominus per successionem temporum aliqua sunt in ecclesia instituta, & ampliora gratiarum dona ecclesiæ donata sunt, sicut supra diximus, in quibus magna est differentia in ecclesia quo ad statum testamenti ueteris, & quo ad statum plenitudinis gratiæ, sicut in notitia unius Dei patet, quæ quasi tantum erat pro illo tempore in populo iudæorum. Iuxta illud quod inductum est ex psalm. lxxv. Notus in iudæa Deus:

nunc

nunc uero per totum orbem claret. Vnde Hieronym. in gloss. super prædictum psalm. ita ait. Antequam illuminaret crux mundum antequam uideretur dominus in terra notus erat in iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius, quando autem uenit saluator, in omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ uerba eius, hæc Hieronym. Vnde secundum hanc uniuersalitatis rationem, ecclesia a tempore gratiæ, incepit esse catholica, sicut circa cap. xxiiij. infra clarius habebitur. Vnde Ambro. tractans illud psalm. xxxix. Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna, dicit. Quid est quod addit magna, nisi quia fuit ante non magna, quæ est magna nisi de totius orbis terrarum partibus congregata. Ad tertium respondetur iuxta innocentium in epistola quadam quòd ecclesia dicitur uniuersalis dupliciter. Vno modo quia de uniuersis constat ecclesijs, sic sumitur in capi. alienus. xxiiij. q. j. ubi dicit Cyprianus. Alienus est, prophanus est, hostis est, non potest Deum habere patrem, qui uniuersalis ecclesiæ non tenet unitatem. Et in cap. scisma. qui se ab uniuersali ecclesia diuiserunt, &c. Et secundum hanc acceptionem uocabuli uniuersalitatis ecclesia Romana non est uniuersalis sed pars uniuersalis ecclesiæ, prima uidelicet, & præcipua, uelut caput in corpore, sicut habetur in cap. quamuis, distin. xxj. ubi habetur, quamuis uniuersæ per orbe catholicæ ecclesiæ unus thalamus Christi sit, tamen sancta romana ecclesia catholica & apostolica ceteris ecclesiis prælata est. Alio modo dicitur uniuersalis ecclesia quæ sub se continet ecclesias uniuersas. & hoc modo ecclesia romana dicitur ecclesia uniuersalis, quoniam ipsa sola ceteris prælata est, ut in prædicto cap. quamuis, & in. c. omnes, & in. c. sacrosancta, di. xxii. Dicitur etiam ecclesia romana maxime catholica quia in ea extra maculam semper est obseruata religio Christiana, ut in. c. in sede apostolica. xxiiii. q. i. & quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, neque hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, ut in. c. a recta eisdem causa, &. q. Ad quartum dicendum quòd ecclesiæ particulares dicuntur catholicæ non ratione diffusionis aut extensionis per orbem, sed ratione fidei catholicæ, quæ communis est omnibus Christi ecclesiis per orbem dispersis ita quòd ita dicitur ecclesia catholica, sicut homo catholicus qui scilicet fidem eam tenet quam tota ecclesia per orbem obseruat. Ad quintum respondetur quòd papa ueraciter est uniuersalis papa, & rector uniuersalis ecclesiæ, & ita alias duce Christo cum de Romano pontifice loquemur ostendemus, multi sancti patres Romanos pontifices uniuersales nominarunt, & scripserunt. unde etiam tota synodus Calcedonen. dicitur acclamasse Leoni papæ. Sanctissimus apostolicus, & Icomenicus id est uniuersalis Patriarcha, per multos annos uiuat. Prohibetur tamen uocari uniuersalis, tum propter humilitatem, tum quia non perficitur cuilibet particulari ecclesiæ, ut proprius, & specialis illius ecclesiæ rector, sic enim cessarent omnium aliorum pontificum potestates, & hæc ratio assignatur in. c. al legato nullus. Ista est etiam sententia beati Thom. in tractatu contra impugnantes religionem. Ex his quæ dicta sunt de uniuersalitate ecclesiæ eliditur error hæreticorum qui in uno angulo terræ aut apud aliquam regionem aut gentem coarctantur, sicut fuit error Donati, qui apud solam Africam Christi ecclesiam esse dicebat. contra quem, & sequaces suos August. super psalm. viii. ita loquitur. Christum tales maledicunt qui dicunt,

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum


perijt ecclesia de toto orbe terrarum, & remansit in sola Africa, quantā autem faciant iniuriam uidete fratres, scriptura dicit. In lata gente dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.

Cap. XVIII. In quo rationibus ostenditur quòd ecclesia apostolica dicatur.

Ecclesia est apostolica

AMPLIVS quarto loco sancti patres in symbolo sanctam Dei ecclesiam, apostolicam professi sunt dicentes. Credo unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Item beatus Greg. exponens symbolum in registro. Credo inquit unam fidem, unum baptisma, unam apostolicam, & uniuersalem ecclesiam. Apposuerunt autem sancti patres in symbolo suo supra symbolum apostolorum, quòd ecclesia esset apostolica, & hoc profecto, ut dicit Albertus magnus ad ostensionem auctoritatis, & antiquitatis ecclesiæ, contra eos qui nouella & peregrina dogmata in ecclesia, præsumptores nouitatum, introducunt. Dicitur autem ecclesia apostolica ratione multiplici. Tum primo, quia in apostolis qui fuerunt primi qui adhæserunt Christo, ut habet glo. Gen. 38. Ecclesia initiata est, & sui esse secundum tempus gratiæ reuelatæ suscepit originem. Vnde August. lib. de ciui. Dei, & habetur. xxxv. q. j. §. hac itaque, dicit de plebe iudaica. Primum apostolos elegit quos quasi fundamenta ecclesiæ instituit, quorum prædicatione de eadem plebe multi ad eum conuersi in se ipsis originem ecclesiæ præstiterunt. Vnde apostolus. 2. ad Thesal. 2. de se & aliis Christi apostolis ita attestatur. Elegit nos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus & fide ueritatis, & August. tractans illud psalm. xliiij. Delectauerunt te filiæ regum, ita ad propositum loquitur ecclesiæ. Filiæ apostoli sunt, filiæ regum sunt, ille enim est rex regum, illi autem reges de quibus dictum est. Sedebitis super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel, qui apostoli sicut primitiæ fuerunt Christiani populi ordine temporis, ita amplitudine perfectionis. Attestatur hoc apostolus ad Roma. 8. qui de seipso, & de aliis apostolis ita dicit. Nosipsi primitias spiritus habentes, gloss. & tempore prius, & ceteris abundantius. Merito ergo ipsa uniuersalis ecclesia ratione propagationis qua ab apostolis secundum tempus reuelatæ gratiæ originem sumpsit, apostolica a sanctis patribus est nominata. Secundo dicitur apostolica, quia post ascensionem domini, apostoli in fide, & sancta doctrina uerbo prædicationis miraculis sanctitatis exemplis fundarunt, & roborarunt ecclesiam ad Ephe. 3. Superædificati, scilicet estis. sit per fundamentum apostolorum & prophetarum. i. super nouum & uetus testamentum, quia quod apostoli prædicarunt prophetæ futurum prædixerunt. Licet autem Christus sit principale, & maximum ecclesiæ fundamentum. 1. ad Corinth. 3. Nihilominus apostoli dicuntur fundamenta secundaria ecclesiæ. Vnde Apocal. 21. beatissimus Ioannes de ecclesia ita loquitur. Murus ciuitatis habens fundamenta. xij. in ipsis. xii. nomina apostolorum & agni, & in psalm. lxxxvj. de ecclesia dicitur. Fundamenta eius in montibus sanctis, gloss. in apostolis & prophetis. Et bene apostoli montibus comparantur, sicut enim solis radius primo illustrat montes, deinde ad conualles ascendit, ita radius solis diuinitatis primo apostolos illustrauit,

illustrauit, deinde per eos fideles uniuersos illuminauit. Vnde Math. 5. ad ipsos ait Christus. Vos estis lux mundi. Verum & si in fide, & doctrina omnium apostolorum fundata dicatur, maxime tamen in confessione fidei beati Petri fundata est ecclesia, dicente Christo Math. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram, gloss. i. hanc fidei professionem, ædificabo ecclesiam meam. Hinc maxime successor beati Petri cuius sedi est pontifex Romanus antonomaticę dicitur apostolicus distin. xcvii. c. i. & c. si quis pecuniam. Tertio ecclesia sancta dicitur apostolica, quia apostolorum fidem, prædicationem, documenta, atque auctoritatem retinet semper, & obseruat. Retinet quidem potestatem in clauibus, sententiam in uerbo, & uitam in exemplo. Custodit plane & obseruat id quod spiritussanctus per Salomonem iubet. Prouerb. 21. Non transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Patres autem ecclesiæ dicti sunt apostoli secundum illud psalm. xliiij. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, ubi gloss. Augustin. & Hieronym. dicit. Genuerunt ecclesiam apostoli, ipsi missi sunt, ipsi prædicauerunt, ipsi patres pro quibus nati sunt tibi filii, id est constituti sunt episcopi quibus regaris & guberneris. Summæ autem necessarium est ecclesiæ obseruare antiquos terminos, quos posuerunt sancti apostoli, quia cum teste Hieronym. super. cxxxiij. psalm. Ecclesia non parietibus consistit sed in dogmatum ueritate & ecclesia ubi fides uera est. ex fide apostolorum cognoscimus quis in ecclesia sit. Vnde Hieronym. ubi supra. In ecclesia sumus si habemus fidem ecclesię, fidem apostolorum, fidem Christi dogmatum ueritatis. Quarto dicitur ecclesia apostolica, quia omnis Christianæ religionis ritus & sacrarum institutionum ecclesiasticarum obseruantia a traditione apostolica creditur in ecclesia deriuata, ut in cap. ecclesiasticarum, distinct. xi. colligitur. Et August. lib. ii. de bapt. contra Donatistas illud ita confirmat dicens. Illa quæ per uniuersam custodiuntur ecclesiam ab ipsis apostolis tradita, & commemorata creduntur, quamuis in eorum dictis uel consiliis non reperiantur. Hinc sedes beati Petri quæ nobis mater est sacerdotalis dignitatis, & magistra rationis, quæ etiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam recessit, iuxta cap. a recta. xxiiii. quæst. i. specialiter apostolica nominatur ut in cap. sic, & in cap. in memoriam, distinct. 19. & in cap. sacrosancta distinct. 22. uerum quandoque reperitur quòd ecclesiæ in quibus apostoli corporaliter perdocuerunt apostolicæ sunt uocatę. Quinto ecclesia uocata est apostolica, quia Petrus & Paulus principes apostolorum Romanam ecclesiam, quæ caput & prælata est omnium ecclesiarum, pariter Christo domino consecrarunt, eam quoque omnibus urbibus, scilicet uniuerso mundo sua præsentia atque uenerando triumpho prætulerunt. Sexto dicitur ecclesia apostolica secundum aliquos iuxta interpraetationem græcam huius uocabuli quasi desuper missa. Apostolicum enim nomen græcum est, & dicitur ab apo quod est desuper, & stolon quod est missio quasi desuper missa, unde & apostolus dicitur desuper missus. Ecclesia autem dicitur desuper missa, quia de cœlo exemplata, secundum illud. xxi. Apocal. Ecce ego Ioannes uidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo. Ex quibus maxime arguitur impia præsumptio quorundam, qui apostolica doctrina contempta nouella dogmata in ecclesia serere moliuntur. Contra quos dicit Iulius papa in cap. nolite, distinct. xi.



Nolite errare fratres mei in doctrinis uariis & extraneis, nolite abduci, & instituta apostolorum, & apostolicorum uirorum canonesq; habeatis, his fruamini, ut firmi contra cuncta inimicorum iacula persistere ualeatis. Satis enim indignum est quemquam uel pontificum, uel ordinum subsequentium hanc regulam refutare quam beati Petri sedem & sequi uiderit, & docere.

Cap. XIX. In quo ponuntur aliquá obiecta contra hoc quod dictum est quòd ecclesia sit apostolica dicenda.

Argumétũ primũ

ADVERSVS ea quæ in cap. præcedenti dicta sunt obiicitur sic. Christus dicitur principale & maximum fundamentum ecclesiæ dicente apostolo. 1. ad Corinth. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod est positum quod est Iesus Christus. cum ergo ecclesia a suo fundamento debeat recipere denominationem, uidetur quòd magis Christiana quam apostolica ueniat nominanda. Secundo sic ita prophetę dicuntur secundaria fundamenta ecclesiæ sicut apostoli dicente Paulo ad Ephe. 3. Superædificati super fundamentum apostolorum, & prophetarum: ergo ita ecclesia nominanda uenit prophetica sicut apostolica. Tertio doctrina super quam fundata est maxime eccclesia dicitur esse euangelium. Vnde Math. 16. dicit Christus. Super hanc petram id est huius fidei confessionem ædificabo ecclesiam meam: ergo uidetur quòd potius ecclesia est euangelica, dicenda quam apostolica. Ad illa dicendum est, ad primum dicitur quòd uerum est quòd ecclesia indubitanter & Christi est, & Christiana dicitur a Christo sicut & populus dicitur Christianus. Vnde Augustin. super Ioan. fundata est ecclesia super petram. Vnde & Petrus nomen accepit, non enim petra a Petro, sed Petrus a petra: sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo nominatur, de quo Christianitatis nomine & de tempore quo illa Christi ecclesia primum appellari cœpit. Idem beatus August. lib. j. retractationum, ita inquit, ipsa res quæ nunc Christiana religio nuncupatur erat apud antiquos, neque defuit ab initio generis humani, quousque ipse ueniret in carnem, unde uera religio quæ iam erat, cœpit appellari Christiana. Cum enim post resurrectionem ascensionemq; in cœlum cœpissent prædicare apostoli & plurimi crederent primum apud antiochiam sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani. nostris ergo temporibus Christiana religio non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit, quam cognoscere & assequi securissima & certissima est salus, hæc Augustin. nihilominus in symbolo magis nominata est apostolica quàm Christiana, tum ideo quia in hoc quòd dicta est catholica satis exprimebatur Christiana nominari. Catholicus enim & Christianus idem sunt, tum etiam est dicta magis apostolica quia cum apostolus interpretetur missus, ut dicit Augustin. & in misso intelligatur ipse mittens profecto in eo quòd ecclesia, dicta est apostolica utrumque intelligitur scilicet Christus mittens, qui principale & primariũ fundamentum est ecclesiæ, immo sicut sanctus sanctorum, & princeps pastorum, ita est fundamentum fundamentorum. Intelliguntur & ipsi apostoli a Christo missi qui secundaria fundamenta dicuntur esse sanctæ ecclesię Dei.

Secundũ

Tertium

Ad primum.

Præterea

Præterea Christus apostolus dicitur, unde ad Hebr. 3. c. inquit beatus Paulus fratres considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum ubi glo. inquit. Cur negemus Christum apostolum quem nobis Deus misit, unde ecclesia non solum ab apostolis Christi sed etiam ab ipso Christo apostolica denominatur. Ad secundam rationem, quòd licet prophetæ dicti sint fundamenta ecclesię sicut & apostoli. nihilominus ecclesia magis apostolica quàm prophetica uenit nominanda multiplici ratione. Primo quidem quia fidem ipsam catholicam super quam ecclesia Dei fundata est, apostoli magis explicitam & dilucidatam nobis tradiderunt quàm fecerunt prophetæ. Prophetæ quippe iuxta sui nominis interpretationem (propheta enim procul uidens interpretatur) sub quibusdam umbris figurarum nobis diuinorum mysteriorum fidem tradiderunt, unde super illud psalm. xvi. tenebrosa aqua in nubibus aeris dicit gloss. i. obscura doctrina est in prophetis. Sane tamen ultima consummatio gratiæ facta fuit per Christum, unde & tempus eius dicitur tempus plenitudinis ad Gala. iiii. Illi qui propinquiores fuerunt Christo uel ante sicut Ioannes baptista, uel post sicut apostoli plenius ministeria Dei cognouerunt, & per consequens magis explicitam ecclesiæ tradiderunt fidei doctrinam quod sic patet. Fides ecclesiæ in duobus maxime consistit. Primo in uera cognitione Dei secundum illud ad Hebr. 11. accedentem ad Deum oportet credere quia Deus est. Secundo in mysterio incarnationis Christi. In utroque potissime per apostolorum doctrinam ecclesia sancta Dei illuminata est. unde maxime super reuelatione facta apostolis de fide unitatis diuinæ essentiæ, & trinitatis personarum, & aduentus filii Dei in carnem, tota fides ecclesiæ fundata est. unde apostolo Petro a patre luminum doctor utriusque sacramenti fidem explicite profitenti dicendo. Tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. Respondet Christus. Amen dico tibi Petre, quia tu es Petrus, & super hanc petram, scilicet confessionis tuæ, fundabo ecclesiam meam. De hac petri fidei professione beatus Hilarius in lib. de trini. ita loquitur. Fides itaque petri Dei filium in homine uidens utrunque complexa est dicens. Tu es Christus filius Dei uiui, hæc confessionis ratio tenenda est, ut sicut Dei filium ita & filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem, hæc Hilarius. Secunda ratio propter quam ecclesia dicta est magis apostolica quàm prophetica est, quia uniuersalior ac profundior fuit doctrina apostolorum quam prophetarum. Apostolicæ enim prædicationis tuba in omnes fines orbis exiuit quod non fecit uox prophetarum. Vnde de apostolis dicit propheta. In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Et Leo papa in cap. ita dominus dist. xix. Ita dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, ut ueritas quæ ante legis, & prophetarum præconio continebatur per apostolicam tubam in salutem uniuersitatis exiret, sicut scriptum est. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Et super illud. Lucæ. 6. Elegit duodecim quos apostolos nominauit, dicit gloss. quos ad propagandum auxilium salutis humanæ, per terrarum orbem satores fidei destinaret. Tertia ratio quare magis apostolica, quam prophetica nominatur, est, quia superabundantior diuinæ gratiæ perfectio fuit in apostolis, quàm in prophetis. unde sicut supra allegatum est apostolus Paulus de se, & aliis dicit ad Romanos

Ad secundũ respõdetur primo

8. Nosipsi primitias spiritus habentes, gloss. i. spiritum sanctum, & tempore prius & ceteris abundantius. Et ad Ephe'. 1. dicit. Secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis, gloss. scilicet apostolis, in omni sapientia, gloss. in omni notitia de diuinis, & prudentia, gloss. prouidentia temporalium, ut notum faceret nobis sacramentum uoluntatis suæ secundum beneplacitum eius. Quarta ratio est propter quam apostolica non prophetica dicta est ecclesia, quia adueniente plenitudine temporis, consummatoq; redemptionis nostræ sacramento, quæ principaliter de fide catholica sancti prædixerunt prophetæ, adimpleta sunt in ecclesia, & quæ ab eis quasi sub sigillis clausa tradita sunt, si iam sunt aperta & reserata. Vnde gloss. super illo uerbo plenitudo temporis, ad Galat. 4. dicit. i. adimpletio figurarum omnium. Cumque iam in ecclesia dispensata, & manifestata ueritate, per apostolorum prædicationem iam prophetæ ad nouam doctrinam fidei depromendam tanquam nubes in præsentia solis cessauerint, quia lex & prophetæ usque ad Ioan. Math. 11. Multo conuenientius ecclesia apostolica est nominata quàm prophetica. Secundo posset responderi ad rationem factam quòd cum apostoli dicantur filij prophetarum, unde glo. super illud psalm. 147. Ita filii excussorum, quæ est August. dicit. Sciendum ergo filios excussorum, dictos esse apostolos filios prophetarum, qui dicuntur excussi. Excuti dicitur aliquid, ut saccus, ut exeat, quòd intus latebat clausum, prophetæ ergo clausa continentes sacramenta excussi sunt a prædicatoribus accedente eorum diligentia, & domino aperiente, & quæ abscondita erant prodierunt aperta. Ideoq; prophetæ dicuntur excussi quibus excussis generati sunt Apostoli, hæc ibi. Quare cum ecclesia dicitur apostolica in apostolis intelliguntur Patriarchæ, & prophetæ quorum fuerunt filij, non modo propagatione carnis sed etiam professione fidei & imitatione sanctitatis.

Respóde tur secundo

Ad tertiũ

Ad tertium respondetur quòd ratio non procedit. Tum quia eadem est doctrina apostolica & euangelica, ipsi enim apostoli nihil ad salutem humanam necessarium docuerunt, quod non ab euangelio siue a Christo didicerunt. Vnde apostolus Paulus multiplicatis uicibus doctrinam quam prædicabat in epistolis suis euangelium uocat. Præterea ipsi apostoli nedum euangelii fuerunt notarij, sed etiam præcones per totum orbem. Tum etiam quia professio illa fidei super quam Christus fundauit ecclesiam. Math. 16. Beati Petri apostoli fuit, qui tanquam os omnium apostolorum, ut dicit beatus Crysog. Christo quærenti & interroganti apostolos suos. Vos quem me esse dicitis. Respondit in persona omnium apostolorum. Tu es Christus filius Dei uiui, &c. Tum quia ipsi apostoli simul in unũ conuenientes, ut ex traditione maiorum accepimus, singuli singulas proferentes sententias, cum ab inuicem discessuri essent, symbolum ediderunt, quod uniuersalis ecclesia tenet, sicut beatus Clemens papa discipulus, & successor apostolorum in decretis suis testatur. Item sanctus Leo papa primus, pulchre auguste scribens. Ipsa inquit catholici symboli breuis, & perfecta confessio duodecim apostolorum totidem, signata est sententiis. Et beatus Ambrosius huius rei illustris testis, clauem regni cœlorum, deputans esse fidem apostolorum ita dicit. Clauem quidem istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam, duodecim enim apostolorum symbolo fides concepta est, qui uelut periti artifices in unum conuenientes, clauem suo concilio conflarunt.

hæc

hæc ille. Merito ergo his & superioribus rationibus bene ponderatis, ecclesia sancta Dei a sanctis patribus in compositione secundi symboli apostolica est appellata.

Cap. XX. Quomodo accipiendum sit id quod aliquando dicitur. Credimus in unam sanctam ecclesiam.

ANTEQVAM ad alia procedamus necessarium nobis uisum est declarare hoc loco qualiter accipiendum sit id quod in symbolo sanctorum patrum aliqui legunt. Et in unam sanctam ecclesiam. Sũt enim nonnulli qui hoc peruersæ interpretantur. uidimus enim nos in Basilea apud congregatos in concilio uniuersali circa auctoritatem ecclesiæ ita deliros, ut ad hoc uerbum ita genua flecterent, & profunda humilitate articulum illum uenerarentur, sicut fidelis & deuotus populus Christianus solitus est ad uerbum illud. Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria uirgine, & homo factus est. Pro quo considerandum quòd ut ait Albertus magnus, dictum illud sanctorum patrum non est ita accipiendum ac si nos synodus iubeat credere in aliud quod non est Deus. quia hoc Idolatria, & non fides esset. Cum enim id in quod credimus designetur finis fidei nostræ. Nam ut dicit Aug. & ponitur de pœ. dist. ij §. ex præmissis. In Christum credere est amando in ipsum tendere, sic in aliquid quod non est Deus esset finis fidei nostræ, quod est absurdum. unde Aug. tractans illud Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite: dicit sic. Nunquam aliquis apostolorum dicere auderet qui in me credit. omnino enim non diceret, qui in me credit. Credimus enim apostolo sed non credimus in apostolum. Item idem Aug. in glo. super illud ad Ro. iiij. Omni credenti in eum &c. Attende inquit quòd ait credenti in eum. aliud enim est credere in eum, aliud credere ei: aliud credere illum. Credimus Petro sed non in Petrum. Quare idem Aug. in epistola ad Neophitos. & habetur de conse. dist. iiij. c. j. ita dicit. Non eodem modo interrogamus, ut quomodo in Deum creditur sic in ecclesiam sanctam & catholicam. Propterea sancta & catholica est quòd recte credit in Deum, non ergo diximus, ut in ecclesiam quasi in Deum crederetis, sed intelligite nos dicere, & dixisse, ut in ecclesia sancta catholica in Deum crederetis. hęc Aug. Ob hanc autem difficultatem, ut Alexander de alis in tertio suo in si. & sanctus Thom. in. iii. suo sententiarum dist. xxv. attestãtur. Leo papa dicit non debere dici, in unam sanctam, sed simpliciter unam sanctam. Verum quòd Anselmus dicit, quòd potest dici in unam sanctam inquantum in isto effectu intelligitur ueritas increata, scilicet spiritussanctus. ut sit sensus. Credo in sanctam ecclesiam id est, in spiritum sanctum suis donis uenientem, & sanctificantem ecclesiam sub quo sensu etiam sanctus Tho. idem affirmat unde in. ij. ii. q. ij. arti. ix. sic dicit. Si dicatur in sanctam ecclesiam catholicam. hoc est intelligendum secundum quòd fides nostra refertur ad spiritum sanctum qui sanctificat ecclesiam. ut sit sensus. Credo in spiritum sanctum sanctificantem ecclesiam. Sed melius est & secundum communiorem usum, ut non ponatur in, sed simpliciter dicatur, sanctam ecclesiam catholicam, sicut etiam Leo papa dicit. hæc sanctus Thom. Ad idem est sententia Alberti magni in expositione symboli ita dicentis. Quia omnis articulus fundatur in diuina & æterna ueritate, & non super creatam ueritatem.

In ecclesia quomodo creditur.

ureatura uana est & non habet solidam ueritatem, ideo ille articulus resoluendus est ad proprium opus spiritussancti, hoc est, credo in spiritum sanctū non tantum secundum se sicut dixit præcedens articulus, sed credo in eum secundum proprium opus eius, quod est, quòd sanctificat ecclesiam. Itē Rufinus in explanatione symboli ita dicit. Sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem, non dixit. In sanctam ecclesiam, nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectioné, si enim adiecisset in præpositionem, una cum superioribus eidemq; uis fuerat, nunc autem in illis quidem uocabulis ubi de diuinitate fides ordinatur in Deum patrem dicitur, & in Iesum Christum filium eius, & in spiritum sanctum. in ceteris uero ubi non de diuinitate, sed de creaturis & mysteriis sermo est in præpositio non additur, ut dicatur in sanctam ecclesiam, sed sanctam ecclesiam credendum esse, non ut in Deum, sed ut ecclesiam a Deo congregatam, & remissionem peccatorum credendum esse, non in remissionem peccatorū, non in resurrectionem carnis. Hac itaque præpositionis syllaba creator a creaturis secernitur, & diuina ab humanis separantur. Et infra. Hi ergo qui supra in unum Deum credere docti sunt sub mysterio trinitatis credere & hoc debent unam esse ecclesiam sanctam in qua est fides una, & unum baptisma, in qua unus Deus creditur pater, & unus Deus Iesus Christus filius eius, & unus Deus spiritussanctus. Ista est igitur sancta ecclesia non habens maculam aut rugam, multi enim & alii ecclesias congregarunt, ut Martion, ut Valentinus, ut Hebion, ut Manichæus, ut Arrius, & ceteri omnes hæretici. sed illę ecclesiæ non sunt sine macula ac ruga perfidiæ. Et ideo dicebat de illis propheta. Odiui ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. De hac autem ecclesia quæ fidem Christi integram seruat, audi quid dicit spiritussanctus in canticis canticorum. Vna est columba mea, una est perfecta genitricis suæ, qui ergo hanc fidem in ecclesia suscipit, non declinet in concilio uanitatis, cum iniqua gerentibus non introeat.

Cap. XXI. In quo confutatur error dicentium quòd extra unitatem huius sanctæ catholicæ, & apostolicæ ecclesiæ potest hominibus esse salus.

Extra ecclesiá nó est salus

STABILITA iam fide de unitate, & sanctitate ecclesiæ catholicæ & apostolicæ, antequam ulteriora tangamus, perutile nobis uisum est, ut perniciosum errorem illorum reprobemus primitus, qui aduersus sanctæ catholicæ, & apostolicæ ecclesiæ dignitatem, & eius inseparabilis unitatis sacramentum impie sentientes asserere præsumpserunt quòd extra unitatem huius sanctæ ecclesiæ quisque in secta sua saluari posset. Iudæus Sarracenus. Paganus quisque etiam hæreticus, siue scismaticus, quorum perniciosissimam assertionem non modo falsam esse aut erroneam, sed hæreticam, licet ex multis ostendere possemus. decreuimus tamen pro nunc ex his quæ uirtute fidei in scriptura sacra attribuuntur præsentis disputationis sumere fundamenta, quare etiam ex ipsius fidei unitate primordialiter consurgit unitas sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, sicut superius ostendimus. Arguitur autem primo sic. Fides Christi est principium & primum fundamentum supernæ beatitudinis dicente apostolo. 1. ad Corin. 3. Fundamentum

tum

tum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Iesus, gloss. j. Christi fides quæ per dilectionem operatur, per quam Iesus habitat in cordibus. Alia non est fundamentum, hæc gloss. Hinc beatissimus Paulus ita diffinit fidem ad Hæb. 11. Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium, glo. j. fundamentum omnium bonorum quod nemo mutare potest sine quo non est bona ædificatio, ipsa nempe teste beato Crysog. fundamentum est Christianæ religionis. Et ut dicit August. lib. de prædestinatione sanctorum uirtus est, qua ea quæ ad fundamentum pertinent religionis recte firmiterq; creduntur: ergo impossibile est, ut hi qui ab unitate fidei, quæ primum fundamentum est ædificij spiritualis, & ex qua quicquid beatitudinis a fidelibus speratur, sicut a radice procedit, separati & alienati sunt, beatitudinem consequantur ecclesiasticam. Hinc in cap. quicunque. xxiiij. q. j. uenerabilis Beda ita dicit. Quicunque ab unitate fidei uel societatis Petri apostoli quolibet modo semetipsos segregant tales neque uinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis introire. Secundo arguitur ex illo apostoli ad Heb. 11. dicentis. Impossibile est sine fide placere Deo, ubi gloss. adeo fides est necessaria quòd sine ea quisquam non placeat Deo. Cum ergo nemo possit saluari nisi fide Deo placeat, manifestum est eos qui extra unitatem fidei sunt quam uniuersalis ecclesia credit, & prædicat saluari non posse. Hinc, extra de summa trini. & fide catho c. i. dicitur. Vna est fidelis ecclesia extra quam nullus omnino saluatur. Tertio confirmando rationem factam arguitur sic. Saluatio æterna tanquam proprius effectus ascribitur fidei quam sancta uniuersalis ecclesia tenet de Christo. Vnde Math. ix. Mar. 5. & Luc. 8. Christus mulieri quæ sanguinis fluxum patiebatur tetigeratq; fimbriam uestimenti eius inquit. Filia, fides tua te saluam fecit, & similia in aliis locis, & Mar. 10. ait cęco, fides tua te saluum fecit, &c. Et ad hóc quidem egregium testimonium præbet, apostolus ad Gal. ii. dicens. Ex omnibus operibus legis non iustificatur homo nisi per fidem, & ad Ephe. 2. Gratia saluati estis per fidem: ergo qui ab unitate fidei uniuersalis ecclesiæ segregatus est, exclusus est ab omni spe saluationis, & per consequens omnis talis æternaliter damnandus uenit quod etiam clarissimis aliis testimoniis sacræ scripturæ, & sanctorum apparet. dicit enim Saluator noster. Marc. ultim. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Qui uero non crediderit condemnabitur, & Ioan. 3. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, qui credit in filium habet uitam æternam, qui autem incredulus est filio non uidebit uitam æternam, sed ira Dei manet super eum. Hinc sanctus Athanasius in symbolo clamat.
Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit saluus esse non poterit. Præterea August. in epistola quadam, & habetur in capit. si quis. xxiii. quæstio. iiii. ita dicit. Si quis a catholica ecclesia fuerit separatus quantumcunque laudabiliter uiuere se existimet, hoc solo scelere, quòd a Christianitate disiunctus est, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Quarto arguitur sic. Vita spiritualis animæ specialiter attribuitur fidei formatæ, ex qua ipsa unitas ecclesiastica perfecta consurgit, secundum illud ad Roman. 1. Iustus ex fide uiuit, & ad Galat. ii. Ex fide uiuo filii Dei: ergo quæ extra huius fidei unitatem est, qua ipsa uniuersalis ecclesia uiuit, non in

numero spiritualiter uiuentium quibus uita æterna promissa est; sed mortuorum, & per consequens damnatorum uenit computandus. unde Augu. in epistola ad Vincentium,& habetur in.c.quemadmodum.xxiij.q. vij. dicit sic. Quemadmodum membrum, si præscindatur ab hominis uiui corpore non potest tenere spiritum uitæ, sic homo qui præscinditur de Christi iusti corpore,nullo modo potest spiritum tenere iustitiæ. Quinto sic, fidei uirtuti attribuitur filiatio Dei, secundum illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri,& illud ad Gal.3.Omnes filij Dei estis per fidem, &. 1. Ioan. 5. Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est: ergo qui ab unitate fidei quam sancta & uniuersalis ecclesia tenet se alienat & segregat in numero filiorum Dei annumerari non potest, & per consequens nec in numero cohæredum Christi regni cœlorum. unde beatus Cyprianus,& habetur in.c.alienus.xxiiij.q.j.alienus est,prophanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem qui uniuersalis ecclesiæ non tenet unitatem.Sexto sic, certum attributum legimus fidei, quòd radix sit omnium bonorum, ita quòd ubi fides Christi non est, nullum bonum meritorium esse potest. Vnde & Aug. & habetur in.c. ubi xxiiij.q.i.Vbi fides non est,non potest esse iustitia,quia iustus ex fide uiuit.Hinc beatus apostolus ad Roma. 14. inquit. Omne quod non est ex fide peccatum est, glo. Aug. & ponitur etiam in.c. omnis.xxviii.q.iii.Omnium infidelium uita est peccatum, quia omnis infideliter uiuens,uel agens uehementer peccat, & nihil bonum est sine summo bono ubi deest agnitio æternę & incommutabilis ueritatis falsa uirtus est etiam in optimis moribus.Et Grego. Sicut rami sine radicis uirtute arescunt, ita quælibet opera licet bona uideantur nulla sunt,si a fidei fortitudine distinguuntur. Quare manifestum est,quòd qui extra unitatem uniuersalis ecclesiæ quæ super communionem unius fidei stabilita est, separatus est, omni spe saluationis ablata nisi ad gremium recurrat ecclesiæ,filius est perditionis. Vnde Aug. & habetur extra de hæred.ca.firmissime, inquit. Firmissime tene & nullatenus dubites omnem hæreticum, & scismaticum cum dyabolo,& angelis eius æterni ignis incendio participandum, nisi ante finē uitæ catholicæ fuerit incorporatus, & reintegratus ecclesiæ, & post pauca. Omni homini qui ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem neq; baptismus nec eleemosina quantumcunque copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, & Hiero.in.c.quoniam.xxiiij. q.j.de domo ecclesiæ sanctæ loquens, quam supra Petram id est confessionem fidei Petri fundatam dicit, ita propositum nostrum confirmat dicens. Quicunque extra hanc domum, agnum comederit prophanus est, si quis in Noe archa non fuerit peribit regnante diluuio. Septimo præfatus error reprobus clarissime ostenditur ex eo, quòd fidei uirtuti, hoc ascribitur quod ostium unicum sit salutis æternę. Vnde Ioan.10. Amen dico uobis qui non intrat per ostium,scilicet credendo in Christum, sed ascendere nititur aliunde,per alias scilicet sectas quascunque, ille fur est & latro. Quod autem fides Christi ostium dicatur,testantur apostoli Paulus & Barnabas Act. 14.dicentes. Quia aperuisset dominus gentibus ostium fidei. Solus ergo ille ad portum peruenit salutis qui per Christi ostium in catholicam ecclesiam ingreditur. Vnde Ioan.13. inquit Christus. Ego sum ostium per me si quis introierit saluabitur. Sane Petro apostolo testante.Act.4. Non est in aliquo alio salus, neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus

in quo

In quo oporteat nos saluos fieri. Hinc Christus ait iudæis. Ioan. 8. Si non credideritis quia ego sum, in peccato uestro moriemini, quod longe ante sanctus Moyses, & propheta clarissimus de Christo prophetizans prædixit dicens. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus Deus tuus ipsum audies, & infra. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, gloss. i. Christum de semine Dauid. Falsum est ergo ac manifeste hæreticum quòd segregati ab unitate fidei sanctæ ecclesiæ catholicæ, spem aliquam habeant saluationis æternæ. In cuius apertissimum testimonium damnatos scribit philosophos apostolus ad Roma. 1. qui Deum fide non coluerunt sic dicens. Ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, gl. bene uiuendo & colendo, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, &c. Et hoc tantum dictum sit a nobis ad confutationem præfati erroris. Deut. 18.

Cap. XXII. Quando incepit ecclesia & de ætatibus eiusdem.

DECLARATIS iam in superioribus his quæ de sancta, & uniuersali ecclesia sancti patres credenda in symbolo explicarunt: reliquũ est ut de initio ecclesiæ siue quando ecclesia incepit tangamus. Reperiuntur enim uarij modi loquendi in sanctorum dictis de principio ecclesiæ, quæ legentibus minus peritis obscuritatem præbent, & difficultatem intelligendæ ueritatis. Dicit autem Aug. circa hoc exponens illud psal. cxviij. Initio cognoui de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea, ecclesia loquitur, quæ in terris non defuit ab initio generis humani, cuius primitię Abel sanctus est immolatus. nam & illud ab initio dictum est. Erunt duo in carne una. Quod magnum sacramentum apostolus Paulus exponens. Ego inquit dico in Christo & in ecclesia. Et idem Aug. super psalm. cxxviij. ita dicit. Olim est ecclesia, & ex quo uocantur sancti, est ecclesia in terra. pro quo considerandum est, quòd quemadmodum in superioribus habitum est. Ecclesia est collectio fidelium. Fuit autem & est una, & eadem fides in antiquis patribus ab ipso quasi humani generis principio, & in illis qui post aduentum Christi crediderunt, propter quod apostolus. ij. ad Corinth. 4. de se, & aliis patribus noui testamenti loquens ait. Habentes eundem spiritum fidei quem scilicet patres ueteres habuerunt, ubi glo. & cit. August. ita dicit. Ostendit quòd in iustis diuersorum temporum eadem fides est. Eadẽ enim fides iustos saluauit antiquos, quæ saluat & nos, scilicet mediatoris Dei, & hominum. tempora ergo uariata sunt non fides, quia illi uenturum Christum, passurum, resurrecturum, & ascensurum in cœlum crediderunt. nos autem credimus Christum uenisse, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse. Vnde manifestum est quòd ut inquit August. in sermone de Iacob & Esau. Ecclesia non accipienda est in his solum qui post Domini aduentum, & natiuitatem esse cœperunt sancti, sed omnes quotquot fuerunt sancti ad ipsam ecclesiam pertinent. & idem August. lib. de ciui. Dei, idem pulchræ confirmans ait. Non solum a tempore præsentię corporalis Christi & apostolorum eius, sed ab ipso Abel, quem primum iustum impius frater occidit, & deinceps usque in eius seculi finem inter persecutiones mundi, & conso-

Ecclesia quando incepit.

Eph. 5.

lationes Dei peregrinando percurrit ecclesia. Ceterum idem Augu. exponens illud psalm. xxxvi. Iunior fui etenim senui, egregie multum ad propositum ita loquitur. Dominus enim ipse in corpore suo, quod est ecclesia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam senuit. nostis & agnoscitis, & intelligitis, & ita creditis, quia caput nostrum est Christus, & corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos & non etiam illi qui fuerunt ante nos? omnes qui ab initio seculi fuerunt, caput Christum habent. Illum enim esse uenturum crediderunt quem nos uenisse iam credimus, & in eius fide ipsi solidati sunt cuius, & nos ut esset ipse caput totius ciuitatis Hierusalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, hæc Aug. Est autem hic notandum quòd tempus ecclesiæ uarijs ætatibus legitur distinctum, licet diuersimode. Quandoq; enim duæ ætates siue duo tempora distinguuntur ecclesiæ, scilicet iuuentutis & senectutis: sicut patuit in auctoritate prophetæ proximo inducta psalm. 36. Aliquando inueniuntur distincta quattuor tempora siue ætates ecclesiæ. Prima est ætas pueritiæ, & sub hac fuit in Abel in prophetis, & patriarchis, de qua sub nomine iuuentutis dicitur psalm. xxxvi. Iunior fui etenim senui, ubi gl. inquit. Ecclesia loquitur quasi unus homo qui fuit prior in Abel in prophetis & patriarchis. Cant. ult. Soror nostra paruula est & ubera non habet gloss. Soror nostra ecclesia antequam crescat per incrementa uirtutum infirmis auditoribus non potest præbere ubera prædicationis. Adulta dicitur quando Dei uerbo copulata sancto repleta spiritu per prædicationis ministerium in filiorum conceptione feratur, quos exhortando parturit, conuertendo parit. Secunda ætas dicitur iuuentutis, & hæc fuit tempore martyrum, qui tanta animi fortitudine fuerunt firmati, ut nullis hostium tentamentis a fide, & a charitate Christi potuerint reuocari, de quibus apostolus ad Rom. 8. Quis nos separabit a charitate Christi, an angustia, an fames, an tribulatio, &c. quasi dicat nihil, de quo dicit psal. lxx. Quoniam tu es patientia mea, domine spes mea a iuuentute mea, gl. ex quo me armasti fide, spe, & charitate & ceteris uirtutibus quibus pugnatur contra diabolum. Tertia ætas dicitur senectus, in quo Christi fides dilatata fuit per omnes gentes, psal. xci. Senectus mea in misericordia uberi, dicit enim glo. super psal. xxxvi. Senuit ecclesia in senecta uberi cum in honorabili ætate suscepit Christum per omnes gentes dilatata. Quarta ætas ecclesiæ dicitur decrepita, scilicet in fine mundi, de qua sub nomine senii, psal. lxx. Et usque in senectam & senium Deus ne derelinquas me, glo. in fine seculi erit senium. i. decrepitus, quando abundante iniquitate refrigescet charitas multorum, cum antichristus ueniet, & uita optato fine claudetur. Aliquando autem reperiuntur distincta quinque tempora ecclesiæ, sicut tangitur in parabola illa Christi, Math. 20. Simile est regnum cœlorum patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios suos in uineam suam &c. quã beatus Grego. exponens in homelia sua ita dicit. Quis patrisfamilias similitudinem rectius tenet quam conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet quasi subiectos dominus in domo qui habet uineam uniuersam scilicet ecclesiam, quæ ab Abel iusto usq; ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hos itaque paterfamilias ad excolendam uineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, & undecima operarios conducit, quia a mundi huius initio usque ad finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores mittere non desistit. Mane enim fuit ab Adam usque ad Noe, hora uero tertia a

Noe

Noe usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem a Moyse usque ad aduentum Christi. Vndecima uero ab aduentu Christi usque ad finem mundi, August. autem sex ætates dicit seculi, & ita ecclesiæ.iiii de trini.& lib.lxxxiii.quæst.sic dicit. Sex sunt ætates seculi, quarum prima est ab initio generis humani. i. ab Adam qui primus homo factus est, usque ad Noe, qui fecit archam in diluuio. Secunda inde usque ad Abraham, qui pater dictus est omnium gentium, quæ fidem ipsius imitarentur. Tertia ab Abraham usque ad Dauid regem. Quarta a Dauid usque ad captiuitatem qua populus Dei in Babyloniam transmigrauit. Quinta ab illa transmigratione usque ad aduentum domini nostri Iesu Christi. Sexta nunc agitur ætas, hæc August. Et idem sub nomine temporum,& sex dierum ponit idem Aug.super psalm. xcij. sextum diem siue tempus computans a prædicatione Ioan.usque in finem. Ex quibus confutatur error quorundam hæreticorum asserentium, quòd ante aduentum Christi non fuit fides apud antiquos,& per consequens neque ecclesia, quæ dicatur fidelium congregatio quorum rationes in sequenti.c.absoluemus.

Cap. XXIII. In quo ponuntur obiectiones contra ea quæ dicta sunt de antiquitate ecclesiæ.

ADVERSVS ea quæ dicta sunt de antiquitate ecclesiæ, fuerunt aliqui stulti hæretici qui dicere præsumpserunt apud patres ueteris testamenti simpliciter ecclesiam non fuisse, quorum rationes sunt aliquæ quæ sequuntur, quas sumunt ex aliquibus sacræ scripturæ auctoritatibus male intellectis. Primo arguunt ex illo, Pauli ad Galat.3. dicentis. Itaque lex pedagogus noster fuit in Christo ut ex fide iustificemur. Vt ubi uenit fides iam non sumus sub pedagogo. ex quo uidetur (inquiunt) quòd ante aduentum Christi fides non erat apud antiquos: ergo per consequens neque ecclesia, quæ dicitur fidelium collectio. Secundo ex illo eiusdem apostoli ad Heb.11.qui de antiquis patribus loquens dicit. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus: ergo uidetur id quod prius, uidelicet, quòd antiqui patres fidem non habuerunt, & per consequens quòd apud eos non fuerit ecclesia. Tertio idem arguunt ex isto, Math.16. Tu es Petrus & super hanc petram, scilicet fidei confessionem, ædificabo ecclesiam meam. Ex quo uerbo Christi accipiunt quòd ecclesia ante Christi aduentum non erat,sed post super Petri confessionem, per ipsum Christum est fundata. Quarto arguitur sic,gloss.super illud psalm. ix. Vt annuncient omnes laudationes tuas in portis filiæ syon dicit sic. Filia syon est ecclesia, syon enim omnes ecclesias mundi generauit, quia ibi natus est unde fides incepit: ergo sequitur id quod prius. Quinto arguitur ex illo Augu. super psalm.cxlvii.dicentis.Cœpit ecclesia a Hierusalem, & it per omnes nationes. Sexto arguitur ex eo quod Aug.in tractatu.ii. super canonicam Ioan.ait. Ibi inchoata est ecclesia, ubi uenit de cœlo spiritussanctus & impleuit in uno loco.cxx. Septimo arguitur per illud quod habet gloss.super psalm.xl. ubi tractans illud. Nunquid qui dormit non adiiciet, ut resurgat, ita dicit. Sicut de latere dormientis, Adæ qui erat forma

Argumẽtũ primũ

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintum

Sextum

Septimũ

futuri Christi, assumpta est costa de qua formata est Eua, ita dormiuit Christus somno mortis, ut de latere dormientis, de quo profluxerunt sanguis & aqua, quæ sunt nostræ redemptionis sacramenta, formetur sponsa ecclesia. & idem habetur in gloss. ad Eph. 4. Octauo arguitur quòd ecclesia non modo ab initio humani generis fuit, sed etiam ante mundi constitutionem ex illo Apostoli ad Ephe. 1. ita dicentis. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. ergo uidetur quòd antiquitas ecclesiæ non fuit bene assignata in superioribus, cum a principio tantum humani generis dicta sit incepisse.

Octauum

Cap. XXIIII. In quo ponitur solutio ad rationes capituli præcedentis.

Ecclesia dupliciter accipitur

AD ista quæ obiecta sunt, non est difficile respondere. Pro quo considerandum quòd de ecclesia possumus dupliciter loqui. Vno modo prout est congregatio fidelium, ut fidelis quis dicatur a fide Christi simpliciter, & hoc modo, sicut dictum est, ecclesia incepit a principio humani generis ex quo sancti inceperunt esse in terra. Secundo modo potest sermo haberi de ecclesia prout est congregatio fidelium, ut fidelis quis dicatur a fide Christi iam nati de uirgine & consummantis humanæ redemptionis sacramentum, & hoc modo de ecclesia loquendo reperiuntur dicta sanctorum patrum uaria, ut in argumentis deductum est circa initium ipsius ecclesiæ, quæ tamen ad concordiam reduci possunt. Pro quo aduertendum quòd quadrupliciter loqui possumus de initio ecclesiæ. Vno modo quantũ ad primos credentes per mentalem siue interiorem uocationem, & hoc modo loquendo dicendum uidetur quòd ecclesia incepit a tempore conceptionis Christi siue natiuitatis, quod tempus plenitudinis apostolus nominat ad Gal. 4. quia in ea adimplentur quæ de Christo fuerunt prænunciata atq; promissa, ut dicit glo. in hac consideratione ecclesia initium dicenda est habuisse maxime a beata uirgine Maria matre Domini, quæ prima fidẽ uerbi Dei actu incarnati habuisse creditur. unde Luc. 1. Elisabeth eam a fide singulariter commendans ait. Beata quę credidisti; quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a domino, cuius fides & sanctimonia constantissima semper, & firmissima fuit & nunquam interrupta, ut de ipsa dicatur illud Eccl. 26. Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonę species in ornamentum domus eius glo. i. ecclesiæ. Sequitur, Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureę super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ. Fueruntq; alii plures credentes in Christum a principio natiuitatis eius, sicut fuit Ioseph sponsus uirginis Mariæ: deinde annuncians natum esse Saluatorem mundi. Luc. 2. Deinde pastores quibus angelus apparuit in nocte ipsa natiuitatis, qui pastores primitiæ dicuntur fuisse iudæorum, & magi ipsi, qui stella duce perducti sunt ad Christum, ut dicitur Math. 2. quo ut ait Aug. primitiæ fuerunt gentilium. Crediderunt etiam iusti. s. Symeon, & Anna Christo in templo præsentato, ut dicitur Luc. 2. Secundo loqui possumus de initio ecclesiæ, quantum ad primos credentes per prædicationem,

& doctrinam

& doctrinam Christi uocatos. & hoc modo loquendo dicēdum uidetur quòd ecclesia incepit in prima uocatione, & congregatione discipulorum Christi: quæ facta est post baptismum ad fluuium Iordanis. de qua Ioan.i. habetur. ubi Andreas Ioannes Petrus Philippus & Nathanael uocati leguntur ad fidem Christi. unde glos.Gen.36. dicit Synagoga primo adhæsit Christo quando Petrus & Andreas & ceteri discipuli Ioannis facti sunt discipuli Christi. Hinc beatus Aug. tractans illud psal.lxxi.A flumine usque ad terminos orbis terrarum.inquit.quòd uero nunc ait a flumine:expressit euidenter inde uoluisse Christum potestatem suam iam commendare. unde & discipulos cæpit colligere a flumine,scilicet Iordanis. ubi supra baptizatum unicum cum descenderet spiritus sanctus sonuit uox de cœlo. Hic est filius meus dilectus Hinc ergo doctrina eius incipiens ac magisterii eius auctoritas dilatatur usque ad terminos orbis terrarum cum prædicatur euangelium regni in uniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus , hæc Aug. Tertio modo loqui possumus de ecclesia quantum ad firmitatem fidei in ea & promulgationem eiusdem ac de ecclesiæ dilatatione per orbem . & hoc modo loquendo de ecclesia dicimus illam incepisse quando consummatis & adimpletis mysteriis redemptionis humanæ spiritus sanctus missus est in die penthecostes super credentes discipulos & confirmati sunt & solidati in fide Christi. iuxta illud prophetę in psal.lxxiiii. Ego confirmaui columnas eius.glo.i.apostolos: qui in passione nutauerant. Et ita intelligendum uenit dictum Aug . super canonicam Ioan.quod inductum est in sexto argumento ubi ait . Inchoata est ecclesia ubi uenit de cœlo spiritussanctus & impleuit in uno loco.cxx.Ad hanc etiam intelligentiam refertur dictum illud Aug.qui tractans illud psal. xlix.Ex syon species decoris eius.ita loquitur.i.a Hierusalem incepit:quia inde cœpit annunciari. a hierusalem incepit: quia inde exeuntes apostoli speciem decoris Christi toto orbe nunciauerunt. unde Esa.2 . De syon exibit lex & uerbum domini de Hierusalem . Ex syon namque cœpit decus euangelii. Inde sponsus speciosus forma præ filiis hominum cœpit annunciari: quia ibi datus est apostolis spiritussanctus . Et concludit Aug. super eundem locum dicens. Vnde euangelium inde prædicatio: inde impletus orbis terrarum.& ab hoc tempore dicunt aliqui doctores ecclesiam incepisse dici catholicam. Quarto modo loqui possumus de ecclesia quantum ad uirtutem sacramentorum quibus ecclesia formatur , & hoc modo loquendo dicimus quòd cum sacramenta habeant uirtutem ex passione Christi : secundum illud.ad Ro.3. Quem proposuit Deus pater ipsum , scilicet Christum propiciatorem per fidem in sanguine ipsius:ecclesia dicitur incepisse a passione Christi quoniam facta: & formata tunc dicitur. ut ex glo. super psal. xl. habetur: quæ inducta est in ar.vii. Vnde glo . & est Aug . ad Eph.iiii.dicit. Dormiuit Adam ut fiat Eua : moritur Christus ut fiat ecclesia. dormiente Adam fit Eua de latere:mortuo Christo lancea percutitur latus, ut perfluant sacramenta quibus formetur ecclesia. Quibus notatis respondetur ad obiecta. Ad primum.

Ad primum dicitur quòd ratio non militat:quoniam ut ait apostolus . Vbi uenit fides &c. non loquitur de aduentu fidei Christi simpliciter: ita ut ante non fuerit . fuit enim a principio humani generis fides mediatoris Dei & hominum . cum dicat apostolus . Sine fide impossibile est placere Deo . ad Heb.xi.& eodem ca.de antiquis patribus loquens:dicat. Sancti per fidem uicerunt regna operati sunt iustitiam &c. sed loquitur de aduentu fidei se-

eundem manifestatio nem, unde glosa ita habet. At ubi uenit fides, id est postquam reuelata est, quæ prius occulta fuerat in antiquis, & Nicolaus de lyra exponit. Venit fides, id est tempus fidei reuelatę, uel exponendum est. Venit fides, id est impletum est illud quod credebatur futurum, sicut aliqua promissio dicitur uenisse, quia id quod promissum erat est impletum. Et sic licet apud antiquos non esset fides ita reuelata, & adimpleta in multis eo modo sicut adueniente tempore gratiæ, nihilominus semper ab initio humani generis fuit fides. Vnde Aug. lib. xviii. de ciu. Dei, inquit. Procul dubio tunc innotuit per eius corporalem præsentiam doctrina, & religio Christiana quando discipulos cœpit habere Christus, idest postquam in flumine Iordanis ministerio Ioannis est baptizatus. propter hoc enim de illo prophetia illa processerat, & dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum: sed priusquam passus esset, & resurrexisset a mortuis, non fides omnibus fuerat diffinita, id est resurrectione quippe Christi diffinita est. Ad secundam respondetur eodem modo quòd ratio procedit ex mala intelligentia eius quod dicit Apostolus, quòd enim apostolus inquit quòd antiqui defuncti sunt iuxta fidem, non habet eam intelligentiam quòd antiqui patres fidem non habuerunt cum eos idem Apostolus maxime de fide in eodem, c. commendet, sed tunc dicuntur iuxta fidem defuncti, quia fidem habentes comitem siue sociam defuncti sunt. Vnde glo. ita exponit, iuxta fidem, id est adhærentes fidei. Ad tertiam dicendum negando consequentiam, non enim ita dicitur ecclesia edificanda a Christo super illam Petri confessioné. Tum es Christus filius Dei, &c. quòd prius ecclesia simpliciter non fuerit, fuit plane ædificata super eandem fidem, cum omnes fideles a principio mundi in eadem fide fundati, & solidati sunt, in qua nos, illum siquidem crediderunt esse uenturum quem nos uenisse credimus, unde Mat. 21. Turbę quæ præcedebant & quæ sequebantur idem clamabant dicentes. O sanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, in quo ut ait Hiero. & ponitur in glo. continua. utrunque populum ostendit, & quæ ante euangelium, & qui post euangelium domino crediderunt consona Iesum confessionis uoce laudare, & Cristo. Illi quidem prophetantes de Christo uenturo clamauerunt, hi autem laudantes clamant de aduentu Christi iam adimpleto, sed dicebatur a Christo edificanda super confessionem prædictam Petri, quo ad illos qui credituri erant in Christo. Ecclesia enim quotidie hoc modo ædificatur, cum aliqui corpori Christi nouiter per fidem incorporantur, ad ephe. 4. dicitur. Dedit quosdam apostolos &c. sequitur in ædificationem corporis Christi, glos. i. ut ædificent eos in corpus Christi qui adhuc alienati sunt. Et infra in eodem. c. subiungit apostolus, augmentum corporis facit in ædificationem sui, glo. quia illos qui non sunt corpus ædificat in suam ciuitatem uel societatem. Ad quartum patet solutio ex dictis, pro eo enim syon dicitur omnes ecclesias generasse, quia inde exeuntes apostoli euangelium prædicarunt per uniuersum orbem, unde fides non dicitur ibi simpliciter incepisse neque Dei ecclesia quæ ante ab initio humani generis fuerunt, sed quantum ad promulgationem & dilatationem fidei per omnes nationes bene dicitur ibi initium fides siue ecclesia suscepisse, quia inde euangelium per apostolos & alios Christi discipulos deriuatum, est in omnes fines terrę. Ad quintum eodem modo respondetur.

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextum eadem solutio datur. Ad septimum patet etiam responsio ex dictis. Ecclesia enim quantum ad uirtutem sacramentorum quibus formatur & quæ ex passione Christi uirtutem suscipiunt, dicitur initium sumpsisse a passione Christi, licet fides ipsa simpliciter siue ipsa ecclesia a principio fuerit sicut sæpe repetitum est. Ad octauum dicendum quòd nos loquimur in præsenti loco de ecclesia secundum præsentiam eius in rerum natura, & non secundum prædestinationem siue dispositionem quam ab æterno habuit apud diuinam sapientiam, secundum enim prædestinationem, ut inqnit Bernardus super cantica, nunquam ecclesia electorum, penes Deum non fuit, si miratur hoc infidelis, audiat quod magis miretur, nunquam non grata extitit, nunquam non dilecta, quid inaudacter loquar quod mihi de corde Dei promptus ille supernorum delator consiliorum aperuit, paulum dico quæ ut multa alia ita hoc quoque de diuitiis bonitatis eius non est, ueritus diuulgare secretum, benedixit nos inquiens, in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati, & in conspectu eius charitate, hæc Bernardus. Et Origenes super Cantic. dicit. Non enim tu inde ex aduentu Saluatoris in carne sponsam dici aut ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi, immo, ut paulo duce altius mysterii huius originem repetam, ante etiam constitutionem mundi, sic enim dicit ipse. Sicut elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, ut essemus sancti, & immaculati &c.

Ad sextũ

Ad septimum

Ad octauum

Cap. XXV. A quo inceperit ecclesia.

POSTQVAM dictum est de antiquitate ecclesiæ, considerandum est iam a quo, id est a qua persona ecclesia incepisse dicenda est, quoniam uarii uario modo loquuntur in hac re. Quidam enim dicunt quòd ab angelis. Alii quòd ab Adam. Alii ab Abel. Quidam uero ab apostolis. Pro quo considerandum est quòd de ecclesia possumus loqui multipliciter. Vno modo ut dicit multitudinem siue communitatem quandam ex angelis, sanctis & hominibus constitutam, siue ut dicit unam societatem angelorum, & hominum sanctorum ordinatam sub uno principe Deo, quemadmodum Aug. loquens super psal. xxxvi. dicit quòd ex hominibus fidelibus, & angelis fit una ciuitas sub uno rege, & una quædam prouincia sub uno imperatore. & hoc modo loquendo stante opinione dicentium creationem angelorum præcessisse tempore creationem hominis, dicendum quòd ecclesia incepit ab angelis, cum enim teste Apostolo ad Heb. 11. Accedentem ad Deum necesse est credere, & angeli in prima sui conditione essent in statu accedendi ad Deũ, confiteri oportet illos in creatione sua fidem habuisse. Præterea quòd in gratia fuerint creati testatur beatus Aug. 12. de ciui. Dei, dicens, quòd Deus in angelis simul erat condens naturam, & largiens gratiam. quare beatus Bernar. super Cantic. homelia 27. inquit. Cum haberet Deus sponsam inhærentem sibi a principio multitudinem angelorum, placuit ei & de hominibus conuocare ecclesiam atque uniri illi quæ de cœlo est, ut sit una sponsa, & unus sponsus, hoc Bernardus. Secundo modo loqui possumus de ecclesia prout dicit uni-

A quo inceperit ecclesia

uersitatem hominum fidelium uiatorum, secundum illud Aug. super psal. 44. Assumpta est ecclesia ex genere humano ut Christus caput esset ecclesiæ. & hæc consideratio, ut dicit magister Alexander de Alis in quarto suo super sententias, est consideratio ecclesiæ quæ habet sacramenta, & hoc modo loquẽdo de ecclesia, communis sententia sanctorum est, quòd ecclesia incepit ab Abel. Vnde Aug. lib. xv. de ciu. Dei. A principio mundi processerunt duæ ciuitates, una Dei, alia diaboli, una cœlestis, alia terrestris. unde filii Adam unus ædificat terrenam & diabolicam, alius cœlestem. primus fuit Cayn, secundus Abel. Item super psalm. cxlii. loquens de ciu. Dei, id est ecclesia, dicit. Hæc ciuitas initium habet ab ipso Abel sicut mala ciuitas a Cayn. Confirmant autem plures rationes hanc sententiam. Prima quia fides eius primo in sacrificio quod obtulit Deo accepta manifestabatur fuit enim hoc primum signum sacrum ex parte hominis quod scriptura sacra commemorat. Vt autem uirtus & efficacia huius rationis intelligatur, est considerandum, quòd in statu legis naturæ non sufficiebat homini ad salutem sola naturalis cognitio quoniam perfectio rationalis creaturæ, non solum consistit in eo quod ei competit secundum suam naturam, sed etiam quod ei attribuitur ex quadam supernaturali perfectione diuinæ bonitatis. unde & ultima beatitudo hominis consistit in quadam supernaturali Dei uisione, ad quam quidem uisionem cum homo pertingere non possit tantum lumine naturalis rationis, sed per doctrinam a superiore doctore cœlesti patre luminum secundum illud Ioan. 6. Omnis qui audit a patre & didicit, uenit ad me. Quare ad consecutionem supernæ beatitudinis non sufficit cognitio naturalis, sed exigitur supernaturalis cognitio, quæ fides dicitur aliquorum quæ super rationem sunt de qua Apostolus dicit ad Hebræos. 11. Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium. Post lapsum uero humanæ naturæ exigebatur fides de reparatore, per quem futura erat medicina morbi, & ideo in statu illo non tantum erant necessaria opera quæ sunt de dictamine legis naturalis, sed etiam aliqua alia quæ erant protestationes, & signa eorum quæ ad reparationem pertinebant. Hæc autem erant illius temporis sacramenta, sicut sacrificia, decimę, & oblationes. quare cum ab Abel legatur primo oblatum esse Deo sacrificium, & ita primo protestata fides redemptoris per signa sensibilia, merito dicitur ecclesia nostra ab ipso incepisse. Secunda ratio. Omnis religio, ut dicit Augustinus contra faustum semper habuit aliqua signa exteriora, in quibus homines conueniebant ad Deum colendum hæc autem signa in religione Christiana sunt sacramenta secundum uarietatem temporum, quare cum Abel fuerit primus, qui legatur signo sensibili Deum coluisse, merito christiana religio ab eo incepisse perhibetur. Tertia ratio est continuatio sanctitatis. Sane cum de ecclesia spiritus sanctus dicat Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Et patres sancti in symbolo ecclesiam sanctam esse profiteantur, oportet ut ab illo ecclesiam incepisse asseramus in quo primo iustitia & sanctimonia sine interruptione continuata uiguerit & incorrupta in signum quòd ecclesia talis futura erat. Quamobrem non ab Adam, & Eua qui a sanctitate ceciderunt, ecclesia conuenienter dicitur inchoata. sed ab Abel qui primus omnium sanctitatem interruptam seruauit, & post quem fides, & uitæ sanctitas in aliquo uel in aliquibus ecclesiæ membris, semper illibata creditur permansisse. Quarta ratio est, quia ipse Abel primus gessit typum

ecclesiæ

ecclesiæ quo ad uirginitatis integritatem, & decorem innocentiæ in quibus maxime ecclesiæ sanctimonia splendet, fuit enim uirgo & innocens. De ecclesiæ uirginitate inquit Apostolus. 2. ad Corinth. 11. Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, gloss. uirginitas cordis fides incorrupta. uirginem dicit, quia omnes una uirgo sunt propter unitatem fidei. Quinta ratio quia Abel fuit primus martyr, & ecclesia solet dedicari in sanguine martyrum, illi enim roborarunt fidem ecclesiæ. unde Cyprianus in sermone ad martyres inquit. O martyres fortissimi robur corporis nostri. Sexta ratio, quia Abel est primus iustus commendatus a Christo sicut Math. 23. habetur, ubi ait Christus. A sanguine Abel iusti, &c. Super quo uerbo dicit beatus Hieronymus in homelia. Abel iustus non solum ex dicto nec sententia Christi, sed ex Gen. testimonio comprobatur, ubi accepta eius a Deo narrantur munera. Septima ratio, quia Abel secundum quòd dicit August. in lib. de mirabilibus mundi, fuit & uirgo & martyr & fidei doctor, & ita in eo fuerunt figuratę tres principales personę ecclesiæ, uidelicet pastores, uirgines & martyres. quare merito ecclesia ab ipso dicitur suscepisse initium. Octaua ratio quia in Abel facta est primo discretio siue separatio ecclesiæ sanctæ Dei ab ecclesia malignantium cum in ipso facta sit discretio a Cayn, ut enim superius inductum est. Dicit August. lib. xv. de ciuitate Dei. A principio mundi processerunt duæ ciuitates, una Dei, altera diaboli, una cœlestis, alia terrestris. Cœlestem ædificat Abel, terrenam uero Cayn. Tertio loqui possumus de ecclesia secundum statum noui testamenti, & hoc modo dicitur incepisse ab apostolis, & aliis credentibus, ut patet ex superioribus, & hoc etiam dicit Nicolaus de lyra super psalm. lxxxvi. Quod etiam ex illo apertissime colligitur ex eo quòd apostolus Paulus de se, & aliis Christi apostolis dicit. 2. ad Thes. 2. Elegit nos Deus primitias, gloss. ut essemus primitiæ omnium credentium in salutem & in sanctificationem spiritus, & fidem ueritatis. De hoc etiam sunt alia testimonia in superioribus in capit. xviii. circa rationem primam, quare ecclesia sancta dicta est apostolica.

Cap. XXVI. In quo ponuntur obiectiones contra prædicta.

CONTRA hoc quod dictum est quòd ecclesia inceperit ab Abel arguitur multipliciter. Et primo arguitur quòd ab Adam ecclesia inceperit. Adam fuit primus fidelis: ergo ecclesia ab ipso incepit, consequentia uidetur nota, & antecedens patet. Habuit enim Adam fidem incarnationis quando dixit Gen. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis &c. quod Apostolus exponit de incarnatione dicens. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Præterea creatus fuit in uirtutibus, & donis gratuitis, ut colligitur ex gloss. Luc. decimo ubi dicitur, quòd homo per peccatum uulneratus est in naturalibus, & spoliatus gratuitis. Neque potest dici quòd habuerit fidem tantum informem, quoniam ut testatur beatus Augustinus. xiiii. de ciuitate Dei. Adam in statu innocentiæ habuit charitatem de corde puro & fide non ficta. Se-

Argumentum primum

Secundū cundo ad idem arguitur sed. Adam uidetur fidem suam aliquo sacrificio, aut signo sensibili fuisse protestatus, quia ut dicit magister in hystorijs. Adam docuit filios suos offerre primitias, & decimas: ergo uidetur quòd ab

Tertium Adam incepit ecclesia quæ habet sacramentum. Tertio ad idem sic. Dicit Hugo de sancto Vic. conueniens fuit, ut semper medicina curreret cum morbo, sed morbus pro quo oblatus est Christus, uerum sacrificium cuius figura fuerunt sacrificia, quæ offerebantur antiquitus, incepit ab Adam: ergo ab ipso credenda sunt inchoata fuisse sacrificia sensibilia.

Quartū Quarto sic. Ad plura tenetur peccator quam innocens, quia tenetur ad opera satisfactionis, cuiusmodi erant sacrificia: ergo Adam qui peccator fuit, magis tenebatur ad sacrificia offerenda quàm Abel innocens: ergo sequitur quòd ab ipso Adam inceperit ecclesia, quæ habet sacramenta.

Quintum Quinto ad idem sic. Adam antequam Abel nasceretur, fuit membrum Christi: ergo alicuius corporis membrum, sed non nisi ecclesiæ, quæ est corpus Christi, ut ait apostolus ad Ephe. 1. ergo ab ipso Adam incepit ecclesia non ab Abel. consequentia patet, assumptum est notum, quoniam Adam habuit fidem formatam, sicut inductum est supra. Si autem dicatur quòd Adam non continuauit sanctitatem suam, & ideo non esset dicendus

Confirmatio prima principium ecclesiæ. Contra. Hoc non debet sibi obesse, quia pro perseuerante in bono reputandus est, qui finaliter bonus est. unde cum ecclesia orat pro fidelibus dicit. Vt indulgentiam quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. quia ergo finaliter optauerunt semper dicuntur optasse. pari ratione de Adam dicendum uidetur quòd pro per

Confirmatio secunda seuerante in bono habendus sit, quia finaliter fuit bonus. Et confirmatur per simile de Petro, cui dominus inquit Math. 16. Super hanc petram id est confessionem fidei ædificabo ecclesiam meam. Et licet Petrus post negauerit Christum, nihilominus non obfuit quin fundamentum esset ecclesiæ: ergo pari ratione uidetur, quòd non obsit peccatum Adæ quin

Sextum ab ipso ecclesia dicatur incepisse. Sexto sic. Ecclesia credit Adam pœnituisse antequam generaret Abel. unde Sapientiæ 10. de eius liberatione a peccato dicitur. Hæc illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodiuit, & eduxit eum a delicto suo. Sed pœnitentia uera non est, sine fide, & charitate: ergo id quod

Septimū prius. Septimo, mortuo Abel ecclesia stetit in Adam, & Eua, quia sancti dicunt, quòd ex quo ecclesia incepit, nunquam desijt esse. Constat autem quòd mortuo Abel non stetit ecclesia in Cayn, sed in Adam, & Eua: ergo etiam ante natiuitatem Abel ecclesia stetit in illis. Octauo Adam

Octauum fuit principium actiuum, per quod humanum genus descendit. unde Sapientiæ 10. pater orbis terrarum nominatur, ab Abel autem nemo propagatus est: ergo Adam potius dicendus est principium a quo cœpit eccle-

Nonum sia quàm ipse Abel. Nono confirmando rationem præcedentem arguitur sic. Principium ex parte malorum fuit actiuum siue propagatiuum aliorum post se, scilicet Cayn; genuit enim filios, & filias, & facta est multiplicatio malorum: ergo pari ratione, ex parte bonorum ponendum fuit principium actiuum: ergo magis Adam siue Seth, siue Enos dicendus est,

Decimū principium ecclesiæ quàm Abel. Decimo si Abel dicitur principium a quo cœpit ecclesia, hoc uidetur esse quia eminentiorem habuit fidem præ his qui erant in prima ætate, sed signum fidei magis uisum est, relucere in

Enos, de quo dicitur quòd cœpit inuocare nomen domini. Genesis. 4. ergo Enos, siue Seth rectius dicendus est, principium a quo cœpit ecclesia quam Abel. Vndecimo arguitur, quod Abraham sit huiusmodi principium a quo incepit ecclesia, dicitur enim ad Roman. 4. Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium, & ita uidetur quòd sit pater fidelium. unde etiam pater multarum gentium a domino legitur uocatus. Genesis 17. ergo uidetur quòd ab ipso dicenda sit incepisse ecclesia tanquam a principio. Duodecimo sic arguitur. gloss. super illud psalm. lxxix. Vineam de Ægypto transtulisti, dicit id est ecclesiam quæ incepit a iudæis, & perficitur in gentibus: ergo a iudæis dicenda est ecclesia incepisse, & non ab Abel. Decimotertio sic 2. ad Thes. 2. Elegit nos Deus, ut essemus primitiæ omnium credentium: ergo uidetur quòd in apostolis ecclesia incepisse dicenda sit qui primitiæ omnium credentium esse dicuntur, & non in Abel. Decimoquarto arguitur hac ratione. Ecclesia incepit ab Abel: ergo ecclesia fuit quando Abel fuit, hæc consequentia uidetur bona, hæc domus incepit hic: ergo hæc domus est hic: sed in solo Abel ecclesia esse non potuit: ergo non est dicendus Abel principium a quo ecclesia inceperit.

Vndecimum

Duodecimum

Decimũ tertium

Decimũ quartum

Cap. XXVII. In quo respondetur obiectionibus iam factis.

PRO ampliori intellectu præsentis materiæ est sciendum quòd aliqui antiqui doctores propter rationes primo loco positas uoluerunt dicere quòd in ueritate ecclesia inceperit in Adam & quòd quando Adam, & Eua erant ante peccatum, ecclesia erat. Item dicunt quòd post peccatum iterum ecclesia incepit ab Adam, cum ualde probabile sit quòd pœnitentiam egerint antequam nasceretur Abel. Et si dicatur, quare ergo sancti non dicunt quòd ecclesia ab Adam incepit. Respondent dicentes quòd non est necesse quòd sancti dicant omne uerum, quamuis enim secundum ueritatem inceperit ab eo, tamen noluerunt illud dicere, ut quilibet sciat quòd homo despicabilis fit per peccatum non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. dicunt præterea quòd a doctoribus dicitur ecclesia incepisse ab Abel non eo quòd Abel fuerit primus qui fidem, & charitatem habuerit, quia huiusmodi fuit Adam, sed quia in Abel fuerunt figuratæ tres principales personæ in ecclesia. s. pastores, uirgines, & martyres. Ceterum subiungunt quòd non est inconueniens dicere quòd ecclesia postquam inceperit, desijsset esse, & quòd nunc idem esset possibile nisi illud constaret quòd dominus dixit Math. ult. Ego autem uobiscum sum usque ad consummationem seculi. sed horum doctorum modum dicendi relinquẽtes, & communiorem sententiam doctorum sequẽtes dicimus, sicut dictum est, quòd ecclesia cuius sunt sacramenta, quia de tali est sermo, ab Abel inceperit rationibus supra notatis. Vnde dicendum est ad ea quæ obiiciebantur. Ad primum respondetur negando consequentiam, quoniam ad hoc quòd quis dicatur principium a quo inceperit ecclesia quæ habet sacramenta, non sufficit quòd primus fuerit qui habuit fidem formatam, sed requiritur quòd fidem illam sacramento aliquo uisibili ostenderit aut profes-

Ad primum

cens fuerit. sicut dictum est supra, & quòd in ipso fuerit distinctio siue discretio a congregatione opposita malorum, sicut initium uię unius est ubi primo fit discretio ab alia uia, & quòd ab eo seruata fuerit sine interruptione integritas sanctitatis. Hæc autem non fuerunt in Adam. quoniam Adam & si primus habuerit fidem: non tamen illam signo aliquo sacro sensibili legitur fuisse professus. non enim in statu innocentiæ, cum in illo sacramenta non essent. sacramenta autem cum sint uasa medicinalia, ut dicit Hugo de sancto uictore non competunt statui integritatis sed lapsus secundum illud Mat. 9. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. quòd uero post lapsum Adam fidem suam signo sacro aliquo sensibili ostenderit. scriptura sacra nullibi commemorat. Præterea in Adam propter indifferentem statum eius & propter commune principium generationis non discernebatur, in eo congregatio bonorum a congregatione malorum. In Abel uero facta est discretio a Cayn. Ceterum cum Adam lapsus fuerit per peccatum: non fuit in eo continuata iustitia sanctimonię, quare conuenienter dictum est quòd Adam non fuerit principium a quo ecclesia cœperit: sed potius Abel.

Ad secundum Ad secundum respondetur negando assumptum, & ad id quod inducitur ex magistro in historiis, quòd Adam docuerit filios offerre primitias &c. Respondetur quòd & si ita sit, non intelligitur quòd ipse pro se obtulerit. unde sicut dictum est, licet fidem habuerit primus: non tamen in signo quod est sacramentum legitur demonstratum: nec insuper ut dictum est, in eo discretio facta est bonorum a malis. Item secundo respondetur ad idem quòd concesso quòd Adam sacrificium Deo obtulerit, sicut & alii iusti Deo sacrificiũ obtulerunt secundum sui temporis congruentiã dicente beato Greg. q apud antiquos per sacrificiorum oblationes remittebatur pueris originale peccatum: non tamen de eius sacrificio sicut neque de omnibus iustorum sacrificiis fit mentio in scriptura. quare autem Adam non legatur sacrificium obtulisse, dicit beatus Tho. 2.2. q. lxxxv. ar. i. Ne in eo in quo notatur origo peccati, simul etiam sanctificationis origo significaretur. Quod etiam notasse uidetur apostolus qui ad Hebre. xi. fidem sanctorum patrum ueteris testamenti commendans ab Abel incipiens ita dicit. Fide plurimam hostiam, id est maioris precii Abel quam Cayn obtulit Deo per quam testimonium consecutus est esse iustus &c.

Ad tertiũ Ad tertium quod obiicitur quòd ab Adam inchoauit morbus, ergo & medicina. Dicendum secundum Alex. in iii. quòd reuera ab ipso inchoauit medicina, scilicet sacrificium contriti cordis dilectionis & deuotionis: sed non incepit ab ipso ipsius medicinę signum, scilicet uisibile sacrificium. & hoc triplici ratione. Prima quia ab illo a quo incepit diuinę inhonorationis exemplum, non debuit sumi ritus honorandi Deum. ab Adam aut cœpit exemplum diuinę inhonorationis: cum præuaricatus est diuinum mandatum. Genes. 3. Vnde Zach. 13. Adam exemplum meum. sed ab illo debuit incipere ritus diuini honoris quæ fuit iustitiæ & innocentiæ primum exemplum. Secunda ratio est quę supra dicta est. quia cum ecclesia sit aggregatio fidelium colentium Deum ab illo a quo incipit ecclesia, debet incipere ritus colendi Deum. & ita oblatio sacrificiorum. ab Adam autem non debuit dici incepisse ecclesia sed ab Abel. Tertia ratio, est quia sicut dicit Augustinus super Genes. ad litteram. Adam erat uir spiritualis mente præditus. unde & post lapsum conuertebat se potius ad interius sacrificium quod est contritio cor-

dis, alij uero non ita præditi conuerterunt se ad sacrificium exterius, unde conueniens fuit ut prius in Adam præcederet oblatio sacrificij interioris spiritualis: postmodum uero in filijs eius sequeretur oblatio sacrificij exterioris materialis, ut in illis primis utriusque sacrificij præberetur exemplum. Ad quartum uero quod obiicitur quòd ad plura tenebatur peccator Adam quàm innocens Abel. Dicendum quòd uerum est, non tamen propter hoc sequitur quòd teneretur ad sacrificia. Sacrificia enim primo & principaliter fuerunt instituta in remedium peccati originalis, secundum quòd dicit Grego. Quod apud nos ualet aqua baptismi hoc egit apud ueteres, uel pro paruulis sola fides, uel pro adultis uirtus sacrificiorum. Quia ergo in Adam non fuit originale peccatum distinctum ab actuali, non competebat ei offerre sacrificium uisibile, quod distincte & immediate institutum est cõtra originale. In filiis uero Adæ primo fuit distinctum actuale, & originale, unde conueniebat ut ab ipsis primo sacrificia offerrentur, hæc ille. Ad quintum ubi dicitur quòd Adam fuit membrum Christi antequã Abel &c. Respondetur negando consequentiam, licet enim sicut in superioribus diximus, ecclesia uniuersaliter loquendo prout dicit congregationem omnium intellectualium creaturarum habentium fidem formatam in creatione angelorum fuerit initiata, nihilominus distinguendo eam ad congregationem hominum fidelium secundum conditionem status uitæ præsentis cuius sunt sacramenta quo modo de ea est nostra nunc consideratio, non in Adam sed in Abel initiata est rationibus supra positis: quoniam licet Adam dicatur, primo fuisse membrum corporis Christi, sicut & angelus bonus in prima sui conditione, nihilominus non sequitur quòd in ipso inceperit ecclesia, cuius sunt sacramenta. Ad id uero quod obiiciebatur contra rationem continuitatis sanctitatis, quòd pro perseuerante in bono reputandus est qui finaliter bonus est. Respondetur quòd hoc non arguit continuitatem aliquam sanctitatis, dictum autem illud si ueritatem habet, intelligendum est respectu consecutionis eiusdem præmij communionis scilicet uisionis beatæ cũ eo qui in continua & non interrupta iustitia perseuerasset, a principio uitæ suæ usque in finem eiusdem. Eandem quippe beatitudinem consequuntur innocentes & pœnitentes, licet quandoque gradu differenti. Sic etiam exponitur illud Iacobi in canonica sua. c. ij. Quicunque autem totam legem seruauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus, quod pro eo dicitur, quia eandem pœnam damni, scilicet carentiam diuinæ uisionis incurrit homo per unam transgressionem diuinæ legis, quam incurrit qui pluribus trãsgressionibus in legem peccauit: licet pœnam sensus grauiorem sentiat qui pluribus offendit, ut exponit Nicolaus de lyra ibidem. Ex tali autem modo loquendi nihil arguitur ad propositum, ut manifestum est. Quod autem inducebatur pro simili in argumento de fidelibus, qui dicuntur semper indulgentiam optasse. Dicendum quòd non est simile, quia tale desiderium indulgentiam consequendi potest esse sine perseuerantia, & continuatione bonæ uitæ, & sanctitatis. Pariter respondetur quòd non est simile quod inducebatur pro simili de beato Petro, quia Petrus non est dictus fundamentum a quo primum principium habuit ecclesia, sicut superius dictum est. Ad sextum quod obijcitur de pœnitentia Adæ. Respondetur negando consequentiam, quia licet Adam pœnituerit ante natiuitatem Abel & credatur habuisse charitatem: non tamen legitur (ut dictum est) quòd sacrificium obtulerit

Ad quartum

Ad quintum

Ad confirmationẽ primam

Ad confirmationẽ secundam

Ad sextũ

in quo fides eius fuerit demonstrata. Præterea in eo non fuit discretio bonorum a congregatione malorum: cum non fuerit aliud principium e diuerso diuidens contra Adam.

Ad septimum

Ad septimum respondetur negando consequentiam. plura enim requirebantur in Adam ad hoc ut esset initium a quo inciperet ecclesia quam ad hoc quòd mortuo Abel in eo & in Eua manere diceretur ecclesia: sicut manifeste apparet.

Ad octauum

Ad octauum quòd de Adam dicitur quòd fuerit principium actiuum &c. respondetur negando consequentiam. Non enim requiritur quòd exemplar sanctitatis sit actiuum principium generationis carnalis cum sanctitas non trasfundatur in propagatione carnis.

nonũ

Ad nonum dicendum quòd non est simile de bonis & de malis: licet enim principium congregationis malorum esset principium actiuum generationis. non autem sic est de principio bonorum: & hoc est recte ut ostenderetur quòd principium malitię est ab homine. ideo conuenienter descendit in carnalem generationem. principium uero bonitatis ex deo est quod per spiritualem generationem descendit, non autem per carnalem, nisi per accidens.

Ad decimum.

Ad decimum de Enos dicendum quòd Seth siue Enos licet essent exemplar quoddam fidei suæ posteris: non tamen fuit aliquis eorum primum exemplar in discretione bonorum a malis. præcessit enim Abel qui fuit, & ipsi Seth, & ipsi Enos, & ceteris exemplar fidei & sanctitatis.

Ad undecimum

Ad undecimum quod arguitur de Abraham respondetur pari modo. quòd Abraham non dicitur principium siue pater credentium simpliciter: sed post lapsum a fide generalem: cum quasi omnes declinassent ad Idolatriam. & hoc quia fuit exemplar fidei ceteris, ut ait glo. unde & in eo per signaculum circuncisionis discreti sunt credentes a non credentibus: sed propter hoc ut manifestum est non arguitur quòd fuerit principium a quo primo inceperit ecclesia.

Ad duodecimum

Ad duodecimum quod dicebatur de Iudæis respondetur quòd accipiendo principium ecclesiæ post lapsum Idolatrię a Iudęis incepit ecclesia, quia gens illa primo credidit, & in fide perseuerauit usque ad aduentum Christi in quo pro magna parte excæcata est. Præterea secundum statum noui testamenti etiam ecclesia a Iudęis incepit. ut patet de apostolis, & Christi discipulis: ratione cuius sicut inductum est. Apostolus de se & aliis apostolis dicit. Elegit nos Deus primitias. glo. fidei ut in primitiua ecclesia crederemus in Christum, atque fide confiteremur. Et infra. Elegit nos apostolos primitias omnium credentium, quia apostoli primo crediderunt: hæc glos. Dilatata est autem postmodum ecclesia in gentibus & perfecta. unde glo. super psal. lxxix. quæ fuit inducta in arguendo dicit sic. Vineam dicit ecclesiam quę incepit a Iudæis: & perficitur in gentibus. una tamen & eadem est etsi altera gens det principium, altera perfectionem: hoc tamen non militat contra id quod dicitur quòd in Abel inceperit ecclesia.

Ad decimũ tertiũ

Ad decimumtertium patet responsio ex iam dictis. Apostolus enim non asserit apostolos esse primos credentes simpliciter cum multi, scilicet Patriarchæ & Prophetæ credentes præcesserint apostolos. de quorum patrum admirabili fide idem apostolus amplissimum sermonem texuit in epistola ad Hebr. c. ii. sed dicit eos esse primos credentes noui testamenti fide iam distincta & reuelata.

Ad decimũ quartum

Ad decimumquartum respondetur negando consequentiam. quanquam enim uerum sit quòd ecclesia esset quando Abel erat, quia illo tempore Adam & Eua erant iusti: consequentia tamē non ualet sicut neque ista. Ista domus incepit ab isto lapide. ergo fuit quando iste lapis primo fuit. Item uniuersitas huius ciuitatis in

tis incepit a tali homine;ergo fuit quando ille homo fuit.& ita in proposito consequentia facta non habet uires. Secundo potest responderi negando minorem.quoniam licet ecclesia quo ad rationem uniuersitatis quæ importatur in hoc nomine ecclesia. dicitur enim ecclesia collectio fidelium ut in.c. ecclesia de conse.di.i.non potest stare in uno completiue: nihilominus quo ad fidem in qua fundatur ecclesia & a qua quis de ecclesia capere dicitur: bene seruatur in uno. Dicit enim beatus Hiero.super psal.cxxxiii.ecclesia. Vbi fides uera est:ibi ecclesia est. Iuristę dicunt quòd ius uniuersitatis bene potest manere in uno solo:licet non ratione uniuersitatis & ita super illud psal. Sæpe expugnauerit me a iuuentute mea. dicit glo. quæ est beati Aug. quòd aliquando in solo Abel ecclesia erat: & expugnatus est a fratre suo malo. Idem doctores dicunt multi Theologi:& ita uidetur inuenta communis obseruantia in diebus tenebrarum in custodia unius candelę: quòd in sola beata uirgine, in qua integra, & imperturbata mansit in triduo fides Christiana,fuit ecclesia. Ex quibus faciliter soluitur quæstio illa quæ a quibusdam quæritur. Vtrum ecclesia possit in uno solo saluari.Sane ex his quæ dicta sunt de antiquitate ecclesiæ,aperte retunditur stultitia dicentium ante ecclesiam fuisse imperium, & regna:contra quos & scriptura sancta est & ratio. Cum enim ecclesia ab ipso iusto Abel initium habuerit. Vel secundum alios uniuersalius loquentes de ecclesia ab ipso primo homine Adam.qui in innocentia creatus est: manifestum est multo tempore præcessisse quodcunque regnum iustum siue iniquum. Primum autem regnum, quod tyrannicè fuit usurpatum,fuit regnum Nemroth,qui fuit robustus, & uenator hominum id est oppressor, & extinctor Gen.19.de cuius regno immediate sequitur. Fuit autem principium regni eius Babylon.Primus autem rex iustus fuit Melchisedech de quo scriptura loquitur Gene.14.& ad Heb.7.quorum regna multo tempore posteriora sunt ipso Abel. Secundo cum regnum non sit nisi quædam hominum communitas certa specie principatus disposita: illa uidelicet in qua unus principatus toti communitati secundum uirtutem:ut dicitur.iii. politicorum manifeste apparet quòd sit stultum dicere quòd regnum præcedat hominum communitatem. Sane regnum si iustum est communitatem fidelium prę supponit quę ad formam regalis principatus disponitur:ut enim ait beatus Aug.& ponitur in c.ubi.xxiiii.q.i.ubi fides non est,non potest esse iustitia.quia iustus ex fide uiuit. Si autem regnum iniustum est & iniquum etiam necessario congregationem malorum præsupponit: quæ dicitur ecclesia malignantium. Et ita patet quòd dictum illorum nedum erroneum est & hęreticum, sed stultum siue stolidum.

Cap. XXVIII. Quod ecclesia postquam incepit, non desit esse, ac quòd in ea fides, sanctitas, doctrina, prælato, & sacramenta usque in finem seculi sint duratura.

Patefacta in superioribus antiquitate ecclesiæ: dum illam a principio humani generis declarauimus incepisse. iam quòd usque ad consummationem seculi in fide,& sanctitate, doctrina,prælatione & sacramentis duratura sit aperiamus. De firmitate & durabilitate ecclesiæ usque in finem seculi propheta loquitur.psal.xlvii. ita dicens. In ciuitate Dei nostri Deus fundauit eam in æternum. Super quo uerbo Augu. ita dicit. Sed

Ecclesiæ fides non deficiet

forte ista ciuitas quæ mundum tenuit aliquando euertetur, absit. Deus fundauit eam in æternum. si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum. Item illustris propheta Esaias, de tempore diuinæ incarnationis loquens ait. c. nono. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & infra. Multiplicabitur, gl. in fidelibus, eius imperium, & pacis non erit finis, glo. i. sanctorum licet aliquando tribulentur. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, ut confirmet, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo, & usque in sempiternum. Item angelus consonans prophetæ inquit Luc. 1. Dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, gloss. in tota ecclesia, quæ per fidem, & confessionem Christi ad Patriarcharum pertinet sortem, siue in illis qui de Patriarcharum sorte nati sunt, siue qui de oleastro excisi, & in oliuam bonã sunt inserti, hæc gloss. sequitur, & regni eius non erit finis. Præterea de hac ecclesiæ duratione apertissime habetur Oseæ. 2. ubi dominus ecclesiæ suæ sanctæ ait. Sponsabo te mihi in fide in sempiternum, ergo matrimoniũ Christi & ecclesiæ in sempiternum durabit. Quòd autem sit matrimonium inter Christum & ecclesiam ostendit clarissime Apostolus ad Eph. 5. ubi repetens illud Gen. 2. Erunt duo in carne una, subiungit. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia, gloss. coniugalis copula signum est spiritualis unitatis Christi & ecclesiæ. Quòd fides, & charitas uniuersalis ecclesiæ usque ad consummationem seculi nunquam defecturę sint, patet ex illo quod ueritas Math. 16. beato Petro pollicetur dicens. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, sequitur. Et portę inferi non præualebunt aduersus eam, gloss. inferi non separabunt eam a charitate mea &. a fide. Item Luc. 22. eidem apostolo idem dominus pollicetur dicens. Ego autem rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Fides ergo Petri permansura est usque in finem. Item in persona ecclesiæ dicitur Cant. 3. Tenui eum & non dimittam illum, donec introducam in domum matris meæ, gl. i. synagogæ, ut ibi habitet per fidem & gratiam, & in cubiculum genitricis meæ, ut ibi scilicet requiescat, secundum gloss. sed hoc futurum est in fine seculi quando reliquię Israel saluę fient. Esa. 10. etiam apostolus Rom. 9. de quo & idem apostolus ad Rom. 11. ita dicit. Cum plenitudo gentium intrauerit, tũc omnis Israel saluus fiet: ergo sequitur quòd fides & charitas in ecclesia semper erunt. unde Bern. tractans præfatum uerbum. Tenui eum nec dimittam &c. super cant. ita propositum nostrum confirmat dicens. Extunc & deinceps non defuit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de ecclesia. Venerunt flumina, flauerunt uenti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quòd fundata esset super firmam petram, petra autem erat Christus. Ita nec uerbositate philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorũ, potuit ista, aut poterit aliquando separari a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, hæc Ber. Quòd autem in ecclesia usque ad consummationem seculi boni cum malis, & econuerso admixti semper futuri sint, aperte constat in parabola illa euangelica de zizaniis quæ superseminauerat inimicus, ubi dicentibus seruis ad patremfamilias, uis ut eamus & colligamus ea. Respondit paterfamilias in figura domini dicens. Sinite utraq; crescere usq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus colligite, &c. Messis autem ut ipse magister ueritatis exponit, consummatio est seculi. Math. 13. ergo usque ad consummationem seculi in ecclesia triticum id est boni, &

Math. 13.

ni, &

ni, & zizania, id est mali simul habitabunt. Ceterum quòd doctores semper in ecclesia mansuri sint usque ad consummationem seculi, qui illam gladio uerbi Dei, & doctrinis sanctis, omnique armatura fortium tanquam strenui milites, & fortissimi bellatores defendant, protegant, & muniant attestatur dominus per prophætam Esayam in c.xxxiii. sic dicens. Respice Syon ciuitatem, gl.interlin.id est præsentem ecclesiam. sequitur, oculi tui uidebunt tabernaculum, glo. quod præsentem ecclesiam significat. quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius, glo.i.doctores quibus fixa tenetur. Præterea hoc idem uidetur accipi ex illo quod apostolus ait ad Thi.3.quæ est ecclesia Dei uiui columna, & firmamentum ueritatis. quod ideo dictum est, quia in sanctis doctoribus quos semper habet tanquam columna rectissima, & immobilis tam fortis est in se & alios sustinet doctrinis ne corruant in errores. Vnde Cant.4. dicitur ecclesiæ. Collum tuum, id est cœtus doctorum per quos uerbum Dei dispensas, & fideles in corpus tuum committis, sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, scilicet diuersarum uirtutum, quibus relucere debet uita doctorum. mille clypei pendent ex ea, id est uniuersitas uerborum diuinorum, quibus tanquam clypeis repellitur ictus diaboli, & superantur uersutiæ, & calliditates hæreticorum, omnis armatura fortium, quia quicquid uirtutis perfectæ aut sapientiæ alibi quæritur ad salutem animæ tuendam perfectæ in ea inuenitur, ut in c.legimus, di.lxxvii. Quia uero ecclesia quò ad prælationem duratura sit usque ad consummationem seculi, ita ut prælati aliqui semper in ea sint patet ex illo Esa.62.ubi propheta ita ecclesiæ loquitur. Videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, id est saluatorem tuum, scilicet Christum, & uocabitur tibi nomen nouum, quia a Christo nominata est Christiana. eris corona gloriæ in manu domini, & Diadema regni in manu Dei tui. Clarum est autem quòd corona, & Diadema ecclesiæ dignitatem principatus, & dignitatem importat prælationis ecclesiæ quæ semper in ea usque ad consummationem seculi refulget, in cuius argumentum sequitur in propheta. Non uocaberis ultra derelicta &c. Præterea hoc quidem apertissime notat apostolus ad Ephe.4 dicens. Ipse, scilicet Christus dedit quosdam apostolos, quosdam prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores, & doctores usque ad consummationem sanctorum in opus ministerii ædificationem corporis Christi donec occurramus omnis in unitate fidei, & agnitionis filii Dei in uirum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ubi glo.inquit. Tandiu durabit hæc prælatio, & ordinatio donec in die iudicii nos omnes occurramus in una, & non discreta fide. Ceterum hoc idem nobis apertissimum redditur ex eo quòd idem apostolus.i.ad Corin.xv.scribit. Deinde finis, idest consummatio, cum tradiderit regnum Deo, & patri, id est cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei patris secundum gl. Cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, glo. dum durat mundus, angeli angelis præsunt, dæmones dæmonibus, homines hominibus, ad utilitaté uiuentium, uel deceptionem: sed omnibus collectis iam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit, hæc glo. Tandiu ergo principatus in ecclesia, & pręlatio per successionem continuabitur, quandiu præsens seculum durabit, quod maximè de auctoritate Ro. ecclesiæ credendum est, in qua dominus totius ecclesiæ posuit principatum iuxta.c nolite errare, distin.xi.de cuius principatus sempiternitate beatus Hieronymus ita loquitur, sicut in c.hæc

est fides, habere.xxiiii.q.1.Sancta Romana ecclesia quæ semper immaculata permansit domino prouidente, & beato apostolo Petro opem ferente in futurum manebit sine ulla hæreticorum insultatione, scilicet præualente atque firma, & immobilis omni tempore persistet, hæc illæ. Amplius uero quod ecclesia etiam in sacramentis semper mansura sit usq; in finem seculi luce clarius ex ipso sacrę scripturę fonte colligimus. Vnde Hiere.31.quod etiam apostolus in argumentum differentiæ ueteris testamenti, & noui inducit ad Ro.8.ita propheta loquitur de tempore aduentus Christi. Ecce dies uenient dicit dominus,& feriam domui Israel,& domui Iuda fædus nouum,id est legem nouam,non secundum pactum quod pepigi cum patribus uestris in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Egypti.glo.hic prophetatur non perseueraturum uetus testamentum sed futurũ nouũ,de cuius perpetuitate dicitur in fine.c.Sanctum domini euelletur,& nõ destruetur ultra in perpetuum. Ceterum hoc quidem probat apostolus ad Hebre.7.ubi commendaturus legem nouam eam usque ad consummationem seculi impermutabilem ex sacerdotii Christi perpetuitate argumentatur dicens. Iurauit dominus,idest inconcussa ueritate firmauit,& non penitebit eum,idest non mutabit factum.tu es sacerdos in æternum. sequitur, intantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus, gl.ut enim sacerdotium Christi præest sacerdotio leuitico,ita & lex eius præest ueteri. Et infra sicut ille permanet,ita & lex quam attulit in qua est uera remissio, & perpetua gratia,quod quia uetus lex non potuit exclusa est. Quia autem lex noua permanebit in æternum ostendit ex pontifice: quia unus est,quod non esset nisi esset immortalis, hæc glo. Præterea hanc ueritatem clarissimam agit apostolus,id est ad Cor.2.ita dicens. Quotienscunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem domini annunciabitis donec ueniat.glo.ad iudicium, & hoc non mutabitur usque tunc sicut sacramenta iudæorum. Apparet ergo quòd ecclesia non deficiet in sacramentis suis usq; ad consummationem seculi,quod etiam ratio ipsa ostendit. Cum enim conuenientissimum fuerit.& ita nobis misericorditer diuina pietate prouisum sit,ut semper medicina curreret cum morbo, & sacramenta ipsa tanquam medicinæ quædam contra morbos peccatorum sint ordinata ab ipso supremo medico Saluatore nostro Iesu Christo, & morbi peccatorum multiplices nunquam deficiant neque deficient in humano genere quandiu sumus in hac corruptibili uita præsenti, necesse erit dicere in ecclesia semper futura esse sacramenta. Et sic patet principale propositum quòd ecclesia postquam incepit duraturá sit usque ad consummationem seculi. Ex his iam dictis apertissime eliditur error dicentium ecclesiam iam periisse, & quorundam pseudoprophetarum asserentium illam in proximo defecturam. De quorum errore beatus Augustinus super psal. ci. commemorat ita dicens. Sed ista ecclesia quæ fuit omnium gentium, & iam non est, periit,hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem uocem,illa non est quia tu in illa non es, uide ne tu ideo non sis, nam illa erit & si tu non sis. Hanc uocem abominabilem detestabilem præsumptionis & falsitatis plenam nulla ueritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, uanam,temerariam, præcipitem,perniciosam, præuidit spiritus Dei, & tanquam contra illos cum annunciaret unitatem, ait. In conueniendo populos in unum, & reges, ut seruiant domino. Cumque subdidisset respondit ei, utique laus eius,utique Hierusalem mater nostra de peregrinatione reuocata

cata fetosa cum multis filiis magis quam ea quæ habebat uirum: quoniam quidam dicturi erant ecclesia fuit & non est, exiguitatem inquit dierũ meorum nuncia mihi, quid est quod nescio; quia recedentes a me murmurant contra me. quid est quòd perditi me perisse contendunt. certe enim hoc dicunt, quia fui & non sum. annuncia mihi exiguitatem dierum meorum, non a te quæro illos dies æternos. illi sine fine sunt: ubi ero non ipsos quæro. Temporales dies mihi annuncia exiguitatem dierum meorum, quandiu ero in isto seculo annuncia mihi propter illos qui dicunt impletę sunt scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostotauit, & periit ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc exiguitatem dierum meorum nuncia mihi? & annunciauit neque uacauit ista uox. Quis annunciauit nisi ipsa uia? quomodo annunciauit? Ego ecce uobiscum sum usque ad consummationem seculi Mat. ulti. hæc Aug.

Cap. XXIX In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra ea quæ de duratione ecclesiæ dicta sunt.

AD pleniorem intelligentiam eorum quæ de duratione ecclesiæ diffinita sunt, aliqua obiecta mouebuntur contra illa, quibus aliqui hæretici impulsi sunt ad dicẽdum, quòd ecclesia iam defecisset, aut quòd ante finem seculi peritura esset. Et arguitur primo ex illo Hiere. 5. Circuite uias Hierusalem & aspicite, & considerate quærite in plateis eius an inuenietis uirum facientem iudicium, & quærentem fidem. q. d. non est aliquis, ergo uidetur quòd aliquando fides defecerit de ecclesia, & per consequens aliquando desiit esse. Secundo idem arguitur ex c. 7. eiusdem ubi dicitur. Periit fides, & ablata est de ore eorum, ex quo uidetur quòd fides aliquo tempore periit, & ita ecclesia Dei. Tertio arguitur ex illo Dan. 9. ubi dicitur. Deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio: ergo uidetur quòd ante finem mundi sacramenta, & sacrificium ac fides ipsa deficient in ecclesia, & per consequens ipsa ecclesia non est duratura usque in finem seculi. Quarto arguitur ex illo Mat. 24. Abundabit iniquitas & refrigescet charitas, sed charitatem refrigescere superabundante iniquitate nihil aliud esse uidetur quam charitatem deficere: ergo uidetur quòd aliquando charitas deficiet de ecclesia. Quinto idem arguitur ex illo Lu. 18. Veruntamen filius hominis ueniens putas inueniet fidem in terra. hoc autem non uidetur dictum, nisi quia fides ante consummationem seculi defectura sit, ergo idem quod prius. Sexto ratione arguitur sic. Fides istius hominis est corruptibilis siue defectibilis, & ita fides alterius: & ita de singulis, nisi sit aliquis confirmatus. possibile est ergo fidem in omnibus deficere. Septimo sic. In libertate est credere, & non credere: ergo possibile est ut tota ecclesia in cuius arbitrio est credere, & non credere non credat, & ita patet id quod prius. Octauo arguitur sic, uniuersitas Iudęorũ quæ prius fuit ecclesia iã nõ est ecclesia. unde tota ecclesia iudæorũ uidetur defecisse. dedit enim dominus illi libellũ repudii, primo tribubus, & postea ducibus, ut dicitur Hiere. 5. Prę uaricata est in me domus Israel & domus Iuda ait dominus. Negauerunt dominũ & dixerũt, nõ est ipse, ergo pari ratione

Argumẽtũ primũ

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintum

Sextum

Septimũ

Octauum

tota ecclesia in Christianis est defectibilis. cōsequentia patet, quia sicut modo ecclesia est in Christianis, ita aliquo tempore fuit in Iudæis, iuxta illud psal. Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius. Nono arguitur sic. In passione uidentur omnes fideles defecisse a fide Christi, unde super psal. 14. beatus Augu. tractans illum uersiculum. Singulariter sum ego donec transeam, dicit sic. Videte quoniam multi defecerunt usque ad ipsos primos hærentes ori eius etiam ipsi defecerunt. & infra, sed quia in eius passione etiam illi primi cum futuri erant duces ecclesiæ, & columnæ terræ defecerant, & nondum factum erat quod ait in vii. psal. Ego confirmaui columnas eius qui a t singulariter sum ego donec transeam, scilicet ex hoc mundo ad patrem. Hec Augu. ergo pari modo posset modo contingere, & ita ecclesia deficeret.

Nonum

Cap. XXX. In quo respondetur obiectionibus iam factis.

PLANE absque omni dubitatione inconcussa fide tenendū est quod de permanentia sanctę uniuersalis ecclesię dictum est. nam ut ait Bern. super Cant. Finis omnium pendet, tolle hanc & frustra inferior ista creatura reuelationem filiorum Dei expectat. tolle hanc & neque Patriarchæ neque prophetæ aliqui consummabuntur, cum Paulus ait ita prouidisse pro nobis ne sine nobis consummarentur. tolle hanc & ipsa sanctorum angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit, neque Dei ciuitas de sui integritate gaudebit. Dicendum est igitur ad rationes. Ad primam & secundam quæ ex duabus auctoritatibus Hiere. inductę sunt. Respondetur quòd id quod ibi inquit propheta intelligendum est propter raritatem fidei & paucitatem bonorum uirorum quæ illo tempore fuit quo prophetauit ipse Hiere. non autem quòd omnino fides, & iustitia perissent, quoniam illo etiam tempore aliqui erant fideles, & iusti sicut ipse Hiere. licet pauci essent comparatione malorum. Ad tertium quod ex dicto Dani. inducitur respondetur quasi eodem modo. Daniel enim propheta non uidetur loqui de consummatione totius seculi, sed de finali desolatione ciuitatis Hierusalē in qua locus sanctificationis erat, ut etiā uidetur exponere ipse Christus. Mat. 24. Ciuitas autē illa primo uastata est a Tito & Vespasiano. postea suscitatę sunt ruinę eius & qui prius aufugerant & latuerant in montibus, & speluncis, reuersis Romanis habitauerunt in parietibus ciuitatis: deinde Elius Adrianus imaginem suam posuit in muris templi, id est in loco ubi fuerat templum ut adorarent eam, confregerunt nolentes tantam iniuriam sustinere, ex quo indignatus Elius funditus euertit ciuitatem. Rectè autem statua illa uocata est abominatio, quia ut ait Hiero. abominatio secundum ueritatem idolum nuncupatur, & additur desolationis, quia in templo desolato atque deserto Idolum positum est, ut dicit glo. & ita argumentum non est ad propositum nostrum. Si uero dictum Dan accipiatur de consummatione seculi, & abominationem dicat antichristum hominem peccati qui in tēplo sedens extollet se super omne quod dicitur Deus ii. ad Thes. 2. nō est intelligendum quòd fides totaliter deficiat, quoniam ut scribitur Ecclesiastici quarto. Fides in seculum stabit. Semper enim apud aliquos fides ecclesiæ firma atque immutabilis usque in finem seculi permanebit: ita Christus ad patrem orans beatissimo Petro apostolo quem delegaturus

Ad primum
Ad secundum
Ad tertiū

erat tanquam uicarium suum pastorem, uniuersalis ecclesiæ pollicitus est dicens. Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua. Luc. 22. Quod autem dicitur quòd deficiet hostia & sacrificium, hac ratione fortassis dictum est, quia instante illa sæuissima persecutione antichristi, hostia sacrificii non in manifesto offeretur, & pro tanto dicatur deficere in auctoritate prædicta prophetę. Ad quartum quod sumptum est de euangelio Math. Respondetur quòd tempore antichristi charitas non ita refrigebit quòd omnino deficiat ab ecclesia, licet bene in multis, unde tex. non dicit, refrigescet simpliciter charitas, sed multorum non dicit omnium, immo tempore illo apud aliquos charitas feruentissima futura creditur qui perfectissime inuenientur serui Christi martyres gloriosissimi. Vnde Prouer. xv. Firmos faciet terminos uiduę, id est ecclesiæ uisibili præsentia sponsi uiduatę. ultimos enim milites suos tempore antichristi patientia & constantia firmabit. Et Apocalipsis primo dicitur. Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ignis ardentis, & ultimi fideles tempore antichristi erunt similes aurichalco, quia in camino, & igne tribulationis decoquentur & purgabuntur tanquam aurichalcū quod dum magis incenditur puriore colore decoratur, de quo tempore Cassio, super psal. xxx. dicit. Ecclesia magis incipiet esse uberrima cum ad finem seculi erit perducta. tunc enim passionibus electorum cito implebitur numerus beatorum. Ad quintum quod sumptum est de Luca. simili modo respōdendum uenit quod illud dictum sit propter raritatem, & paucitatem fidelium, quæ tempore antichristi erit propter maximam tribulationem quæ tempore illo uigebit, de qua Mat. 24. Ad sextum respondetur negando consequentiam, licet enim fides possit deficere in aliquibus personis specialiter: generaliter tamen nunquam deficiet. Vnde in iiii. di. vi. his uerbis nostro fauet proposito Tho. dicens. Fidem ecclesiæ militantis non est possibile deficere totaliter Deo. ordinante quæ dicit Math. ult. Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. hoc sanctus Tho. Vnde dicimus quòd quemadmodum singularia alicuius uniuersalis licet corruptibilia sint, uniuersale tamē est incorruptibile quia, & si non saluatur in uno indiuiduorū saluatur in alio per naturam. ita etiam de fide dicimus, & per consequens de ecclesia quòd si non saluatur in uno saluatur in alio per gratiam, & hoc diuina prouidentia fauente, quare sicut nullum tempus fuit postquam incepit ecclesia in quo non fuit aliquis qui Deo placeret, sic neque unquam erit in futurum usque ad seculi consummationem. Ad septimum respondetur, quòd & si absolute loquendo possibile sit totam ecclesiam militantem a fide deficere, considerata tamen diuina prouidentia cuius ordinatione fides, in ea usque ad consummationem seculi super illibata permansura est, non est possibile illam deficere: diuina enim prouidentia nunquam in dispositione sua fallitur. Vnde nunquam Deus omnes fideles permittet a fide cadere nec aliquos sic permittet cadere quin alios erigat, secundum illud Iob. 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Ad octauum respondetur, quòd ecclesia de Iudæis nunquam ita defecit quin super in ea aliqui essent iusti in quibus integra fides, & sincera charitas inuiolata persisteret: sed scriptura ita absolute loquitur quia comparatione malorum illo tempore paucissimus erat numerus bonorum. Præterea licet ecclesia quæ fuit in Iudæis, defecerit quo ad sacramenta, & cerimonialia illius legis, quia lex & pro-

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextū

Ad septimum

Ad octauum

phetæ usque ad Ioannem Mat.11.non tamen quo ad gentem quoniam ecclesia ipsa quæ est in Christianis ex utroque populo collecta est iudæorum, scilicet & gentilium,ut in pluribus locis testatur apostolus,primique discipuli Christi fuerunt omniumque credentium primitiæ qui ex Iudæorum gente uenerunt sicut superius ex Apostolo.2.ad Thes.2.commemoratum est non ergo tota ecclesia de Iudæis sic defecit, ut nulli eorum in ecclesia permanserint, unde Apostolus ad Ro.11.inquit. Reppulit Deus populum suum, absit. Nam & ego Israelita sum de semine Abrahæ de tribu Beniamin non reppulit Deus plebem suam quam præsciit, ubi glo.sic inquit. Si enim dico Iudæos esse infideles non tamen omnes, & sic Deus reppulit eos ex parte non tamen ex toto, quia me & alios prædestinatos non reppulit, hæc glo. Ad ultimum dicendum, quòd in passione Christi fides non ita defecit

Ad nonũ quin ita manserit in aliquo, mansit quidem integerrima, & illibata in uirgine gloriosa matre domini nostri Iesu Christi, ut dicere uidetur Anselmus in lib.cur Deus homo.quare magister Alexander de Alis in fine tertii sui in expositione symboli apostolorum dicit,quòd opinio dicentium quòd in sola uirgine stetit ecclesia tempore passionis Christi uidetur sibi uera, unde & dominus Guilhelmus in lib.qui dicitur rationale diuinorum officiorum dicit,quòd candela quæ occultatur in officio matutinali in ultimis diebus hebdomadæ sanctæ significat fidem Christi quæ in sola uirgine remansit, per quam postea omnes fideles docti, & illuminati sunt.

Cap. XXXI. Quare ecclesia, cœlum, terra, ager, sagena dicta sit.

TANTA est affluentia donorum, & gratiarum quibus ipsa uniuersalis ecclesia in diuersis membris suis dotata est, & tam admirabili ordinis uenustate sapienter disposita, tanta denique uarietate pulcherrime circumamicta, ut illius perfectionis copia, & excellentia dignitatis unico non possit,sed multis necesse fuerit explicari nominibus. Hinc diuina scriptura de ecclesia loquens multis eam comparasse rebus perhibetur, de quibus pauca sed præstantiora exempla per cognoscenda plenius suarum uirtutum excellentia, & profunditate mysteriorum subiungemus. describemus autem rationes nominum quæ sequuntur de numero amplissimo multorum, de quibus in scriptura sancta secundum litteralem aut mysticam intelligentiam illam legimus nominatam, quæ sunt cœlum, terra, ager, sagena, uinea,hortus,fons,puteus,nauis,domus, ciuitas, regnum,templum, tabernaculum,mulier, amica,columba,perfecta,filia,sponsa, coniux,

Ecclesia est cœlũ. regina, soror Christi. Cœlum in psal. dicitur ecclesia, iuxta illud Esa. ultimo. Cœlum mihi sedes est,quod uerbum pertractans sanctus August.super psal.121.ita dicit. Cœlum mihi sedes est,qui sunt isti nisi iusti,qui cœlum ipsi cœli, quæ ecclesia ipsę ecclesiæ sicut sunt multæ una sit sic ergo, & iusti ita sunt cœlum ut cœlum sint,in ipsis autem sedet Deus,& de ipsis iudicat Deus, hæc Aug. Dicitur autem ecclesia cœlum duplici ratione. Primo ratione inhabitationis diuinæ.dicitur enim cœlum ut dicit Papias quasi casa helyos, id est Dei.Mat.5.Cœlum thronus Dei est,& Math.6. Pater noster qui es in cœlis,glo.i.in sanctis.Secundo ratione ornatus,quemadmodum enim cœlum stellarum ac luminarium uarietate adornatur secundum illud Eccl.43.Spe-

cies cœli gloria stellarum mundum illuminans, ita sancta uniuersalis ecclesia uirtutum ac donorum multorum admirabili uarietate splendet, unde Isido. Cœlum spiritualiter dicitur ecclesia quæ in huius uitæ nocte sanctorum exemplis ac uirtutibus quasi claritate syderum fulget. Hic beatus Ambro. super psal. Beati immaculati inquit. Ideo ecclesia cœlum dicitur quòd habeat sanctos, & angelis, & archangelis comparandos. Præterea secundo ecclesia terra dicitur secundum illud psal. 99. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, & hoc duplici ratione. Primo ratione firmitatis secundum illud psal. 103. Fundasti terram super stabilitatem suam non inclinabitur in seculum seculi, glo. & est Aug. Terram, id est ecclesiam super stabilitatem suam, id est Christum, & ideo non inclinabitur in seculum seculi, nihil enim firmius isto fundamento. Secundo ecclesia dicitur terra ratione fertilitatis, unde gl. Greg. super illud Gen. primo. Protulit terra herbam uirentem, dicit sic. Terra enim est ecclesia, quæ uerbi pabulo nos reficit, & patrocinii umbraculo custodit, loquendo pascit, opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat sed etiam arborem protectionis. Item gl. super psa. 23. dicit sic. Domini est terra, & plenitudo eius, id est Christi qui est dominus dominantium, est terra, id est ecclesia fructifera. Hæc est terra bona super quam euangelii semen cecidit, & protulit fructum. xxx. lx. & c. Tertio ecclesia dicitur ager secundum illud Mat. 13. Simile est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo, & hoc propter societatem quandam, & permixtionem siue unitatem quam habent in fide, & sacramentis mali cum bonis. Sane sicut zizania siue immundę segetes in agro cum tritico permiscentur, ita in ecclesia uniuersali in præsenti statu mali bonis permixti sunt, de quibus psal. 54. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos, idest in multis erant mecum, ubi glo. quæ uidetur Augu. ita inquit. Ab his qui appropinquant mihi, id est a Christianis fictis qui magis decipiunt quam aperti Idolatrę. Appropinquant ergo nomine & non numine, corpore & non mente, numero non merito, & uere appropinquant: quoniam erant in multis, scilicet sacramentis, mecum, scilicet in fide, in baptismo, in euangelii lectione, in festis, & huiusmodi. & non in paucis erant mecum, in omnibus sacramentis mecum, sed non in fide, spe, & charitate, sine qua nihil sunt omnia, ut infra. Et bene ait mecum, nam & prope est palea tritico, de uno semine nascuntur, in uno agro eradicantur, una pluuia nutriuntur, sub eodem messore colliguntur, eadem trituratione utuntur, eandem uentilationem expectant, sed non in unum horreum intrant, hæc glo. Item quarto ecclesia dicitur nominata sagena Math. 13. Simile est regnum cœlorum sagenę missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, & hoc duplici ratione. Primo enim sagena dicitur ex eo quòd a fluctibus seculi cunctas gentes ad cœlum trahere apostolica doctrina laboret. Secundo quia instar sagenę bonos, & malos quos nunc in mari huius mundi indifferenter continet in littore, id est in fine seculi discernet. Vnde Greg. in Homelia. Sancta ecclesia comparatur sagenę missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, quia nunc bonos malosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet, sed littus sanctæ ecclesiæ, id est finis, indicat sagena quid trahat.

Terra

Ager

Sagena

Cap. XXXII. De rationibus propter quas ecclesia sancta Dei uinea dicta sit, & Hortus, Fons, & Puteus aquarum uiuentium.

Ecclesia. dicitur una

PRÆTEREA ecclesia reperitur similitudinarie siue mysticè dici uinea, hortus, fons, puteus aquarum uiuentium. Quia uinea dicatur habetur Esa. 5. Vinea domini exercituum domus Israel est, & Mat. 20. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias quę exiit primo mane conducere operarios suos in uineam suam. Nam Christus uerus paterfamilias est, quæ totius humani generis curam habens omni tempore uniuersos ad culturam uineæ, id est ecclesiæ mittit operarios. Dicitur autem uniuersalis ecclesia uinea duplici ratione. Primo propter amplissimam, & continuam eius propagationem, continue enim palmites, id est uiri iusti propagantur ex ea. Vnde Greg. tractans illud uerbum proximè inductum. Mat. 20. dicens. Pater iste familias conditor noster est, qui habet uineam uniuersalem ecclesiam quæ ab Abel usque ad ultimum electum qui in fine nasciturus est, quotquot sanctos protulit quasi tot palmites misit. Secunda quia ex ea spirituale uinum emanat quo fideles iusti potantur, & inebriantur, & exhilarantur iocunditate cœlesti, de quo propheta. Vinum lætificat cor hominis, psal. 103. glo. hoc uinum sic inebriat ut sobrios reddat: hæc æbrietas uidetur in alienatione mentis a terra ad cœlum, & hoc uinum non est carnale quo male quidam inæbriantur, sed spirituale interiorem hominem reficiens spirituali lætitia. Præterea de hoc quòd ecclesia uinea dicatur illustrè testimonium, Cant. ulti. habetur, ubi in persona ecclesiæ dicitur. Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos. Vinea inquit ecclesia iuxta glos. quæ ex diuersis populis collecta est, scilicet de gentibus, & Iudæis fuit pacifico, id est Christo qui rectè pacificus nominatur, ipse quidem pacem composuit inter Deum, & hominem propter quod mediator Dei, & hominum dicitur, id est Thi. 2. Item pacem fecit inter hominem, & angelum. Colo. 1. Pacificans per sanguinem Crucis siue quæ in cœlis siue quæ in terris sunt, glos. cœlestia & terrestria. Item ad pacem reduxit gentiles, & Iudæos eos in unius Dei cultu coniungens ad Ephe. 2. Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum glo. utrunq; populum in unum, & fide & moribus. Ipse est lapis angularis in quo duo populi tanquam parietes de diuerso angulo uenientes sibimet quasi in pacis osculo copulantur, hæc gl. Dicamus adhuc quòd hæc uinea plantata dicitur ab ipso summo patrefamilias in ipso humani generis principio. Hiere. 2. Ego te plantaui uineam electam. Deinde translata legitur de Ægypto in terram promissionis, psal. lxxix. Vineam de Egypto transtulisti in terram, scilicet promissionis, glos. i. ecclesiam quæ incepit a iudæis & perficitur in gentilibus. Consequenter legitur tradita agricolis ad excolendum. Math. 21. erat homo paterfamilias, quæ plantauit uineam, & locauit eam agricolis. Et Math. 20. dicit de eodem. Misit operarios in uineam suam. Operarii sunt prædicatores quos ad erudiendum fidelium plebem mittere paterfamilias non desistit, ut dicit Greg. De huius autem uineæ cultura Bern. ita loquitur. Hæc uinea domini Sabaoth plantata est in fide, mittit radices in charitate defossa sarculo disciplinæ stercorata penitentium lacrymis irrigata prædicantium doctrinis, & exuberans uino suauissimo

Hortus

delectationis, hæc Bern. Item ecclesia nominata legitur hortus iuxta illud

Iud Cantic. 4. Hortus conclusus soror mea, & in. c. omnibus consideratis, & in.c.quoniam uetus. xxiiij.q.i.& ita nominatur iuxta gloss.pro amœnitate florum fragrantia aromatum & copia optimorum fructuum. Sunt enim in hoc ecclesiæ horto flores amœnissimi pulcherrimi, plurimi etiam secundum uarietatem gratiarum & honorum membrorum eius. Sane redolet in eo flos uuæ, qui cum ex eo uua formetur beatissimam uirginem speciosissimã, atque florentissimam designat, quæ illam uuam genuit in cuius uino & sanguine Iudas, id est omnis confessione fidei ad ecclesiam pertinens lauat stolam suam, & pallium suum, id est utrunque hominem sicut habetur Gene. 49. Iudas in uino scilicet quod pro multis effusum est in remissionem peccatorum, lauit stolam suam, & pallium suum in sanguine suo. Redolet etiam in horto ecclesiæ flos lilii, qui candidus est in uirginibus. Flos uiolæ, qui paruulus ac purpureus est in innocentibus. Flos mali generati qui rubeus est in apostolis, qui non modo uerbo & exemplo, sed & sanguine suo innumeras per orbem fundarunt ecclesias. Redolet insuper flos rosę, qui sanguinatus est in martyribus. Flos oliuæ qui pinguis est in sanctis confessoribus, quoque proprietatis pinguedine, & misericordiæ operibus, quibus [af]fluxerunt recte per oliuam designantur. Redolet etiam flos amigdali, qui & si frigoris tempore nascatur, non tamen marcescit a fructu in patriarchis & prophetis, qui in hyeme infidelitatis & iniquitatis gelicidio, doctrina uerbi, & operis sanctitate floruerunt, feceruntq; fructum immarcessibilem mercedis æternæ. Redolet etiam in horto ecclesiæ flos spicę. qui quia inter paleas, & aristas nascitur statum sanctorum coniugatorum designat quibus multę paleæ uenalium peccatorum concretę sunt multas aristas habent miseriarum præsentis seculi, & aculeis punguntur mundanæ solicitudinis atque plurimum fatigantur cura propriæ familiæ, nihilominus tamen florem, & fructum sanctitatis producunt. De fragrantia aromatum huius horti ecclesiæ dicitur Cantic. 6. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. Sancta enim ecclesia merito in bonis fidelibus areola aromatum dicitur, quia per uirtutum eius excellentiam, & sanctæ conuersationi pulchritudinem in illis glorioso nomine redolet Ecclesiastici 24. Ego quasi uitis frutificaui suauitatem odoris &c. De fructibus huius horti dicitur Cantic. 5. Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum id est operum suorum, quæ uelut poma delectabilia sunt & odorifera. Dicitur autem hortus conclusus id est undique clausus, non expositus bestiis, non auibus, non furibus, non hostibus. Et dicitur bis clausus propter duplicem clausuram, de qua dicitur Esa. 26. Vrbs fortitudinis nostræ syon Saluator, ponetur in ea murus secundum diuinitatem defendens, & muniens eam interius, & antemurale secundum humanitatem, uel antemurale, id est angelorum custodia qui muniant eam exterius. Consequenter ecclesia legitur etiam fons nominata. unde Cant. 4. dicitur fons signatus, & hoc duplici ratione. Primo propter abundantiam irrigantis doctrinæ. unde gloss. Cantic. 4. ecclesia fons dicitur, quia doctrina salutari abundat. unde proximos irrigat. Et signatus fons dicitur, quia spiritualis sensus indignis absconditur, & nulla incursione turbatur Esay. 56. Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. Secundo ecclesia dicitur fons, quia ex ea copia multarum salutarium aquarum in salutem redundat fidelium. Emanat quidem ab isto fonte primo

Fons

aquæ baptiſmi, a qua abluitur peccatum originale, ratione cuius dicitur Zacha. 13. Erit fons puteus domui Dauid, & habitatoribus in Hieruſalem in ablutionem peccatorum & menſtruatæ. Ceterum emanat aqua pœnitentię, qua abluuntur peccata actualia, ratione cuius dicitur Ioel. 3. Fons egrediebatur de domo domini, & irrigabat torrentem ſpinarum, id eſt peccatorum. Et dicitur fons ſignatus, quia ut ait Auguſt. in ſacramentis ipſis ſub tegmento rerum uiſibilium diuina uirtus ſecretius operatur ſalutem. Item nominata legitur puteus aquarum uiuentium. unde loco ſupra nominato ita ſubiungitur. Puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de libano. Appellatione autem putei eccleſia deſcribitur ratione profunditatis myſteriorum eius, unde gl. ſic dicit. Puteus dicitur propter occulta myſteria quæ ſolis ſanctis reuelatione ſancti ſpiritus panduntur. Et dicitur puteus aquarum propter diuina eloquia quæ de inuiſibilibus diuinæ gratiæ theſauris procedunt, cum in uitam æternam ducunt ſecundum illud Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ uiuæ ſalientis in uitam æternam quæ fluunt impetu, id eſt abundanter, pſalm. 45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, de libano id eſt a Chriſto, qui eſt candor lucis æternæ Sapien. 7. Ab ipſo enim fluunt omnia ſpiritualia dona. Ioan. 1. De plenitudine enim eius omnes accepimus.

Puteus

Cap. XXXIII. In quo rationes aſſignantur propter quas eccleſia appellatur Nauis, Domus, Ciuitas, & caſtrorum acies ordinata.

Eccleſia dicitur Nauis

CETERVM eccleſia Nauis legitur nominata, & hoc triplici ratione. Primo quia uirtutum mercibus & meritorum theſauris ampliſſimis atque præcioſiſſimis onuſta eſt, quibus filii ſui mercari poſſunt regnum cœlorum. ipſa ſola quippe eſt per quam ſacrificium dominus accipiet libenter, ſola eſt quæ pro peccatoribus intercedat fiducialiter, ut dicit beatus Grego. & habetur in. c. quia. xxiij. q. i. Præterea in ea ſola ſunt uerę uirtutes quibus adipiſcitur felicitas uitæ æternæ iuxta. c. omnes. §. ex his. xxviij. q. j. Propter hanc rationem de eccleſia dicitur Prouerb. ultim. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris. Secundo eccleſia rectè nauis appellatur, quia uehiculum eſt quo per mare huius ſeculi quantumcunque crebris uentorum flatibus, & aquarum fluctibus id eſt tentationum plagis, & uerberibus fatigetur fideles in ea contenti ad portum ſecuræ beatitudinis perducuntur. Cuius rationem aſſignans beatus Ambroſi. tractans illud Prouerb. 30. Tria ſunt mihi difficilia &c. ita in quodam ſermone dicit. Nauim eccleſiam debemus accipere in ſolo mundi huius conſtitutam, quæ & ſi undarum fluctibus, aut procellis ſæpe uexetur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium, quia in arbore eius ſcilicet in cruce Chriſtus erigitur, in puppe pater reſidet gubernator, proram paraclytus ſeruat ſpiritus, hanc per anguſta huius mundi freta duodecim remiges ducunt id eſt duodecim apoſtoli, & ſimilis numerus prophetarum. Item idem Ambroſi. in. c. non turbatur. xxiiii. q. i. Non turbatur nauis quæ Petrum habet, turbatur illa quæ Iudam habet. Tertio eccleſia rectè nauis nominatur, quia ſicut extra nauim ſiue archam Noe regnante diluuio nullus ſaluatus eſt, ita nullus extra eccleſiam omnino ſaluatur, ut extra de ſumma trini. & fide catho. c. i. Item Hieronym. in cap. quoniam uetus

xxiiii.q.i.dicit. Si quis in archa Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Et beatus Grego. in moral.& habetur in cap.quia ea causa,&.q. Ecclesia sola est quæ intra se positos ualida charitatis compage custodit. Vnde aqua diluuii archam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem quos extra archam inuenit extinxit. Et beatus August. in tractatu de catholica ueritate dicit sic. Nauicula id est Christi ecclesia in medio maris, uidelicet in mundo diu iactata est fluctibus, sed uexata non dissoluta aut submersa: quia ille imperauit uentis & mari qui eidem ecclesiæ se promisit usque in finem seculi affuturum quicunque ergo de huius maris fluctibus saluari desiderat, & in profundum abyssi æternam uidelicet perditionẽ demergi pauescit, teneat integrè, & inuiolabiliter fidei firmitatem. Ceterùm sancta ecclesia domus legitur nominata, & hoc ratione inhabitationis diuinæ in ea secundum illud psalm. xxv. Domine dilexi decorem domus tuæ,& locum habitationis gloriæ tuæ, ubi glo.August.ait. Domus Dei ecclesia est, decor huius domus sunt sancti. Item psalm. cxvii. Benediximus uobis de domo domini, gloss. id est de ecclesia catholica, de qua est baptismus, & omnis benedictio. De cuius domus dignitate fere beatus Ambro. in. c. quæ dignior. xxiiij.q. i. ita loquitur. Quæ dignior domus apostolicæ prædicationis ingressu quàm sancta ecclesia est, aut quis præferendus magis omnibus uidetur quàm Christus, qui pedes suis consueuit lauare hospitibus, & quoscunque sua recepit domo pollutis non patitur habitare uestigiis. Item de hac domo beatus Hiero.in.c.quoniam uetus.e.causa &.q.dicit sic. Quicunque extra hanc domum comederit agnum prophanus est. Et ad idem beatus Grego.in.c.quia ex sola.e.causa,& q.ita dicit. Vnde de agni hostia dominus præcepit scilicet. Exod.xij.d. In una domo comedetur nec efferetis de carnibus eius extra fores. In una nanque domo comedetur, quia in una catholica ecclesia uera hostia redemptionis immolatur. Vbi considerandum quòd diuersimode sancti & peccatores fideles dicuntur esse in hac domo Dei. Primi quidem ita sunt in domo domini, ut ipsi sint ipsa domus domini, & locus habitationis eius. Secundi uero licet sint in domo domini;non tamen dicuntur ipsa domus domini. Hanc differentiam notat beatus Hieron.aut potius August.in.c.omnibus.xxiiii. q. i. ita dicens. Omnibus consideratis puto me non temere dicere alios ita esse in domo domini, ut ipsi sint eadem domus domini, quæ dicitur ædificari super petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula, &c. Item beatus August. eandem differentiam existentium in domo domini assignans super psalm. xxv. dicit sic. Sunt quidam qui domum Dei habent, & nolunt gloriari: sed in se habent quidam domum Dei, sed non pertinent ad decorem domus Dei. in quibus habitat gloria Dei, ipsi sunt locus habitationis gloriæ tuæ. Et gloss.magistri ita dicit. Sancti qui sunt decor ecclesiæ, sunt locus habitationis gloriæ tuæ. De huius autem habitationis domo loquitur propheta psalm. cxxvi. Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborant qui ædificant eam. Super quo uerbo Augustin. ita dicit. Dominus ergo ædificat domum suam, laborant multi in ædificando? sed si non ille ædificet: in uanum laborant ædificantes eam. Qui sunt isti qui laborant ædificantes, omnes qui in ecclesia prædicant uerbum Dei ministri sacramentorum Dei, omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modo, & ante nos cucurrerunt, laborauerunt, ædificauerunt: sed nisi dominus ædificauerit domum in uanum la-

Domus

borant ædificantes eam, quæ autem domus Dei ipsa & ciuitas. Domus enim Dei populus Dei non solum qui modo sunt, sed & qui ante nos fuerunt & iam dormierunt, & qui post nos futuri sunt usque in finem seculi congregati in unum fideles innumarabiles sed Deo numerati, de quibus dicit apostolus. Nouit dominus qui sunt eius, & infra. Omnis numerus fidelium sanctorum ex omnibus commutandorum, ut fiant equales angelis qui modo peregrinantur, sed expectant nos quando à peregrinatione redeamus omnes simul unam domum Dei faciunt, & unam ciuitatem ipsa est Hierusalem. Item sancta ecclesia ciuitas sæpe legitur nominata, & hoc propter unitatem qua ad inuicem fideles sub eodem rege Christo & eadem fidei lege uiuunt. Dicitur enim ciuitas quasi ciuium unitas. Vnde ut ait Aug. lib. de ciuitate Dei. Ciuitas dicitur concors hominum multitudo. Et Grego. dicit xvj. moralium. Ciuitas a conuenientibus populis appellatur, de qua dicitur psal. xlvij. Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius, glo. i. ecclesia quæ sita est in monte sancto eius. Hæc est ciuitas quæ dicitur Math. 5. posita super montem, glo. i. Christum quem montem a fertilitate, & plenitudine gratiarum propheta pulchrè commendans dicit. Mons coagulatus mons pinguis, psalm. lvij. coagulatus, ut dicit glo. propter paruulos, quos lactæ tenerioris doctrinæ nutrit, & mons pinguis fertilitate sua propter maturos quos pane solidioris doctrinæ cibat. Item de hac ciuitate sequitur in psalm. inducto. In ciuitate Dei nostri Deus fundauit eam in æternum, glo. i. in catholica ecclesia Dei nostri dicit. Ne sibi hoc nomen compositus hæreticorum usurpet. Ne autem putetur hæc ciuitas temporalis, addit Deus fundauit in æternum eam, non ad horam sicut tabernaculum Moysi. Et August. super eodem loco sic dicit. Si forte ista ciuitas quæ mundum tenuit aliquando euerteretur, absit. Deus fundauit eam in æternum, si ergo Deus fundauit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum. Ceterum de laude huius ciuitatis ait propheta, psalm. lxxxv. Fundamenta eius in montibus sanctis, glosf. in prophetis apostolis ipso summo angulari lapide Christo Iesu, qui solus est fundamentum quod nemo mutare potest, ecce prior laus a fundamentis ut soliditas totius notetur ciuitatis. Sequitur laus de fama eius. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, quod ut dicit glosf. non accipiendum est de illa figurali quæ cecidit, sed de ista quæ per illam figurabatur. Ad gloriam etiam huius ciuitatis non parum facit quòd ad hanc ciuitatem non solum homines fideles, sed etiam angeli pertinent, sicut etiam parum ante ex Aug. super psalm. cxxvj. induximus, dicit enim idem Augu. lib. 10, de ciui. Dei. Nos & beati una ciuitas sumus Dei, cuius pars in nobis peregrinatur pars in illis opitulatur. Quare apostolus ad Eph. scribens dicit. Iam scilicet iuxta glosf. a tempore fidei susceptæ, non estis hospites, & aduenæ id est extranei a Deo, sed estis ciues sanctorum, id est in domo una cum sanctis, domestici Dei id est familiares Dei quibus arcana reuelat, ubi glosf. subiungit, quasi de Babylonia translati ad Hierusalem. Vbi notandum quòd duæ sunt ciuitates in hoc mundo coniunctæ corpore, sed diuisæ mente, una dicitur Hierusalem, alia Babylonia. una est ciuitas Dei, alia diaboli, quas ciuitates, ut dicit Augustin. duo amores constituunt. Hierusalem facit amor Dei. Babyloniam amor seculi. Dicitur autem ciuitas Dei quasi ciuium unitas, in qua rex est ueritas, lex charitas eius iudicia equitas, ciuium conuersatio honestas, populi congregatio concordia, & unitas, mores inhabitantium

Ciuitas

tantium

tantium bonitas, benignitas, misericordia, pietas, sobrietas, castitas, patientia, humilitas, & aliarum uirtutum decor & sanctitas. Ciuitas diaboli est de qua propheta ait. Quoniam uidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate die ac nocte: circundabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia, & non defecit de plateis eius usura, & dolus. uidi iniquitatem ad Deum, contradictionem ad prælatum, labor in medio eius in acquisitione terrenorum, iniustitiæ ad proximum, usura in repetitione ultionis, & uindicta iniuriarum, dolus in fraude circumuenientium. Hæc autem ciuitas Dei in quadro sita esse dicitur Apocalip.xxi.quoniam ut dicit gloss. Latera huius ciuitatis quattuor sunt fides, spes, charitas, & operatio, quæ equalia sunt: quia quantum quis credit, tantum sperat: quantum sperat, tantum diligit: quantum diligit, tantum operatur, in quadro: ergo posita dicitur, quia robusta est fide, longanimis in spe, ampla charitate, efficax in operatione. Præterea ecclesia Dei sancta inuenitur mystica significatione nominata castrorum acies ordinata, quo nomine ideo appellata est, quia fortissima & insuperabilis est uirtute, de qua Cant. 6. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Castra Dei, sancti Dei, sunt charitate ordinati, quibus tanquam militibus Christi, & propugnatoribus fidei munitur, protegitur, & defenditur ecclesia, de quibus dicitur Zacha. 9. Circundabo domum meam id est ecclesiam, ex his qui militant mihi, uidelicet doctoribus, prælatis, ac principibus ecclesiæ, qui eam defendendo Christo militare perhibentur. Vnde apostolus Thimo. scribens ait. Labora sicut bonus miles in prædicando euangelium contra hostes. 2. Thim. 2. Huius autem hostes ecclesiæ plurimi, & uarii sunt, contra quos huiusmodi Christi militiam siue castrorum multitudinem in unam ordinat aciem mater omnium uirtutum charitas, cuius officium est aliarum uirtutum exercitium ad finem dirigere optimum. Iudæi quidem impugnant Christi incarnationem, hæretici scripturarum ueritatem, tam hi quam illi impugnant Christi fidem. Scismatici obedientiam, & ecclesiæ unitatem. Sarraceni, & pagani ecclesiasticam pacem. Tyranni, & mali principes ecclesiæ libertatem. Falsi fratres charitatem. Contra iudæos, & hæreticos opponit doctores sanctos, aperiens eis sensum, ut intelligant scripturas, quibus ait Luc. 21. Ego dabo uobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarii uestri. Contra scismaticos opponit sanctorum communionem, regimen prælatorum, & obedientiam subditorum. Vnde Iudicum.xx. de filiis Israel exeuntibus ad bellum dicitur. Egressi itaque sunt omnes filii Israel, & pariter congregati quasi uir unus, quia illis erat cor unum, & anima una ad expugnationem inimicorum. Contra paganorum, & sarracenorum uiolentiam gladium materiale, ut in cap. quando. xxiii. q. iiii. dicit August. Contra tyrannos, & falsos fratres gladium opponit spiritualem qui etiam contra hæreticos, & scismaticos exercetur, ut compellantur intrare iuxta.c. quod facit ecclesiæ medicina. xxiii. q.iiii. Cum autem ecclesia duos habeat gladios, de quibus in euangelio dominus ait. Sufficit unus scilicet spiritualis qui exercendus est a prælatis, alius a principibus, & militibus Christianis. De quibus duobus gladiis habetur in.c. auctoritatem.xxv. q.vi. & .xxiii. q.viii §.i. quorum unus eximitur officio prælatorum, alius nutu eorum. Vnde Bernardus ad Eugenium papam, de gladio materiali ait dominus Petro. Conuerte gladium in uaginam, tuus

Acies &c.

ergo & ipſe forſitan tuo nutu, & ſi non tua manu euaginandus uterque gladius tuus eſt: ſed is quidem ab eccleſia, ille pro eccleſia exercendus eſt. ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis, ſed iuſſu imperatoris. hinc dicitur in.c.ab imperatoribus.xxiii.quæſt.iiii. Ab imperatoribus uniuerſis iuſtum eſt auxilium poſtulandum propter afflictionem pauperum quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur eccleſia, ut defenſores eius aduerſus potentiam diuitum cum epiſcoporum prouiſione delegentur. Hæc autem caſtrorum ſiue militum acici eccleſiaſticæ irrefragabilis uirtus, & inſuperabilis fortitudo pulchre etiam exprimitur. Cantic. 3. ubi dicitur. En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Lectulus Salomonis id eſt Chriſti qui eſt pax noſtra, ad Ephe. 2. ipſa eſt ſancta eccleſia, quæ locus eſt habitationis gloriæ ſuæ pſalm. xxvi. Sexaginta fortes, id eſt uniuerſi doctores ſancti & uiri perfecti. Senarius enim numerus perfectus eſt. Fortes maxime ad hoſtes uiriliter expugnandum. Ambiunt inquam lectulum id eſt ſanctam eccleſiam, ut hoſtium incurſus coerceant, & ſponſus, & ſponſa in lectulo contemplationis quiete dormiant, iuxta illud Canticorum tertio. Adiuro uos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam meam ſponſam a ſomno, & quiete contemplationis. Ex fortiſſimis Iſrael id eſt patriarchis, & prophetis ac apoſtolis aliisq; iuſtis fide uera, & contemplatione perſpicua Deum uidentibus. Tenentes gladios, quorum unus eſt uerbum diuinæ ſcripturæ, de quo ad Ephe. 6. Gladium ſpiritus quod eſt uerbum Dei. Secundus eſt gladius iudiciariæ poteſtatis, de quo ad Roma. 13. Non ſine cauſa gladium portat, gloſſ. i. habet iudiciariam poteſtatem, Dei enim miniſter eſt. Et ad bella doctiſſimi,& ita neceſſe eſt,quoniam ut ait Apoſtolus ad Eph. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem,ſed aduerſus principes & poteſtates aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.

Cap. XXXIIII. De rationibus propter quas eccleſia dicatur Regnum, & de. xii. quibus gloria magnificentiæ regni eccleſiæ declaratur.

Eccleſia dicitur regnum

NOMINATVR inſuper eccleſia Regnum, & hoc quia in ea Chriſtus rex regum, & dominus dominantium per fidem regnat de quo regno Eſay. 9. ſic propheta loquitur. Super ſolium Dauid, & regnum eius ſedebit, gloſſ. i. ſuper eccleſiam, quæ ſignificata eſt per regnum Dauid. Item de hoc regno angelus ad uirginem de filio ſuo loquens ita dicit. Et regni eius non erit finis,gloſſ. Regnabit in domo Iacob in æternum id eſt in tota eccleſia, quæ per fidem, & per confeſſionem Chriſti ad patriarcharum pertinet ſortem. Hoc præterea regnum notat apoſtolus cum de Chriſto loquens ait ad Corint. 15. Cum tradiderit ſcilicet Chriſtus regnum Deo, & patri &c. Super quo uerbo dicit gloſſ. Fideles quippe eius quos redemit ſanguine ſuo, dicti ſunt hic regnum eius, cuius regnum etiam eſt omnis creatura, ſed aliter dicitur regnum Chriſti omnis creatura: aliter eccleſia. Regnum Chriſti dicitur omnis creatura, ſecundum poteſtatem deitatis. Eccleſia uero ſecundum proprietatem fidei, quæ

Lucæ.1.

in illo

in illo est, & per quam regnat in ipsis fidelibus. Ceterum quòd ecclesia regni nomine designetur aperte ipsa testatur euangelica hystoria, in qua sæpe numero regnum cœlorum nominatur, sicut patet Math. 13. ubi Grego. in homelia de uirginibus ita ait. Sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis ecclesia dicitur, de quo & in alio loco dominus dicit. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt quæ colligantur. Vbi notandum quòd. xii. sunt quæ regnum aliquod gloriosum efficiunt, quæ cum in regno de quo loquimur, præcipue fore monstrabimus, gloria magnificentiæ regni ecclesiæ clarius elucescet. Primum est. Si regnum sit recta institutione fundatum, ut uidelicet non uiolentia, non fraude, seu aliqua quacunque arte iniqua acquisitum, sed legitima auctoritate stabilitum fuerit. Quemadmodum regnum Israel in quo populus non per se regem instituit sed a Deo, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, & omnium potestates. Regem super se institui legitur postulasse. i. Reg. 10. Hanc regni bonam conditionem ecclesiæ regnum habet quod ab ipso summo Deo omnium regum principe, & domino constitutum est, & fundatum. Vnde de hoc regno sub nomine ciuitatis dicitur, psal. lxvi. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, gloss. Hic propheta re sumit uerba. q. d. Gloriosa dicta sunt de illa ciuitate, & hoc etiam miraculum accidit in ea, quòd homo natus est in ea, & fundauit eam altissimus, & infra. Christus est fundamentum illius ciuitatis, qui secundum quòd est homo est in ea natus, & ipse idem altissimus, id est Deus fundauit eam. Secundum quod regnum efficit gloriosum, est quòd sit origine antiquum, unde eos nobiliores, & magis gloriosos appellamus quorum nobilitas ex parentibus ab antiquo probitate clarissimis originem traxit. Hæc nobilitatis gloria in regno ecclesiæ magis fulget, cum omnia alia regna terrena præcedat, quippe ab ipso humani generis principio ex quo iusti, & sancti inceperunt esse in terra exordium habuit, ut in superioribus ostendimus circa cap. xxii. ubi de antiquitate ecclesiæ sermo habitus est. Tertium quod regnum efficit gloriosum est. Si amplitudine terrarum, si multitudine populorum, & prouinciarum numero latum sit & profusum, quia ut dicitur Prouerb. 14. In multitudine populi dignitas regis. Hanc gloriæ conditionem habet regnum ecclesiæ quod longe lateq; diffusum est usque ad fines orbis terrarum. De cuius regni amplitudine dicitur psalm. lxxi. Dominabitur a mari, usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum, ubi gloss. sic ait. Hic ostendit propheta quæ sit amplitudo regni. Dominabitur a mari, id est a quolibet fine terræ, usque ad mare id est usque ad quemlibet finem terræ diffundetur tam late dilatabitur ecclesia. Et a flumine scilicet iordanis dominabitur, ubi uox patris intonuit super Christum. Hic est filius meus dilectus, inde ergo doctrina eius cœpit, inde auctoritas magisterii dilatatur. Vsque ad terminos orbis terrarum, prædicato euangelio Christi regni. inde regula baptismi per totum mundum manauit, hæc gloss. De cuius regni dilatatione sanctus Daniel propheta ita dicit. Dedit ei, scilicet pater filio potestatem, & honorem & regnum, & omnes populi, & tribus, & linguę seruient ei. Dan. 7. Quartum quod regnum efficit gloriosum est, quòd sit decentissime ordinatum. multitudo enim sine ordine plus habet confusionis quam

Regnum efficitur gloriosū per.12.

decoris. Ordo autem regni in hoc consistit, ut sint in eo diuersi gradus hominum, distincti status dignitatum, & uaria distributio officiorum secundum quòd reip. ipsius regni utilitati expedit pariter, & decori. Hæc gloriæ conditio maxime splendet in ipso ecclesiæ regno, quod sapientissimè ac decentissimè in omnibus & singulis ordinatissimum est quę enim a Deo sunt, ordinata sunt, ad Roman. 13. De ordine autem in ecclesia constituendo ita per Esa. loquitur Deus. Ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphyris. Esa. 54. Et propheta, psalm. cxliiii. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, gloss. Dicent scilicet quantum potenter & mirabiliter facis quicquid facis & disponis in regno. Et infra etiam Propheta subiungit. Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui, gl. Post potentiam commendat decorem regni. Habet illud regnum decorem cui magnifico nihil comparetur. Commemorandum est etiam, quòd huius ordinis gratia regnum ecclesiæ in superiori.c. Castrorum acies ordinata appellatum est, quanta autem necessitate, & qua forma ordo in ecclesia seruandus est, habetur in.c. singula, & in.c. ad hoc. lxxxix. distin. Quintum quod regnum gloriosum efficit est quòd sit uinculo dilectionis, & concordiæ in populis suis unitum, plane omne regnum in se diuisum desolabitur, ut testatur ueritas ipsa Luc. 11. & ut ait Salustius, concordia minimę res crescunt; discordia maximę dilabuntur. Hæc autem conditio gloriosi regni præcipue refulget in regno ecclesiæ, quod unitum est uinculo multiplici scilicet fidei, spei, & charitatis, ac unius spiritus inhabitantis in totum corpus ecclesiæ, de quibus in superioribus circa ca. vi. amplissime dictum est. & Hierem. 32. dicit dominus. Dabo eis cor unum, & animam unam, unde de primis regniculis huius regni pro statu gratiæ dicitur Act. 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Sextum quod regnum reddit gloriosum est, si sit quietum pacem cum exteris habens, sicut de regno Salomonis in eius laudem dicitur, quòd habebat pacem ex omni parte in circuitu. 3. Reg. 4. Hac gloria & regni conditione claret regnum ecclesiæ: licet quandoque careat pace temporis: pace tamen semper gaudet pectoris peruentura tandem ad pacem æternitatis. pax quidem multa diligentibus legem tuam, inquit Propheta, psal. cxviii. & propheta Esai. Sedebat populus meus in pulchritudine pacis in tabernaculis fiducię & in requie opulenta Esa. 32. Septimum quod regnum efficit gloriosum est, quòd diuitiis, & bonis sit copiosum. Hæc autem conditio gloriæ potissime reperitur in regno ecclesiæ, quod copiosum in bonis spiritualibus est, quæ uere diuitiæ sunt, dicente Greg. Solę diuitiæ uerę sunt, quæ nos uirtutibus diuites efficiunt. Et Bern. eidem sententiæ alludens dicit. Veræ diuitiæ non opes sunt, sed uirtutes quas conscientia portat, ut in perpetuum diues fiat. Vnde de hac diuitiarum copia regni dicit propheta, psalm. cxii. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi, glo. hæc est gloria eius, hæ sunt diuitiæ eius. Et apostolus ad Ephe. 1. Secundum diuitias gratiæ eius quæ superabundauit in nobis. Octauum quod regnum reddit gloriosum est, si sit forte & insuperabile sit ab aduersariis. Hæc plane conditio gloriæ est in regno ecclesiæ, cui dominus pollicetur. Math. 16. Et portę inferi non præualebunt aduersus eam. Hinc dicit psal. 12. Regnum eius omnibus dominabitur. Ecclesiæ quippe regnum oppugnari potest quidem sed expugnari non potest: immo impugnationibus crescit. hoc quippe ecclesiæ

In catilinario

ecclesiæ proprium est, ut dicit beatus Hilarius de tri. li. vij. quòd dum persequitur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit; dum læditur uincit; dum arguitur, intelligit; tunc stat, cum superari uidetur. Nonum quod regnum gloriosum reddit est, si sit optimis legibus, & consuetudinibus regulatum, quia ut inquit Aug. Quid aliud regna sunt sine iustitia, nisi latrocinia quædam. Hæc conditio gloriæ regni maxime floret in ecclesiæ regno quod sacratissimis legibus, & ornatissimis moribus uiuit, & gubernatur, de quibus Eleazarus. 2. Mach. 6. inquit. Prompto animo ac fortiter pro grauissimis, & sanctissimis legibus honesta morte persungar, &c. seq. Parati sumus mori magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Ratio quia lex domini immaculata, gl. i. irreprehensibilis, conuertens animas id est sua districtione corrigens, & ad Christi gratiam mittens. Et infra. Pręceptum domini lucidum illuminans oculos id est interioris hominis aspectum, dicit gl. De legum uero ecclesiasticarum sanctimonia habetur dist. x. ubi in c. non licet, sancta synodus sexta ita inquit. Non licet imperatori uel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata præsumere, nec quicquam quod euangelicis, propheticis, aut apostolicis regulis obuiet, agere. Decimum quod regnum efficit gloriosum est, si regem habeat multum nobilem sapientem potentem ac uirtutibus clarum. unde Eccl. 10. dicitur. Beata terra cuius rex nobilis est, & Eccle. 10. dicitur. Rex insipiens perdet populum suum. Plato etiam illas respublicas dicit esse beatas, si eas uel studiosi sapiẽtiæ regerent, uel earum rectores sapientiæ studuisse contigisset. & Seneca in quadam epistola. Inter homines antiquiores optimus aliorum rector eligebatur. Ideoq; summa felicitas erat gentium in quibus non poterat esse potentior nisi melior. Hac gloria regni potissime relucet regnum ecclesiæ, quæ regem habet Christum, qui est rex magnus super omnes Deos ps. ciiii. Qui est rex regum, & dominus dominantium. 1. Thimo. 5. qui cum sit Deus sublimis infinitę bonitatis. Ipse etiam est per quem ceteri reges regnant, & legum conditores iusta decernunt Prouerb. 8. quare sanctus Dauid rex ita orat ad ipsum. 1. Paralip. 29. Tuum est domine regnum, & tu es super omnes principes tuæ diuitiæ sunt, & tua gloria, tu dominaris omniũ. Vndecimum quod regnum reddit gloriosum est, si sit multis nobilibus ciuibus, principibus, ac baronibus populatum. Hac gloriæ regni conditione maxime splendet regnum ecclesiæ cuius omnes ueri regnicolę illa nobilitate clarent qua nulla apud Deum maior est, quæ est clarum esse uirtutibus, de quorum præeminentia nobilitatis testis egregius est beatus Ioan. ita dicens. Fecit nos regnum, & sacerdotes Deo & patri suo. Apocal. 1. Plane electi sunt reges, ut dicit gloss. qui carnem domant, spiritum roborant. Sacerdotes uero quia seipsos in ara cordis Deo placentem hostiam offerunt, ut ait Crisog. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis qui bene sedet super cathedram, distin. xl. cap. Multi. Item Apocal. 5. inquit idem beatus Ioan. Fecisti nos Deo nostro regnum, id est reges & sacerdotes. Magna ergo est nobilitas, & gloria regni ecclesiæ, in quo omnes ueri regnicolę reges sunt, & sacerdotes. Vnde psalm. lxxi. Adorabunt eum omnes reges, gloss. hic ostendit propheta, quæ sit familia regis. Præterea de hac maxima, & clarissima nobilitate regni ecclesiæ, apud beatissimum Petrum illustre habemus testimonium, qui quibusdam qui iam per fidem incorporati erant regno Christi ita scribit. Vos estis genus electum, regale sacer-

1.Petri.2. dotium, gens sancta populus acquisitionis. Vos estis genus electum, quia per baptismum sancti estis facti filii Dei adoptiui.& per consequens de genere ipsius Dei, secundum illud Act.17.Genus autem Dei sumus, regale sacerdotium,dignitate scilicet unctionis, & excellentia. Gens sancta id est a peccatis mundata, populus acquisitionis, quia pretioso Christi sanguine redemptus. Amplius etiam in hac parte regnum ecclesiæ, ostenditur nobilitate multa præclarum eò quòd non solum electos homines comprehendit, sed etiam ipsos angelos sanctos qui & natura, & sanctitatis nobilitate clarissimi dinoscuntur. una enim ciuitas, & unum regnum Dei ex sanctis Angelis, & hominibus compactum consurgit, ut dicit August. 1. de ciui. Dei, & super psalm. cxxvi. Duodecimum quod regnum gloriosum efficit est, si sit semper permansurum siue durabile semper ac perpetuum. Hac gloriæ conditione regnum ecclesiæ, super omnia alia regna singulariter gaudet. Vnde propheta de eo loquens ait. Regnum tuum regnum omnium seculorũ, &c. psalm.cxliiij.ubi dicit glo. Hic propheta laudat regnum de perpetuitate, &
Daniel.2. dominationis effectu. De hoc etiã regno Daniel sanctus ait.Suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur,& Luc.1.dicitur. Regni eius non erit finis. Licet ergo præsens seculum consummandum ueniat,peregrinatioq; nostra finem sit habitura: regnum tamen ecclesiæ in sempiternum erit, perducetur quippe siue transferretur in cœlum. Vnde apostolus.1.ad Cor.15. inquit. Deinde finis cum tradiderit regnum Deo & patri,gl.i. cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei patris, ubi est finis omnium & requies sempiterna, & gaudium, tunc fulgebunt iusti, sicut Sol in regno patris eius,regnum fulgebit in regno cum regis uenerit regnum, quod nunc oramus cum dicimus. Adueniat regnum tuum, hæc gl. Et Ambrosius super Lucam de hoc regno sub nomine ciuitatis ita loquitur.Ecce ciuitas quæ uiuit in æternum,quia mori nescit.ipsa enim ciuitas Hierusalem nunc uidetur in terris, sed rapietur supra Helyam:Helyas unus fuit, transferetur supra Enoch cuius mors non inuenitur. ille enim raptus est ne malitia mutaret cor eius: hæc autem diligitur a Christo quasi sponsa gloriosa sancta, & immacu lata sine ruga,& quanto melius totum corpus assumetur quasi unus assumptus est, hæc enim est spes ecclesiæ, rapietur profecto assumetur transferretur ad cœlum, ecce curru igneo raptus est Helyas rapietur ecclesia, non
Thess.4. mihi credis crede, uel Paulo in quo Christus locutus est. Rapiemur inquit in nubibus obuiam Christo in aera, & ita semper cum domino erimus, hæc Ambrosi.

Cap. XXXV. De rationibus propter quas ecclesia dicta est tabernaculum,& templum Dei.

Ecclesia dicitur taberna-culum. AMPLIVS etiam ecclesia legitur nomine tabernaculi descripta. Vnde Apoc.21.Ecce tabernaculum Dei, cum hominibus & habitabit cum eis,& ipsi populus eius erunt & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Dicitur autem ecclesia tabernaculum pro conditione status præsentis uitæ qui status est status militiæ. Iob.vii. Militia est uita hominis super terram,& peregrinationis, quia dum uiuimus in hoc mortali corpore peregrinamur a domino.2.ad Cor.5.De quo tabernaculo ps. xxx. sic dicitur. Proteges eos in tabernaculo tuo. Super quo uerbo beatus August. ita dicit.

Quid

Quid est tabernaculum nisi ecclesia huius temporis, quæ tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur. tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Et super illud psal.cxxxi. Donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob, dicit sic. Quanquã aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei,& domus Dei, tabernaculum Dei: distinctius tamen accipitur tabernaculum ecclesia secundum hoc tempus, domus autem ecclesia cœlestis Hierusalem quò ibimus. Tabernaculum enim tanquam militantium, & pugnantium, tabernaculum militum? in procinctu in expeditione. unde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes, quamdiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus tabernaculum Dei facimus: cum autem transierit tempus pugnę,& uenerit pax illa quæ præcellit omnem intellectum sicut dicit apostolus. Cum uenerit illa patria iam domus erit, nullus aduersarius tentabit, ut tabernaculum uocetur, non procedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? Beati qui habitant in domo tua domine in secula seculorum laudabunt te. Hæc Aug. Vbi considerandum quòd dominus præcipiens sibi tabernaculum materiale fieri per quod hoc tabernaculum militum Christi designatur iussit, ut colligitur in li.Exo.in.c.xxvi.decem cortinas fieri ex quattuor præciosis coloribus quarum unaqueq;.xxviii.cubitorum in longitudine, & quattuor esset in latitudine,& ut fertur byssum habebant in stamine iacinctum purpuram,& coccum bistinctum in subtegmine. Cortinę sanctos, & perfectos in ecclesia significant, qui tanto liberius contemplationi creatoris inseruiunt quanto amplius ab huius mundi amore se remouent. Decem sunt, ut eorum perfectio notetur, denarius enim numerus perfectus est. Cortinę quattuor coloribus ornantur, quia sancti perfectione uirtutum iuxta doctrinam quattuor euangeliorum decorantur habentes pro bysso retorta mentis, & corporis continentiam, pro purpura regalem contra uicia potentiam, pro iacincto erectam ad superna intentionem, pro cocco bistincto perfectam Dei,& proximi dilectionem. longitudo cortinarum.xxviii.cubitorum longanimem ecclesiæ significat patientiam,& custodiam. hic enim numerus, septenario per quaternarium multiplicato, efficitur. septenarius requiem significat ad quã ecclesia per fidem,& custodiam quattuor euangeliorum, & exercitium principalium uirtutum patienter festinat. latitudo quattuor cubitorum, amplitudinem dilectionis ad quam per quattuor euangelia & uirtutes tendit insinuat. Non est autem prætermittendum, quòd in illo tabernaculo antiquo erãt.s.Altare in quo sacrificium offerebatur. Mensa propositionis super quã xii.panes erant propositi. erat candelabrum in quo.vii. lucernæ superpositæ erant ad lucendum, ut habetur Exod. 25. Altare habet ecclesia, id est pura corda animos Deo consecratos in quibus sacrificium deuotionis acceptissimum incessanter Deo offertur, de quo psal.l.Sacrificium deo spiritus contribulatus cor contritum,& humiliatum Deus non despicies. Mensa.12.panum doctrinam figurabat.xii.apostolorum qui omnibus intrantibus tabernaculũ ecclesiæ cibum administrant satietatis æternæ. Candelabrum uero cum septem lucernis, uniuersitas est prælatorum prædicatorum & doctorum, qui cum splendore sapientiæ ignem ardoris diuini habentes alii lucent charitate, & doctrina uerbi & exempli, quibus dicitur Mat. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, &c. Vnde de beato Ioan-

re baptista dicitur Ioan.5.quòd erat lucerna ardens,& lucens. Ardens inquam,ut dicit gl.spiritu charitatis. Lucens,lumine ueritatis. Ceterum ecclesia templum legitur appellata. unde.i.ad Corinth.3.Templum Dei estis uos,& spiritus Dei in uobis habitat. Et infra. Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Et hoc duplici ratione. Tum propter similitudinem ædificii templi Salomonis, in quo figuratum est templum Dei,quod est ecclesia. Fuerunt autem in templo primo lapides, cementum, ligna cedrina, & aurum. Lapides fideles designant, qui sunt lapides uiui electi perfecti. unde construitur templum domini. Cementum uero est charitas ipsa, quæ unit conglutinat ac connectit Christi fideles adinuicem,de quo psal. xliiii. dicitur.Adducentur regi uirgines.i.pudicæ mentes fidelium in templum regis. Super quo beatus Augustinus ita loquitur.Templum regis ipsa est ecclesia. Vnde constituitur templum? de hominibus qui intrant templum regis. Lapides uiui, qui sunt nisi fideles? Adducentur in templum regis, &c. Et infra de cemento sic loquitur.In unitate est templum regis,non est ruinosum,non decisum,non diuisum. Iunctura lapidum uiuentium charitas est.hæc Aug. Ligna autem cedrina.i.odorifera, sunt exempla sanctæ conuersationis, quibus ipsa ecclesia in sanctis suis miram dat suauitatem odoris. Aurum est sapientia diuina qua ipsa rutilat, & splendet in animis iustorum,& præcipue sanctorum doctorum, quibus dicitur ad Phil.2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo uerbum uitæ continentes. Præterea quòd septem annis ædificatum est templum, & octauo dedicatio eius instituta est, significat quia per hoc totum tempus, quod septem diebus uoluitur structura ecclesiæ crescit. dedicatio uero octaui anni festiuitatem designat cœlestis patriæ. Secundo ecclesia dicitur templum domini eò quòd in ea cultus diuinus peragitur, in ea quippe oratur,& adoratur Deus uerus.Vnde propheta. Introibo in domum tuam adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo, psal.5.Et iterum.Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.In hoc solo templo est uerus Dei cultus,cum extra catholicam ecclesiam non sit locus ueri sacrificii,ut dicit Aug.in.c.Extra.i.q.i. Et idem Aug. super psal.cxxx.ita ad propositum dicit.Quisque enim præter templum Dei orauerit,non exaudietur ad illam pacem supernam Hierusalem, & si exaudiatur ad quædam temporalia quæ Deus etiam paganis donauit:nam & ipsi dæmones exauditi sunt,ut irent in porcos.exaudiri ad uitam æternam aliud est, nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. ille autem in templo Dei orat qui orat in pace, in unitate corporis Christi,hæc Aug.Vbi insuper considerandum circa hoc uenit quòd sicut Damasce. dicit.iiii.lib. quia ex duplici substantia compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili: duplicem adorationem Deo offerimus in hoc sancto templo suo scilicet spiritualem quæ consistit in interiori mentis deuotione,de qua apostolus.i.ad Corin.14. Orabo spiritu, orabo & mente. Et Ioan. 4. Veri adorantes adorabunt patrem in spiritu, & charitate. Et corporalem adorationem, quæ consistit in corporis humiliatione, sicut est genuflexio, & alia huiusmodi signa corporalia, quæ interioris hominis deuotionis signa sunt, & testimonia. Hic autem duplex cultus quo in templo Dei colitur Deus, figur[illegible]us est in duobus altaribus, quæ fuerunt in templo materiali Salomonis. Vnum fuit intra sanctuarium, quod dicitur altare incensi, in quo adolebatur timiama, per quod designatur suauitas deuotionis, ascensus mentis

Templũ

mentis ad Deum per orationem, & ardentissimam cupiditatem diuinæ uisionis, de qua psalm. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietū psalm. lxv. gloss. Holocausta id est meipsum cum medulla intimi amoris, intus enim mihi charitas est non in superficie. Cum incenso, id est cum oratione. Arietum id est cum apostolis qui sunt duces gregis, & maxime orant deuotissime pro grege. Aliud altare legitur fuisse in templo in quo immolabantur animalia, quod erat in atrio, per quod significatur sacrificium bonę actionis, sicut est maceratio & castigatio carnis, ieiunia, uigilię, genuflexiones, & alia sancta exercitia, de quibus dicitur ad Rom. 12. Obsecro itaque fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem sanctam Deo placentem. Corpora uestra, gl. non tantum mentes, sed etiam corpora, licet caro repugnet. Offeratis hostiam in mortificatione carnalium desideriorum. Viuentem per bona opera. Sanctam. s. in Deo firmam. Deo placentem, ut bona intentione faciatis.

Cap. XXXVI. De rationibus propter quas ecclesia dicatur Mulier, Amica, & Columba, Perfecta, Soror, & Filia.

PRÆTEREA ecclesia Mulier legitur nominata, & hoc ratione duplici. Primo ratione aptitudinis ad fœcunditatem. Prouer. ult. Mulierem fortem quis inueniet, glo. interlin. i. ecclesiam filios Dei generantem. Item alia gl. Mulier fortis sancta ecclesia est. Mulier, quia ex aqua & spiritusancto Deo filios spirituales gignit. Fortis quia cuncta aduersa uel prospera seculi pro Dei amore contemnit. De qua ecclesia Ioan. in Apoca. cap. xii. ita loquitur. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius & in cap. eius corona stellarum. xij. & in utero habens, & clamat parturiens & cruciatur ut pariat. Mulier id est ecclesia. Amicta Sole. i. Solis protectione munita siue a sole illuminata. unde glo. Amicta Sole induit Christum qui eam illuminauit. Luna sub pedibus eius quia præsentis uitæ prospera despicit & aduersa Dei protectione munita equanimiter tolerat. In capite eius corona. xii. stellarum dicitur fuisse, quia primitiuam ecclesiam. xii. apostoli uelut stellę iuxta gloss. in huius mundi nocte lucentes adornauerunt, quia spiritusancto disponente nec plures, nec pauciores sunt electi, quia duodenarius numerus perfectus est. Huius perfectio arithmeticis & diuinis rationibus comprobatur. In utero habens, & clamat parturiens & cruciatur ut pariat, quod eo dicitur iuxta glo. quia cupit alios generare. Secunda ratio quare sancta ecclesia mulier nuncupata legitur, est propter similitudinem formationis suæ cum prima muliere. De formatione autem primę mulieris ita Gen. 2. c. scriptum legimus. Ædificauit dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem. quod uerbū pertractans, beatus Aug. super psalm. sic dicit. Quando dormiuit in cruce Christus signum gestabat immo implebat quod significatum erat in Adam, quia cum dormiret Adam, costa illi detracta est, & Eua facta, & dominus cum dormiret in cruce, lancea latus eius percussum est, & sacramenta fluxerunt unde facta est ecclesia. Et ad idem est gl. Gen. 2. & ad Eph. 4. & beatus Amb. super Luc. lib. 2. Mater ergo uiuentium est ecclesia, quam ædificauit Deus ipso summo angulari lapide Christo Iesu in quo omnis structura compagina-

Ecclesia dicitur mulier

ta crescit in templum. Veniat ergo Deus ædificet mulierem illam adiutricem quidem Adæ hanc uero Christi, non quia Christus adiumentum requirit, sed quia nos quærimus, & desideramus ad Christi gratiam per ecclesiam peruenire, & nunc ædificatur, & nunc formatur, & nunc mulier figuratur, & nunc creatur, & adeo nouo uerbo usa est scriptura quia superædificamur super fundamentum apostolorum.xii.& prophetarum & nunc domus spiritualis consurgit in sacerdotium sanctum. Veni domine Deus ædifica mulierem istam, ædifica ciuitatem, ueniet & puer tuus, tibi enim credo dicenti, ipse ædificabit ciuitatem mihi, ecce mulier omnium mater: ecce domus spiritualis, ecce ciuitas quæ uiuit in æternum quia mori nescit, ipsa est ciuitas quæ nunc uidetur in terris, sed rapietur in æternum supra Helyam, Helyas enim unus fuit sed transferetur supra Enoch cuius mors non inuenitur. Ceterum ecclesia legitur amica Dei nominata, & hoc propter singularitatem affectus quo ipsam ecclesiam Christus complectitur. unde Cantic.4. dicitur, Quam pulchra es amica mea. Item ibidem. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. De amoris uero magnitudine quo Deus ipsam ecclesiam diligit, dicitur Zach.1. Zelatus sum Hierusalem zelo magno. Et apostolus ad Eph.5. inquit. Diligite uxores uestras sicut Christus dilexit ecclesiã, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, glo. iustitia bonę uitę, plane maiorem dilectionem hac nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. xv. De hac magnitudine amoris Christi ad ecclesiam dicit Criso. Charior est ecclesia Deo quàm cœlum. non enim ecclesia propter cœlum sed propter ecclesiam cœlum est. Et Bern. super Cant. Denique non propter animam unam, sed propter multas in unam ecclesiam colligendas, in unicam astringentes sponsam Deus tam multa, & fecit, & pertulit, & operatus est salutem in medio terræ. Charissima illa est una uni non adhærens alteri sponso, quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? quid non ab illo speret qui se quæsiuit e cœlo, uocauit a finibus terræ, nec modo quæsiuit, sed acquisiuit: adde & de modo acquisitionis in sanguine acquisitoris. Item ecclesia legitur nominata columba Cant.5. Amica mea columba mea. Item Cant.6. Vna est columba mea, & hoc quia spiritussancti donis est singulariter illustrata. De cuius columbæ decore dicitur in psa. lxvij. Pennę columbæ deargentatę, & posteriora eius in pallore auri. Pennę eius sunt doctores ecclesiæ, ut dicit gl. per quos exaltatur ecclesia, & super uolat ad alta quorum prædicatione in cœlum fertur gloria ecclesiæ. Dicuntur autem pennę ecclesiæ deargentatę, quia est diuinis eloquijs erudita. per argentum enim diuinum eloquium designatur, secundum illud psal. xi. Eloquia domini eloquia casta. i. sine corruptione aliqua, argentum igne examinatum, gl. Argento autem comparatur diuinum eloquium, quia sicut inter omnia metalla nihil est, quod dulcius tinniat argento: ita inter omnia eloquia sermo diuinus dulcius insonat menti. Posteriora huius columbæ dici possunt ultima tempora ecclesiæ, quæ erunt in resurrectione communi quæ in specie auri splendebunt immo incomparabiliter supra aurum, secundum illud Math.13 Fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum. Verum licet in superioribus circa.c.vi. plura dixerim de unitate ecclesiæ, non est inutile aliqua in hoc loco de unitate ecclesiæ addere, maxime quia hinc illa specialis capitur auctoritas, cum dicitur. Vna est columba mea. Est ergo notandum quòd columba id est ecclesia dicitur una multipliciter. Est enim una tanquam

Amica Dei

Colũba

Vnitas ecclesiæ

tanquam unum ouile, sub uno pastore. Ioan. 10. Fiat unum ouile, & unus pastor. Et Oseæ. 7. Pastor erit unus omnium eorum. Item est una tanquam una domus, sub uno patrefamilias. Exo. xii. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, dicitur de agno paschali quod beatus Greg. de ecclesia exponit dicens in. c. Quia. xxiiij. q. i. In una nanque domo comeditur, quia in una catholica ecclesia uera hostia redemptionis immolatur. Item est una tanquam, una ciuitas, sub uno principe. Esa. 19. Ciuitas solis uocabitur una. Item una tanquam unum regnum sub uno rege. Ezech. 37. Rex unus erit omnibus imperans. Item una tanquam una nauis sub uno gubernatore siue rectore, quod significatum est Luc. 5. ubi dicitur quòd Christus ascendit in unam nauim quæ erat Symonis id est in ecclesiam, cuius cura & gubernatio commissa est Symoni Petro tanquam Christi Vicario. Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Item soli Petro dictum est. duc in altum. Luc. 5. & inducit Amb. in. c. non turbatur. xxiiii. q. i. Item est una tanquam una uxor unius uiri. 2. ad Corint. 11. Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, gloss. Despondi uos annulo fidei. non multis, sed uni. non adultero, sed uiro legitimo scilicet Christo uero sponso. Præterea notandum quòd columba id est ecclesia dicitur una per naturæ, & uitæ conformitatem, ad Roma. xii. sicut in uno corpore multa membra habemus, ita multi unum corpus sumus. Secundo per unam spirituum siue animorum unitatem. unde in præconium primitiuæ ecclesiæ dicitur Actu. 4. Erat eis cor unum, & anima una in domo, a sensu scilicet & eadem uoluntate non dissonans fide socia amoris ac sententiæ unanimitate perfecta, de qua gratiæ conformitate Paulus gentium doctor ita Corinthios exhortatur dicens. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia, gl. in eadem uoluntate & eadem intelligentia, uelut exponit Hilarius in eadem sententia id est ad Corinth. 1. Et simili exhortatione idem apostolus ad Philip. ... idem dicit. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, gl. non diuersa. Eandem charitatem habentes, gl. ad omnes. Vnanimes, glo. unius uoluntatis. Idipsum sentientes, gl. ut mala cuiuscunq; sint omnium. Philip. 2. Tertio dicitur una propter unius hæreditatis siue præmij participationem. psal. Vnam petii a domino hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus uitæ meæ, psal. lxxvi. & Luc. x. dicitur. Porro unum est necessarium, gl. Deo iugiter inhærere. Item ecclesia appellata est perfecta iuxta illud cant. 6. Vna est perfecta mea, hoc est, quia ut dicit gl. omnibus uirtutibus perficitur. Merito plane sancta uniuersalis ecclesia singulariter perfecta nominatur: quoniam ipsa præ omnibus aliis incomparabiliter perfectior est. unde de ea dicitur Prouer. ult. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas, ita ut beatus Bern. in sermone. lxix. super cant. dicat. Nec prærogatiuas omnes unius catholicæ multitudinis ob quam omnia fiunt una persona de multitudine arrogabit sibi quantalibet emineat sanctitate. Item ecclesia legitur nominata soror Christi. unde cant. 5. Veni in hortum meum soror mea. Item. Aperi mihi soror mea. Nominatur autem sancta ecclesia soror Christi duplici de causa. Primo propter conformitatem multam quæ est inter Christum, & ecclesiam. Est enim soror Christi in carne per conformitatem in natura. de qua cant. 8. dicitur. Vbi ecclesia magno cum desiderio incarnationem filii Dei postulans per quam soror sua conformitate naturæ efficeretur, ait. Quis mihi det te fra-

Ecclesia est perfecta

Soror Christi

trem meum sugentem ubera matris meæ. Est soror Christi in spiritu per participationem gratiæ siue conformitatem uoluntatis. Math. 12. Qui fecerit uoluntatem patris mei, hic meus frater & soror mea est. Secundo dicitur ecclesia Christi soror eius per participationem unius paternæ cœlestis hæreditatis, ad Roma. 8. Si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, gloss. in quo & cum quo beati erimus. Et super illud. Vulnerasti cor meum soror mea, dicit gl. cohæres. Ceterum etiam ecclesia legitur nominata filia, secundum illud Cant. 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis, glo. i. Dei. Et psal. xliiii. dicitur. Audi filia, & uide & inclina aurem tuam. Dicitur autem ecclesia filia Dei per gratiam. s. adoptionis, secundum illud Ioan. 1. Dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, ubi gl. dicit. Mirabilis potestas, ut qui filii diaboli erant, filii Dei, & fratres Christi per eum liberati dicantur.

Filia Dei

Cap. XXXVII. Quare etiam dicatur sponsa, & de tempore desponsationis eius.

Sponsa Christi

AMPLIVS etiam ecclesia sponsa Christi legitur appellata unde Cant. 4. Veni de libano sponsa mea coronaberis, & Cantic. 5. Veni in hortum meum soror mea sponsa mea. Dicitur autem sponsa ipsa ecclesia, quia Christo indissolubili mutui amoris uinculo copulata. De quo amore mutuo ipsa sponsa ita Cant. 7. loquitur. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Super quo uerbo Bern. in sermone. lxix. super Cant. pulchre ita dicit. Quid sponsa nisi congregatio iustorum, quid ipsa nisi generatio quærentium faciem sponsi. non enim ille intendit huic, & non illa illi, propter hoc utrunque ponit. & ego illi, & ille mihi. Ille mihi, quia benignus & misericors est. Ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia. Ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius uoluntati. Ille mihi & non alteri, quia una sum columba eius. ego illi & non alteri. nec enim audio uocem aliorum, nec enim acquiesco dicentibus mihi, ecce hic est Christus ecce illic est, hæc Bern. Præterea hanc sanctam sponsam aperte ac pulchre beatus Ioan. describit Apoc. 21. ita dicens. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo. Et sequitur. Audiui uocem magnam de throno dicentem, ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Quòd uerbum tractans beatus Bern. super Cant. sic ait. Ad quod credo ut sibi acquirat sponsam de hominibus, miror es, ad sponsam ueniebat & absque sponsa non ueniebat, quærebat sponsam & sponsa cum ipso erat. An duæ erant, absit. una enim ait columba mea, sed sicut de diuersis ouium gregibus unum facere uoluit, ut sit unum ouile, & unus pastor: ita cum haberet sponsam inhærentem sibi a principio multitudinem angelorũ, placuit ei & de hominibus conuocare ecclesiam atque unire illi quæ de cœlo est, ut sit una sponsa, & unus sponsus. De desponsatione uero eius dicitur Oseæ. 2. Desponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus, & sponsabo te in fide, & scias quia ego dominus, ubi dicit gloss. Ter ponit sponsabo te. Primo enim despondit eam sibi in Abraham, cui ait Gene. xvii. Tu custodies ergo pactum meum, & semen tuum post te in generationibus

Desponsatio ecclesiæ

suis

suis, hoc est pactum meum, quòd obseruabitis inter me, & uos, & semen tuum post te: circuncidetur ex uobis omne genus masculinum, & circuncidetis carnem præputii, ut sit signum fœderis inter me & uos, gl. interli. in testimonium scilicet ut ego dominus uester Deus, & uos populus meus a gentibus diuisus. Secundo desponsata fuit sub Moyse in monte Synai in datione legis, unde glo. scilicet. Oseę. 2. ita subiungit. Secundo despondit eam in monte synai dans ei pro sponsalibus legis iustitiam, & iudicium, & misericordiam. Vnde Exo. 19. dicitur. Descendit Deus super montem synai, & uocauit Moysen in cacumine eius. Et infra. Locutusque est dominus cunctos sermones hos. Ego enim sum dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis, non habebis Deos alienos præter me &c. glo. i. alii dii non erunt tibi præter me. Tertio ut dicta glo. loco supradicto fuit desponsata in aduentu filii Dei quod est in fide trinitatis, in qua fide statim credentes sciunt quia ille est Deus.

Cap. XXXVIII. In quo ponitur solutio cuiusdam difficultatis circa ea quæ dicta sunt de tempore desponsationis ecclesiæ.

ORITVR autem hic quæstio quæ non parum pulsare potest animos minus doctos, quia cum ante Abraham ecclesia fuerit semper Deo uinculo dilectionis coniuncta ut supra, cum de antiquitate ecclesię tetigimus; huiusq; amoris copula qua in uno spiritu anima Deo coniungitur constituat spirituale matrimonium. Dicit namque Bern. super Cant. Conformitas dilectionis maritat animam uerbo, si perfecte diligit nupsit. Mirum est & quæstione dignum quomodo dictum sit quòd sub Abraham primo ecclesia Deo sit desponsata. Pro cuius difficultatis solutione notandum quòd dupliciter loqui possumus de desponsatione ecclesiæ. Vno modo ut importat simplicem copulam dilectionis cum Deo, & sic dicendum uidetur quòd cum semper in ecclesia fuerint aliqui iusti Deo semper electi quandiu ecclesia fuit, sponsa Dei fuisse dicenda est. unde Orige. super Cant. dicit. Non enim tu mihi ex aduentu Saluatoris sponsam dici aut ecclesiam putes, sed ab initio humani generis. Secundo loqui possumus de desponsatione prout dicit consensum aut pactionem coniugalem per uerba de præsenti, aut sine certa expressum. Vt autem magister senten. in iiii. di. xxvii. ponit, causa efficiens matrimonii est consensus, non quilibet, sed per uerba aut certa signa expressus. Quod autem tale pactum fuerit inter sponsum Christum, & sponsam ecclesiam egregius testis est sanctus propheta Ezech. 16. ca. ita di. Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum ait dominus Deus, & facta es mihi, scilicet sponsa. Et isto modo accipiendo desponsationem, rectè dictum est quòd sub Abraham in circuncisione ecclesia Deo prima desponsata sit: ibi enim legitur expressa quædam pactio facta inter Deum & populum fidelem, & expresso signo sensibili populus fidelis ab infideli est primo separatus. Vnde ait dominus ad Abraham Gen. 17. Statuam pactum meum inter me & te & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Et infra dicit dominus ad Abraham. Et tu custodies ergo pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis, hoc est pactum meum

Desponsatio ecclesiæ duplex.

quod obseruabitis inter me, & uos & semen tuum post te. Circuncidetur ex uobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputii, ut sit in signum fœderis inter me & uos, glo. interlin. in testimonium, scilicet quòd ego sum uester Deus, & uos populus meus a gentibus diuisus. Præterea eadem ratione recte secundo dicitur desponsata sub Moyse in datione legis, tunc enim populus fidelis expresso pacto se astrinxit ad Deo seruiendum parendumque præceptis legis illius, unde Exod. 24. Legente Moyse uolumen legis audiente populo. Respondit populus. Omnia quæ locutus est dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille uero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis quod pepigit dominus nobiscum super cunctis sermonibus istis. Præterea eadem ratione merito ecclesia tertio dicitur desponsata in aduentu filii Dei in carnem, in quo fidei lumen amplius resulsit. Vnde in die Epiphaniæ in quo stella noui sideris. Magos gentium primitias ad Christum perduxisse legitur, & sacri baptismatis institutio commemoratur: per quod quis corpori Christi quod est ecclesia incorporatur sic cantatur a fidelibus. Hodie cœlesti sponso iuncta est ecclesia. De nuptiis autem huius sponsæ cum Christo dicitur Mat. 22. Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, ubi glo. interlin. dic. Qui per incarnationis mysterium ecclesiam filio suo copulauit. Tunc enim ut dicit beatus Grego. in Homelia. Deus pater Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero uirginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante secula fieri uoluit hominem in fine seculorum. Et infra Vterus autem genitricis uirginis huius sponsi thalamus fuit. Vnde & psal. dicit. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, quia ad coniungendam sibi ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero uirginis exiuit, hæc Grego. Præterea de huius sponsæ nuptiis Apoc. xix. loquitur. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quoniam uenerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se, glo. Nuptiæ, id est iuncta est ecclesia Christo, & conueniens fuit ut coniungeretur, quia ipsa ecclesia fecit se idoneam ut reciperetur. Vbi considerandum, quòd harum nuptiarũ sponsalia contracta fuerunt in prophetarum sponsione, perfectum matrimonium fuit per uerba de præsenti mutua collocutione Mariæ, & angeli, ubi uirgo gloriosa consensum præbens ait. Ecce ancilla domini fiat mihi secundum uerbum tuum. Luc. 1. Matrimonium uero consummatum fuit in carnis, & uerbi unione. Vnde Aug. super titulum psal. xliiii. dicit. Coniunctio nuptialis, uerbum & caro, huius coniunctionis thalamus, est uirginis uterus. Fœcundatur coniunx in Christi passione, quia de latere Christi fluxit sanguis, & aqua, quibus significabantur sacramenta per quæ fœcundatur ecclesia. Solennitas harum nuptiarum inchoata fuit in ascensione domini. Vnde ad Eph. 4. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominib. quia beatus Aug. li. de symbo. ita ait. Exulta sponsa ecclesia quia nisi in Christo ista fuissent tu formata non esses, uenditus redemit te occisus dilexit te. & quia te plurimum dilexit mori uoluit. O magnum sacramentum huius coniugii. O quàm magnum mysterium huius sponsi, & sponsæ & non explicabitur huiusmodi digne humanis uerbis, de sponso sponsa nascitur, & ut nascitur statim illi coniungitur, & tunc sponsa nubit quando sponsus moritur, & tunc illæ sponsæ coniungitur quando

Nuptiæ eccl siæ cum Chri

Psal. 13.

do a mortalibus separatur, quando illæ super cœlos exaltatur tunc ista in omni terra fœcundatur, hæc Aug.

Cap. XXXIX. De donariis, & muneribus quibus Christus sponsam suam ecclesiam decorauit singulariter etiam præ angelis.

CVM autem apostolus de matrimonio primorum parentum ad Eph. 5. loquens subiunxerit. Sacramentum hoc magnum est in Christo & ecclesia, aperte designauit matrimonium carnale figuram esse spiritualis matrimonii Christi, & ecclesiæ, quare cum in carnali matrimonio solitum sit ut sponsus sponsæ dotes, & munera donet ad ornatum sponsæ, & solatium matrimonii, secundum illud Gen. xxxiiii. ubi Sichen ait Iacob., & filiis eius. Augete dotem, & munera postulate, non dubium quin sublimis ac nobilissimus ille sponsus, scilicet Christus pro sua magnificentia in sponsalibus illis largitus fuerit sponsæ suæ amplissima donaria quibus illam subarrauit ac præciosissima in illius decorem contulerit ornamenta, sicut habetur. Ezech. 16. ubi dicit sponsus ipse ad ecclesiam. Iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum. Ecce pactio contracti matrimonii. Et facta es mihi, scilicet sponsa. Et sequitur. Et laui te, scilicet aqua baptismi, ad Eph. 5. Mundans eam lauacro aquæ uitæ. Mundaui sanguinem tuum ex te, dum te a uitiorum sordibus expiaui. Apoc. 1. Dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo, & unxit te oleo, scilicet specialis gratiæ. Vnxit te Deus oleo letitiæ, psal. xliiii. & ii. Cor. 1. inquit. Qui autem confirmat nos nobiscum est in Christo, & qui unxit nos Deus. Vestiui te discoloribus illa scilicet uarietate uirtutum, de qua apostolus ad Col. 3. scribit dicens. Induite uos sicut electi Dei sancti dilecti uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, & cetera quæ sequuntur. Et calciaui te iacincto, id est adornaui, sanctos tuos sancta, & cœlesti intentione, quam iacinctus designat. Cinxi te bysso. id est continentię cingulo. Et indui te subtilibus, id est ornamentis spiritualibus pluribus, & multiplicibus. Sequuntur alia plurima in textu per quę maxima munera gratiarum, & ornamenta uirtutum designantur, quibus Christus sponsam suam ecclesiam magnificentissime dotauit. uerum cum Prouer. ult. dicatur. Quod byssus, & purpura indumentum eius, scilicet sponsæ, non tantum decore uirtutum qui per byssum accipitur sed etiam prærogatiua priuilegiatę, & gloriosæ auctoritatis quæ per purpuram, qua uestis regia intelligitur, sponsa ipsa ecclesia est a Christo magnificentissime sublimata. Habuit siquidem Christus in sua persona priuilegia quædam dignitate, & auctoritate clarissima, quæ sponsæ suę ecclesiæ ex hominibus assumptæ suo modo communia fecit, quæ etiam angelis ipsis non indulsit. Ipse enim est uerus sacerdos, bonus pastor, dulcis mediator. æquus iudex, singularis medicus, inexpugnabilis ostiarius, unigenitus filius, sicut ipse solus omnia hæc habet, ita soli ecclesiæ in suis sacerdotibus, & prælatis illa dereliquit, ut nec ipsis angelicis spiritibus sint indulta. Christus in primis uerus sacerdos fuit, secundum illud. Tu es sacerdos in ęternum secundum ordinem melchisedech, psal. cix. qui pridie quod pateretur accipiens panem in manibus suis, ipsumque diuinitatis suæ potestate in corpus suum

Ecclesiæ donationes.

Christi prærogatiuę

Christus fuit sacerdos uerus

conuertens discipulis suis tradidit dicens. Accipite, & manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum. Math.26. ubi reuera unus, & idem fuit & cibans,& cibus,& munerans,& munus, offerens, & oblatum, ut ait Hiero. & habetur in ca. Nec Moyses, de conse. di.2. Et antiquorum uersus est. Rex sedet in cœna turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus, ubi idem fuit sacerdos, & sacrificium, extra de sum. tri. & fide catho. Hanc admirandam consecrandi potestatem angelis non concessit, sed sponsæ suæ ecclesiæ donauit sacerdotibus, quibus in apostolis ait. Hoc facite in meam commemorationem. Luce. 22. Presbyteris namque solum datum est tam admirabile sacramentum conficere ceterisque ministrare fidelibus, in ca. Perlectis, di.25. Vnde in ca. Cleros, di.21. Sacerdos dictus est, quia consecrat, & sanctificat, hoc tamen admirandum mysterium sacerdos non alia potestate adimplet, non alterius quam ipsius Iesu Christi sermone peragit, ut Ambro. in li. de sacramentis dicit, & habetur in c. Panis, de conse. di.2. Præterea secundo Christus est bonus pastor: qui non solum doctrinę

Pastor bonus

pabulo & exemplo sanctitatis oues suas pauit sed pro eis animam suam posuit. Ioan.10. Pastoralem hanc curam hanc regis auctoritatem sponsæ suæ ecclesiæ prælatis commisit quos operis sui uicarios eidem contulit præesse pastores. Vnde beato Petro Christus totius dominici gregis curam committens, & in eo suis successoribus ait. Pasce agnos meos. Ioan. ulti. Hanc profecto pastoralem dignitatem angelis non donauit qui ab humana conuersatione semoti sunt. Ministri siquidem bene sunt dicente apostolo ad Heb.1. Omnes sunt administratores spiritus, non autem pastores. Ceterum

Mediator optimus.

ipse Christus dulcis optimusque mediator est 2. Thi.1. Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui inter nos & Deum pacem fecit, reconcilians ima summis unde sequitur. Qui dedit redemptionem seipsum pro multis, & ad Rom.5. dicit apostolus. Cum inimici essemus Deo reconciliati sumus per mortem filii eius. Huius officii dignitatem sponsę suæ sacerdotibus Christus indulsit, qui per penitentię sacramentum per præciosum altaris sacrificium, perque gratas Deo preces tanquam medii arbitri inter Deum, & homines ministerium peragunt mediatoris, omnipotenti Deo qui offensus fuerat peccatores reconciliando. Vnde Leo Papa, ut habetur de peniten. di.1. c. Multiplex, hoc idem probat dicens. Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus penitentiæ satisfactionem darent, & eadem satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Vnde & Moyses Deut.5. inquit. Ego sequester, & medius sum inter Deum & uos. Angelis autem huius officii auctoritas concessa non est: quia huiusmodi sacramentalis reconciliatio non per angelos, sed per ora sacerdotum expletur. unde illis non dictum est sed hominibus quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & Amb. ut habetur de peni. di. 1. c. Verbũ hoc idem probat dicens. Hoc ius solis sacerdotibus est permissum, glo. super illud. 2. Thi.1. Vnus mediator est, &c. dicit. Boni angeli inter miseros mortales, & beatam immortalitatem medii esse non possunt. Amplius est

Iudex æquus

æquus iudex, qui sedet super thronos, & iudicat æquitatem. Ioan.5. Omne iudicium dedit pater filio. Hanc iudiciariam potestatem ipse Christus sponsę suæ ecclesiæ contulit in prælatis, qui tanquam uicarii ipsius Iesu Christi iudicii nomen obtinent in ecclesia. unde Math.17. Si peccauerit in te

frater

frater tuus, sequitur. Si te non audierit, dic ecclesiæ. glo. i. his qui præsunt ecclesiæ. Cuius throni ciuitas, & principatus maximè resplendet in apostolica sede. Vnde Petro ipse dominus Iesus Christus ait. Tibi dabo claues regni cœlorum, ubi glo. dicit. Vide quantam potestatem habet petra super quam ædificatur ecclesia, ut etiam iudicia eius maneant firma quasi Deo iudicante per eam. Hæc non est data angelis, administratores quidem sunt, non iudices. quod ex illo loco euangelii satis aperte colligitur, ubi dicitur, Potestatem dedit ei, id est filio iudicium facere, quia filius hominis est. Cum ergo angeli non nobiscum communicent in humana natura, manifestum est illis non conuenire respectu hominum auctoritatem habere iudicii. Item Christus dicitur medicus singularis, quia solo uerbo restaurat uniuersa uirtus enim ex illo exibat, & sanabat omnes. Luc. 6. Hanc medendi facultatem Christus sponsæ suæ ecclesiæ ministris communicauit, quæ per sacramentorum exhibitionem quæ uasa medicinalia sunt in quibus diuina uirtus secretius salutem operatur, ut dicit Augu. languores ac morbos curat animarum. Hanc potestatem angelis non indulsit, quia ut ait Criso. in li. de laudibus Pauli. Hominibus non angelis prædicatio, & administratio sacramentorum commissa est. Cuius duplex ratio a sancto Tho. in. iiii. senten. dist. v. talis assignatur. Primo quia angeli non conueniunt sicut homines cum uerbo incarnato a quo sacramenta fluxerunt in natura assumpta, nec etiam cum sacramentis in quibus est spiritualis uirtus in corporeis elementis sicut homines ex natura spirituali, & sensibili compositi sunt. Secundo quia ad necessitatem baptismi, & aliorum sacramentorum potestas eis concessa non ualeret, cum non sint in promptu hominibus, ut eorum ministerium facile haberetur. Demum Christus dicitur inexpugnabilis ostiarius. Ipse siquidem est quæ aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit. Apocal. iii. Hanc dignitatem contulit ecclesiæ suæ pastoribus suis, quibus ait. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis, ut Math. 16. unde beatus Petrus apostolus quia præ ceteris clauium potestate donatus est, clauicularius regni cœlorum depingitur, & appellatur. Vnde beatus Augu. in quodam sermone apostolorum Petri, & Pauli ita dicit. O inæstimabilis, & immensa potestas hominem in terra positum tenere cœlum. Ecce nunc ad nutum Petri diuini regni claustra patescunt. Accepit enim a Christo claues regni cœlorum, ut solutis uinculis peccatorum aperiret credentibus regna cœlorũ. Et infra ipse Christus credentibus factus est uia, posuit ad uicem suam in seculo cœlestis regni clauicularium Petrum, ne difficilem sibi ad cœlũ quispiam existimaret accessum, hæc Aug. Item Christus est unigenitus Dei filius ad quem uox patris intonuit. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Math. iii. Et psal. cix. dicit. In splendoribus sanctorum ante luciferum, id est ante omnem creaturam genui te. glo. Ex occulta, & secreta substantia mea genui te inenarrabiliter. Hanc autem filiis ecclesiæ tribuit potestatem. Ioan. i. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, glo. Mirabilis potestas, ut qui filii diaboli erant, filii Dei, & fratres Christi per eum liberati dicantur, de quo ad Gal. iiii. dicit apostolus. Misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus, ubi glo. dicit. Vnicum enim filium Deus habet quem genuit de substantia sua: nos autem non de substantia sua genuit. creatura enim

Medicus singularis.

Ostiarius inexpugnabilis.

Filius Dei unigenitus.

sumus quam non genuit sed fecit, & ideo ut fratres Christi secundum modum nostrum adoptionem reciperemus dicit, ut significaret nos hoc amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hæc glo. Vnde ideo ut dicitur iii. senten. di. x. filii adoptiui dicimur, quia cum nati fueramus filii ire, per gratiam facti sumus filii Dei. Hæc plane potestas, hæc gratia data non est angelis ut scilicet, ex filiis ire in filios possent redire Dei. irreparabilis enim fuit casus eorum. Hoc enim ut inquit Damas. quod hominibus est mors angelis est casus, nec pro eis mortuus est Christus sed pro hominibus quibus natus est. Vnde angelus ad pastores. Annuncio uobis gaudium magnum, natus est uobis saluator mundi, Luc. 2. Et hæc de his quæ ecclesia Christi sponsa ab ipso sponso suo Christo suscepit in dotem, nos dixisse sufficiat.

Cap. XL. Quod ecclesia dicatur coniunx Christi, & mater fidelium.

Ecclesia est coniunx christi.

CETERVM ecclesia pro amplitudine prolis suæ coniunx siue uxor Christi appellatur. Vnde de ea psal. cxxviii. dicitur. Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Super quo uersu dicit Aug. Vxor tua Christo dicitur, ergo uxor eius ecclesia cuius nosipsi filii. Vbi notandumquòd coniunx ista Christi, scilicet ecclesia pro sua amplissima dignitate in multis coniugibus memoria dignis in sacra scriptura figurata monstratur. Figurata quippe fuit primo in Eua coniuge primi parentis Adę. Vnde ad Ephe. 5. doctor gentium cœlestium conscius secretorum apostolus Paulus post commemorationem coniugii Adę & Euæ subiungit. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Plane sicut in Eua matre uiuentium omnium figurata est ecclesia, quæ omnium fidelium mater est, unde Aug. super illud psal. cxxvii. Ecce hæreditas domini filii &c. dicit. Parit ecclesia filios coniunx Christi, in cuius figura Eua mater uiuorum appellata est. Secundo figurata est in coniuge Abrahæ, scilicet Sarra, quæ secundum promissionem concepit, & peperit Isaac qui interpretatur risus Gene. 25. Vnde gloss. Genes. 20. Abraham Christum significat, Sarra ecclesiam Abraham honoratur propter Sarre pulchritudinem Christus propter ecclesiam. Vnde mirabilis Deus in sanctis suis psal. lxvii. Tertio figurata est côiunx Christi ecclesia in Rebecca coniuge Isaac, quæ pulchra facie interpretatur. Et ecclesiæ dicitur Caut. 2. Facies tua decora, unde glo. Greg. quæ ponitur Gen. 2. super illo uerbo. Introduxit Isaac eam, scilicet Rebeccam, in tabernaculum, dicit. Hanc Isaac in tabernaculum matris introduxit, & uxorem accepit quia in loco synagogę de qua natus est Christus, ecclesiam diligit, ut quæ cognatione, idest prædestinatione dilecta erat, amore coniuncta uxor fiat. Quarto figurata est in coniugibus Iacob, scilicet Rachele pulchra, & Lya laborioso quæ uiro Patriarchas parturiuit. Vnde glo. super Gen. ca. xxix. Rachel pulchra facie, & uenusto aspectu, iunior & pulchrior prius sterilis postea fœcunda ecclesiam significat quæ tempore posterior synagoga, sancta corpore, & spiritu est. Oculi eius decori, quia euangelium uidere meruerit. Quinto figurata fuit in Hester, quæ repudiata regina Vasthi coniunx facta est Assueri regis, quæ ut dicitur Hester. 2. Erat pulchra nimis & decora facie, ubi glo. inquit Hester interpretatur absconsa edissa misericordia, hoc est gentium eccle-

Gen. 24.

sia,

sia, quæ in abscondito cordis nutriens castitatem fidei misericordiam, & gratiam coram oculis domini inuenit. repudiata synagoga, quæ in Oseæ uocatur absque misericordia. Præterea cum ut iam dictum est, sancta, & uniuersalis ecclesia coniunx Christi sit, non autem sterilis sed sicut uitis abundans in lateribus domus suæ, psal. cxxvii. patet aperte rationabiliter, quòd mater sit omnium fidelium, mater omnium uiuentium in fide, & charitate Christi. Vnde glo. super illud psal. lvii. Alienati sunt a uulua, errauerunt ab utero, glo. Vulua uel uterus charitas ecclesiæ accipitur in qua conuersi recipiuntur & nascuntur dum fidei rudimenta suscipiunt, & paulatiuè nutriuntur donec in eis formata ueritate ad lucem generentur. Mater ergo est ecclesia omnium filiorum Dei, quare beatus Aug. li. de symbolo dicit. Si quis absque ecclesia inuentus fuerit alienus erit a numero filiorum Dei, nec habebit Deum patrem qui ecclesiam noluit habere matrem. Vbi notandum quòd ut ex glo. in hoc loco & super illud psal. cxxx. Sicut ablactatus super matrem suam colligitur. Sicut carnalis mater in sobole carnali quinque uicissitudines obseruat, & tempora, ita & in spirituali educatione sancta mater ecclesia eadem custodit. Primo enim puer concipitur, id est in utero nascitur. Secundo in utero alitur. Tertio in lucem emittitur. Quarto matris manibus gestatur, & lacte nutritur ut crescat. Quinto ablactatur, ut ad patris mensam accedat, ut sic ualidiori cibo alatur. Primum ergo tempus est conceptionis, secundum in utero alitionis, tertium emissionis, quartum portationis & lactationis, quintum ablactationis, ita de illis quos educat ecclesia. Primo enim in utero nascuntur, id est concipiuntur, dum rudimentis fidei instruuntur in cathecismo, & exorcismo. Secundo in utero aluntur dum in fidei primordiis plenius informati proficiunt. Deinde tertio in lucem educuntur dum per baptismum regenerantur. Quarto quasi ecclesiæ manibus portantur, & lacte aluntur donec a lacte sanctispiritus separati ad mensam patris accedant ut ualido uescantur cibo scilicet pane angelorum, in principio erat uerbum. Hinc est quòd Abraham non in natiuitate Isaac, non in circuncisione, sed in ablactatione magnum conuiuium dicitur fecisse, hæc ibi. Quare beatus Augu. lib. de symbo. in fine ita de ecclesia loquitur. Sancta mater ecclesia in qua huius sacramenti determinatur auctoritas mater & uirgo, corpore casta prole fœcunda, sponsa Christi pie nutrit filios quos Deo patri dignos assignare contendit. Filii diligite tantam matrem. Filii boni nolite deserere uos continue requirentem, rependite uicem, amate amantem, tanta est, talis est, nobilis est regina prole fœcunda est, non eam patiamini aut pessimorum seruorum iniuriis insidiisque macerari. agite causas matris uestræ, exquirite eius amplissimam dignitatem, seruus malus non insultet domino, hæreticus arrianus non insultet ecclesiæ, lupus est, agnoscite, hæc Augu. Vbi considerandum uenit merito in hoc loco quomodo ecclesia non solum fidelium sed etiam ipsius Christi, cuius sponsa, & coniunx est, mater dicatur. Quòd autem dicatur mater etiam ipse Christus ipsa ueritas testatur, dicens. Quicunque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis est ipse meus frater, & soror & mater est. Math. xii. Frater quidem, & soror, quia geniti a Deo spiritualiter a quo ego naturaliter genitus, ipse quippe ut ait apostolus, primogenitus est in multis fratribus, glo. Fratres dignatus est uocare omnis qui per eius pri-

Mater fidelium.

Mater Christi.

natum in Dei gratia renascuntur. Posuit autem utrunque sexum ne fœminam uideretur excludere. Mater uero quia in cordibus credentium me generauit uerbo, & exemplo. Vnde apostolus ad Gal.iiii.ait. Filioli mei quos parturio donec formetur in uobis Christus. Ne autem alicui uideatur impossibile quod de ecclesia iam diximus, uidelicet quòd sit respectu unius, & eiusdem, scilicet Christi, filia, soror, coniunx, & mater; cum in carnalibus coniugiis nulla huiusmodi exempla reperiantur; est considerandum, quòd ut inquit beatus Aug. super psal.cxxvii.tractans illud uerbum. Filii tui sicut nouellę oliuarum. In istis carnalibus nuptiis, & coniugiis, alia uxor, alii filii, in ecclesia quæ uxor ipsi filii. Ad ecclesiam enim pertinent apostoli. & in membris erant ecclesiæ: ergo & in coniunge ipsius erant, & coniunx erant secundum proportionem suam quam in membris obtinebant. Quare ergo de illis dicitur cum recesserit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt filii sponsi: ergo ipsa coniunx, & ipsa filii. Mirum dico fratres mei. In uerbis autem domini inuenimus quia quæ uxor ipsa & filii. Ecclesiam enim & fratres ipsius esse, & sorores ipsius esse & matrem ipsius esse. Nam cum ei nunciaretur mater eius, & fratres eius stantes. Respondit dominus & ait. Quæ mihi mater aut qui fratres? Et extendit manus suas super discipulos suos, & ait. Ecce mater mea & fratres mei. Fratres erant, mater quomodo erant, addidit. Qui fecerit uoluntatem patris mei, ipse mihi frater, soror, & mater est. Mater quomodo, nisi quia ipse Christus est in Christianis quos Christianos per baptismum quotidie parit ecclesia: ergo in quibus intelligis coniugem, in illis matrem, in illis filios. Hæc Augu.

Cap. XLI. Quod ecclesia quanquam coniunx Christi, & mater omnium fidelium dicatur esse, uirgo tamen tota esse non desistit.

Ecclesia tota uirgo est.

QVONIAM fortassis aliquibus qui ita carnalibus assuetum habent sensum, & ingenium sensibilibus concretum, ut de spiritualibus non spiritualiter sed carnaliter iudicent, uidebitur extraneum quòd ecclesia coniunx sit, & mater innumerorum filiorum multitudine fœcundissima, & nihilominus tota uirgo esse dicatur, placuit nobis de hoc aliquid tangere. Plane mater ecclesia tota uirgo est, aliàs non respiceret eam illud Cant.iiii. Tota pulchra es amica mea & macula non est in te. Plura sunt scripturæ sanctæ, loca quæ sanctam Dei ecclesiam uirginem attestantur sicut omnia illa in quibus apud prophetas. Virgo filia syon, uirgo israel dicta est. Dicitur etiam Mat. xxv. Simile est regnum cœlorum decem uirginibus &c. Per has decem uirgines omnes Christiani significantur. Duæ quippe sunt uirginitates, altera corporis, altera spiritus. Corporis uirginitatis est, ut ait Aug. lib.de nup. & concup. in carne corruptibli incorruptionis perpetua meditatio, id est propositum firmum rationis ab omni pollutione seruare corpus intactum. Vel ut dicit super psal.cxlvii. uirginitas carnis est corpus intactum. Virginitas uero mentis est fides incorrupta quæ uirginitas est omnium fidelium. unde Aug.super Ioan.Omnis ecclesia uirgo appellata est, diuersa sunt membra ecclesiæ, diuersis donis pollere uidetur atque gaudere. alii coniugati, aliæ coniugatæ, alii uiduati uxoribus uxores ultra non quærunt, aliæ uiduatæ maritos ultra non quærunt, alii integri-

tegritatem ab ineunte ætate conseruant, aliæ uirginitatem suam Deo deuouerunt, diuersa sunt munera sed omnes isti una uirgo est. Vbi est ista uirginitas? non enim est in corpore. in corpore enim paucarum fœminarum est, & si dici uirginitas in uiris potest, paucorum uirorum. Fœminarum sanctitas integritas etiam corporis est in ecclesia, & honorabilius membrum est. Alia autem multa non in corpore sed omnia in mente seruant uirginitatem quæ est ista uirginitas? mentis est. Quid est uirginitas ecclesiæ? integra fides, solida spes, sincera charitas. Item idem Augu. & habetur in ca. nuptiarum. xxvii. q. i. Ipsa ecclesia Christi coniunx est quæ fidei spei charitatis integritate non solum in uirginibus sacris sed etiam in coniugatis fidelibus tota uirgo est. Vniuersæ quippe ecclesiæ cuius omnia illa sunt membra. Apostolus dicit. Aptaui uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Hoc scribit apostolus ad Eph. & ad Cor. 11. cuius sensus est. Despondi, id est laboraui siue adaptaui fide & sacramentorum exhibitione desponsari, uos uni, non multis. Viro scilicet legitimo Iesu Christo uero sponso. Vos inquam uirginem non uirgines, quia licet plures sitis natura: una tamen estis fide spe, & charitate. Canti. 6. Vna est columba mea. Castam scilicet mente, exhibere, id est ut exhibeatis uos Christo existentes uirginem castam per fidei integritatem. Vbi notandum quòd duplex assignatur differentia inter coniugium Christi, & ecclesiæ, & alia carnalia coniugia hominum. Prima assignatur in glo. super illud Oseæ. 2. Sponsabo te mihi in sempiternum quæ est quòd homines de uirgine non uirginem faciunt. Deus uero coniunctus etiã meretricibus eas uirgines facit, anima quippe qualiscunque ante fuerit quantumcunque prius corruptionibus prostituta iacuerit coniuncta Christo per coniugium uirgo est. Vnde de omnibus fidelibus dicitur Apoc. xiiii. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. uirgines enim sunt, ubi in mulieribus errorem significauit, quia error per mulierem cœpit, ut ait glo. 2. ad Corin. 11. Si uero quæratur, quomodo hæc auctoritas de omnibus fidelibus intelligenda uenit, cum de saluandorum numero sint multi qui sæpenumero erroribus multis fuerunt coinquinati. Dicimus hoc ideo dici, quia omnes finaliter bonos Deus misericordia reputat nunquam fuisse coinquinatos. Pari ratione in sequentibus dicitur. Et in ore eorum non est inuentum mendacium. Vnde glo. super illud Oseæ. 2. Sponsabo te mihi in sempiternum, dicit. Nota misericordiam uiri, meretrix diu fornicata ad uirum reuertitur, nec reconciliari uiro sed sponsari dicitur. Secunda differentia est quòd homines non possunt coniugem sine corruptione fœcundare. Christus autem sic, unde Augu. & ponitur in ca. Nuptiarum, ubi supra. Nouit autem ille scilicet Christus coniugem uirginem sine corruptione fœtare quem in ipsa etiã carne potuit mater sine corruptione procreare. Non est ergo mirandum si sancta ecclesia simul dicatur, & mater & uirgo. Mater quidem fœcunda non de uiro sed de spiritu. Virgo fidei sacramento. Vnde beatus Amb. li. de sancta uirgi. ait. Sancta mater ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, uirgo est castitate, sed mater est prole. Parturit itaque nos uirgo, non uiro plena sed spiritu, parturit nos quam uirgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudiis angelorum. Nutrit nos uirgo, non corporis lacte, sed apostoli quo informem adhuc crescentis populi lactauit ætatem. Quæ igitur nupta plures liberos habet quam sancta mater ecclesia? quæ uirgo est sacramento, sed mater est populis, cuius fœcunditatem etiam sacra scriptura testatur

Coniugiũ Christi &c.

quoniam plures filii desertæ quam eius quę habet uirum. Hæc Ambrosius.

Cap. XLII. Quod ecclesia dicatur regina.

Ecclesia est regina.

AMPLIVS sancta Dei ecclesia legitur Regina nuncupata. Vnde psal.44.dicitur. Astitit Regina a dextris tuis.glo.i.ecclesia quæ sub rege regit. Astitit a dextris, id est in æternis spe. In uestitu deaurato, id est in doctrina sapientiæ. Circundata uarietate, id est in omnibus linguis uariata, in linguis est uarietas, & unitas in auro, quia, ut dicit Augu. in glo. eandem sapientiam eandem doctrinam, & disciplinam omnes linguæ prædicant. Dicitur autem ecclesia Regina triplici ratione. Primo quia coniunx est domini, scilicet Iesu Christi, in cuius uestimento, & femore scriptũ est. Rex regum, & dominus dominantium. Apoc.19. Secundo dicitur Regina quia ipsa in membris suis ueris prudenter, & uirtuosè se regit, qui prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum refrenant, modo æstum auaritiæ temperant, modo gloriam declinant, modo suggestionem liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo tales, ut ait Greg. uerè sunt qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere sed regendo præesse nouerunt. Vnde reges, ut inquit Isid. a rectè regendo uocati sunt, ideoque rectè faciendo regis nomen tenetur, peccando amittitur. Rectè ergo illi reges uocantur qui tam semetipsos quam subiectos bene regendo modificare nouerunt. Tertio ecclesia sancta Regina nominatur ratione principatus, & prælationis quam habent præpositi in ea. Vnde glo. super psal. 44. Vt Regina, quia sub rege regit, scilicet prælatos suos, qui non immerito reges appellantur. Vnde Augu. tractans illud psal.44. Delectauerunt te filiæ regum, ita dicit. Etenim omnes ecclesiæ prædicantibus, & euangelizantibus apostolis natæ sunt filiæ regum sunt, & ecclesiæ filiæ apostolorum filiæ regum sunt. ille enim rex regum, illi autem reges de quibus dictum est. Sedebitis super xii. sedes iudicantes xii. tribus Israel. Et infra. Filiæ regum sunt & delectauerunt regem suum in honore ipsius. & ex omnibus fit una quędam Regina, unde sequitur. Astitit Regina a dextris tuis. Hæc August. Quare Threnorum.i.c. ipsa ecclesia nominatur domina gentium, & princepes prouinciarum. glo. interli.i. in prælatis. Regina autem ista, scilicet ecclesia figurata est in Regina Saba. de qua dicitur. iii. Regum. x. quòd audita fama Salomonis cum comitatu multo uenit uidere eum, ubi glo. dicit sic. Hæc Regina uenturam ecclesiam de gentibus desiderantem Christum figurabat, quæ circumamicta uarietate populi sui, & paternę domus oblita currebat barbara gente non animo, in aperto peregrina, in occulto sanctorum fieri consors optans. Et beatus Augu. in sermone de dedicatione ecclesiæ sic de ea loquitur. Hæc est regina illa quæ uenit a partibus æthyopiæ audire sapientiam Salomonis, sed hæc non tam ex una regione quàm ex uniuersis mundi partibus regem auditura conuenit sicut euangelista commemorat, regina austri uenit a finibus terrę audire sapientiam Salomonis, uenit ecclesia ad redemptoré, & eruditorem suum, ut de stultitia erroris doctrinam perciperet ueritatis, de qua plenius sicut audiuimus Regum scribit historia ita dicens. Ingressa regina Saba in Hierusalem cum comitatu, & diuitiis cum camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas preciosas, uenit ad Salomonem, & locuta est uniuersa quæ habebat in corde suo. Ergo in figura huius

ius reginę uenit ecclesia ex gentibus imponens finem cupiditatibus uitiisq; terrenis audire sapientiam Salomonis, id est uiri pacifici domini nostri Iesu Christi qui fecit utraque unum soluens inimicitias inter Deum, & hominē in carne sua. Venit post ueteres, & prophanas superstitiones audire, & discere de fidei illuminatione, & iudicio futuro, de animæ immortalitate, de spe resurrectionis, & gloriæ. Venit autem in hierusalem cum multo comitatu, idest non iam cum una gente Iudæorum, sicut prius synagoga solos habuit Hebreos sed totius mundi gentibus diuersisque nationibus. uenit ergo exhibens munera digna Christo, aurum, & gemmas præciosas, & hoc camelis portantibus, id est ex gentili populo uenientibus qui prius fuerant uitiorum fœditate distorti, & malorum onere curui ac peccatorū prauitate difformes: cū his tanquam muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regē Christū, exhibens secū aromata fidei, aurū præciosum, incentum præciosum splendoresq; gemmarum, id est omnium insignita ornatu uirtutum, hæc Augu.

Cap. XLIII. De rationibus propter quas ecclesia nominatur corpus scilicet mysticum Christi.

CETERVM ecclesia sancti Dei nominata legitur corpus Christi. Vnde apostolus ad Eph. i. loquēs ait. Ipsum dedit scilicet Deus pater caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius. Vbi aduertendū quòd sicut beatus Hiero. de carne Christi ait in epistola ad Ephe. & ponitur in c. Dupliciter, de conse. di. ii. quòd dupliciter intelligitur. ita corpus Christi dupliciter accipitur. Nā corpus Christi dicitur illud corpus quod sumpsit de uirgine de membris carnalibus naturali compage coniunctum. dicitur etiam corpus mysticum quod est ecclesia, quod corpus ex personis utriusq; sexus fidelibus spirituali compage connexum & compactum est. Ad quam sententiam plenius intelligendam considerare oportunum est aliquid circa huiusmodi significationem termini mysticum. Mysticum quippe ut dicit Catholi. a mysterio dicitur. mysticon enim græce latine dicitur secretum, unde mysticum idem est quòd sacrum, diuinum, occultum, & figuratiuum. & quanquam ab omnibus his significationibus ratio sumi possit huius uocabuli mysticum cum de ecclesia dicimus quod est corpus mysticum. Tum primo quia sacra siue sancta est quo ad primam interpretationem, secundum illud quod in symbolo canitur. Sanctam ecclesiam catholicam, & illud. i. ad Corin iii. Templum Dei sanctum est quod estis uos. Tum secundo, quia diuina est quo ad secundam significationem consors quippe facta est diuinæ naturæ, secūdū illud quod de eius membris dicitur psal. 81. Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes & ii. Pet. i. Diuinæ consortes naturæ. Tum tertio quia occulta quo ad tertiam significationem occultum quippe nobis est in hac peregrinatione constitutis quis simpliciter, & ueraciter actu pertineat ad unitatem huius corporis, dicente beato Bern. Quis potest dicere ego de electis sum, ego de prædestinatis ad uitam, ego de numero filiorum, reclamante nimirum scriptura, nescit homo an odio uel amore dignus sit. Communius tamen ecclesia corpus denominatur mysticum a quarta significatione. uidelicet quia figuratiuum siue per figuram siue per similitudinem dictum sicut ex apostolo colligitur, qui de ecclesia ad similitudinem corporis naturalis hominis sæpe loquitur. Vbi notandum quòd ratio huius mysticæ significationis

Mysticū quid sit

colligitur inter alia præcipue ex quattuor. Primum est multiplicitas membrorum officialium concurrentium ad compositionem corporis, sicut enim naturale corpus humanum ex multis membris conformibus in natura, & uariis deputatis actibus compaginatur, ita ecclesiæ corpus ex multis fidelibus uariis deputatis officiis constitutum consurgit. Vnde apostolus. 1. ad Corin. 10. Vnus panis & unum corpus multi sumus. Super quo dicit Augu. Typice, idest figuratiuæ, unus panis, & unum corpus ecclesia dicitur, pro eo quòd sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris componitur, ita ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Et ad Rom. 12. dicitur. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi sumus unum corpus in Christo: singuli autem alter alterius membra habentes donationes secundum gratiam quę data est nobis differentes, &c. Secundum autem a quo sumitur similitudo est conformitas, & unitas membrorum ad caput. Plane quemadmodum in corpore naturali hominis caput connaturale est residuo corpori, & per collum ei coniungitur a quo sicut a perfectiori, utputa in quo omnes resident sensus secundum plenitudinem sensus & motus in totum corpus diffunditur, ita in corpore ecclesiæ caput quod est Christus secundum illud ad Eph. 1. Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius per assumptam naturam est residuo corpori connaturale. Et per fidem quę intelligitur per collum. Cant. 4. Sicut turris Dauid collum tuum nos ei unimur. ad Eph. 4. Caput Christi ex quo totum corpus, scilicet ecclesia compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, glo. id est per fidem & charitatem quæ coniungunt, & faciunt membra Christi adinuicem ministrare. Tertium uero a quo accipitur ratio mysticæ locutionis est unitas spiritus, quemadmodum quidem corpus naturale hominis unum habet spiritum uiuificantem totum corpus, & uniuersa membra regentem, ita in toto corpore ecclesiæ unus est spiritus uiuificans, & regens, qui est spiritussanctus, de quo. 1. ad Cor. 12. Et in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Cuius sensus est secundum glo. quòd baptizati, id est abluti sumus uno spiritu ducti sumus in unum corpus. Vnde glo. dicit. Quemadmodum totum corpus hominis una anima uegetatur, ita unus spiritus facit omnia in membris Christi. Et ideo ad Eph. iiii. dicitur. Vnum corpus, & unus spiritus. Quartum uero in quo mystica similitudo attenditur est, quòd sicut in corpore humano caput & membra dicũtur constituere unã personam, ut dicatur unus homo, ut dicit Aug. super Ioan. Homel. 21. ita suo modo in corpore ecclesiæ. Vnde idem Augu. super psal. 61. Vnus enim homo cum capite, & corpore suo Iesus Christus saluator corporis, & membra corporis duo in carne una, & in uoce una, & in passione una, & cum transierit iniquitas in requie una, hæc Augustinus.

Cap. XLIIII. De uarietate membrorum ecclesiæ & significatione eorum.

Ecclesiæ membra.

QVEMADMODVM autem in corpore humano secundum uarietatem actuum, & operationum diuersa sortiuntur uocabula ipsa corporis membra, ut aliud uocetur caput, aliud oculus, aliud manus, &c. ita in corpore Christi mystico, quod est ecclesia secundum diuersitatẽ & uarie-

uarietatem operationum & officiorum quibus fideles Christi tanquam corporis membra deputati sunt, diuersas sortiuntur membrorum rationes. Vnde Iob dicebat, c.xxix. Oculus fui cæco, pes claudo. Oculus erat quem spiritus sapientiæ illustrabat, oculus fuit cæco quia imprudenti prudentis prouidebat, & deuio ac erranti uiam demonstrabat salutis, pes erat claudo quia debilibus roboris fulcimenta præstabat. Membra autem ecclesiæ sunt quæ sequuntur, ut in li. Canti. cuius materia ut dicit glo. in principio est sponsus, & sponsa caput, & ecclesia, caput, facies, genę, oculi, aures, nasus, labia, dentes, collum, ubera, manus uenter, crura ac pedes. De capite eius habetur Cant. 5. Caput eius aurum optimum glo. caput, id est Christus, qui est caput corporis ecclesiæ sapientia plenum. Colo. 2. In ipso sunt omnis thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Et dicitur aurum optimum quia fulgentissimum. Est enim speciosus forma præ filiis hominum, psal. xliiii. Merito autem Christus dicitur caput corporis ecclesiæ. Primo quia instar capitis ceteris membris superior est ac sublimior. Ioan. 3. Qui de cœlo uenit super omnis est. Secundo quia sicut in capite omnes habitant sensus quod non est in ceteris membris. In capite enim uisus est auditus, olfactus, gustus & tactus, in ceteris autem solus sensus, tactus ita & in Christo plenitudo est omnis gratiæ, utputa in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, ad Colo. 2. Vnde Aug. epistola ad Dardanum. Quia ille caput est in eo sunt omnes sensus diuinitatis, in sanctis uero aliis quasi solus sensus tactus quibus datus est spiritus ad mensuram. Tertio Christus dicitur caput corporis ecclesiæ, quia sensum, & motum fidei omnibus eiusdem corporis membris transfudit & tribuit, secundum illud Ioan. i. de plenitudine eius omnes accepimus. Has tres rationes simul complectitur apostolus ad Colo. i. dicens. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis ecclesiæ, ubi glo. ita dicit. Super omnes est, nullus est ei æqualis etiam secundum quòd homo, & sicut omnia creauit ita & in ipso constant omnia qui omnibus secundum diuinitatem infusus omnia sustinet, & regit, & cum talis sit ipse etiam secundum hominis naturam est caput corporis sui scilicet ecclesiæ quæ unita est ei gratia & natura ut capiti. bene ergo dicitur caput corporis, id est ecclesiæ, quia ita se habet ad ecclesiam sicut caput ad corpus. prouidet enim ecclesiæ & regit eam & in ipso sunt omnes spirituales sensus ecclesiæ sicut in capite omnes sensus corporis, hæc ibi. De facie autem ecclesiæ dicitur Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam facies enim tua decora. Per faciem enim in qua maximè decor pulchritudinis, & persone speciositas relucet uiros exemplares sanctitate, & religione cóspicuos intelligimus, quibus ait Christus Mat. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est, unde glo. Cant. 2. inquit. Ostende mihi faciem tuam, id est quod intus pulchritudinis habes, & in secreto quietis didicisti in publica actione ad utilitatem multorum demonstra. Et Orige. super Canti. Facies ecclesiæ speciosa est, hæreticorum uero turpis. si quis tamē est qui bene nouerit pulchritudinem uultus probare, id est si quis spiritualis est qui sciat examinare omnia, nam apud imperitos, & animales homines pulchriora uidentur mendacii sophismata quam documenta ueritatis. De genis autem ecclesiæ dicitur Cant. 1. Pulchræ sunt genę tuæ sicut turturis, & Cant. iiii. Sicut fragmen mali punici ita genę tuæ, & Can. 5.

Caput

Facies

Genę

Genæ illius sicut areolę aromatum consitæ a Pigmentariis. Per genas autem in quibus pulchritudo, pudor, & uerecundia designatur eos intelligimus in ecclesia qui pudibundi sunt & uerecundi, quos pudet dicere uel facere, audire uel uidere turpia. unde Origen. super Cant. Genæ autem eius dicuntur in quibus honestas, & uerecundia animæ cognoscitur per quas sine dubio illi in membris ecclesiæ declarantur qui castitatis, & pudicitiæ excolunt honestatem, hæc Origenes. Verum tales maximè intelligendi in ecclesia sunt prælati elegantes moribus & sanctæ conuersationis candore fulgentes, qui non modo in exemplum sed in timorem sunt ceterorum. Quare glo. Cantic.iiii.super illud. Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, id est pudibundi prælati qui facies sunt ecclesiæ in quorum conspectu pudet alios male agere. Sed uideamus quomodo spiritus ita pulchre designat genas ecclesiæ, inquit quidem. Primo pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, tum propter castitatem qua prælati, & ministri ecclesiæ pollere debent. Esa.lii. Mundamini quæ fertis uasa domini. Tum propter gemitum compassionis quem habere debent erga proximum.2. Corin.11. Quis infirmatur & ego non infirmior, turtur autem gemitum habet pro cantu. Tertio propter contemplationis solitudinem quam amare debent sicut turtur. Oseæ.2. Ducam illam in solitudinem & ibi loquar ad cor eius. Secundo genæ ecclesiæ dictæ sunt sicut fragmen mali punici, in quo multa grana rubea continentur. In quo designatur quòd in multis exemplum debent esse ceteris, secundum illud apostoli.1. Thim.iiii. Esto exemplum fidelium in uerbo in conuersatione, in charitate, & fide & castitate. Vel ideo sic dictæ sunt, quia maximè prælati, & prædicatores non debent erubescere fragmen mali punici, id est Christum crucifixum sed illum habent imitari & aperta confessione præ ceteris profiteri, secundum illud ad Rom.1. Non erubesco euangelium glo. sicut illi qui crucem Christi putant ignominiam. Tertio genæ ecclesiæ comparantur areolis aromatum consitis a pigmentariis. Cant.5. quia sicut in areis herbæ plantantur aromaticæ, sic in eorum mentibus plantata sunt germina odoriferę suauitatis, a pigmentariis, id est a sanctis uidelicet doctoribus qui de apostolis, & prophetis aromata sermonum sanctorumque operum assumpserunt, & messuerunt quæ in ceteris plantarunt fidelibus. Dicitur autem sicut areolę consitę non insitę, quia coadiutores Dei sumus, i. Corin.iii. uel a pigmentariis, id est a tribus diuinis personis. Pater enim appropriate loquendo ibi conserit robur fortitudinis. Filius lumen discretionis. Spiritussanctus odorem suauitatis. Ecclesiastici.xxiiii. Quasi myrra electa dedi suauitatem odoris. Verum quia opera trinitatis indiuisa sunt, ut ait Diony. & August. tresque personę sunt unus Deus. Ioan.10. Ego & pater unum sumus. Et primæ Ioan.1. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritussanctus, & hi tres unum sunt, ideo singulariter dicitur Ecclesia.28. Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis. De oculis uero ecclesiæ ita habetur. Cant.iiii. ubi sponsus sponsam de oculus commendans ait. Oculi tui columbarum, & Cant.vii. Oculi tui sicut piscinæ in esebon, per oculos enim in quibus uirtus sedet uisiua ad prouisionem totius corporis designantur in ecclesia qui maiori acumine, & perspicacitate ingenii uigentes diuinarum scripturarum arcana profundius penetrant & ceteris administrant qui pro discretionis amplitudine, & intelligentiæ claritate quam

Oculi

super

super ceteros habent non tantum sibi sed etiam aliis præcauent ab insidiis malignorum spirituum. Duo autem oculi ecclesiæ designantur. Vnus dexter, scilicet qui illuminati sunt spiritu sapientiæ in cognitione diuinorum. Alter sinister, scilicet qui illuminati sunt spiritu scientiæ, id est in administratione bona rerum temporalium, de istis dicit sponsus. Oculi tui columbarum, non dixit corui uel uulturis qui semper habent oculos ad cadauera, non dicit accipitris uel herodii quorum oculus semper est ad sanguinem, & rapina, sed dicit columbarum quæ simplices sunt & iuxta riuos aquarum & fluenta plenissima resident, ita doctores ecclesiæ sancti simplices sunt sine plica erroris, & malitiæ, & fluentis scripturarum insistunt, ut in illis spiritualia mysteria cognoscant. Vnde Origen. super Cant. ita dicit. Quod autem oculi ecclesiæ comparantur columbis, ob hoc profecto est, quia diuinas scripturas non iam secundum litteram sed secūdum spiritum intelligant & aspiciant in eis spiritualia mysteria. Columba enim indicium est spiritussancti. Spiritualiter ergo intelligere legem, & prophetas hoc est, oculos columbæ habere. Hæc Orige. Et glo. Cant. 7. dicit. Oculi sunt qui arcana respiciunt ut in aperto possint proloqui qui fluenta doctrinæ auditoribus dare non cessant. De auribus ecclesiæ Cant. 1. implicita mentio fit, ubi sponsus ait sponsæ. Murenulas faciemus tibi uermiculatas argento. Murenulæ juxta glo. sunt ornamenta aurium. Sunt quidem quædam cathenulę ex diuersis annulis inuicem sibi penetrantibus factæ. Per aures quæ doctrinæ uerba audiunt, & suscipiunt, intelligendi sunt in ecclesia, ut ait glo. Viri spiritu sancto illuminati qui spiritualis intelligentiæ auro interius, & cœlestis eloquentiæ argento exterius splendentes secundum personarum diuersitatem aliis non cessant reuelare profunda sapientiæ diuinę, quarum aurium ornamenta dicta sunt argento uermiculata quia uario nitore fulgere debent sermones doctorum, unde quippe secundum qualitatem auditorum formandus est sermo doctorum secundum Grego. Plane non omnia ministranda sunt omnibus, sed præcepta omnibus, perfectis consilia, paruulis rudimenta, grandibus uero profunda secreta. De naso autem ecclesiæ habetur Cant. 7. ubi sponsus ita sponsam de naso commendat. Nasus tuus sicut turris libani quæ respicit contra damascum. Per nasum uero in quo sagacitas, & discretio notatur. & designatur, illos accipimus in ecclesia qui sagaciter discernunt quid sit odor uitæ, in uitam, mortis in mortem, quæ sit fragrantia uirtutum, quid sit fetor uitiorum, unde gloss. ait. Per nasum intellige eos qui cautissimi discretores sunt boni, & mali, quos nulla fallit hypocrisis, isti dicuntur turris libani quæ respicit contra damascum. Damascus interpretatur potus sanguinis uel bibens sanguinem, & figurat diabolum qui nostrarum sitit sanguinem animarum: contra quem isti dicuntur libani turris. Turris inquam propter fortitudinem constantiæ. Turris propter altitudinem uirtutum. Turris propter loci eminentiam quam in ecclesia tenet ut incursus malignorum spirituum a longe prospiciant, & præcaueant, ita contra insidias diabolorum, & nequam hominum suos muniant, & aliquos inde extrahant. De labiis ecclesiæ Canticum quartum, ita sponsus sponsam commendat. Fauus distillans labia tua sponsa. Per labia uero, quibus uerba formantur doctores, & prædicatores, intelliguntur in ecclesia, qui per suauitatem sermonis, & con-

Aures

Nasus

Labia

gruitatem doctrinæ, ut ait glo. melli comparantur, psal. cxxviii. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Et Canticorum. iiii. Labia tua & eloquium tuum dulce. Quamobrem. Cant ii. ait sponsus sponsæ. Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, super quo dicit Origenes super Cant. Auditam uult fieri uocem ecclesiæ suæ, quia qui eum confessus fuerit coram hominibus, & ipse confitebitur eum coram patre suo qui in cœlis est, quia uox tua suauis est, & quis non confiteatur suauem uocem esse ecclesiæ catholicæ fidem ueram confitentis, insuauem uero, & iniucundam esse hæreticorum uocem qui non dogmata ueritatis sed blasphemias in Deum & iniquitatem in excelsum loquuntur. De dentibus ecclesiæ Cant. 6. ita sponsus sponsæ loquitur. Dentes tui sicut greges ouium quæ ascendunt de lauacro. Per dentes qui candidi sunt & fortes & instrumenta sunt cooperantia tam ad masticandum diuidendumque cibum quam ad formandum sermonem, intelligendi sunt in ecclesia perfecti doctores fide constantissimi, innocentiæ puritate candidi, aliis cibum frangentes & masticando exponentes salutem, irriguis affluunt doctrinis, sicut greges pleni sunt aqua in uelleribus cum de lauacro mox ascendunt. De collo ecclesiæ scribitur Cant. 4. Sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculus. Et Canti. 7. Collum tuum sicut turris eburnea. Per collum autem per quod coniungitur corpus capiti, & in corpus cibus traiicitur, & incorporatur, intelliguntur prælati qui cibos doctrinæ, & sacramenta ecclesiastica aliis dispensando Christo, & ecclesiæ alios incorporant. Vnde dictum est Petro Act. 10. Macta & manduca, quia ut dicit Augu. super psal. cxxiii. In ecclesiæ corpus nemo intrat nisi prius occisus moriatur quod fuit ut sit quod non fuit, uenit paganus adhuc in illo idolatria uiuit, inferendus est membris Christi, ut inseratur necesse est ut manducetur, sed non potest manducari ab ecclesia nisi primo mactatus renunciet seculo, tunc mactatur cum credit in Deum, hæc Augu. Tales turris dicti sunt, quia sanctæ uitæ exemplis, & uerbi potestate tanquam propugnaculis ceteris facti sunt turris inexpugnabilis munitionis. De uberibus ecclesiæ Cant. 4. ita sponsus sponsæ loquitur. Pulchriora sunt ubera tua uino. Per ubera quæ lac paruulis infundunt doctores, & magistri in ecclesia designantur, ut dicit glo. Cant. Qui solidos cibos atterendo in naturam lactis conuertunt unde nutriuntur paruuli nuper in fide renati, de quorum numero erat Petrus qui ait, id est. Petrus. 2. Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem. Erat & apostolus Paulus qui ait Corinthiis. Tanquam paruulis in Christo lac potum dedi non escam. 1. Cor. 3. Hæc ubera pulchriora esse uino dicuntur, quia ut ait glo. interli. honestiora, & pulchriora sunt documenta ecclesiæ quam philosophicæ & logicales doctrinæ. Vbi considerandum quòd tam in hoc. iiii. ca. quàm in vii. Cant. ubera ecclesiæ duo esse describuntur, ubi dicitur. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis donec aspiret dies. Duo dicuntur tum quia duo testamenta ex quibus tanquam ex uberibus duobus uniuersum lac emanat quo mater ecclesia suos nutrit filios. Tum quia duplex dicitur esse doctrina, scilicet doctrina credendorum & doctrina agendorum. Assimulantur autem hinnulis capreæ gemellis qui acute uident, & conformitatem habent, quia in doctoribus ecclesiæ facta & dicta sic inter se congruere debent ac sibi respondere, ut sermoni uita concordet.

Dentes

Collum

Vbera

qui pasci in liliis perhibentur.i.scripturarum floridis sententiis & ad castitatis munditiam inuitantibus, in quibus etiam ipse sponsus pascitur. Cantic. 2. Dilectus meus mihi & ego illi: qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, scilicet æternitatis, de qua psalm. lxxxiii. Melior est dies una in atriis tuis super milia. De manibus sponsæ ita ipsa sponsa loquitur Cant. 5. Manus meæ distillauerunt mirram. Per manus autem quibus maximè operamur, & dimicamus, secundum illud psal. cxliii. Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, accipiuntur in ecclesia uiri probi actiuæ uitæ dediti qui in campo communicationum huius sæculi uiriliter se exercentes, & constantissime dimicantes labores, angustias, amaritudines ac tormenta grauissima pro cœlestis uitæ desiderio perferentes clarissima patientiæ, & longanimitatis exempla ceteris reliquerunt. Vnde glo. super illud. Manus meæ distillauerunt mirram dicit.i.exemplum amara patiendi. De uentre ecclesiæ Cant. 7. sic sponsus commendat sponsam. Venter tuus sicut aceruus tritici uallatus liliis. Per uentrem autem in quo fructus generationis concipitur, & formatur, ut ex gl. colligitur, boni coniugati designantur. Dicuntur autem aceruus tritici uallatus liliis. Aceruus propter bonorum operum abundantiam quibus boni coniugati fructus sibi præparant quibus perpetuo reficiantur. Tritici quia pauperum refectioni solicite intendũt. Vallatus liliis, quia ut dicit gl. omnia bona quæ operantur gratia uidendæ claritatis agunt. De cruribus sponsæ potest ratione conformitatis congruenter accipi illud Cantic. 5. quod de cruribus sponsi scribitur. Crura eius columnæ marmoreæ quę fundatæ sunt super bases aureas. Per crura autem quæ corporis sunt columnæ, designantur in ecclesia uiri sapientia, & sanctimonia præstantissimi qui alios suo robore in ecclesia sustentant & corroborant, ut dicit gl. Vnde de beatis apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne. dicit Paulus ad Gal. 2. Qui uidebantur columnę esse, gl.i.sustentatio totius ecclesiæ. De pedibus autem ecclesiæ satis aperte habetur Can. 7. ubi inquit sponsus ipse ecclesiæ. Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis, gl.i. Dei. Per pedes autem qui totum corpus sustentant & portant, intelliguntur in ecclesia apostoli qui Christi fidem in omnem terram prædicando exemplis, & miraculis corruscando deportant, de quibus Esa. 53. & ad Roma. 10. Quàm speciosi pedes euangelizantium bona. gl. pedes Christi sunt apostoli eius prædicationem portando, qui speciosi dicti sunt, quia a puluere peccati mundi. Calciamenta autem istorum pedum ecclesiæ testimonia sunt scripturarum, & sanctorum patrum exempla propter quam tam admirabilem, & speciosam uarietatem membrorum in sponsa merito sponsus ait illi Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula mea non est in te. Et hæc de significatione mẽbrorum corporis ecclesiæ pro nunc dixisse sufficiat.

Manus

Venter

Crura

Pedes

Cap. XLV. In quo ponuntur obiectiones contra illud quod dictum est de capite corporis ecclesiæ.

CONTRA autem ea quæ dicta sunt de capite corporis ecclesiæ arguetur aliquibus rationibus quòd Christus non sit caput ecclesiæ, ut tandem ex illarum solutione splendidior nobis fiat ueritas iam dictorum. Arguitur autem primo quòd Christus non sit dicendus caput sed

Argumẽtũ primũ

potius cor ecclesiæ, quia cor est principium uitæ in toto corpore, sicut sapiens Salomon Prouerb. 4. dicit. Omni custodia custodi cor tuum quoniam ab ipso uita procedit, sed hoc conuenit Christo qui totam ecclesiam uiuificat, secundum illud. 1. Corin. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes uiuificantur, ergo maxime dicendus est Christus cor ecclesiæ. Et confirmatur, quia prior actus animæ est uita, secundus est illuminare & sensificare, & prius procedit uita a corde in membris & postea sensus a capite in membris: ergo a primo actu deberet Christus magis denominari quàm a secundo, & ita magis deberet dici cor ecclesiæ quam caput.

Secundũ — Secundo arguitur sic. Si Christus dicendus esset caput ecclesiæ aut diceretur secundum diuinam naturam, aut secundum humanam, sed nec sic nec sic: ergo nullo modo. probatur minor pro utraque parte, & primo quòd non secundum diuinam naturam, quia unius naturæ sunt caput, & corpus, sed Christus secundum diuinam substantiam, non est eiusdem naturæ cum corpore ecclesiæ, ut de se patet: ergo uidetur quòd Christus secundum diuinam naturam, non sit dicendus caput ecclesiæ.

Secunda pars — Quod nec secundum humanam naturam arguitur sic. A capite enim spiritus animalis ad membra diffunditur, sed spiritus sanctus, non diffunditur a Christo in ecclesiam secundũ quod homo sed inquantum Deus, dicit enim Aug. 15. de tri. quòd Christus nõ dat spiritum sanctum inquantum homo, sed inquantum Deus: ergo Christo secundum humanam naturam, non competit esse caput ecclesiæ.

Tertium — Tertio sic. Sensus & motus traducitur a capite in membra, sed gratia quæ motum uitæ facit in corpore ecclesiæ non est per traductionem ab uno in alium: ergo Christus secundum hanc similitudinem non potest dici caput ecclesiæ.

Quartũ — Quarto gratia capitis non influit nisi ad eos qui iam sunt membra, & nulli sunt membra nisi iungantur per fidem, & charitatem: ergo in nullos influit nisi in habentes fidem, & charitatem, sed habentes fidem, & charitatem habent motum & sensum: ergo uidetur quòd gratia capitis, in nullos influat nec motum, nec sensum: ergo uidetur quòd influere sensum, & motum non competat Christo.

Quintum — Quinto sic. Capitis non est aliud caput, sed caput Christi est Deus, secundum illud. 1. Cor. 12. Caput Christi Deus: ergo ipse Christus non est caput.

Sextum — Sexto confirmatur sic. Vnius corporis unum est caput, sed Christus est caput ecclesiæ secundum diuinitatem: ergo non secundum humanitatem.

Septimũ — Septimo sic. De ratione capitis est quòd habeat omnes sensus qui sunt in corpore, ut dicit Aug. in epistola ad Dardanum, sed aliquis sensus spiritualis est in ecclesia, qui non est in Christo. s. fides & spes: ergo Christus non est dicendus caput ecclesiæ.

Octauum — Octauo. Caput in homine est particulare membrum recipiens influentiam a corde, sed Christus cũ sit uniuersale principium ecclesiæ, non recipit aliquam influentiam ab aliquo membro corporis, sed totum corpus ab ipso secundum illud Ioan. 1. de plenitudine eius accepimus omnes: ergo non est ecclesiæ caput. In oppositum sunt ea quæ dicimus in præcedenti cap.

Cap. XLVI. In quo respondetur obiectionibus iam factis.

Christus est caput ecclesiæ — RESPONDENTES dicimus, quòd quemadmodum tota ecclesia unum corpus mysticum, dicitur per similitudinem ad corpus naturale hominis, ut supra declarauimus: ita Christus dicitur caput

put ecclesiæ, secundum similitudinē humani capitis, in quo est reperire quatuor conditiones respectu aliorum membrorum singulariter. Prima est quia excellit ea dignitate in tribus in altitudine situs quia est prima pars hominis incipiendo a superiori. Secundo in nobilitate propriç uirtutis. s. quia nobiliores uires, ut Imaginatio, memoria & huiusmodi, habent locum in capite. Tertio in perfectione, quia in capite congregantur omnes sensus, cum in aliis membris sit solus sensus tactus. Secunda conditio capitis humani est ꝙ a capite sunt uires animales in aliis membris, & sic dicitur principium aliorum membrorum dans eis sensum, & motum. Tertia est quòd dirigit alia membra in suis actibus propter Imaginationem, & sensus qui in eo fontaliter abundant. Quarta conditio siue proprietas est, quòd est conforme in natura aliis membris. Vnde beatus Amb. in Hexameron. li. vi. de capite ita loquitur. Primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi siquidem, & cœlum eminet ut aer terra mareq; uelut quædam mēbra sunt mundi, ita & caput supra reliquos artus nostri, cernimus eminere præstantissimumq; esse omnium, sicut elementa cœlum tanquam arcē inter reliqua urbis mœnia, in hac arce reliquam regalem quādam habitare sapiētiam secundum propheticum dictum, quia oculi sapientis in capite eius hāc esse tutiorem & ex illa omnibus membris uigorē prudentiamq; deferri. Ratione autem primæ proprietatis. s. perfectionis, omne quod est perfectissimū in quacunq; natura siue dignius in aliquo genere, dicitur caput, sicut leo in animalibus, & inde Esa. 11. dicitur. Senex & honorabilis ipse dicitur caput. Ratione autem secundæ proprietatis, omne principium dicitur caput, sicut fons caput fluminum, & principium uiæ, caput uiæ, secundum illud Hiere. 2. Ad omne caput uiæ posuisti lupanar tibi. Ratione autem tertiæ proprietatis dicitur omnis rector caput sicut rex, dux, pontifex, secundū illud primi Regū 15. Cum esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es. Quātum igitur ad has tres proprietates capitis Christus potest dici caput, & secundū humanam naturam, & secundum diuinam. Secundū diuinam patet primo. s. ratione excellentiæ dignitatis, & perfectionis, quia secundū diuinā naturā est plenitudo in eo omnis diuinitatis, ut dicit apostolus ad Col. 2. Vnde est super omnes Deus benedictus in secula, ad Ro. 9. Secundo patet ratione secundæ proprietatis, quia ab ipso inquantū Deus est in nobis omnis spiritualis gratia. Tertio patet ratione tertiç proprietatis quia ipse Deus mouet regit, & dirigit nos in semetipsum. Secundū ét humanam naturā cōpetunt he proprietates capitis Christo. Primo quia humana natura in Christo dignissima, est tū ratione altitudinis, quia est usq; ad unionem in persona diuina exaltata, tū ratione propriç operationis, quia dignissimū actū habuit in ecclesia s. redimere ipsam & ædificare in sanguine suo tum ratione perfectionis, quia omnis gratia in eo est, sicut omnes sensus in capite, secundū illud Ioā. 1. Vidimus eum plenum gratia, & ueritate. Secunda proprietas capitis etiam cōuenit ei secundum humanā naturam, quia per Christum sensum fidei, & motum charitatis accepimus. Ioā. 1. Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Item ibidē. De plenitudine eius omnes accepimus. Tertia proprietas capitis similiter ei conuenit, ipse est enim rex, & pontifex noster, ad Hebr. 4. Habemus pontificem qui penetrauit cœlos Iesum filium Dei, ipse quidem direxit nos doctrina, & exemplo. Cœpit autem Iesus facere & docere. Actuum primo. Sed quarta conditio conuenit Christo in humanam naturam tantum

& hæc complet in ipso rationem capitis, quia Christus secundum humanam naturam habet perfectionem homogeneam cum aliis, & est principium quasi uniuocum & est regula conformis,& unius generis. Vnde communiter loquendo Christus secundum quòd Deus potest dici caput ecclesiæ simul cũ patre,& spiritu sancto, sed propriè loquendo est caput, secundum humanam naturam,& dicitur gratia capitis secundum quam prædictæ proprietates ei conueniunt, & præcipue secundum quòd influit aliis membris, de qua propheta psalm.cxxxii. Sicut unguentum in capite quod descendit. s. a capite in barbam. Barbam.i.in primos qui Christo capiti inhæserunt, & descendit usque in oram uestimenti.i.per omnes status ecclesiæ, usque ad finem mundi.

Ad primum

Nunc uenit respondendum ad argumenta. Ad primum quod obiicitur quòd debeat potius dici cor ecclesiæ quàm caput, dicitur quòd potius est dicendus caput quàm cor propter tria. Primo, & est ratio sancti Tho. in. 3. parte, quia caput habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam. & ideo cordi comparatur spiritus sanctus, qui inuisibiliter ecclesiam uiuificat, & unit capiti. Item comparatur Christus secundum uisibilem naturam qua homo hominibus præfertur. Secunda ratio est quam assignat sanctus Thom. in.3.senten. quia cor est principium omnium membrorum quantum ad esse, ut dicit Philosophus, sed caput est principium aliarum uirium, quæ pertinent ad sensum & motum, & quia cum dicimus Christum esse principium membrorum ecclesiæ non intendimus quantum ad esse naturale secundum quòd sunt homines sed quantum ad fidem,& charitatem per quam membra ecclesiæ uniuntur. ideo accommodatius dicitur caput quàm cor. Tertia ratio, & est magistri Alex.de Alis in.iii.quòd sicut dicit Aug.in lib. de spiritu & anima, triplex est uis animæ ad corpus.s.uis naturalis, quæ operatur in epate sicut est uis nutritiua, digestiua, retentiua & expulsiua,& augmentatiua. Secunda est uis Vitalis quæ operatur in corde. Tertia est uis animalis, quæ operatur in cerebro, unde est motus & sensus in membris. operationes autem uirtutis naturalis omnino sunt inuoluntariæ nec sunt subiectæ rationi. operationes uero animales omnino sunt subiectæ rationi,& ideo recipiunt imperium ab anima. operationes autem uitales partim sunt subiectæ rationi partim non, & ideo partim sunt uoluntariæ,& partim naturales. Quia autem ille motus qui est a Christo capite in corpus ecclesiæ omnino est secundum motum uoluntarium qui simpliciter non est naturalis, uel uitalis; ideo licet sint aliquę similitudines propter quas posset Christus dici cor ecclesiæ, nihilominus potius debet dici Christus caput ecclesiæ metaphoricè, quàm cor, uel epar. Vnde ipse Apostolus Paulus in suis epistolis, sæpe Christum caput ecclesiæ appellat, cor autem non.

Ad secundum

Ad secundum quod obiicitur, quòd Christus non sit caput secundum diuinam naturam, respondetur, quòd secundum illã proprietatem capitis quæ est conformitas naturæ, ad alia membra corporis Christus non est caput ecclesiæ, sed bene secundum alias tres proprietates supra positas.

Ad secundam partem

Ad aliam partem eiusdem argumenti quod obiicitur quòd Christus non sit caput secundum humanam naturam. Respondetur quòd dare spiritumsanctum est dupliciter. s. auctoritate, & ministerio. Auctoritate quidem tantum Dei est, sed ministerio dicuntur etiam sancti homines dare spiritumsanctum inquantum, scilicet per ministerium eorum datur a Deo sicut Paulus dicit Gal.3. Qui tribuit nobis spiritum, gl. ministerio, non auctoritate,

ritate, & hoc modo Christo secundum quòd est homo, conuenit dare spiritumsanctum non auctoritatiue, sed instrumentaliter siue ministerialiter inquantum eius humanitas fuit instrumentum deitatis: & ita actiones ipsius ex unitate deitatis sunt nobis salutiferæ, utpote gratiam in nobis causantes, & per meritum, & efficaciam quandam. Augu. autem negat Christum secundum quòd est homo dare spiritumsanctum per auctoritatem, instrumentaliter autem siue ministerialiter non. cum hoc modo etiam aliis sanctis, ut dictum est, conueniat dare spiritumsanctum. Ad tertium quod obiicitur, quòd gratia non sit per traductionem, dicendum quòd in hoc, quod de plenitudine Christi omnes accepimus, est aliquid simile traductioni quamuis non sit propriè traductio, & hoc sufficit. Est ergo similitudo quantum ad ipsum spiritum. s. increatum, qui idem numero est in capite, & in membris, & aliquo modo a capite ad membra descendit non diuisus, sed unus. Est autem dissimilitudo quantum ad ipsum donum, secundum quod spiritus sanctus in nobis habitat, quia illud non traducitur de subiecto in subiectum. sufficit autem ad hoc, quòd aliquis habeat similitudinem capitis similitudo dicta non traductionis. Ad quartum quod obiicitur, quòd caput non influat nisi in unita membra, dicendum ut dicit Bonauentura in. iii. quòd hoc habet ueritatem in eo capite quod habet determinatam potentiam, & non potest sibi mébra unire nec de non membro membrum facere, sed non habet ueritatem, nec locum in capite Christo qui potest secundum diuinam naturam hoc facere, & secundum humanam mereri, & impetrare, & ita sensum, & motum primo influere, & continuare. Ad quintum quod dicitur, quòd capitis nō est aliud caput. Dicendum quòd in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia, sic enim non esset similitudo, sed rei ueritas, capitis igitur materialis non est aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius corporis, sed corpus similitudinariè dictum id est aliqua multitudo ordinata est pars alterius multitudinis, sicut multitudo domestica est pars multitudinis ciuilis, & ideo paterfamilias qui est caput multitudinis domesticæ habet supra se caput rectorem ciuitatis, & per hunc modum nihil prohibet caput Christi esse Deum, cum tamen ipse sit caput ecclesiæ. Est tamen aduertendum quòd Christi caput dicitur Deus non secundum completam rationem capitis, est enim caput ipsius secundum, quòd est principium eius. Principium autem est secundum humanitatem & diuinitatem, sed inquantum est principium eius secū.dum humanitatem deficit quarta conditio capitis, quæ est conformitas in natura. inquantum autem est principium eius secundum diuinitatem sic deficit prima, quia pater non habet maiorem dignitatem quàm filius qui eiusdem maiestatis sunt honoris, & gloriæ. Ad sextum quod obiicitur, quòd caput recipit influentiam a corde, dicendum, ut dicit magister Alexander de alis in. iij. quòd non est per omnia simile de capite, & corpore materiali, & spirituali, quia in capite materiali ita est, quòd cum influat ad corpus, & ad singula eius membra ipsum tamen caput indiget aliis membris. unde alia mumbra influunt ipsi. sicut enim a capite influit sensus ipsi corpori, ita a corde influit uita capiti. & similiter ab epate influit nutrimentum ad caput sine quibus non potest esse caput. unde mutuò sibi seruiunt caput, & membra, unde caput materiale non solum se habet in ratione influentis ad alia membra, sed etiam in ratione recipientis ab ipsis, quia se habent in mutua indigentia, ita quòd membra indi

Ad tertiū

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextū

gent capite, & econuerso. Vnde. 1. Cor. 12. Non potest autem oculus dicere manui opera tua non indigeo, nec caput pedibus, non estis mihi necessarii. Sed Christus secundum humanitatem, qui est caput spirituale respectu corporis spiritualis, scilicet ecclesiæ, non indiget membris suis. unde se habet ad ipsa solum in ratione influentis, & non ab ipsis recipientis, & ita ex hac potius parte competit sibi ratio capitis in qua importatur principium & origo respectu corporis mystici quam capiti materiali respectu sui corporis.

Ad septimum — Ad septimum respondetur negando consequentiam. unde cum enim Deus & homo unus sit Christus per hoc quòd Christus secundum diuinitatem, & humanitatem dicitur caput ecclesiæ non sequitur quòd ecclesia habeat duo capita. Ad octauum — Ad octauum respondetur quòd quicquid perfectionis est in fide, & spe totum conuenit Christo, solum autem quantum ad id quod imperfectionis est de ipso negatur.

Cap. XLVII. In quo declaratur qualiter Christus possit dici membrum ecclesiæ, & qualiter non.

SVRGIT non immerito ex dictis dubitatio, An, sicut ratio capitis respectu corporis ecclesiæ Christo attribuitur, ita ratio membri eiusdem corporis eidem conueniat, & uidebitur fortassis alicui quòd sic. Tum *Probatio prima* caput naturale ad cuius similitudinem Christus dicitur caput ecclesiæ non modo dicitur caput corporis naturalis, sed etiam membrum illius principale. Nam cor caput & epar designantur principalia membra corporis: ergo similiter Christus potest dici membrum corporis mystici, cum sit caput illius. *Secunda* Tum secundo ex illo Apostoli. 1. ad Cor. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro, gl. i. de Christo capite & cum membro nostro. Sed quod Christus secundum quòd ratio capitis, & respectu corporis ecclesiæ ei attribuitur secundum humanitatem dici non possit membrũ ecclesiæ, sic ostenditur. Pro quo considerandum cum sancto Tho. in. 3. sen. quòd in nomine capitis importatur principiũ, & origo alicuius rei. In nomine aut membri importatur partialitas quæ repugnat rationi primæ originis, quia in prima origine sunt omnia uirtute, quæ inueniuntur in originatis, & ideo non potest dici membrum quod non recipit ab aliquo alio influentiam, quia autẽ caput in naturali corpore non solum influit aliis membris, sed etiam ab aliis accipit, ut nutrimentum, & alia obsequia: non tantum caput, sed etiam cõmembrum dicitur: sed Christus secundum quòd homo non recipit aliquid ab aliis membris ecclesiæ, sed a solo Deo. unde non potest dici membrum secundum quòd caput ecclesiæ dicitur ipse secundum humanitatem, potest autem dici membrum secundum humanitatem, secundum quòd ipse est caput ecclesiæ, secundum diuinitatem, sic enim eius humanitatis comparata ad diuinitatem est membrum ipsius diuinitatis quę est caput, quia ipsa diuinitas cui est unita ipsa humanitas mouet ipsam humanitatem, & sensificat eam sicut caput membra. Et hoc modo Christus est membrum corporis ecclesiæ, cuius caput est ipsa diuinitas. & sic dicit apostolus id quod supra allegatum est. 1. Cor. 12. Vos estis corpus, & membrum de membro. i. de Christo capite. unde appellat Christũ caput secundum humanitatem esse membrum respectu diuinitatis. Præterea sanctus Tho. in. 4. sent. dist. xlix. notat circa hanc partem quòd nomen ecclesiæ dupliciter accipitur. Quandoq; enim nominat tãtummodo corpus quod

Christo

Christo coniungitur sicut capiti,& sic ecclesia tantum habet rationem spon sæ.& hoc modo uerè non est ecclesiæ membrum,sed est caput influens omnibus aliis membris. Alio modo accipitur ecclesia secundum quòd nominat caput,& membra coniuncta,& sic Christus potest dici membrum ecclesię in quantum habet distinctum officium ab omnibus aliis. s. influere aliis uitam quamuis non multum proprie dicatur membrum , quia membrum importat partialitatem quandam in Christo autem bonum spirituale, non est particularizatum, sed est totaliter integrum. Vnde ipse est totum ecclesiæ bonum, nec est aliquod maius ipse cum aliis quam ipse solus. Sic autem loquendo de ecclesia, non ecclesia nominat tantum sponsam,sed sponsum,& sponsam, prout per coniunctionem spiritualem est ex eis unum effectũ. Vnde beatus Aug. super psal.xxx.ita ait. Vnus dicitur Christus caput,& corpus suum, ipse dicit cum de coniugio loqueretur. Erunt duo in carne una, igitur iam non duo sed caro una fit: ergo tanquam ex duobus una quædam persona ex capite,& corpore ex sponso,& sponsa. Nam unitatem personæ huiusmodi miram, & excellentem commendat. Esa. propheta. Nam loquẽs etiam in eo Christus in propheta ait. Sicut sponso alligauit mihi mitram,& sicut sponsam ornauit me ornamento. Se dixit sponsum,se dixit sponsam,quare se sponsum, quare se sponsam nisi quia erant duo in carne una? hæc Aug. Vnde licet propter hanc uariam acceptionem nominis ecclesiæ Christus aliquo modo dicatur membrũ ecclesiæ eo.s.modo quo superius declarauimus,nullo tamen modo potest dici membrum sponsæ. Patet etiam ex dictis responsio ad obiecta. Ad primũ autem quod obiicitur,quòd caput naturale non tantum dicitur caput,sed etiam membrum corporis,dicendum est quòd non est per omnia simile de capite naturali corporis materialis,& de spirituali sicut dictum est , quia naturale non solum influit aliis membris,sed etiam accipit ab eis , non sic autem Christus qui nihil accipit a corpore ecclesiæ,sed a solo Deo. Et inde est ꝙ proprie loquendo Christus non potest dici proprie membrum ecclesiæ , secundum quòd caput ecclesiæ dicitur ipse,secundum humanitatem. Ad dictum apostoli.1.Cor.12.patet responsio ex iam dictis. Dictum est enim quòd apostolus appellat ibi Christum caput secundum humanitatẽ esse membrũ respectu diuinitatis. Vel dicendum,ut dicit dominus Petrus de Tarantasia, ꝙ Christus est caput excellentia gratiæ,& membrum conformitate naturę.

Sermone primo

Ad primam

Ad secundam

Cap. XLVIII. Quòd Christus secundum quòd homo fuit caput fidelium,non tantum eorum qui fuerunt post incarnationem , sed etiam illorum,qui a principio incarnationem præcesserunt.

CVM autem ex superius dictis circa c.xxii.a principio humani generis ecclesia esse cœperit , & ecclesiæ corpus nullo unquam tempore acephalum fuisse credendum sit:iam restat ostendendum Christum semper a principio ex quo homines sancti esse cœperunt in terra caput ecclesiæ fuisse non modo secundum diuinitatem , sed etiã humanitatem. Quòd autem Christus secundum diuinitatem caput fuerit ecclesiæ ante incarnationem non habet dubitationem cum ipse Deus principiũ fundator, & illustrator illius sit. Omnes enim qui a principio humani generis usque in finem generantur, uirtute diuinitatis illustrantur,& in unum corpus ecclesiæ tanquã uiua membra compaginantur. Quòd autem secundum humanitatẽ Christus

Christus semper fuit caput ecclesiæ

caput etiam fuerit omnium fidelium qui incarnationem eius præcesserunt, patet multipliciter. Primo, quia super fidem humanitatis Christi fundata est ecclesia. 1. Corin. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus gl. i. fides Christi quæ per dilectionem operatur. Vnde gl. super illud Col. 1. Ipse est caput corporis ecclesiæ, quærit, Cum ecclesia ab Abel cœperit, quomodo homo Christus caput est eorum qui ante fuerunt? & respondens dicit. bene, quia ipse est principium ecclesiæ secundum diuinitatem id est fundator ecclesiæ, quia omnes iustos qui ab Abel usque ad ultimum iustum generantur uirtute diuinitatis, & misericordiæ suæ dono illuminauit secundum humanitatem. Potest etiam dici principium ecclesiæ, quia super fidem humanitatis eius fundata est, hæc glo. Cum ergo ecclesia fundata sit super fidem humanitatis Christi, & eadem fides fuerit patrum ante incarnationem, & post, ad Ephe. 4. Vnus Deus, una fides, solum enim tempus uariatum est, ut ait Aug. quod enim a nobis creditur iam factum esse, id ab aliis futurum esse credebatur. manifestum est Christum caput fuisse fidelium præcedentium incarnationem sicut sequentium. Et confirmatur. Aut enim dicitur caput ecclesiæ facta incarnatione propter naturam assumptam, in qua hominibus factus est conformis in natura. Aut propter fidem humanitatis eius. Non primo, quia hac ratione equaliter infidelium hominum diceretur caput, sicut & fidelium iustorum quod esset inconueniens. Si secundo. s. propter fidem qua creditur Deus & homo, sed fides manet eadem in sanctis ante incarnationem & post. dicit enim Aug. lib. de nuptiis & concupi. Eadem fides mediatoris quæ nos saluat, saluos iustos faciebat ant. quos pusillos cum magnis: quia sicut credimus Christū in carne uenisse, ita illi uenturum. & sicut nos mortuum, ita illi moriturum. & sicut nos resurrexisse, ita & illi resurrecturum: & nos & illi ad iudicium uiuorum, & mortuorum uenturum: ergo uidetur, quòd Christus secundum quòd homo caput sit dicendus præcedentium iustorum, sicut & illorum qui post incarnationem fuerunt. In testimonium huius Mar. 11. legitur quòd qui præibant & qui sequebantur, clamabant dicentes. Osanna, benedictus qui uenit in nomine domini. Super quo dicit uenerabilis Beda, & habetur in gl. & qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, præcessit iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes qui fideles sunt, uel fuerunt in Christum crediderunt, & credunt, & qui præeunt & qui sequuntur. Osanna clamabant quòd salua latinè dicitur. ab ipso enim omnes priores etiam salutem quæsierunt. Benedictus qui uenit in nomine domini, quoniam una fides, una spes omnium illi expectabant, & uenturum credebant, & nos uenisse credimus, hæc gl. Et beatus Greg. super Ezech. Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant. Osanna benedictus qui uenit in nomine domini, quia omnes electi qui in iudæa esse potuerunt siue qui nunc in ecclesia sunt, in mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt: ergo manifestum est unum, & idem fuisse, & esse caput præcedentium, & sequentium fidelium scilicet Christum quem omnes saluatorem clamabant. Item hoc patet ex illo Apostoli. 1. Thim. 4. de Christo ita loquentis. Qui saluator est omnium hominum & maxime fidelium gl. quos saluat hic, & in futuro secundum corpus, & animam. Et beatus Ioan. euangelista loquens de Christo ita ait. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. Io. 2. ubi gl. Aug. Non pro nostris tantum qui in carne uiuimus, sed

pro

pro omni ecclesia. Saluare autem homines, aut propitiationem esse pro peccatis competit Christo secundum quòd est caput: ergo relinquitur ꝙ Christus etiam secundum quòd homo caput fuerit omnium fidelium, qui etiam eius incarnationem præcesserunt. Vnde Aug. super psal. xxxvi. tractans illud, Iunior fui etenim senui. Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos omnes qui ab initio seculi fuerunt iusti caput Christum habent; illum enim uenturum esse crediderunt quem nos uenisse iam credimus, & in cuius fide, & ipsi sanati sunt & nos, ut ipse esset caput totius ciuitatis Hierusalem connumeratis fidelibus ab initio usque in finem. Ceterum cum ecclesia, ut dictum est dicatur unum corpus ad similitudinem corporis humani naturalis, in quo membra adinuicem per neruos, & iuncturas colligata dicuntur unum per continuationem: necessario membra ecclesiæ adinuicem continuari dicenda sunt secundum prius, & posterius in tempore a principio ecclesiæ usque in finem seculi. Hoc autem non est nisi per fidem Christi, quæ ut dictum est, una est in omnibus sanctis: ergo uidetur quòd Christus a principio ecclesiæ usque in finem seculi sit dicendus caput ecclesiæ. Amplius per simile ostenditur hoc. In malis caput quædam membra secutum est tempore, & nihilominus dicitur caput eorum: multo fortius ergo hoc erit in bonis mēbris quæ influxum sensus, & motus suscipiunt a capite: sed ita est in malis, quòd licet membra quædam præcesserint caput tempore, dicuntur nihilominus membra eius futuri capitis, sicut de antichristo dicit beatus Isid. lib. de summo bono, quòd antequam ueniat antichristus multa eius membra præcesserint, & præuaricationis merito caput proprium præueniunt: ergo multo fortius credendum est de membris ecclesiæ, quòd licet aliqua tempore præcesserint incarnationem Christi, nihilominus caput eorum Christus dicendus sit. Ex his autem quæ iam diffinita sunt, aperte confutatur error dicentium quòd Christus in incarnatione incepit esse caput ecclesiæ, & quòd solum post incarnationem inceperint homines Christo incorporari.

Cap. XLIX. In quo ponuntur obiectiones contra hoc quod dictum est, quòd Christus secundum quòd homo fuerit caput fidelium, qui incarnationem præcesserint.

QVONIAM hæc fidei ueritas clarius elucescet, si aliquæ obiectiones quæ contra eam moueri solent, in medium deducantur: afferemus illas in medium quibus tandem respondebimus. Obiicitur autem primo sic. Christus ante incarnationem non fuit homo: ergo non est dicēdus ante incarnationem fuisse caput ecclesiæ secundum quòd homo. consequentia est manifesta, quia cum tales conditiones consequentes sint ad esse rei quando non erat humanitas: non uidetur quòd potuerit dici Christus caput secundum humanitatem. Secundo sic. Christus proprie dicitur caput ecclesiæ per conformitatem naturæ quam habet cum ecclesiæ corpore, sed ante incarnationem non erat conformis in natura cum ecclesia: ergo respectu fidelium qui incarnationem præcesserunt Christus non potest dici ecclesiæ caput secundum humanitatem. Si dicatur quòd licet Christus non esset in rerum natura secundum humanitatem erat tamen in fide patrum. Contra,

Arg. primum

Secundū

Replica

Christus secundum quòd est caput ecclesiæ gratiam membris infundit: si ergo ad rationem capitis sufficit quòd Christus sit in fide credētium, uidetur quòd equalis copia gratiæ fuerit in ueteri testamento sicut & in nouo, quod est falsum. Tertio sic. Sacramenta ueteris legis comparantur ad Christū sicut umbra ad corpus, ut dicitur Col. 2. sed patres ueteris testamenti sacramentis illis suo tempore seruiebant, secundum illud ad Heb. 8. Exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium. Non ergo pertinebant ad corpus Christi, & ita Christus non est caput eorum. Quarto. Caput cum sit principium membrorum non sequitur membra, sed multi sancti præcesserunt Christi incarnationem: ergo Christus secundum quòd homo non est caput illorum. Quinto. Caput cum sit principium aliorum membrorum, naturaliter præcedit membra, prius enim egredietur & postea corpus. Vnde dicit Solinus. Contra naturam est in pedes procedere nascentes. Si ergo corpus mysticum sit ad similitudinem corporis naturalis, ut dictum est supra, sequitur quòd primo sit caput & postea membra: ergo respectu eorum qui præcesserunt Christi humanitatem Christus non potest dici caput secundum quòd homo. Item confirmando illam rationem arguitur sexto sic. Caput dicitur quia influit membris sensum, & motum, sed Christus secundum quòd homo non influebāt ecclesiæ ante incarnationem, cum nondum esset homo, & quòd non est, nó potest agere, & per consequens non poterat dici caput illius, processus est notus. Si dicatur ꝙ licet nondum esset in rerum natura, erat tamen in fide patrum. Contra confirmando rationem factam arguitur septimo sic. Omnis propositio cuius subiectum est ens rationis, & prædicatum est ens naturæ, est falsa, sicut si dicatur. Genus currit & species ambulat, sed Christus secundum quòd est in fide significatur, ut res rationis. Cum igitur esse caput uel influere dicat rem naturæ, uidetur quòd hæc propositio sit falsa. Christus secundum ꝙ est in fide patrum est caput ecclesiæ uel influit ecclesiæ membris. Octauo sic. Caput est principium membrorum suorum, sed Christus secundū quòd homo non potest dici principium ecclesiæ a principio, sed solum secundum diuinitatem, sicut colligi uidetur ex gl. Luc. 3. super illud. Factum est uerbū domini, ubi dicitur quòd ecclesia non ab homine sed a uerbo: ergo Christus secundum quòd homo non est dicendus caput ecclesiæ ab initio. Nono sic. Dicit August. super psalm. cxlviij. uerbum caro factum est, ut fieret caput ecclesiæ. Verbum enim ipsum non est caput ecclesiæ, sed ut etiam esset caput ecclesiæ carnem assumpsit: ergo id quod prius. Decimo per simile idem probatur sic. Super illud. 1. Thimo. 1. Regi seculorum, dicit gl. sic. Homo assumptus a uerbo ex eo tempore rex est futurorum ex quo assumptus est a uerbo. nam præteritorum seculorum non extat rex homo ille, quia non erat, hæc gl. Ergo pari ratione Christus secundum quòd homo nó est dicendus caput ecclesiæ secundum tempus præteritum, cum tunc non esset homo. Vndecimo ecclesia fuisset etiam si homo non peccasset, non autem tunc uerbum Dei humanam naturam assumpsisset. unde gl. super illud. 1. Thi. 1. Christus Iesus uenit in mundum peccatores saluos facere, dicit gloss. August. Nulla causa ueniendi Christo domino nisi peccatores saluos facere, tolle uulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ. Ecclesia autem sine capite esse non potest: ergo Christus non est caput ecclesiæ secundū humanā naturā. Et confirmatur quia unius corporis unū est caput, sed Christus caput est ecclesiæ secundū diuinitatē: ergo non secundū humanitatē: ergo &c.

Tertium | Quartū | Quintum | Sextum | Septimū | Octauum | Nonum | Decimū | Vndecimum | Confirmatio

Cap.

Cap. L. In quo respondetur ad obiectiones am positas.

AD rationes autem prædictas quibus probatur quòd Christus non fuerit caput secundum quòd homo omnium fidelium a principio nascentis ecclesiæ, facilis responsio est. Dicimus enim quòd corpus ecclesiæ nunquam fuit acephalum, sed semper habuit Christum caput secundum diuinitatem, & humanitatem, ut plene induximus. licet enim Christus secundum humanitatem non esset a principio mundi: fides tamen de eius diuinitate, & humanitate secundum quam omnium membrorum colligatio erat ad ipsum, & inter se semper a principio fuit. Vnde August. ad optatum. Eadem est fides nostra, & antiquorum, proinde cum omnes iusti siue ante incarnationem siue post, nec uixerunt, nec uiuant nisi ex fide incarnationis Christi. Profecto quod scriptum est. Act. 4. Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat saluari nos, ex illo tempore ualet ad saluandum genus humanum, ex quo in Adam est uitiatum, hæc August. Vnde licet Christus secundum quòd homo, tempore multos sanctos secutus fuerit, nihilominus omnium caput dicendus est. Cuius exemplum Augu. li. de cathezizandis rudibus ponit, quod exemplum habetur Genesi. xxxvi. de filiis Iudæ, in quorum natiuitate Zaram prior eduxit manum in qua obstetrix ligauit coccinum dicens. Iste egredietur prior, illo uero retrahente manum egressus est alter. Et dicit Augu. quòd sicut Zaram dum nasceretur prior emisit manum post nodum caput secutum est deinde cetera membra, sed tamen caput dignitate, & potestate præcellit licet tempore sequeretur, ita Christus mediator Dei, & hominum in patriarchis, & prophetis præmisit manum antequam appareret in carne uinculis legis superbum populum constringentem siue comprimentem. Tempore autem nascendi secutum est, caput toti ecclesiæ, cui adhæserunt omnes fideles. Relinquitur ergo quòd fuit caput fidelium præsentium, & antiquorum. Ad primum obiectum in contrarium dicendum, ut dicit Alexander de Alis in. 3. quòd Christus non dicitur caput eo quòd est homo in re, sed eo quòd est homo in fide in qua creditus est esse homo. ideo est caput, hoc enim modo similiter se habet ad antiquos, & præsentes quia est eadem fides, horum & illorum, ut dictum est. Vel dicendum, & breuius, ut dicit sanctus Thom. quòd licet homo Christus ante incarnationem non esset in rerum natura, erat tamen in fide patrum, & hoc sufficiebat ad rationem capitis, ut magis ex dicendis apparebit. Ad probationem quando dicitur, quòd conditiones sequuntur esse rei, & ita esse caput consequitur esse humanitatis in Christo, respondetur dupliciter. Primo quòd sicut esse creditum filium Dei, assumpturum humanitatem, non ponit filium Dei esse hominem cum creditur, sed in aliquo tempore futurum esse, sic nec conditio qua dicitur caput. Vnde non est simile de capite corporis naturalis, & de capite corporis mystici. Secundo respondetur, quòd ratio capitis dupliciter Christo, secundum humanitatem potest conuenire. Vno modo per actionem suam in nos merendo nobis, & satisfaciendo pro nobis, & hoc modo conditio capitis, sequitur esse rei. Alio modo potest conuenire sibi ratio capitis per actionem nostram in illum inquantū credendo in eum iustificamur, & hoc modo códi-

Respōsio

Ad primum

tio capitis non sequitur esse rei in natura, sed esse rei in fide, & ita in proposito, sicut clarius ex dicendis habebitur. Ad secundum quod obiicitur de conformitate naturæ patet responsio ex dictis. licet enim Christus ante incarnationem non fuerit actu conformis naturæ cum hominibus. erat tamen fides infallibilis, quòd per assumptionem humanitatis talis erat futurus.

Ad secundum

Ad replicam

Ad replicam autem quæ fit quòd sequeretur ex solutione ista quòd equalis copia gratiæ fuisset in ueteri testamento, & in nouo negatur consequentia, quia ut dicit sanctus Tho. in. q. de ueritate. Cum ante incarnationem non esset meritum Christi in actu, & satisfactio. ideo non erat tanta plenitudo gratiæ sicut est post. Præterea dicit sanctus Tho. Tanta gratiæ influentia non fuit ante incarnationem quanta est modo, quia tunc nondum remotum erat obstaculum, nec sacramenta gratiæ erant exhibita sicut modo sunt. Ad tertium in quo obiicitur quòd patres ueteris testamenti deseruiebant sacramentis legalibus, dicendum ut ait sanctus Tho. in tertia parte quòd sancti patres non insistebant sacramentis legalibus tanquam quibusdam rebus, sed sicut Imaginibus, & umbris futurorum. Idem autem est motus in Imaginem inquantum Imago & in rem, ut patet per philosophum in lib. de memoria & remini. & ideo antiqui patres seruando legalia sacramenta ferebãtur in Christum per fidem, & dilectionem eandem qua & nos in Christum ferimur. & ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus ecclesiæ ad quod nos pertinemus, & ita respectu omnium fidelium Christus caput est. Ad quartum quod obiicitur quòd caput non sequitur membra sed præcedit: respondetur quòd quamuis Christus non fuerit incarnatus tempore patrum ueteris testamenti: erat tamen incarnatio ipsa in Dei ordinatione, & in fide ipsorum patrum, per quam fidem iustificabantur, quia tempora mutata sunt, & non fides, ut dicit Aug. Ad quintum quod inductum est, pro confirmatione præcedentis, quòd caput naturaliter præcedit membra: respondetur quòd non est simile de capite corporis naturalis, & de capite corporis mystici in hac parte quoniam caput corporis naturalis præcedit siue est ante alia membra exteriora, quod dicitur propter cor quod est simpliciter primum membrum. Caput autem corporis mystici non præcedit tempore omnia membra sui corporis. Vnde glo. Aug. super illud psal. lxi. Quousque irruitis in hominem, dicit sic. Ad caput pertinent membra quæ ante caput prodierunt, sed nunquid prodierunt aliqua ante caput? utique, quia caput dicit in psalm. lxx. mater syon. unde diceret mater syon nisi aliqua præcessissent de quibus natus fuisset: præcedit tamen membra sua dignitate, & perfectione uirtutis. Vnde Colo. 1. dicit Apostolus de eo. Ipse est caput corporis ecclesiæ qui est principiũ: primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus, gl. tam prioribus, quam sequentibus primatum tenens. Et ad Roman. 1. dicit idem Apostolus. Qui prædestinatus est filius Dei in uirtute secundum spiritum sanctificationis, gloss. i. sine meritis sola gratia prælectus, ut esset caput nostrum. Cum autem ratio capitis ex dignitate, & non temporis prioritate accipiatur, aperte datur intelligi rationes omnes, quæ fiunt ex prioritate temporis qua multa tempora præcesserunt Christi incarnationem non procedere. Ad sextum quod obiicitur, quòd Christus ante incarnationem secundum quòd homo non influebat membris, respondetur ut sanctus Thom. dicit in. q. de ueritate, quòd Christus secundum quòd homo mediator est inter Deum & homines, ut dicitur Thimo. 1. Vnde sicut Deus dicitur nos iustificare dupliciter

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

citer.s. per actionem suam inquantum est causa efficiens nostrę salutis,& per operationem nostram inquantum est finis a nobis creditus,& amatus, ita etiam Christus secundum quòd homo dupliciter nos iustificare dicitur. Vno modo secundum suam actionem inquantum nobis meruit,& pro nobis satisfecit, & quantum ad hoc non poterat dici influere membris, & ita nec caput ante incarnationem. Alio modo per operationem nostram in ipsum secundũ quòd dicimur per fidem eius iustificari,& per hunc modum poterat esse caput ecclesiæ ante incarnationem secundum humanitatem, utroq; autem modo est caput ecclesiæ,secundum diuinitatem ante & post. Argumentum autẽ non procedit,quia Christo conuenit ratio capitis , non solum per actionem suam ad quam requirebatur existentia realis humanitatis Christi , ut ratio probat,sed etiam per actionem nostram in ipsum, ad quam sufficit existentia fidei in cordibus fidelium de futura incarnatione eius .

Ad septimum

Ad septimum quod obiicitur,quòd esse caput dicat rem naturæ,&c.respondetur negando minorem : quoniam ut sanctus Tho.dicit in.q.de ueritate , esse caput uel influere per actionem nostram in ipsum Christum inquantum in eum credimus non est prædicatum quòd sit res naturæ,sed quòd sit res rationis. unde ratio non procedit .

Ad octauum

Ad octauum quod obiicitur,quòd Christus non possit dici principium ecclesiæ secundum quòd homo,respondetur, quòd assumptum est falsum,quoniam ut supra habitum est ex gl.Col.1.Christus etiam secundum ꝙ homo principium potest dici ecclesiæ , inquantum in fide humanitatis eius fundata est. Ad gl.super Luc.dicendum quòd non loquitur de homine Christo qui erat Deus,& homo : sed de alio homine qui erat tantum homo sicut Ioannes baptista.

Ad nonũ

Ad nonum respondetur quòd Aug . non negat simpliciter Christum caput fuisse ecclesiæ ante incarnatione n secundum aliquas capitis conditiones , cum in superioribus deductum sit ex dictis Aug . oppositum,sed negat eum caput fuisse ante incarnationem quantum ad proprietatem siue conditionem conformitatis naturæ quæ est inter caput & membra, ante quippe incarnationem inter uerbum , & homines non erat huiusmodi conformitas.

Ad decimum.

Ad decimum quod obiicitur, quòd Christus non fuerit rex seculorum præteritorum secundum quòd homo, &c. Dicendum quòd non est simile de ratione regis,& ratione capitis:quia cum rex dicatur a regendo non potest competere potestas regendi non existenti in rerum natura.Ratio autem capitis cum Christo attribuatur non solum per actionem suam in nos sed etiam per actionem nostram in ipsum inquantum in ipsum credimus , sicut sæpe dictum est,nonsolum præsentium,& futurorum fidelium Christus dicitur caput,sed etiam præteritorum qui in ipsum credentes iustificabãtur.

Ad undecimum

Ad undecimum in quo arguitur quòd ecclesia fuisset,& si non peccasset, &c. Dicendum cum sancto Tho.in.q.de ueritate quòd supposita illa positione ꝙ Christus non fuisset incarnatus si homo non peccasset, Christus ante peccatum fuisset caput ecclesiæ secundum diuinam naturam solum. sed post peccatum oportet quòd sit ecclesiæ caput secũdum humanam : natura humana sic uulnerata,& ad sensibilia demersa est,ut ad inuisibilem uerbi gubernationẽ non sit sufficienter idonea . unde oportuit medicinam uulneri adhiberi per humanitatem Christi per quam Christus satisfecit. Oportuit ergo quòd uisibilem naturam assumeret,ut per uisibilem gubernationem ad inuisibilia homo reuocaretur. Et ad confirmationem respondetur negãdo consequentiã, quia Deus,& homo unus est Christus. Vnde per hoc quòd Christus sit eccle

siæ caput secundum humanitatem, & secundum diuinitatem, non sequitur quòd ecclesia habeat duo capita.

Cap. LI. In quo circa prædicta confutatur unus error nouellus.

Error nouellorum

CONTRA hoc quod dictum est iam quòd Christus fuerit caput ecclesiæ a principio ipsius ecclesiæ, & non a tempore suæ incarnationis, surrexit diebus nostris opinio: si opinio, & non error dicenda sit quorundam dicentium sicut in scripturis eorum legimus. Quòd Christus ante incarnationem non fuerit caput ecclesiæ, nec per consequens ante incarnationem inceperit ecclesia, secundum suam formalem denominationé, quã dicunt ecclesiam suscipere ex Christi incarnatione per gratiam unionis unde habet ipsa ecclesia quòd quasi personaliter uniatur cum Christo. Quantũ uero ad id quod est materiale in denominatione ecclesiæ dicunt eam incepisse a tempore Adæ uel Abel, quia ex tunc aiunt inceperunt iusti sub fide Christi uiuere, & ad hoc talem inducunt rationem. Eiusdem quippe naturæ debet esse caput & membra, hoc patet ut manifestat Aug. in sermone de uerbis domini, sed ante Christi incarnationem uerbũ non erat caput ecclesiæ, ut uult Aug. super psal. 144. Ait enim, uerbum caro factum est, ut fieret caput ecclesiæ. uerbum enim ipsum non est caput ecclesiæ, sed ut esset caput ecclesię carnem assumpsit, & corpus Christi fit ecclesia, ut patet per Augu. ubi supra. igitur ipsa ecclesia tunc incepit secundum suam formalem, & actualé denominationem quando Christus humanam naturam assumpsit, & tunc fideles inceperunt ei tanquam mébra incorporari, ut fieret unum ex capite, & membris quod est ecclesia. Hæc in forma unus illorum. Opinio istorum nostro iudicio sustineri non potest, & decepti sunt profecto ex mala intelligentia dictorum beati Aug. Et in hoc etiã peccauerunt quòd multa dicta Aug. quæ magis piè explananda erant quàm extendenda, sicut possent exempla plurima dari, ipsi induxerunt sicut iacent in assertionem opinionum suarum. conclusio enim eorum falsa est, fundamenta quæ inducunt infirma, ratio qua conclusionem roborare nituntur inualida. Conclusio quippe quò ad omnes partes falsa est ut patet primo ex auctoritatibus inductis circa. c. xxii. ubi de ecclesiæ antiquitate disputatum est. Patet etiam ex illo Aug. super psal. 36. qui tractans illud. Iunior fui etenim senui, ita de ecclesia sub nomine corporis loquitur. Dominus enim ipse in corpore suo quod est ecclesia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam senuit nostris, & agnoscitis, & intelligitis, quia in hoc positi estis, & ita creditis, quia caput nostrum Christus est. corpus capitis illius nos sumus: nunquid soli nos & nõ etiam illi qui fuerunt ante nos omnes qui ab initio seculi fuerunt iusti caput Christum habent: illum enim esse uenturum crediderunt quem nos uenisse iam credimus, & in eius fide ipsi sanati sunt in cuius & nos, ut esset, & ipse totius caput ciuitatis Hierusalé omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, & infra. Corpus auté Christi quod est ecclesia tanquam unus quidem homo primo iunior fuit, & ecce iam in fine seculi in senecta pingui est, hæc Augu. Ex qua Aug. clare habetur oppositum conclusionis illorum. Præterea gl. super illud apostoli ad Colo. 1. Ipse est caput corporis ecclesiæ, quærit sicut supra dictum est. Cum ecclesia ab Abel inceperit, quomodo homo Christus caput est eorum qui tunc

fuerunt,

fuerunt, respondens di. bene. Quia ipse est principium ecclesiæ secundum diuinitatem. i. fundator ecclesiæ, quia omnes iustos qui ab Abel usq; ad ultimũ iustum generantur uirtute diuinitatis, & misericordiæ suę dono illuminauit. secundum humanitatem potest etiam dici principium ecclesiæ, quia super fidem humanitatis eius fundata est, hæc gl. Præterea ratione ecclesiæ corpus semper fuit a principio humani generis, ut inductum est ex dicto Aug. & non est dicendum quòd acephalum fuerit ante incarnationem: ergo necessario oportet confiteri quòd caput habuerit, sed non nisi Christum quem pater dedit caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius, ad Col. 1. Pertrasimus plura aiia ad hanc rem pertinentia, tũ quia in superioribus multa induximus & infra in capitulis dicendis pro locorum congruitate tangemus aliqua. Ceterum fundamenta præfatę propositionis falsa esse uidentur, cum a communi doctrina illuminatissimorum doctorum aliena sint & separata. Primo quidem illud quod præsupponunt quòd in denominatione ecclesiæ materialis sit unitas fidei sub qua iusti seruiunt Deo, quæ autem cum sit fides, quæ per dilectionem operatur, hac quippe iustus uiuere, & Deo seruire dicitur Rom. 1. falsum est quod dicunt, immo fides formata est id quod est formale, & actuale in denominatione ecclesiæ, quod sic facile ostenditur, quia fides quæ per dilectionem operatur, est id quo quis simpliciter, & actualiter in statu præsentis uitæ Christi membrum dicitur & corporis ecclesiæ, & quo sublato nullus homo in hac uita præsens membrum dicitur Christi aut corpus eius, ut superius multis testimoniis ostensum est. Vnde gl. super illud. 1. Corin. 12. Vos estis corpus Christi, dicit. fidei unitate Christi capitis. Et ad Rom 8. ca. Qui non habet spiritum Christi non est eius. s. membrum, ut ait gl. Præterea quod dicunt quòd formale in denominatione ecclesiæ sit conformitas naturæ quæ prouenit ex incarnatione Christi falsum est. Tum primo, quia talis naturæ conformitas communis est bonis, & malis præscitis, & prædestinatis, omnes plane homines unum sunt specie cum homine Christo. Tum secundo, quia talis conformitas naturæ, nihil posuit formale in ecclesia. unde ipsa magis in quibusdam quam in aliis habeat denominari corpus Christi, & etiam nunc denominari & non ante, nisi uelint aliquod nouum genus unionis fingere quod nondum antiqua patrum traditione cognouimus. quare illud quod dicit quòd per gratiam unionis, quæ propria fuit Christo aliquid formale redundet in ecclesia uniuersali. unde ipsa dicatur nouiter corpus Christi, & nouiter Christo compaginata, & non ante fictum esse uidetur & contra sanam doctrinam patrum ecclesiæ. Verum de hac unione corporis ecclesiæ cum Christo quam isti innuere uidentur inferius pro satisfactione conscientiæ nostræ aliquid dicemus. Ratio autem qua utuntur ad probandum conclusionem præfatam etiam nullius roboris est. quoniam Aug. in auctoritate illa non intendit ita filium Dei incarnatum esse, ut nobis esset caput, quòd uelit ipsum negare ante incarnationem caput fuisse corporis ecclesiæ: cum ipse in multis locis oppositum doceat, sed uult dicere iuxta communem doctrinam clarissimorum doctorum theologorum, quòd uerbum caro factum est, ut esset nobis caput non simpliciter, sed quantũ ad conditionem actualis conformitatis unius naturæ cum corpore suo quod est ecclesia. Principalius autem uidetur importari in ratione capitis principium, & origo eius cuius est caput quam conformitas unius naturæ cum membris. Vnde Apostolus dicit. 1. Corin. 11. Caput Christi Deus, & ad Col. 2. Chri-

stus dicitur caput omnis principatus, & potestatis, etiã angelicæ secundum gl.& tamen deficit conformitas naturæ inter eas. Ceterum diabolus etiam caput dicitur omnium iniquorum hominum,licet conformitate tantum peruersæ uoluntatis,& non naturæ iniqui incorporentur ipsi diabolo. Supersedemus a pluribus aliis,quia circa.c.xlviii.sufficienter demonstrauimus qualiter Christus secundum quòd homo caput fuerit omnium fidelium qui præcesserunt incarnationem suam,& circa. c. l. in quo soluimus omnes rationes adductas in contrarium.

Cap. LII. In quo declaratur quomodo soli Christo huiusmodi Deo conueniat esse caput ecclesiæ,& quomodo non soli, sed aliis.

MERITO uenit quærendum, pro pleniori intelligentia materiæ præsentis. An soli Christo huiusmodi Deo conueniat esse caput ecclesiæ,& arguitur multipliciter quòd non. Primo sic. Ex illo.1. ad Cor.11.Caput mulieris uir,caput uiri Christus,caput Christi Deus, glo. diuina essentia, uel trinitas caput Christi secundum quòd homo, quia diuinitas utpote creatrix caput est naturæ assumptę.Si ergo trinitas est caput Christi secundum quod homo, & Christus secũdum humanitatem caput ecclesiæ est: ergo multo magis ipsa trinitas est caput ecclesiæ, & ita patri & spiritui sancto conuenit caput esse ecclesiæ,& non soli filio Dei .consequentia patet, & assumptum per omnes partes suas notum est. Secundo sic. Quicquid conuenit filio Dei,per diuinitatem conuenit patri,& spirituisancto : sed esse caput ecclesiæ,conuenit Christo etiam secundum diuinitatem, ut patet : ergo & patri,& spirituisancto,consequentia uidetur nota. Tertio.Ratio capitis sumitur ab influentia qua membris influit sensum,& motum, ut superius tactũ est,sed cum a spiritusancto fluat omnis gratia, ab eo omnis sensus, & motus spiritualis emanare dicendus est: ergo ipsi spirituisancto conuenit ratio capitis. Quarto sic.Dicitur enim.1.Reg.13. Cum esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es,sed una est ecclesia in nouo & ueteri testamento,ut supra sæpe commemoratum est : ergo alii quàm Christo conuenit esse caput ecclesiæ. Quinto sic.Christus ex eo quòd præest ecclesiæ non solum dicitur caput,sed etiam pastor Io.x.& fundamentum ecclesiæ. 1. Cor.3. Sed non solum sibi retinuit Christus nomen pastoris,secundum illud.1.Petri 5.Cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. Nec etiam nomen fundamenti, secundum illud Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta.xii.per quę ut dicit gl.xii.apostoli intelliguntur : ergo uidetur quòd etiam nec nomen capitis sibi soli retinuerit. Sexto confirmatur sic. Dictum est Petro a Christo. Tu uocaberis cephas. Ioan.1.sed cephas dicitur caput secundum unam interpretationem. Vnde cephas enim græcè idem est quod caput latinè : ergo Petrus fuit caput ecclesiæ. Septimo sic.Ex hoc Christus dicitur caput ecclesiæ quòd gratiã influit membris sui corporis quod est ecclesia,sed etiam aliis pertinet gratiam aliis præbere,secundum illud ad Eph.4.Omnis sermo malus ex ore uestro nõ procedat,sed si quis bonus est,ab ædificatione fidei,ut det gratiam audientibus ergo uidetur quòd aliis quàm Christo conueniat caput esse ecclesiæ, etiam in ratione influentiæ. In oppositum arguitur, sic ex superius dictis quòd

Arg. primum | Secundũ | Tertium | Quartũ | Quintũ | Sextum | Septimũ | In oppositum

solus Christus habet hæc duo quæ concurrunt ad plenam rationem capitis, respectu ecclesiæ quæ sunt influentia spiritualis sensus, & motus in totum corpus ecclesiæ, & naturæ conformitas cum eo. ergo soli ipsi competit ratio capitis, & corporis ecclesia, consequentia cum assumptio est manifesta. Item arguitur ex illo Apostoli, ad Ephe. 1. Ipsum dedit pater caput super omnem ecclesiam quæ est corpus eius. Pro declaratione præsentis quæstionis sunt duo notanda. Primo quòd caput dicitur dupliciter, communiter, & proprie. Secundum quòd communiter accipitur, aut dicit solam excellentiam perfectionis, & hoc modo omne quod est perfectissimum siue nobilissimum in quacunque natura dicitur caput, sicut leo in animalibus. Aut solam rationem principii, & hoc modo omne principium uiæ dicitur caput uiæ, sicut fons est caput fluminum: secundum autem rationem principii tota trinitas dicitur caput Christi secundum quòd homo, unde in auctoritate inducta, primæ ad Corinth. 11. cum dicitur. Caput Christi Deus, si Deus non supponit solam personam patris sed totam trinitatem a qua in humanitatem Christi sicut a perfectiore omnia bona deriuantur, & cui humanitas Christi subiicitur. Dicitur etiam tota trinitas hoc modo caput ecclesiæ, quoniam ab ipsa omnis spiritualis influentia in ecclesiam descendit cum opera diuinitatis ad extra sint indiuisa, ut ait Aug. Secundo accipitur caput proprie, prout, scilicet cum ratione principii dicit conformitatem naturæ cum eo cuius dicitur esse caput, & secundum hanc rationem Deus pater caput Christi dicitur etiam secundum diuinitatem. habet enim respectu illius, & rationem principii & cum eo unitatem naturæ, secundum illud psal. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Capiendo autem hoc modo caput soli Christo conuenit caput esse ecclesiæ, qui solus naturam humanam assumens in similitudinem hominem factus habitu inuentus est ut homo, ad Ephe. 2. Per hanc uero conformitatem naturæ habet perfectionem homogeneam cum membris, & sic quasi principium uniuocum, & regula conformis, & unius generis, ut dicit sanctus Tho. in. iii. Vlterius dicendum cum eodem sancto. Tho. in. iii. parte q. viii. ar. v. quòd caput in alia membra influit dupliciter. Vno modo quodam intrinseco influxu prout motus seu uis motiua, & sensitiua a capite deriuatur in alia membra. Alio modo secundum exteriorem quandam gubernationem prout scilicet secundum uisum, & alios sensus qui in capite radicantur dirigitur homo in exterioribus actibus. interior autem influxus gratiæ non est ab alio nisi a solo Christo cuius humanitas ex hoc quòd est diuinitati coniuncta habet uirtutem iustificandi. Sed influxus in membra ecclesiæ quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis conuenire, & secundum hoc aliqui alii possunt dici capita ecclesiæ, secundum illud Amos. vi. Optimates capita populorum, distinguuntur tamen a Christo. Primo quidem quantum ad hoc quòd Christus est caput omnium qui ad ecclesiam pertinent secundum omnem locum & tempus & statum. alii autem homines dicuntur capita secundum quædam spiritualia loca sicut episcopi suarum ecclesiarum, uel etiam secundum determinatum tempus, sicut caput totius ecclesiæ est Papa tempore sui pontificatus, & secundum determinatum statum prout scilicet sunt in statu uiatoris. Secundo est differentia in hoc, quia Christus est caput ecclesiæ propria unitate, & auctoritate. Alii uero dicuntur capita inquantum uicem gerunt Christi, secundum illud ii. Corin. ii. Nam ego quod donaui si quid donaui propter uos in persona Christi, glo. hoc feci in

Notabile primum

Secundũ notabile.

persona Christi ac si ipse Christus condonaret, & ii. Corin. 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. His habitis patet responsio ad argumenta in contrarium. Ad tria prima respondetur iuxta distinctionem positam in primo notabili concedendo quòd aliis conueniat personis quam personę Christi, immo toti ipsi trinitati conuenit esse caput ecclesiæ, ut declarauimus parum ante, secundum quòd ratio capitis sumitur a sola ratione principii. si uero accipiatur a ratione principii cum conformitate naturæ quæ est acceptio magis propria sic soli Christo conuenit caput esse ecclesiæ. & sic argumenta non procedunt. Ad alia etiam tria argumenta sequentia una patet responsio, quoniam auctoritates inductæ intelliguntur secundum quòd ratio capitis attenditur secundum exteriorem gubernationem, prout rex dicitur caput regni, quoniam aliis a Christo conuenit caput esse, differunt tamen a Christo sicut iam dictum est. Ad ultimam rationem respondetur quòd in dicto illo apostoli non intelligitur homo dare gratiam audientibus gratiam interius influendo sed exterius persuadendo ad ea quæ sunt gratiæ, & ideo argumentum non procedit. In spirituali uero quomodo competat summo pontifici caput esse uniuersalis ecclesiæ in ii. li. huius operis opitulante Deo declarabimus.

Ad tria prima.

Ad alia tria.

Cap. LIIII. In quo declaratur quòd non tantum quantum ad animas sed etiam quantum ad corpora Christus caput sit fidelium.

OSTENSO qualiter Christus caput sit fidelium quo ad animas quibus influit sensum fidei, & motum charitatis, quærendum nobis est quomodo etiam caput dicendus sit fidelium quo ad corpora, & uidetur aliquibus rationibus quòd non. Primo sic. Christus Deus est caput ecclesiæ inquantum influit spiritualem sensum & motum gratię in ecclesiam, sed huiusmodi spiritualis sensus, & motus capax non est corpus hominis: ergo Deus non uidetur esse caput hominum secundum corpora sed tantum secundum animas. Secundo sic Capitis ad membra, & econuerso oportet esse proportionem quandam sed corpora aliorum hominum non continuantur ad corpus Christi, ergo ipse non est caput hominum quantum ad corpora sed tantum quantum ad animas. Tertio sic. Secundum corpora communicamus cum brutis si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur quòd etiam caput esset brutorum animalium quod est incóueniens. Quarto sic Christus corpus suum ab aliis hominibus traxit ut patet Mat. 1. & Luc. 3. ubi describitur series generationis Iesu Christi secúdum carnem, sed caput est primum inter cetera membra, ut dictum est. ergo Christus non est caput fidelium quantum ad corpora. In oppositum arguitur ex illo apostoli ad Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suę. Secundo ex illo. 1. ad Corin. 6. Nescitis quoniam corpora uestra membra sunt Christi, ubi glo. Aug. sic inquit. Attende quòd mébra nostra dicit esse membra Christi, quoniam Christus caput nostrú est eo quòd factus est propter nos. corpus autem eius ecclesia est. Si ergo Christus animam humanam tantummodo reciperet, membra eius non essent nisi animæ nostræ, quia uero & corpus suscepit per quod etiá caput est nobis: quia ex anima, & corpore constamus profecto illius membra sunt corpora nostra:

Agumentum primum

Secundú

Tertium

Ad quartum

In oppositum

quia

quia omne corpus accepit, & corporum caput est, hæc glo. Respondendo dicimus quòd Christus est caput ecclesię siue fidelium quantũ ad animas, & quãtum ad corpora sed principaliter animarum, & secundario corporum. Et hoc tum ratione conformitatis ad membra quæ per assumptionem humanæ naturæ facta est, assumpsit enim corpus cum anima. Tum ratione spiritualis influentiæ quæ peruenit ad corpus mediante anima inquantum corpus est instrumentum animæ operantis secundum gratiam. Verum ad uidendum qualiter humanitas Christi habet influere in homines non tantum quantum ad animas sed etiã quantum ad corpora, & qualiter non solum animæ fidelium sed etiam corpora susceptibilia sunt talis influentiæ notandum est ut notat sanctus Tho. in. iii. parte, quòd corpus humanum habet naturalem ordinẽ ad animam rationalem quæ est propria forma eius & motor, & inquantum quidem est forma eius recipit ab anima uitam, & ceteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem, inquantum uero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ. Sic ergo dicendum quòd humanitas Christi habet uim influendi in quantum est coniuncta uerbo cui corpus unitur per animam, unde tota Christi humanitas secundũ animam & corpus influit in homines, & quantum ad animam & quantum ad corpus, sed principaliter quantum ad animam secundario quãtum ad corpus, & hoc dupliciter. Vno modo inquantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum, ut apostolus dicit ad Rom. 6. Alio modo inquantum uita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus, secundum illud Rom. 8. Qui suscitauit Iesum a mortuis uiuificabit mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Quibus habitis dicendũ est ad argumenta. Ad primũ dicendum quòd sensus spiritualis gratiæ licet non perueniat ad corpus primo, & principaliter. peruenit nihilominus secundario, & instrumentaliter, ut enim dictum est, quamuis corpus non recipiat influentiã spiritualem immediate, recipit tamẽ mediante anima. Quare respectu utriusque partis naturæ humanæ animę s. & corporis Christus caput est ecclesiæ. Ad secundum respondetur negando minorem, dicimus enim quòd corpora nostra aliquo modo habent continuationem ad corpus Christi, non quidem secundũ quantitatem ut patet, nec secundũ perfectionẽ naturalẽ quia alia est anima Christi, & alia est anima uniuscuiusq; secũdũ quã attenditur perfectio naturalis, sed secũdũ perfectionẽ sanctificationis quę est spiritus sanctus, qui plenissime fuit in Christo. Perfectio ei corporis ut dicit magister Alex. in. iii. nõ solum est anima sed spiritus sanctus cuius corpora nostra templum sunt, secundũ illud. i. Cori. 6. Nescitis quia membra uestra templũ sunt spiritus sancti. Verum quòd anima perficit quantum ad esse naturæ, spiritus uero sanctus quantũ ad esse sanctificationis, idẽ aũt est spiritus sanctus qui sanctificat corpus Christi, & sanctificat corpora nostra cũ sumus in fide, & charitate Christi. Vnde ex hac spirituali sanctificatione relinquitur in corpore nostro ordo quidã ad gloriosam resurrectionẽ, ut ait sanctus Tho. & præfatus Alex. in. iii. Quare apostolus ad Ro. 8. ex hoc resurrectionẽ corporum gloriosam probat dicens. Si spiritus qui suscitauit Iesum a mortuis habitat in uobis, uiuificat & mortalia corpora nostra propter inhabitantem spiritum eius in nobis. Ad tertium respondetur negando consequentiam, quia non ita cõicamus quo ad corpora cum brutis quinetiam quo ad corpora multum differamus ab eis: quia corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationa-

Rensponsio q.

Ad primum

Ad secundum

Ad tertiũ

lem sicut habet corpus humanum,& ideo corpus humanum habet ordinem aliquem ad sanctificationem quem non habent corpora brutorum, & ideo cum non sit simile argumentum non procedit. Ad quartum respondetur

Ad quartum

negando consequentiam,quoniam licet Christus traxerit materiam corporis ab aliis hominibus,uitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso,secundum illud.i.Corin.15. Sicut in Adam omnes moriuntur:sic in Christó omnes uiuificabuntur, & ita cum ipse omnibus hominibus influat tam quò ad animas quam quò ad corpora,consequens est ut omnium caput tam respectu animarum quàm respectu corporum dicendus sit.

Cap. LIIII. In quo ponitur quorundam opinio cum rationibus suis dicentium quòd soli electi membra sunt Christi siue corporis mystici quod est ecclesia sancta Dei.

AMPLIVS considerandum est quorum Christus sit caput, siue qui dicantur membra Christi siue corporis eius quod est ecclesia. An uidelicet omnium hominum caput dicendus sit: an aliquorum sit & aliquorum non. Pro quo notandum quòd circa hoc triplicem modum loquendi reperimus inter loquentes de hac materia. Quidam autem dicere uoluerunt quòd soli prædestinati sint membra Christi, & per consequens, quòd solum electorum Christus dicendus sit caput,quorum motiua siue rationes sunt quæ sequuntur.

Argumẽtum primũ quod cũ sequẽtibus soluitur infra. c. 58.

Arguunt enim primo ex illo ad Ephe.5.Christus caput est ecclesiæ Saluator corporis eius:sequitur,Christus dilexit ecclesiam,& tradidit semetipsum pro ea ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ uitæ ut exhiberet eam sibi gloriosam non habentem maculam neque rugam nec aliquid huiusmodi. Ex ista auctoritate arguitur sic. Christus solum electorum saluator est secundum efficientiam,& illi soli glorificandi sunt, & absque omni macula & ruga futuri. ergo uidetur quòd solum prædestinatorum siue electorum Christus caput sit & soli tales membra Christi dicendi sint.

Secundũ

Secundo dicit apostolus.ii.Thimo.ii. Nouit Deus qui sunt eius. Super quo ita dicit gloss. Quos præsciuit futuros conformes fieri imagini eius,id est prædestinauit uocauit iustificauit,& glorificauit: sequitur,numerus talium est hortus conclusus,fons signatus,puteus aquæ uiuç,Paradisus cum pomorum fructibus. Ex quo uidetur id quod prius.

Tertium

Tertio arguitur ex illo.i.Ioan.ii.ubi de malis qui a fide Christi recesserunt inquit. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Quod uerbum beatus Augu.li.de correctione,& gratia,& habetur de pe.di.iiii.c.si ex bono.§.cum ergo,tractans ita dicit. Cum ergo filii Dei dicunt de his qui perseuerantiam non habuerint. Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis, & addunt, quoniam si fuissent ex nobis permansissent: quid aliud dicunt nisi non erant filii Dei,etiam quando erant in professione, & in nomine filiorum Dei?

Quartũ

Quarto arguitur ex illo beati Augus.super psal.103. Charitas est fons proprius,& singularis bonorum, cui non communicat alienus. Alieni autem sunt omnes qui audituri sunt a domino:non noui uos,ergo uidetur quòd præsciti non pertinent ad membra Christi, cum ut ex gloss.ad Rom.8.patet, societas, & unitas qua efficimur unum corpus unici filii Dei,ipsa charitate efficitur,& constituitur.

Quintum

Quinto sic ex illo Augu.li.de doctr. Christiana dicentis.

centis. Non est reuera corpus Christi quod cum illo non erit in æternum, sed nullus præscitus erit cum domino in æternum, ergo nullius præscitus erit de corpore domini, & per consequens nec membrum eius, & ita ex cōsequenti sequitur quod soli electi, cum soli ipsi regnaturi sint in æternum cum Christo sint membra Christi. Sexto adducunt illam auctoritatem Augu.li.4.contra donatistas. Sunt etiam quidam in eo numero qui adhuc nequiter uiuunt, aut etiam in hæresibus uel in gentilium superstitionibus iacent, & tamen illic nouit dominus qui sunt eius, in illa nanq; ineffabili prescientia Dei multi qui intus uidentur, foris sunt. Septimo per illud eiusdem in eodem li. Multi etiam qui aperte, foris sunt, & hæretici appellantur multis bonis catholicis meliores sunt, quid enim sunt hodie uidemus, quid cras futuri sunt ignoramus. & Deo quidem apud quem sunt præsentia quæ uentura sunt, quæ futura sunt iam sunt. Ex quo arguunt quòd tales dicit Augu. in præsenti meliores, non dicit erunt, & quòd meliores dicit non secundum præsentem iustitiam, quia illam præsupponit non habere cum dicat quòd in hæresibus lateant. debet ergo intelligi secundum diuinam præsciētiam apud quam quę futura sunt iam sunt. Octauo sic. Magister sententiarum li.iii.di.xxiii.c.ulti.& secundum doctores scholasticos ibidem simpliciter concedendum est. Deus ab æterno dilexit electos, & odio habuit reprobos. Sed non uidetur maior ratio de dilectione Dei quàm de eius pręordinatione, ut electi sint membra eius. sequitur quòd sicut ista est simpliciter concedenda. Omnes electi a Deo sunt dilecti, siue ipsi electi sint in gratia siue in peccato siue in hæresi siue non, dum actualiter existant in eorum natura, ita uidetur quòd ista debebat simpliciter concedi. Omnes electi sunt membra Christi siue sint siue adhuc non sint actualiter existentes, & futuri sint siue in peccatis existant. Nono sic. Ex dictis beati Augu. li. de correctione, & gratia, & ponitur de pe. distin. iiii. c. hanc societatem. Ait enim sic. Nec nos moueat quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam. Absit enim hoc ut ita sit de illis prædestinatis, & secundum propositum uocatis qui uerè sunt filii promissionis. Nam isti cum piè uiuunt dicuntur filii Dei. sed quia uicturi sunt impie, & in eadem impietate morituri non eos dicit filios Dei. præscia enim sunt filii Dei qui nondum sunt nobiscum & sunt iam Deo. De quibus Ioan. Euangelista ait. Quia Iesus erat moriturus pro gente, & non tantum pro gente sed etiam ut filios dispersos congregaret in unum, qui utique credendo futuri erant per Euangelii prædicationem, & hoc tamen antequam esset factum iam filii Dei erant. in memoria enim patris sui inconcussa stabilitate scripti sunt. Et sunt rursus quidam qui filii Dei propter susceptam temporalem gratiam dicuntur a nobis nec tamen sunt filii Dei. De quibus ait idem Ioan. Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis, quòd si fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum. multa dicit circa hoc sed in fine capituli. Præterea dixi uobis quia nemo uenit ad me nisi fuerit ei datum a patre meo. ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant. nunquid non & isti discipuli appellati sunt loquente euangelio? & tamen nō erant ueri discipuli, quia non manserunt uerbo eius, secundum illud quod ait. Si manseritis in uerbo meo uerè discipuli mei eritis. quia igitur non manserunt, non habuerunt perseuerantiam sicut non uere discipuli Christi, ita nec uerè filii Dei fuerunt, etiam quando esse uidebantur, & ita uocabantur. Appellamus igitur

Sextum

Septimū

Octauum

Nonum

uos & electos,& Christi discipulos, & Dei filios qui appellandi sunt quos regeneratos piè uiuere cernimus, sed tunc uere sunt quod appellantur si manserint in eo propter quod sic appellantur, hæc Augu. Decimo sic corpus Christi uerum est figura corporis mystici, ut dicit Augu. & deducit magister in.iiii.di.viii. sed corpus Christi uerum totum fuit glorificandum: ergo uidetur quòd soli ad corpus mysticum pertineant qui in futurum glorificandi sunt cum Christo cuiusmodi sunt soli prædestinati. Isti qui talem modum loquendi habent circa membra Christi asserunt sequentes propositiones. Prima quòd non omnes fideles iustificati sunt membra Christi, sed soli electi finaliter regnaturi in perpetuum cum Christo. Secunda, non enim aliqui cum iustificantur incipiunt esse membra Christi qui non erant membra Christi antequam iustificarentur. Tertia, quod nec aliqui cum cadũt a statu iustificationis per culpam mortalem desinunt esse membra Christi qui erant membra Christi cum essent iusti. Quarta, quod prædestinatus semper manet membrum Christi licet quandoque excidat a gratia iustificationis. Quinta quòd Paulus, Aug. & latro cum infideles esset, & Christum persequerentur erant oues Christi, & membra Christi. Sexto quod Iudas tempore quo iustificatus cum aliis apostolis Christum sequeretur, non erat ouis Christi nec membrum Christi.

Decimo | Propositiones prędictorum. | Prima | Secunda | Tertia | Quarta | Quinta | Sexta

Cap. LV. In quo confutatur opinio præfata cum fundamentis suis.

ATTENTE consideratis rationibus, & motiuis quæ fabricatores præfatę erroneæ opinionis inducunt ut fidem facerent eorum dictis aperte uidemus eos in hunc incidisse errorem: quia falsis fundamentis, & non ueris principiis usi sunt. Est autem unum eorum fundamentum, quòd denominatio simpliciter membrorum corporis Christi accipienda sit secundum dispositionem electionis diuinæ. Aliud quòd membra Christi etiam in hac uita ita indissolubili uinculo adhærent Christo, quod qui est membrum Christi indissolubiliter ac perpetuo membrum eius sit. Aliud quod prædestinati qui nunc sunt infideles sint iam etiam incorporati Christo. Aliud quòd solus numerus prædestinatorum sit sancta ecclesia uniuersalis quæ corpus Christi est. Confutabimus hæc fundamenta prout diuina sapientia nobis elargita fuerit, quia cum illa demonstrabimus falsa esse, illico luce clarius apparebit ædificium eorum ruinosum fore, utpute supra arenam non supra petram ueritatis firmatum. Circa primum notandum quod aliquis dicitur membrum Christi ouis Christi, filius Dei dupliciter in sacra scriptura,& penes sanctos doctores. Vno modo secundum prędestinationem tantum, alio modo secundum præsentem iustitiam. De primo modo habetur.i.Ioan.ii. Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis permansissent utiq; nobiscum. De secundo modo habetur Ioan.i. Dedit eis potestatem filios Dei fieri,& ad Ro.8. Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. De hoc etiam extensa testimonia habemus ex Augu.li. de correctione,& gratia, quæ per longum tractatum ponuntur de pe.di.iiii.§.uerum,& hoc sub nomine ouium. De istis duobus modis expressa exempla in euangelio reperimus. Ioan.10. ubi de illis qui oues Christi sunt, & nominantur secundum præsentem iustitiam dicit ibidem dominus. Oues meæ uocem meam audiunt, & sequuntur

Fundamẽtũ primũ erroris. | Secundũ | Tertium | Quartũ | Cõtra primũ fundamentum.

quuntur me. Ecce secundum præsentem iustitiam oues istę Christi dicuntur quia actu pastoris uocem doctrinę audiunt, & mandatorum obedientia pastorem sequuntur. De eis qui solum secundũ prædestinationem eterna oues appellati sunt dicitur ibidẽ. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili. Super quo Aug. in sermone de uerbis domini, & deducitur a sancto Tho. in glo. cõtinua. ita dicit. Loquebatur, enim primo de ouili de genere carnis Israel. Erãt autẽ alii de genere filii Israel, extra erant adhuc in gentibus prædestinati, & nondum congregati, hæc ille. Eodem modo distinguendum est de membris: ꝙ quidam dicuntur membra secundũ præsentem iustitiam, quia fide, & charitate sunt incorporati Christo. Et recte talis dicitur secundum pręsentem iustitiam Christi membrum, quia ut ait Hiero. super illud psal. Innocentes, & recti adhæserunt mihi, ecclesia per iustitiã adhæret Christo. Alii uero dicuntur mẽbra solum secundum prędestinationem sicut oues: quia simile est cum dicat Aug. super Ioan. Homel. 46. Illi sunt unius pastoris membra cuius sunt oues. Prȩterea considerandum ꝙ ista est differentia istius diuisionis, quoniam esse ouem aut membrum Christi aut filium Dei secundum prædestinationẽ solum esse ouem aut membrum siue filium Dei in potentia tantum & non in actu quod ex eo luce clarius notum est, quia prædestinatio cum sit species diuinæ prescientiæ (est enim ut dicit Augu. prescientia beneficiorum Dei, ut deducit magister in. i. di. xl.) nihil ponit in prædestinato per quod actu sit aut nominandus sit id ad quod prædestinatus dicitur, sed est in prædestinante tantum sicut prouidentia in prouidente, & prescientia in presciente, non autem in rebus prouisis aut præscitis, unde glo conti. super illud Ioan. 11. Vt filios dispersos congregaret in unum, ita habetur. Hæc secundum prædestinationẽ dicta sunt, nam nec oues eius nec filii adhuc erant. Et conformiter beatus Tho. de Aquino in postilla super Ioan. exponens eundem locum. s. illud. Vt filios Dei congregaret in unum, dicit. Hoc non est intelligendum ꝙ tunc iam accepissent adoptionis spiritum, quia ut dicit Grego. nec oues eius nec filii eius adhuc erant per adoptionem. Item Nicolaus de Lira pariformiter ita dicit. Non quia adhuc essent filii Dei actu sed potentia ad actum reducenda, quia erant prædestinati. Præterea ut ueritas ista splendidior fiat arguitur multipliciter. Primo sic. Nullus potest dici Dei filius per adoptionem actu & simpliciter nec membrũ Christi nisi habeat ea actualiter quibus quis efficitur filius Dei per adoptionem, & ea quibus incorporatio corpori ecclesiæ siue Christo perficitur quantumcunque sit prædestinatus aliquis ad huiusmodi, quia ista prædicata dicunt rem non ens rationis. Et per simile patet quia quantumcunq; aliquis prædestinatus sit ad beatitudinem non dicitur actu beatus nisi habeat ea quæ formaliter faciunt ad beatitudinem, & ita in proposito, cum ergo prædestinatio non sit aliquid formale existens in prædestinatis quo quis aut filius Dei aut membrum Christi dicatur. impossibile est dicere cum ueritate quòd denominatio simpliciter membrorum Christi aut Dei filiorum accipienda sit ex sola dispositione diuinæ prædestinationis: sed accipienda est secundum præsentem iustitiam cum talis qui secundum præsentem iustitiam est membrũ Christi actu habeat ea quibus aliquis actu talis dicitur, & simpliciter. Habet enim actu spiritum adoptionis quo quis efficietur actu filius Dei, secundũ illud ad Rom. 8. Qui spiritu Dei aguntur filii Dei sunt: qui est etiã quo quis incorporatur corpori ecclesiæ, secundum illud ad Eph. 4. Vnus spũs & unũ corpus, glo. Spũs sanctus est quo efficimur unũ cor-

pus. Itẽ qui secundum præsentem iustitiã est talis coniungitur actu Christo iunctura fidei,& uinculo charitatis quæ sunt ea quibus membra corporis ad inuicem connectuntur, & colligantur, ut ait glo. super illud ad Ephe. iiii. Caput Christus ex quo totum corpus compactum, & connexum per communem iuncturam. Compactum, scilicet per fidem, & connexum uinculis charitatis. Præterea talis actu suscipit gratiæ influxum a Christo,& non nisi tãquam membrum a capite: ergo uidetur quòd denominatio simpliciter qua quis denominatur membrum, ouis, aut filius Dei accipienda sit non ex sola dispositione diuinæ electionis, sed secundum præsentem iustitiam. Et quòd ita sit necessario profitendum ex ipsa scriptura sancta quæ mentiri non potest, in multis locis aperte colligere possumus, dicitur enim Ioan. primo. Dedit eis potestatem filios Dei fieri glo. Mirabilis potestas, ut qui filii diaboli erant filii Dei,& fratres Christi per eum liberati dicantur. sed clarum est quòd hoc non potest intelligi secundum prædestinationem, quia respectu illius cum immutabilis sit, nulla potestas nobis data est ut secundum illam filii efficiamur Dei. Dicit enim Augu. quòd numerus prædestinatorum certus est qui nec augeri potest nec minui, ergo impossibile est ut denominatio filiorum Dei attendatur ex sola dispositione diuinæ prædestinationis. Item apostolus ad Thessa. scribens dicit. Filii lucis estis & filii Dei. i. Thessa. 5. Item i. Ioan. iii. Nunc filii Dei sumus, sed manifestum est quòd loquebantur fidelibus in Deum credentibus qui secundum præsentem iustitiam sunt filii Dei, non autem prædestinatis tantum cum illi ignoti essent: ergo falsum est fundamentum eorum in quo dicunt quòd accipienda sit secundum dispositionem electionis diuinæ denominatio filiorum Dei siue membrorum Christi. Item Roma. 12. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra habentes ac donationes secundum gratiam quæ data est nobis,&c. istud non potest referri ad solos prædestinatos ut patet. Præterea apostolus. i. ad Corin. 5. An nescitis quia corpora uestra membra sunt Christi,&. i. Corint. xii. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sensus est secundum gl. Augu. nos abluti in uno spiritu ducti sumus in unum corpus. Item ibidem subiungit apostolus. Vos autem estis corpus Christi, glo. fidei unitatem Christi capitis quæ uerba Apostoli cum omnibus credentibus in Christum dirigantur, & non prædestinatis solum: patet manifeste quòd denominatio simpliciter filiorum Dei, & membrorum Christi secundum præsentem iustitiam accipienda sit & non secundum diuinam prædestinationem quæ quorum sit ignotum nobis, est ergo fundamentum illorum falsum. Ceterum hoc manifeste apparet ex eo quòd per iustificationem homines dicuntur incipere esse filii Dei & membra Christi,& per casum siue recessum ab ipsa iustificatione definunt esse tales qui iustificationis tempore membra Christi aut filii Dei esse dicebantur. Dicitur enim ad Ephe. 5. Eratis aliquando tenebre nunc autem lux in domino ut filii lucis ambulate, ubi glo. dicit. Prius filii eratis diaboli principis tenebrarum nunc iustificati per fidem,& baptismum filii Dei per adoptionem quæ est lux uera,& ad Ro. 5. Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Iesum Christum dominum nostrum, per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus,& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Præterea hoc manifeste ponit Aug. li. iii. contra donatistas, sic dicens. Mali qui intus cum gemitu tolerantur quamuis ad eandem columbæ unitatem, & illam gloriosam

sam

sam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi non pertineant. tamen si corrigantur, & seipsos ad baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur; sed incipiunt pertinere ad columbam per cuius gemitum eis peccata soluuntur a cuius pace alienati tenebantur, hæc Aug. Item idem li. 2. contra Cresconium, c. 21. Damnati a Christo iam in corpore Christi non sunt quæ est ecclesia: quoniam non potest habere Christus membra damnata, proinde & ipsi extra ecclesiam baptizant, omnia quippe ista monstra: absit ut omnia in membris illius columbæ unicæ computentur absit ut intrare possint limites hortus conclusi, cuius ille custos est quæ non potest falli, qui tamen confiteantur, & corrigantur tunc intrant, tunc mundantur: tunc in arboribus hortus conclusi sunt, in membris unicæ numerantur, hæc Augu. Ecce quàm aperte doctor clarissimus Aug. ponit malos homines quousque corrigantur non pertinere numero, scilicet & merito ad unitatem ecclesiæ ita ut incipiant esse de numero arborum hortus conclusi. Corrigi autem dicuntur fideles in iustificatione in qua per penitentiam emendantur errata. & ordo ipse uirium animæ adinuicem, & superiorum ad Deum qui per peccatum peruersus erat reparatur. Quare manifestum est ꝙ denominatio simpliciter membrorum Christi aut filiorum Dei non sumenda est ex dispositione diuinæ electionis siue prædestinationis, quod etiam hac ratione monstratur. Si prædestinatio sufficit ad denominandum aliquē membrum esse Christi actu & simpliciter. necessario ualet ista consequentia. Iste homo est prædestinatus a Deo: ergo est membrum Christi ab æterno sicut dicimus ꝙ aliquis prædestinatus uel electus est etiam dilectus ab æterno. Vnde apostolus ad Ephe. 1. Elegit nos in seipso ut essemus sancti & immaculati, sed illud est falsum ꝙ quis sit membrū Christi ab æterno cū nullum corpus ab æterno sit: ergo falsum est illud ex quo sequitur quod est ꝙ quis dicatur actu & simpliciter Christi membrum aut filius ex sola prædestinatione diuina. Attentis bene his quibus iam confutatum est primum aduersariorum fundamentum facile est ostendere falsitatem secundi in quo dicunt ꝙ membra Christi ita indissolubili uinculo adhærent Christo ꝙ qui est membrum Christi indissolubiliter, & perpetuo est membrum Christi. Cōtra secundum fundamētum. Falsitas huius fundamenti licet ex superioribus manifesta sit quia si a iustificatione incipit quis effici membrum Christi, & per casum ab illa desinit esse: patet ꝙ nullus in hac uita nisi esset confirmatus in gratia dicendus sit indissolubiliter membrum Christi, nihilominus ex aliis demonstratur sic. Et quærimus quid aduersarii ueritatis intelligant per illud indissolubile uinculum, aut prædestinationem, aut gratiam, aut fidem formatam. Primum non potest dici uinculum, quia cum prædestinatio (ut diximus) nihil ponat in prædestinato, non potest dici uinculum connexiuum aut unitiuum alicuius. Quanquam enim prædestinatio arguat quandam necessitatem ordinis siue consequentiæ ut qui prædestinatus est, necessario consecuturus sit id ad quod prædestinatus est: non tamen ponit in actu aliquid in prædestinato per quod actu membrum unitum siue incorporatum Christo dici possit aut filius Dei, & huiusmodi. Si autem uinculum istud nominent fidem aut charitatem, sicut est apostoli doctrina, cum ab istis possit homo cadere sicut consueuit sæpissime. Vnde Apoc. 2. dicitur. Habeo aduersum te pauca ꝙ charitatem tuam primam dereliquisti. non potest quis ratione talium uinculorum aut nexuum dici siue effici perpetuo membrum Christi nisi ista

perpetuo in eo perseuerarent quod non est commune omnibus. Præterea aperte apostolus Paulus confutat hunc errorem ad Roma.8.dicens. Si quis spiritum Christi non habet non est eius, gloss.scilicet membrum. Sed non omnes illi qui habent spiritum Christi semper habent, cum contingat illos peccare mortaliter. & qui non habent quandoque habent cum contingat illos iustificari. unde glo. super illud quod sequitur. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, id est in peccatis. Spiritus uero uiuit propter iustificationem dicit sic. Anima quæ ante fuerat impia uiuit, quia Deo qui est uita coniungitur & hoc propter iustificationem, id est per peccatorum remissionem quæ est ex spiritu sancto. Item in eodem c. idem apostolus ait. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei.dicit gloss.quæ est Augu.i.spiritus sanctus, quia communis est patri, & filio amborumque unio per quem fit societas & unitas qua efficimur unum corpus unici filii Dei, unitas ei nos compaginat quam facit charitas quæ a spiritu sancto est. Sequitur? Nihil enim debet sic formidare Christianus quam separari a corpore Christi, hoc ibi. Ergo manifestum est falsum esse præfatum fundamentum in quo dicunt, quòd qui membrum est Christi indissolubiliter, & perpetuo est membrum eius. Ex istis clarissime patet etiam falsitas tertii fundamenti aduersariorum ueritatis in quo dicunt, quòd prædestinati qui nunc sunt infideles sint etiam incorporati Christo quod etiam multis aliis rationibus ostenditur. Primo sic. Apostolus dicit.i.ad Corin.12.quòd uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. sensus est ut dicit glo. omnes nos baptizati, id est abluti, uno spiritu ducti sumus in unum corpus. Ergo solo spiritu sancto quis dicitur incorporari Christo siue charitatis uinculo quæ per spiritum sanctum in nobis habitantem diffunditur in cordibus nostris. Ad Roma.5.ergo qui non habent spiritum sanctum cuiusmodi sunt prædestinati existentes infideles non possunt dici incorporati siue membra Christi. consequentia est manifesta. patet etiam ex illo Apostoli ad Roma.8.superius inducto, si quis non habet spiritum Christi non est eius, gloss. scilicet membrum. Secundo sic. Si prædestinati etiam fideles existentes incorporantur Christo siue sunt membra Christi, sequitur quòd tales sint una persona mystica cum Christo: immo sint ipse Christus secundum illud Apostoli.i. Corinth.12. Cum sint multa membra unum corpus sunt ita & Christus, ubi dicit Aug. in gloss. Omnes fideles sunt Christus, non dicam corpus Christi, quia ipse Christus sunt tam maiores quàm minores, caput enim est Christus. Dicitur Christus propter ineffabilem unionem capitis, & membrorum, hæc gloss. Si ergo prædestinati existentes in infidelitate aut in hæresi sunt membra Christi, sequitur quòd qui sunt infideles actu, & hæretici sint ipse Christus sicut una persona cum Christo, quod non modo hæreticum sed Christianis auribus horrendum est. Vnde Apostolus.2.Corinth.6. Quis autem consensus templi Dei cum Idol. uos enim estis templum Dei uiui sicut dicit dominus. Tertio sic. Clarum est quòd omnes infideles, & peccatores quandiu in infidelitate & criminibus iacent sunt membra diaboli, & unum corpus dicuntur cum illo, qui rex est super omnes filios superbiæ. Iob. 40.c.cuius omnes iniqui dicti sunt corpus eius, & membra, secundum illud Iob.41. Corpus eius quasi scuta fusilia. ubi glo. inquit, corpus leuiathan omnes iniqui. Si ergo prædestinati infideles, & iniqui actu sunt corpus Christi siue membra Christi,

Contra tertium fundamentum.

& actu membra diaboli, sequitur quòd unum & idem sit corpus Christi, & corpus diaboli quod est absurdissimum. Dicit enim Apostolus.ii.ad Cor.6. Quæ conuentio Christi ad belial, ubi glo. inquit, quia nos membra Christi illi diaboli, & Christus, & diabolus non conueniunt. Quarto sic. Dicit apostolus.i.ad Corint.6. An nescitis quòd qui adhærent meretrici unum corpus efficitur cum ea. Erunt inquit duo in carne una, qui autem adhæret Deo unus spiritus est cum eo. Sunt, ergo prædestinati fornicatores unum corpus cum meretice. Si ergo tales sunt etiam corpus Christi, simul aliquis est & corpus Christi, & corpus meretricis quod est absurdum dicente Apostolo ubi supra. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Quinto idem ostenditur manifeste ex illo.i. Ioan. Filioli nemo uos seducat qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est: qui facit peccatum ex diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo est, in hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli, omnis qui non est iustus non est ex Deo. Hæc beatus Ioan. Ex quo manifeste concluditur quòd prædestinati existentes in peccato infidelitatis aut peccato mortali filii sunt diaboli. Quis autem audebit dicere tales Christo incorporatos nisi qui sensu caret & non intelligit quæ loquitur. Vnde Aug. in epistola ad Cresconium superius inducta. Non potest habere Christus membra damnata. Et apostolus ubi supra ait. Quæ societas lucis ad tenebras? Sexto confirmatur hæc ratio. Si prædestinati cum sunt infideles aut hæretici siue scismatici aut alio quouis mortali peccato inquinati sunt incorporati Christo, quæritur quo medio. Non naturali uinculo, quia unio siue incorporatio membrorum Christi, cum Christo non est naturalis sicut est illa quæ Christi membra naturalia uniuntur corpori suo naturali. Nec etiam uinculo unionis hypostaticæ, sicut humanitas Christi filio Dei unita est, quia filius Dei, ut dicit Damas. non accipit naturam in uniuersali sed in Athomo, i. est indiuiduo. Oportet ergo quòd spiritualiter intelligatur huiusmodi medium siue uinculum, hoc autem nō uidetur intelligi nisi id quidem quod scriptura sancta ponit, & doctores sancti, uidelicet spūs sanctus siue charitatis ipsa, quæ ut dicit Aug. compaginat totum Christi corpus, & siue quo membra ad inuicē nec coherent nec capiti Christo. Vnde glo. super illud Colo.2. Non tenentes caput ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones &c. dicit, Per nexus, id est per charitatem sine qua membra adinuicem non cohærent nec inseruiunt nec uiuunt. Et Augu. super Cant. Iob. dicit. Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios diaboli. non discernuntur filii Dei a filiis diaboli nisi charitate, sed tale medium non habent actu infideles blasphemi, & iniqui quantumcunque prædestinati sint quòd habituri sint gratiam, & gloriam in futuro ut patet: ergo fundamentum præfatum est hæreticum. Septimo sic. Si prædestinati omnes tam iniqui quam iusti essent actu incorporati Christo, contrarietas esset magna in corpore Christi quod esset inconuenientissimum dicere. consequentia tamen manifesta est, quia in fide esset contrarietas, puta inter eos qui essent fideles, & infideles. Contrarietas etiam in spiritu, quia quidam spiritu Dei uegetati ut iusti, quidam spiritu diaboli ut iniqui. Falsitas, & inconuenientia patet ex illo Aug tractatu.iii. super Can. Ioa. dicentis. Qui non est Christo contrarius in corpore eius hæret, & membrum ipsius computatur: nunquam sunt membra sibi contraria: corporis integritas ex

uniuersis membris constat, hæc Augu. Octauo sic. Si prædestinati etiam infideles aut iniqui existentes sunt membra Christi, aut uiua, aut non uiua, alterum dare necesse est. Si mortua non potest esse, quia ut dicit. Hugo de sancto uictore, & catholice. In corpore Christi nihil est mortuum. Si dicant quod sunt uiua, hoc esse non potest, quia membra corporis Christi non dicuntur uiuere nisi per spiritum Dei per quem uita membris diffunditur, unde ad Roma.8.dicitur. Spiritus autem uiuit propter iustificationem gloss. quia Deo qui est uita iungitur per peccatorum remissionem quæ est ex spiritu sancto. Item ad Roma.1.dicitur. Iustus ex fide uiuit, & Ioan.20. ut credentes uitam habeant, sed hanc uitam non habent actu prædestinati quandiu infideles permanent, & iniqui, & similes qui sunt in peccato mortali: ergo fundamentum præfatum in ueritate stare non potest. Nono sic. Hæc opinio hominum tollit fructum passionis Christi ut uidetur: ergo talis opinio nullo modo uenit toleranda a fidelibus. assumptum uidetur manifestum ex illo Apostoli ad Roma.5. Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii eius. Si fuimus inimici Dei prius & per mortem filii eius reconciliati fuimus: necessario fateri oportet prædestinatos aut non esse filii Dei morte reconciliatos, aut prius fuisse inimicos: si inimicos, ergo non adhærentes Christo: ergo non incorporatos Christo, ergo non membra Christi, nisi quis uellet sine ratione dicere ut inimici Christi sunt membra Christi, & ex inimicis Christi compactum sit corpus Christi. Decimo sic. Apostolus ad Ephe. secundo, de incorporatione duorum populorum, scilicet Iudæorum, & gentilium in unum corpus Christi: loquens dicit sic. Vt duos, scilicet populos condat. id est coniungat in semetipso in nouo homine faciens pacem ut reconciliet ambos in uno corpore per Crucem interficiens inimicitias in semetipso, gloss. Ecce quasi sublata inimicitia, & lege euacuata facit pacem inter ipsos, & ambos reconciliat Deo patri. Ex quo patet istos duos populos intelligentiæ ordine quodam prius fuisse reconciliatos Deo patri quam in corpore uno Christi unitos. ergo qui adhuc sunt inimici Dei per infidelitatem aut alia peccata quæ diuidunt inter Deum & homines, secundum illud Esa.59. Iniquitates uestræ diuiserunt inter uos, & Deum uestrum, non possunt dici Deo uniti aut Christo incorporati etiam si sint prædestinati ut suo tempore incorporentur. Præterea ista assertio inde redditur falsa, quia facit uanas & inanes omnes exhortationes & admonitiones quæ sacra scriptura uniuersaliter facit ut homines conuertantur ad Deum, appropinquent Deo, & ei uniantur. Dicitur enim Zacha.1. Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos. & Iaco.4. Appropinquate Deo & appropinquabit uobis. Item apud Esa. habetur & introducitur ab apostolo.2.Corin.6. Exite de medio eorum, gloss. qui estis in medio nequitiæ eorum, & separamini, dicit dominus, & immundum nec tetigeritis, & ego recipiam uos gloss. ante electos, & ero uobis in patrem, & uos mihi in filios, & in filias dicit dominus omnipotens. Ex quibus patet clarissimè falsum esse quòd prædestinati infideles aut in peccato existentes quibus exhortationes huiusmodi fiunt: sint Deo incorporati actu siue uniti. Falsitatem autem quarti fundamenti in quo dicunt solam prædestinatorum uniuersitatem uniuersalem ecclesiam dici: sufficienter monstrauimus circa, cap.3. huius operis patet etiam eius falsitas ex dictis, iam in confutatione aliorum fundamen-

Contra quartum fundamétum.

damentorum. Quibus fundamentis confutatis facile est iam uidere omnes illorum propositiones superius positas falsas esse ac erroneas, & merito condemnatas fuisse ab uniuersali ecclesia in concilio Constantiensi, ut patet ex epistola fe.re. Martini Papæ quam omnibus prælatis Alemanniæ scribit. Prima est quòd non omnes fideles iustificati sunt membra Christi, sed soli electi finaliter regnaturi in perpetuum cum Christo. patet falsitas ex dictis, quod etiam ex illo apparet quod inquit apostolus. 1. ad Corin. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, glo. fidei unitate Christi capitis. Clarum est autem quòd omnibus credentibus in Christum loquitur non autem prædestinatis tantum. Item ex illo ad Ephe 5. Membra sumus corporis eius, quod uerbum Augu. pertractans super psal. 36. ita dicit. Nos in corpore ipsius sumus, si fides nostra sincera sit in illo, & spes nostra certa, & charitas accensa sit in corpore ipsius, & mēbra ipsius sumus. Quod autem prima pars illius propositionis falsa sit & erronea ratione sic ostenditur. Duo principaliter requiruntur, ut ex doctrina doctorum sanctorum colligimus, ad hoc ut quis dicatur membrum corporis Christi. Primum est conformitas naturæ, secundum est conformitas uitæ gratiæ, quæ duo notantur. Cant. 4. ubi dicitur. Hortus conclusus soror mea sponsa. Sororis quidem nomine naturæ conformitas, sponsæ uero appellatione unio gratiæ designatur. Primum horum est minus principale, tum quia bonis & malis commune est, tum quia non potest aliquid esse unum numero sed unum specie aut genere tantum est in omnibus quæ uniri dicuntur. Secundum uero quod est conformitas gratiæ est magis principale, & completissimum, quia unus numero est spiritus fons gratiæ qui in capite nostro Christo, & in omnibus membris eius uitam omnibus influit spiritualem. Quo præsupposito arguitur sic. Omnes fideles iustificati siue præsciti siue prædestinati habent conformitatem in natura cum Christo quod est primum. habent insuper conformitatem in uita gratiæ in eodem spiritu quod erat secūdum: ergo omnes tales ueraciter, & simpliciter dicendi sunt membra Christi. patet ex supposito, quoniam ad esse membrum Christi non requiruntur nisi illa duo, unde Apostolus Romanis scribens: qui tamen non omnes prædestinati fuisse creduntur inquit. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis. ad Rom. 12. Falsitas autem secundæ partis illius propositionis ex eadem radice fit manifesta loquendo de prædestinatis qui in infidelitate uel in aliorum sordibus peccatorum detinentur. cum enim prædestinati huiusmodi nulla unione nisi conformitate naturæ quæ prædestinatis, & præscitis communis est & quæ non est unio simpliciter, uniantur Christo: sequitur quòd tales non habent unde simpliciter, & actu nominandi sint membra Christi, aut esse de corpore Christi quod est ecclesia. Vnde Apostolus hac ratione utitur ad Ro. 8. cum ait. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius glo. s. membrum. Præterea falsitas & error secundæ propositionis in qua dicunt, ꝙ cum aliqui iustificantur, non incipiunt esse membra Christi qui non erant antequam iustificarentur. licet sufficienter parum ante in hoc ca. in confutatione primi fundamenti horum errorum ostensa sit: nihilominus ex multis aliis etiam ostenditur. Et primo ex illo quod dictum est Petro Act. x. Macta & manduca: quod ideo dictum esse dicit Aug. super psal. 123. Quod in ecclesiæ corpus nemo intrat nisi prius occisus moritur quod fuit ut sit

Cōtra primā propositionē dicti erroris.

Cōtra secundam.

quod non fuit, alioquin qui non occiditur & non manducatur ab ecclesia esse in numero populi potest qui uidetur oculis humanis. in numero autem populi qui cognitus est Deo, & de quo dicit Apostolus. Nouit dominus qui sunt eius: non potest esse nisi manducatus, neque manducari poterit nisi primo mactatus. Venit paganus, adhuc in illo Idolatria uiuit inserendus est membris Christi, ut inseratur necesse est ut manducetur, sed non potest manducari ab ecclesia nisi prius mactatus renunciat seculo tunc mactatur credit in Deum, tunc manducatur. Secundo contra illud est. 1. Petri. ii. Qui de tenebris nos uocauit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus Dei, nunc populus Dei. Tertio illud quod ait Apostolus ad Ephe. 4. In mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis fiat in ædificationem sui in charitate, glo. Illos qui non sunt corpus ædificat in suam ciuitatem uel societatem. Quarto illud Colo. ii. Ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & coniunctum crescit, glo. uirtutibus, & membris in augmentum Dei. glo. ait in augmentum Dei: quia quasi augetur Deus hominibus ab errore redeuntibus sicut minuebatur deserentibus. Quinto ad Ephe. 4. scribitur. Quosdam dedit Apostolos, sequitur, in ædificationem corporis Christi, glo ut ædificent eos in corpus Christi qui adhuc alieni sunt. Dicit etiam Aug. in epistola ad Dardanum. In compagem Christi tanquam in uiuam structuram templi Dei, quæ est eius ecclesia nati homines non ex operibus iustitię quæ fecerunt, sed renascendo per gratiam transferuntur tanquam de massa ruinæ ad ædificii firmamentum, hæc ille. Falsitas tertiæ propositionis in qua dicunt quòd nec aliqui cum cadunt a iustificatione per culpam mortalem desinunt esse membra Christi, qui erant membra Christi, satis manifesta est ex dictis, quia cum tales peccando mortaliter priuentur spiritusancto quo corpus Christi, & unum & uiuum est, planissimum est quòd membra Christi simpliciter siue actu esse desinant. Falsitas etiam quartę propositionis in qua dicunt quòd prædestinatus semper manet membrum Christi licet cadat a gratia præsentis iustificationis, patet ex dictis. Præterea quòd etiam falsa sit & erronea hæc propositio in qua dicunt quòd Paulus Augustus, & latro cum infideles essent & Christum persequerentur oues erant & membra Christi, patet ex dictis ut non sit opus alia addere, sed tantummodo contra eos inducamus Aug in quodam sermone de conuersione Pauli loquentem. Elisus est seruiens, & factus est credens. Elisus est lupus, & factus est agnus. Elisus est persecutor & factus est prædicator. Elisus est filius perditionis, & erectus est uas electionis, hæc Augu. Ceterum quòd sexta propositio falsa & erronea sit in qua dicitur quòd Iudas tempore quo iustificatus cum aliis apostolis Christum sequeretur non erat ouis Christi non membrum Christi. ex dictis etiam aperte colligitur ex eo quòd Iudas creditur baptizatus sicut & alii apostoli a Christo baptizati creduntur, ut dicit Augu. & habetur de con. di. 4. ca. quando ab Hierosolimis, & c. se. Sed quicunque baptizati sunt in Christo Christum induerunt, ad Gal. 3. & per consequens membra eius facti sunt, oportet necessario affirmare quòd Iudas tempore iustificationis suæ Christi membrum fuerit. Cuius sententiæ celebre testimonium beatus Aug. dat de Iuda loquens super psal. 41. qui inscriptus est persecutioni. Absalonis filii Dauid in patrem suum, ubi ita loquitur. Agnoscamus quemadmodum, & Christum persequebatur filius suus, habebat enim filios

[Margin notes: Contra tertiam. / Contra quartam. / Contra quintam. / Contra sextam.]

de quibus dicebat. Non ieiunant filii sponsi quandiu cum illis est sponsus cũ autem ab eis ablatus fuerit sponsus tunc ieiunabunt filii sponsi, ergo filii sponsi apostoli,& inter eos persecutor diabolus Iudas. Et infra Iudas filius sponsi persequens sponsum, hæc ibi. Ecce apertissimum testimonium quòd Iudas pro tempore iustificationis suæ filius sponsi erat & per consequens membrum Christi.

Cap. LVI. In quo ponuntur alii duo modi dicendi siue designandi membra corporis Christi.

SECVNDVS modus dicendi, & describendi membra corporis mystici Christi est dicentium quòd soli fideles in gratia gratum faciente existentes membra corporis Christi dicendi sunt. ad quam sententiã plures rationes formantur, primo quidem sunt octo illę quæ in iiii.c. huius libri assignatę sunt, præter quas sunt quæ sequuntur. Primo arguitur ex illo Cant.6. Vna est columba mea, id est ecclesia quæ hoc loco columba dicitur, ut supra annotauimus, quia spiritusſancti donis est illustrata. Ex quo uidetur aperte colligi ad membra huius columbæ tantum illos pertinere qui uirtutibus adornati sunt. Vnde Augu. hoc uerbum pertractans, lib.4. contra Donatistas ita dicit. Vna est columba mea, asserat, qui potest huius columbæ membra esse qui seculo uerbis non factis renunciant. Secundo arguitur ex illo Sapientiæ. iii. Filii sapientiæ ecclesia iustorum, ubi soli ad ecclesiã iustorum quæ est ipsa sancta uniuersalis ecclesia pertinere uidentur qui filii sunt sapientiæ cuiusmodi sunt iusti, & sancti uiri, secundum illud. Ecclesi.14. Beatus uir qui in sapientia morabitur. Tertio arguitur ex illo Augu. lib.4. contra Donatistas. Vox inquit non mea uel alicuius hominis, sed ipsius domini, nec per homines sed per angelos sonuit Christo nato. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę uoluntatis, quæ utique nato Christo non sonaret ore angelico nisi Deus hoc uellet intelligi eos esse in unitate corporis Christi qui sunt in pace Christi, eos autem in pace Christi esse qui sunt bonę uoluntatis. Quarto arguitur ex illo Hugonis de sancto uictore, lib. de sacramentis in secunda parte dicentis. Nihil in corpore Christi mortuum nihil extra corpus uiuum. Quinto arguitur sic. Corpus Christi uerum est figura corporis mystici, sed in corpore Christi uero nõ est aliquod membrum impurum, ergo uidetur quòd nullus dicendus sit mẽbrum corporis Christi mystici nisi purus sit a peccato. Et confirmatur per illud Aug. quod magister sententiarũ deducit in 4. di. 8. qui loquendo de unitate ecclesiæ ita dicit. Cuius unitatis sacramentũ est corpus Christi propriũ de uirgine sumptũ, quia ut corpus Christi ex multis mẽbris purissimis, & immaculatis cõstat ita societas ecclesiastica ex multis personis a criminali culpa liberis consistit in cuius rei typo archa domini de lignis sethin facta est quę sunt imputribilia, & albæ spinæ similia, hæc ille. Tertius modus loquendi in hac materia est, ꝙ omnes fideles fidei integritatẽ seruantes sunt membra Christi. Pro quorũ sententia facere uidentur omnia quæ dicta sunt circa c.3. huius operis in quo longo sermone ostensum est, ꝙ in sancta, & uniuersali ecclesia boni & mali permixti sunt. Pro quorũ opinione etiã hoc suffragari potest quod ait apostolus, ad Gal.3. Quicunq; baptizati estis in Christo, Christũ induistis. Ex quo uidetur ꝙ oẽs baptizati in Christo mẽbra Christi dicen

Arg. primũ quod cũ sequentibus soluetur, infra ca.59.

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintum

Tertius modus.

di sunt, cum induere Christum nihil aliud esse uideatur quam Christo adhærere siue Christo uniri tanquam membrum eius. Vnde Aug. tractans hoc uerbum super psal. 83. ita dicit. Si enim Christiani omnes, & fideles, & baptizati ipsum induerent sicut apostolus ait. Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis. si membra sunt facti corporis & dicunt se sancta non esse capiti ipsi faciunt iniuriam, hæc illæ. Item idem arguitur ex illo. i. Thi. 4. Saluator omnium est & maximè fidelium, & .i. Ioan. ii. dicitur. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam totius mundi. Saluare autem homines aut propitiatorem esse pro peccatis eorum competit Christo secundum quòd est caput. ergo sequitur quòd omnium illorum sit caput, & ita omnes fideles membra eius sunt.

Cap. LVII. In quo ueritas declaratur motę difficultatis: quorum scilicet hominum Christus caput sit & qui corporis sui quod est ecclesia, membra sunt dicendi.

AD declarationem huius difficultatis licet plura dicta sint a nobis circa, c. 5. huius operis, nihilominus pro maiori intelligentia ueritatis aliqua alia addentes, notandum duximus cũ excellentissimo doctore sancto Tho. in. iii. parte summæ suæ: ꝙ inter alias differentias inter corpus naturale hominis & corpus mysticum una est hæc, uidelicet ꝙ membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul: nec quantum ad esse naturæ: quia corpus ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius. Nec quantum ad esse gratiæ: quia quidam etiam eorum qui sunt in uno tempore gratia carent postmodum habituri aliis eam iam habentibus, sic ergo membra corporis mystici non solum accipiuntur secundum ꝙ sunt in actu sed etiam secundum quòd sunt in potentia. Quædam tamen sunt in potentia quæ nunquam reducentur ad actum, & hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem uię, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum est quòd accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi Christus est caput omnium hominum, sed secundum diuersos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo eorum qui actu uniuntur sibi per charitatem. Tertio eorum qui actu uniuntur sibi per fidem. Quarto uero eorum qui sibi uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, reducẽda tamen secundũ diuinã prædestinationẽ. Quinto uero eorum qui sunt in potentia sibi iungi quæ nunquã reducetur ad actũ sicut homines in hoc mũdo uiuentes qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc seculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi qui iam nec etiã sunt in potentia ut Christo uniantur. Sunt ergo istis bene consideratis mẽbra Christi siue corporis eius quod est ecclesia in triplici differentia. Quædã enim sunt mẽbra actu unita & uiua: siue uita gloriæ sicut illi qui actu uniuntur Deo per gloriã in superna beatitudine constituti, siue per fidẽ formatã, quæ dicitur per dilectionẽ operans: sicut sunt fideles iusti in hac præsenti uita. Quædam uero sunt membra unita quidem aliquo modo, scilicet per fidem, sed non sunt uiuentia, quia non uniuntur ei uinculo charitatis. Huiusmodi sunt fideles in peccato mortali existentes qui fidem informem habent qui cum sine ope

Memb. Christi triplicia Prima

Secunda

ribus

ribus mortua sit. Iaco.2.&.1.Ioan.3.dicitur. Qui non diligit manet in morte tales uita gratiæ carentes sunt uelut membra mortua, & quia rationem perfectam membri non solum constituit unitas continuationis, quam membrũ habet cum aliis membris in uno corpore, sed unitas uitæ siue spiritus corpus formantis, & uiuificantis, quia ut dicit Arist.2.de anima membrum mortuũ improprie, & equiuoce dicitur membrum. Hinc est quòd fideles in peccato mortali existentes non dicuntur membra Christi perfectè, & propriè, sed imperfectè, & impropriè sicut dictum est de membro mortuo. Vnde sanctus Thom.in.3.parte ita dicit. Fideles qui peccatis mortalibus subuertuntur, non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi forte imperfecte per fidem informem quæ unit Christo secundum quid & non simpliciter ut scilicet per Christum homo consequatur uitam gratiæ, hæc sanctus Tho. ibi. Item idem in primo scripto ita dicit. Homines autem fideles peccatores pertinent aliquo modo ad unitatem ecclesiæ inquantum cõtinuantur ei per fidem, quæ est unitas materialis, non tamen possunt dici membra propriè sicut nec membrum mortuum nisi equiuoce, hæc ibi sanctus Thom. Alexand. uero de Alis de hac materia in.3.suo loquens dicit sic. Ad unionem corporis mystici siue ecclesiæ nunquam propriè pertinent existentes in peccato mortali, tamen refert dicere unitatem ecclesiæ, & corporis ecclesiæ. in unitate enim ecclesiæ sunt boni, & mali, dummodo habeãt fidem rectam. Et hoc est quod habetur. Math.13.quòd ipsi tritico adiuncta sunt zizania, & dicit Aug. quòd ecclesia est ager in quo radicantur triticum.i. boni, & zizania.i. mali simul, tamen separabuntur in fine. Vnitas uero corporis non est nisi per fidem formata charitate. Secundum ergo propriam rationem corporis mali non sunt de corpore ecclesiæ, quamuis sint de ecclesia, hæc Alex. Itaq; secundum illum doctorem fides informis quæ sufficit ad hoc quòd quis dicatur pertinere ad unitatem ecclesiæ, non sufficit ad unitatem corporis ecclesiæ, cuius ratio talis potest assignari, quia cum unitas corporis constet ex partibus suis, necessario oportet quòd sicut in corpore naturali, id quod est forma substantialis sit in toto, & in qualibet parte corporis, ita & in corpore mystico necesse est, ut id quod est ad similitudinem spiritus humani in eo, sit & in toto corpore mystico, & in qualibet eius parte, & consequens sicut mẽbrum naturale recedente anima non uerè sed impropriè, & equiuoce dicitur membrum, ita in corpore mystico spiritu sancto qui quasi anima uegetans, & uiuificans in corpore est, ab aliquo per peccatum mortale expulso, iam talis propriè ad unitatem corporis ecclesiæ non pertinet: quia ut dicit Hugo de sancto Victo. nihil in corpore Christi mortuum, nihil extra corpus uiuum. Hinc Apostolus ad Roma.8. Si quis non habet spiritum Christi, non est eius scilicet membrum. Ceterùm alia dicuntur membra secundum potentiam, & hæc sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt sic in potentia, quæ tamen nunquam reducetur ad actum, quales sunt multi peccatores præsciti qui nunquam conuertentur ad Deum dicuntur membra in potentia. secundum quòd sunt unibiles corpori. Ista autem potentia fundatur in duobus, ut dicit sanctus Thom. ualet primo, & principaliter in uirtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundum illud Esa. 50. Non est abbreuiata manus eius, ut saluare non possit. Secundo in libertate arbitrii. Alii uero sunt membra in potentia quæ reducenda est in actum secundum ordinationem diuinæ prouidentiæ, sicut sunt peccatores etiam infideles qui

Tertia

sunt prædestinati ad uitam æternam quorum potentia dicimus quòd fundatur in tribus. Primo in uirtute Christi quæ ut dictum est, sufficiens est ad salutem totius humani generis. 1. Io. 2. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed totius mundi. Secundo in infallibilitate diuinæ prouidentiæ. Tertio in libertate arbitrii.

Cap. LVIII. In quo respondetur obiectionibus factis in contrarium per eos qui dicunt, quòd soli electi membra sunt corporis Christi.

HIS sic declaratis facile nobis est iam respondere cunctis obiectionibus aduersariorum. Respondebimus primo ad rationes factas pro parte illorum qui dicunt solos electos siue prædestinatos membra Christi esse ac illorum tantum Christum esse caput. Ad primam in qua obiicitur ex illo ad Eph. 5. Christus dilexit ecclesiam &c. respondetur negando consequentiam, quoniam secundum iam dicta Christus non tantum dicitur caput huius uitę decursu eorum quorum saluator secundum efficientiā est, cuiusmodi sunt prædestinati: sed etiam omnium quorum saluator est secundum sufficientiam, dummodo sibi fide formata uniātur, uniuersaliter quidem inquit Apostolus. Quicunque baptizati estis Christum induistis ad Gala. 3. Item qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt Ro. 8. Ceterum indifferenter loquitur de omnibus fidelibus, idem apostolus cum ait. Multi unum corpus sumus in Christo ad Ro. 12. Membra sumus corporis eius, ad Eph. 5. Ad secundum quod obiicitur ex illo. Nouit dominus qui sunt eius, respondetur, quòd Dei non sunt tantum prædestinati, sed etiam qui secundum præsentē iustitiam per gratiam sibi uniti sunt. unde sanctus Tho. in. 3. parte. q. xlviii. dicit, quòd homo dupliciter dicitur esse Dei. Vno modo inquantum subiicitur potestati eius, & hoc modo nunquam desinit homo esse Dei, secundum illud Daniel. 4. Dominabitur excelsus in regno hominum & cuicunq; uoluerit dabit illud. Alio modo per unionem charitatis ad eum secundum quod dicitur Ro. 8. Si quis spiritum Christi non habet non est eius, & hoc modo quis desinit esse Dei per peccatum. Ad gl. uero quæ inducitur, respódetur dupliciter. Primo secundum quòd dicit dominus Altisiodo. in sum. sua circa. 8. dist. 4. senten. quòd hoc intelligendum est diuisim non autē coniunctim. & tunc est sensus, illi sunt hortus conclusus fons signatus &c. qui conformes sunt imagini filii sui siue sint præsciti siue prædestinati siue uocati siue iam glorificati. plane omnes isti dum tamen actu conformes sint imagini filii Dei quod fit per gratiam gratum facientem, sunt illi quorum numerus est hortus conclusus fons signatus, &c. sicut supra, circa. v. c. declarauimus. Secundo respondetur, ꝙ si illud totum prædestinauit uocauit iustificauit & glorificauit accipiendū sit coniunctim, tunc gl. illa loquitur de ecclesia secundum statū uitæ futuræ ad quem soli electi pertinebunt tunc actu, nunc uero in potestate solum pertinent si in peccato mortali existant, sicut superius diximus. Habetur præterea ex ista gl. manifeste quòd electi non sunt hortus conclusus, &c. nisi prius iustificati, & tunc bene cóceditur ꝙ numerus talium sit hortus cóclusus, &c. secundum diuinam prædestinationē. & simul secundum præsentem iustitiam, sed cum hoc stat ꝙ etiam præsciti pro tempore iustificationis eorū sint etiā

Ad primū argumentum. c. 54. factum

Ad secundum

hortus

hortus conclusus,&c. Ad tertium quod obiicitur ex illo.1.Ioã.2.Ex nobis prodierunt,&c.respondetur,quòd illi qui recesserunt ab ecclesia peraliquã impietatem,& in illa mortui sunt dicuntur non fuisse primo de ecclesiæ corpore secundum prædestinationem,non autem simpliciter si etiam in ecclesia erant integram fidem firmam spem,& sinceram charitatem obseruabant. Vnde tales quamdiu piè uixerunt secundum præsentẽ iustitiã filii Dei fuerunt. Vnde Aug.li.de correctione & gratia,& ponitur de pe.dist.4.§.nam cũ . dicit sic. Isti cum piè uiuunt dicuntur filii Dei,sed quia uicturi sunt impie, & in eadem impietate morituri non eos dicit filios,hæc Aug. Et ita simili modo respondetur ad auctoritatem Ioan.& ad dictum Augu. & ad omnia similia quę Aug.ponit locis supra nominatis. Verum commemorandum est quod superius diximus ꝙ ex sola prædestinatione qua aliquis est prædestinatus, ut sit filius Dei per gratiam adoptionis,non dicitur quis filius Dei simpliciter siue actualiter, sed solum in potentia,sed ex præsenti iustitia est, & nominatur quis filius Dei actu siue simpliciter, licet sic iustificatus non sit prædestinatus ad uitam æternam.Vnde beatus Aug.super Io.homelia.xlv.longo processu tractat quomodo dicendi sint oues Christi qui adhuc in errore sunt, & finaliter dicit sic. Secundum præscientiam Dei,& prædestinationẽ quàm multę oues foris quàm multi lupi intus,& quã multę oues intus, & quàm multi lupi foris.Quid est ꝙ dixi quàm multę oues foris? quã multi luxuriantur casti futuri,quã multi blasphemant Christum,credituri in Christum,quã multi se inebriant futuri sobrii,quã multi rapiũt res alienas donaturi suas, & hi oues sunt.ue runtamen modo alienam uocem audiunt alienos sequuntur.Itẽ quã multi intus laudant blasphematuri,casti sunt fornicaturi. sobrii sunt se uino postea sepulturi. stant casuri & non sunt oues. De prædestinatis enim loquimur,de his loquimur quos nouit dominus qui sunt eius. Et tamen ipsi quãdiu rectè sapiunt,Christi uocem audiunt.Ecce audiunt isti non audiũt illi,& tantum secundũ prædestinationẽ non oues isti,oues illi.hæc Aug. Ecce manifeste Aug.dicit prædestinatos peccatores oues esse non tamen actu, cũ dicat eos non audire uocem pastoris Christi,sed alienos sequuntur.Cũ tamẽ dominus dicat Ioan.10.Oues meæ uocem meam audiunt, & sequuntur me, sed in potentia quæ ad actum reducenda est.cum ait,quàm multi luxuriantur casti futuri, &c. Nec mirari quis debet si scriptura simpliciter loquatur de talibus tanquam de simpliciter ouibus aut filiis siue etiam membris Christi, quoniam hoc non fit ideo ꝙ actu sint oues Christi aut filii Dei, aut membra actu suscipientia influxum Christi a Christo capite, sed talis scripturæ usus est propter ineffabilem certitudinẽ diuinæ prouidentiæ. Hac quippe ratione dominus quandoq; simpliciter loquitur de eis quæ solũ sunt in potentia, immo quandoq; per uerbũ de præterito loquitur de eo quod in longissimũ tempus expectatur. quorũ exempla multa sunt in scriptura sancta, sicut patet maxime in prophetis de incarnatione Christi.de aduentu ad iudicium,& de pluribus aliis.simili modo est in materia præsenti.Vnde Aug.li. de correctione.& gratia tractans illud apostoli.ad Ro.8. Quos uocauit hos & iustificauit,quos prædestinauit hos & uocauit,&c.dicit Ad hæc usque in finem seculi multi uocandi.& iustificandi sunt.& tamen uerba præsentis temporis posuit etiam de rebus futuris, tanquam iam fecerit dominus, quæ ut fierent iam ex æternitate disposuit, ideo dicit de illis propheta, qui facit quæ uentura sunt. hæc August. Ad quartum quod obiicitur ex August. super

Ad tertiũ

Ad quartum

psal.ciii.respondetur, quòd Aug.non negat quòd præsciti qui finaliter dânabuntur pro tempore iustificationis eorum communicauerint charitati, quia iustitia cum sit remissio peccatorum non adimpletur sine charitate. præterea etiam dæmones ipsi damnatissimi in charitate dicuntur fuisse creati. unde Aug.12.de ciui.Dei dicit.Bonam uoluntatem quis inquit fecit in angelis, nisi ille qui eos cum sua uoluntate.i.amore casto, quo illi adhærent creauit simul in eis condens naturam & largiens gratiam. Sed exponendum est illud uerbum Aug.prout exponit magister sententiarum.in.3.distin.xxxi.sic charitas est fons cui alieni.i. damnandi non communicant. s. finaliter, quia alias non damnarentur.

Ad quintum

Ad quintum quod obiicitur ex August. lib.de doctrina Christiana dicentis.Non est reuera &c.respondetur. Pro cuius responsione & pro concordantia multorum passuum sacræ scripturę, & dictorum doctorum sanctorum qui uidentur in cortice sibiinuicem aduersari, notandum est, quòd ueritas multipliciter accipitur. Est enim ueritas essentiæ quæ secundũ rationem speciei consideratur, de qua potest capi illud Aug.in lib. soliloquiorum dicentis. Verum est illud quod est. Secundo modo dicitur ueritas permanentiæ continuationis siue perseuerantiæ, hoc modo non dicitur uerũ quod cito desinit esse, siue id quod permansurum non est, secundum illud Ioan.8. Si manseritis in sermone meo uerè discipuli mei eritis. Tertio modo dicitur ueritas perfectionis siue consummationis, de qua pót accipi illud Lucæ.21. Verè hic homo iustus est uerè quidem iustus dictus est Christus, quia consummatæ iustitiæ, & per consequens perfectionis fuit. Math.3. sic decet nos adimplere omnem iustitiam. Istam diuisionem ueritatis triplicis ponit Cancellarius antiquus parisius in sum.sua super uerbo Augu. ad Iulianum comitem. Charitas quæ deseri potuit, nunquam uera fuit. Hoc insuper de illo originaliter tangitur super eodem uerbo a magistro sententiarum in.3.di. xxxi. ubi quærit. Vtrum sit uera charitas quæ amittitur, qui respondens ad præallegatam auctoritatem dicit, quòd dictum Augu. non ad essentiam charitatis refertur, sed ad efficientiam, quia non efficit charitas quæ deserit hominem uerè beatum, non enim perducit eum ad uerum bonum. Item ad illam eiusdem Aug. Charitas est fons cui alieni.i.damnandi non communicant, respódet. Non communicant.s.in fine, quia non perseuerant. Et consequenter inquit. Possunt autem hæc quæ de charitate dicta sunt intelligi de charitate perfecta quam soli electi habent, quæ semel habita non amittitur, hæc magister sententiarum. Ex cuius uerbis clare patet diuisio posita triplicis ueritatis cum dicat charitatem quæ desinit esse, fuisse ueram ueritate essentiæ sed non permanentiæ aut perfectionis. Et quoniam ut sæpenumero repetitum est, & habetur in gl.ad Rom.8. Societas & unitas qua compaginamur, & efficimur unum corpus unici filii Dei, ipsa charitate efficitur, & constituitur. Eadem uidetur currere diuisio ueritatis de membris Christi quæ fit de ueritate charitatis. Præterea considerandum quòd inter istos acceptionis modos ueritatis talis ordo est, quoniam secundus præsupponit primum necessario & addit supra ipsum & tertius supra secundum. ueritas enim perseuerantiæ præsupponit ueritatem essentiæ, & ueritas perfectionis præsupponit utranque & addit consummationem. Ex quibus aperte cognoscimus quòd omne uerum ueritate permanentiæ, aut perfectionis est uerum ueritate essentiæ, & non econuerso. Secundo quòd non esse uerum ueritate permanentiæ siue perfectionis non dicit non esse uerum simpliciter, immo sic arguendo com-

mitteretur fallacia consequentis ab inferiori ad suum superius arguendo negatiuè sic iste non est homo demonstrato asino: ergo non est animal. Ex quorum omnium consideratione patet huiusinodi propositiones ueras esse. Præsciti iustificati sunt uera membra Christi, ueritate essentiæ. patet quia tales uera charitate secundum eundem modum ueritatis actu coniunguntur Christo. præterea tales sunt ueri filii Dei. Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Aug. super psal. cxxii. Si credis ipsi potestas tibi data est, ut sis inter filios Dei. Secunda, Præsciti iustificati non sunt uera membra Christi, ueritate perseuerantiæ siue continuationis. patet quia charitate permansura usque in finem siue charitate uera ueritate permanentiæ non uniuntur Christo. Quomodo dicit Aug. quod charitas fons proprius est, & singularis bonorum cui nō communicat in fine alienus. i. damnandus, ut dictum est ex dictis magistri. De hoc genere ueritatis accipiendum est etiam quod dicitur Ioan. 8. Si manseritis in sermone meo uerè discipuli mei eritis, & gl. quæ super illud. 1. Ioã. 2. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, dicit sic. Si exierunt ex nobis non erant ex nobis ueraciter. Hoc etiam modo dicit Aug. li. de correctione & gratia, & ponitur de pe. distin. 4. 6. cum ergo, tractans illud Ioan. Ex nobis prodierunt &c. quod ex aduerso fuit inductum. Quid aliud dicunt nisi quòd non erant filij Dei etiam quando erant in professione & nomine filiorum: non quia iustitiam simularunt: sed quia in ea non perseuerarunt. hęc Aug. Ecce qualiter Aug. tales dicit ueros fuisse filios Dei ueritate essentię: in hoc quòd dicit eos ueram & non simulatam habuisse iustitiam. Per iustitiam autem ut ait Hiero. multi adhærent Christo: sed non ueros esse filios Dei dicit siue membra Christi ueritate perseuerantię. unde dicit quòd in ea non perseuerarunt. Et per hoc respondetur ad illud dictum Aug. principale. Non est reuera corpus Christi quod cum illo non erit in ęternum: quòd accipiendum sit de ueritate continuationis perseuerantię aut perfectionis: non autē de ueritate essentię siue rei: quia ueraciter corpus Christi sunt. Vnde Aug. super Psal. 139. ait sic. Caput illius capitis sancta ecclesia est in cuius nos mēbris sumus & caput nostrum diligimus. hæc Aug. Vel respondendum est secundum quòd dominus Richar. in 3. sententiarum ad eandem auctoritatem di. dictum illud Augu. exponendum esse sic. i. non pertinent ad corpus Christi illi qui non habent unde cum Christo possint in æternum manere quod omnes iusti habere noscuntur. hæc Richar. Et ita auctoritas intellecta non facit ad propositum arguētium, sed magis fauet auctoritati quam posuimus. Ad sextum quod sumitur ex illo Aug. contra donatistas. Sunt quædam in eo numero, &c. quòd sunt Dei secundum prædestinationem, quòd non simpliciter sed potentia esse tales, non autem secundum unionem gratiæ gratum facientis secundum quam quis simpliciter dicitur esse Dei, sicut sæpe dictum est. Ad septimum quod obiicitur ex eodem Aug. & de eodem li. contra donatistas, quòd multi &c. respondetur eodem modo, quia licet propter infallibilitatem diuinæ præscientiæ tales dicantur simpliciter meliores, intelligendi tamen sunt potentia non actu, cum actu non habeant charitatem. Vnde quis apud Deum bonus dicitur, ut dicit Aug. potentia tamen sunt meliores quæ certitudinaliter ad actum reducenda est, & quòd ita dicendum sit, etiam ex dictis eiusdem Aug. superius inductis apparet manifestè. Ad octauum quod obiicitur, quòd Deus ab æterno dilexit, &c. respondetur negando consequentiam, quoniam licet Deus ab æterno dilexerit electos, & ab æterno

Ad sextū

Ad septimum

Ad octauum

prædestinauerit eos ut sint membra eius in certo futuro tempore per unionem cum Christo hic per gratiam & in futuro per gloriam. tamen non sequitur quòd sint actu membra eius, & quòd actu sint uniti siue incorporati ei per gratiam, aut per gloriam. alias si idem iudicium esset sumendum de esse dilectum a Deo & esse illius filium aut membrum, sicut electi sunt ab æterno, sic dicendi essent mēbra Christi quod falsum est. Vnde falsum est quod dicunt, quòd non sit maior ratio de dilectione, & eius præordinatione, ut electi sint membra eius, &c. Ratio autem diuersitatis est, quia esse aliquem a Deo uel cognitum, uel dilectum non ponit actu aliquid in rebus cognitis, & dilectis, sed tantum in cognoscente, & diligente, sed membrum esse actu alicuius corporis denotat necessario hoc quod dicitur esse membrum nexibus aliquibus actu esse unitum corpori cuius est membrum, & influxum aliquē sensus, & motus actu suscipere ab eo qui uicem capitis in corpore obtinet quæ omnia temporalia sunt, unde argumentum non procedit. Ad nonum quod sumitur ex Aug. li. de correctione & gratia, & ponitur de pe. dist. 4. cap. hanc societatem, respondetur sicut ad prædicta, omnia quidem soluuntur per diuisionem factam de eis qui sunt solum de prædestinatione filii, & non secundum præsentem iustitiam, & de aliis qui sunt secundum præsentem iustitiam, & non secundum prædestinationem, attribuendo singula singulis patet clarissima responsio ad totum illum processum Aug. ubi supra. quare cum nō sit opus plura dicendi ad rem istam supersedemus ab aliis. Ad decimum quod obiicitur quòd corpus Christi uerum est figura, &c. respondetur secundum quòd respondet dominus Guilielmus Altisio. in sum. sua, quòd similitudo corporis naturalis Christi ad corpus mysticum non respicit nisi præsens, scilicet quia sicut corpus Christi naturale consistit. in præsenti ex membris purissimis, ita corpus Christi mysticum quò ad eius uera membra consistit ex fidelibus a peccati macula mundis, & puris. & ratio est, quia ut sanctus Thom. in. 3. dicit, membrum non iudicatur secundum illud quod de eo potest fieri, sed secundum illud quod est. Vnde manus antequam abscindatur membrum est corporis quamuis sit futurum abscindi. & similiter qui est in gratia membrum Christi, est quamuis postea abscindatur. hæc sanctum Thom.

Ad nonū

Ad decimum.

Cap. LIX. In quo respondetur ad rationes aliorum qui secundo loco, & tertio aliter circa membra Christi locuti sunt in c. 56.

AMPLIVS superest respondere ad rationes aliorum doctorū qui Christi membra tantummodo nominant eos qui in gratia gratum faciente existunt, & eorum qui dicunt uniuersaliter uniuersos fideles Christi ad membra Christi pertinere. Quorum solutio breuiter expediri potest attenta declaratione quam de ueritate huius rei fecimus circa c. 55. Ibi enim tot dicta sunt, ut clare pateat responsio omnium rationum factarū. Primo enim rationes eorum qui asserunt ad membra Christi pertinere solos eos qui in gratia gratum faciente existunt procedunt de illis qui actu membra sunt uera spiritu Dei uiuificata secundum quòd Hugo de sancto Victore in secunda parte de sacramentis ecclesiam describit dicens. Ecclesia sancta, corpus Christi est uiuificata spiritu, & unita fide, & sic procedit dictum apostoli. si

Solutiones argumentorū secundi modi dicendi capi. 56.

stoli. si quis Christi spiritum non habet non est eius scilicet membrum. Roma.8. Rationes autem aliorum procedunt de eis qui quocunque modo siue uerę & perfectę, siue equiuocæ, & imperfectæ, ad unitatem corporis Christi pertineant. Primi sunt fideles iusti, qui charitatis copula Christo uniti sunt & uiuunt de spiritu eius. Secundi sunt fideles peccatores, qui unitate fidei informis uniuntur corpori ecclesiæ, sicut copiosè superius est ostensum, alias etiam circa c.v. data est alia diuisio uidelicet quòd esse de ecclesia dicitur dupliciter. Aut numero & merito sicut sunt iusti. de quibus procedunt primæ rationes. Aut numero solum sicut fideles peccatores, quomodo conceduntur rationes aliorum. Vel sumendo aliam uiam sancti Thom. in tertia parte de qua supra fecimus mentionem quòd aliqua sunt membra actu, & aliqua potentia. Primæ rationes concedendæ ueniunt de his qui membra actu sunt. Secundæ uero de his qui in potentia sunt membra.

Cap. LX. In quo declaratur qualis sit unio membrorum ecclesie adinuicem, & de modo unionis membrorum ad caput.

QVANQVAM de unitate ecclesiæ multum diffuse in superioribus in cap.7. & .36. locuti fuerimus, nihilominus ad pleniorem intelligentiam sacramenti unitatis ecclesiæ, aliqua de qualitate unionis membrorum eius adinuicem, & de modo unionis membrorum ad caput disputabimus. Quòd autem unio membrorum adinuicem sit unio essentiæ, siue essentialis arguitur sic. Quædam gloss. pro regula ponit super illud. 1. Corinth. 7. qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo. Quòd quando de duobus dicitur quòd sint unum, & non additur quid unum, intelligendum est, quòd sint unius essentiæ, sed absolutè dicitur Cantic. 6. Vna est columba mea: ergo ecclesia ipsa est una unitate essentiæ. Item Ioan. 17. dicitur. Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus, sed pater, & filius sunt unius essentiæ: ergo etiam membra ecclesiæ adinuicem sunt unum unitate essentiæ. Tertio arguitur quòd fides non possit habere rationem medii quo membra ecclesię unum corpus esse dicantur sic. Fides non habet respectum ad alterum, sed est absolute in subiecto suo, unde non comparat subiectum suum ad aliud per modum identitatis, uel diuersitatis: ergo non uidetur habere rationem unientis. Quarto medium debet esse commune extremis, fides autem non competit capiti ecclesiæ ut patet: ergo uidetur quòd per fidem non sit unitas ecclesiæ, nec inter se adinuicem nec ad caput. Quinto, prius naturali intelligentia est esse quàm esse unum, & esse unum quàm esse uiuum, sed per fidem dicitur esse uita in membris ecclesiæ secundum illud Rom. 1. Iustus ex fide uiuit, ergo fidem præcessit unitas: ergo per fidem non est unitas ecclesiæ. consequentia patet, quia causa præcedit, non autem sequitur effectum suum. Sexto arguitur quòd nec etiam charitas sit medium unionis membrorum ecclesiæ, quia charitas in diuersis est differentiis. & cum ex diuersis numero non sit propriè unio, uidetur quod ecclesia per charitatem nō potest dici una numero. consequentia patet, & antecedens etiam. In oppositum sunt quæ in superioribus diximus, & maxime in prænominatis capitulis. Est etiam illud

Arg. primum

Secundū

Tertium

Quartū

Quintum

Sextum

In opposi tum

Aug. dicentis ſuper pſal.xxxvi. Nos in corpore ipſius ſumus ſi fides noſtra ſin cera ſit in illo,& ſpes noſtra certa,& charitas accenſa,ſic in corpore ipſius,& membra ipſius ſumus. Item beatus Hilarius in notulis ſuper pſal. exponens illud pſalm.cxxi. Hieruſalem quæ ædificatur,ut ciuitas,dicit ſic. Vnum eccleſiæ corpus eſt,non quadam corporum confuſione permixtum, nec ſingulis in indiſcretum aceruum,& informem cumulum unitus, ſed per fidei unitatem,per capitis ſocietatem, per operum uoluntatiſq; concordiam,per ſacramenti unum in omnibus donum,unum omnes ſumus, in quod nos hortatur apoſtolus di. Obſecro uos fratres,ut illud idipſum ſapiatis eandem charitatem habentes. Pro declaratione præſentis difficultatis notandum, quòd ut ſanctus Thom. dicit in.3.ſenten.diſt.xiii. in corpore naturali inuenitur quadruplex unitas adinuicem. Prima eſt ſecundum conformitatem naturæ, quia omnia membra conſtant ex ſimilibus partibus, & ſunt unius rationis, ſicut manus & pes ex carne & oſſe,ſic dicuntur membra unum genere uel ſpecie. Secunda per colligationem eorum adinuicem per neruos,& iuncturas,& ſic dicuntur unum per continuationem. Tertia eſt ſecundum quam diffunditur uitalis ſpiritus, & uires animæ per totum corpus. Quarta eſt ſecundum quòd omnia membra perficiuntur per animam, quæ eſt una numero, in omnibus membris. Et hæ quattuor uniones inueniuntur in corpore myſtico. Prima inquantum omnia membra ſunt unius naturæ,uel ſpeciei,uel genere. Secunda inquantum colligata ſunt adinuicem,per fidem,quia ſic continuantur in uno credito. Tertia ſecundum quòd uiuificantur per gratiam,& charitaté. Quarta ſecundum quòd in eis eſt ſpiritusſanctus quæ eſt ultima perfectio, & principalis totius corporis myſtici quaſi anima in corpore. Prima dictarum unionum non eſt,unio ſimpliciter,quia illud in quo eſt unio hoc non eſt unum numero,ſicut eſt in tribus ſequentibus,quia per fidem,& charitatem in uno uniuntur credito, & amato. Similiter ſpiritusſanctus unus numero omnes replet homines,hæc ſanctus Thom. Quibus tanquam ſufficienter declarantibus qualitatem, & modum unionis membrorum corporis quod eſt eccleſia habitis,dicendum eſt ad rationes factas in oppoſitum.

Ad primum

Ad primum ubi dicitur,& obiicitur,quòd abſolute eccleſia dicitur una. Reſpondetur quòd non eſt ita,ſed determinatur eius unitas in hoc quòd dicitur,una eſt columba,& una eſt perfecta. In nomine columbæ iuxta glo. notatur unitas ſimplicitatis eccleſiæ. eccleſia enim eſt una unitate ſimplicitatis cum ſit ſine macula, & ruga perfidię aut erroris,in quo unitas fidei deſignatur. in hoc uero quòd dicitur una perfecta,determinatur eius unitas, ad unitatem perfectionis: quoniam unitas eccleſiæ. non eſt indiuiſibilitatis,qualis eſt unitas puncti, nec cõtinuatis,qualis eſt unitas lineæ,ſed perfectionis qua aliquid unum perfectione conſtituitur ex multis,ut habetur. 5. Meth.

Ad ſecundum

Ad ſecundum quod obiicitur ex illo Ioan. 17.&c. reſpondetur quòd dictum Ioan. intelligitur iuxta gl. ſic,ut ſint unum ſuo modo per participationem alicuius ſimilitudinis unitatis naturæ. unde li ſicut non dicit ęquiparantiam, ſed proportionem participatę ſimilitudinis unitatis diuinæ. Vnde duplex unitas eſt inter patrem, & filium. Vna eſt naturæ,de qua Ioan. 10. Ego & pater unum ſumus. Alia eſt unitas amoris in patre,& filio quæ eſt unitas ſpiritus,& utraque eſt in nobis, non quidem per equiparantiam,ſed per ſimilitudinem quandam. pater auté & filius ſunt eiuſdem naturæ numero,& nos unum in natura ſecundum ſpeciem. Item ſunt unum per amorem non participatum ex dono alicuius, ſed

ex eis

ex eis procedentem nam pater & filius diligunt se spiritu sancto, nos autem sumus unum per amorem participatum ex dono superiori. Ad tertium respondetur quòd unire dicitur dupliciter. Vno modo per modum uinculi & connexionis, & sic uidetur quòd sola charitas quæ est connexio, & quædam copula dicitur unire. unde apostolus. Super omnia habete charitatem quæ est uinculum perfectionis. Alio modo unire per modum assimilationis, & hoc modo omnis uirtus dicitur unire unum alteri in quo similis dispositio inuenitur, & hoc modo fides dicitur unire, & habere ex consequenti rationem medii. unde magister Alex. de Alis in tertio dicit, quòd corpus ecclesiæ dicitur unum ab una perfectione, & a consimili dispositione. una enim perfectio est in capite & in omnibus credentibus, & amantibus Christum scilicet spiritus sanctus. Vnde apostolus. Vnum corpus, & unus spiritus. i. ab uno spiritu est unum corpus. ad Eph. 4. Similiter dicitur unum a consimili dispositione, quia in omnibus sanctis est una consimilis dispositio in participatione unius perfectionis. s. spiritussancti. Et hæc similis dispositio attenditur quantum ad quattuor. Primo quantum ad cognitionem rationis, & hoc per fidem. idem omnes credunt. Secundo quantum ad desiderium concupiscibilis, & hoc per charitatem unam. Idem enim omnes amant. s. summam bonitatem. Tertio attenditur quantum ad expectationem irascibilis, & hoc per spem unam, quia idem omnes expectant. s. supernam beatitudinem. Quarto quantum ad operis imitationem, & hoc per operis exhibitionem. idem enim omnes imitantur iusti, scilicet Dominum nostrum Iesum Christum. Ista quattuor tanguntur in glo. ad Colo. 2. super illud. Ex quo totum corpus connexum est, ut supra dictum est. Sic ergo patet quòd corpus mysticum dicitur unum, & ab una perfectione, quæ est spiritussanctus, qui totum corpus ecclesiæ uiuificat, & perficiat ac adunat, & a consimili dispositione. sunt enim omnes fideles similes in fide spe, & charitate, & operum sanctorum exhibitione.

Ad tertiū

Ad quartum respondetur, quòd id quod est medium per modum uinculi est commune extremis, non autem id quod est medium per modum assimilationis qualis est fides omnis quæ in nobis infunditur, quæ non nisi fulgur siue radius quidam siue participatio est diuinæ perfectionis, & ideo ratio non procedit.

Ad quartum

Ad quintum potest dupliciter responderi. Primo quòd per fidem secundū se non dicitur propriè corpus uiuificari nisi ratione charitatis perficientis eam sed bene corpus unire. Vnde Hugo de sancto Victo. li. de sacris dicit, quòd per fidem accipimus unionem, & per charitatem uiuificationem. Cum ergo dicitur. Iustus ex fide uiuit. intelligitur de fide formata in charitate. Secundo respondetur quòd in esse naturæ aliud est esse & uiuere re & ratione, sicut patet quia multa esse habent quæ non uiuunt, & etiam in eodem alterius, & alterius rationis sunt, sed in esse gratiæ idem sunt re esse & uiuere: nā ubi non est uita spiritualis, non est esse gratiæ. cum ergo esse, & uiuum sint idem: manifestum est quòd uiuere, & esse uiuum non differunt in esse spirituali siue gratuito, licet differant in esse naturali.

Ad quintum

Ad sextum respondetur negando consequentiam, quoniam ut in superioribus inductum est, quemadmodum in corpore naturali uires diffusę per omnia membra differunt numero secundum essentiam, & propriam perfectionem, sed conueniunt in radice una numero & præter hoc habent formam ultimam unam numero. ita etiam omnia membra corporis mystici habent pro ultimo complemento spiritum sanctum, qui est unus numero in omnibus, & ipsa charitas diffusa in eis per

Ad sextū

spiritum sanctũ, quamuis differat in diuersis secundũ essentiã, conueniunt tamen in una radice secundum numerum. Radix autem operationis propriæ est ipsum obiectum ex quo speciem trahit. Et ideo inquantum est idem numero amatum, & creditum ab omnibus secundum hoc unitur omnium fides & charitas in una radice secundum numerum non solum prima quæ est spiritussancti, sed etiam proxima quæ est proprium obiectum.

Cap. LXI. In quo declaratur, quæ sit causa efficiens huius unionis membrorum ecclesiæ adinuicem.

VISO quibus tam quòd mediis siue principio formali unitas ecclesiæ compaginata sit, in quo tanquam efficiente principio fiat ostendamus. Dicimus autem quòd unitas ecclesiæ communiter est a tota trinitate, a qua habet esse, opera enim exteriora, ut ait beatus Augu. & beatus Dyon. indiuisa & communia sunt toti trinitati. Interdum tamen ex diuersis respectibus appropriatur singulis personis. Appropriatur enim aliquando patri, eo quòd est principium totius deitatis, & unitas habet rationem principii. Vnde secundum Aug. li. 1. de doct. Christiani, & inducitur a magistro sententiarum in. 1. senten. dist. xxxi. unitas appropriatur patri, ait enim. In patre unitas, in filio æqualitas, in spiritu sancto unitatis equalitatisq; concordia. Aliquando etiam legitur quòd unitas ecclesiæ appropriatur filio propter naturam assumptam, secundum quam speciali modo, ut supra induximus, conuenit ei quòd sit caput ecclesiæ, ex hominibus sumptæ propter conformitatem, scilicet naturæ cum membris. Ex capite autem pendet unio membrorum. unde apostolus ad Eph. 1. Crescamus in illo per omnia qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus compositum est, & connexum, & compactum, ut dicit glo. per fidem, & connexum unculis charitatis. Idem ad Colo. 2. habetur. De hac præterea unitate facta per Christum dicitur in psalm. cxlvi. Ædificans Hierusalem dominus dispersiones Israel congregabit, & gloss. dominus ædificat Hierusalem cœlestem, quam de uiuis lapidibus construit ruinam angelicam reparans, & ipse qui ædificat congregabit in una fide spe, & charitate dispersiones Israel, id est fideles olim dispersos colliget, ut de illis ædificium cœleste formetur. hæc glo. Item Ioan. x. inquit Christus. Alias oues habeo quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor. Et Ioan. 11. dicitur. Iesus moriturus est, non tantum pro gente (scilicet iudæorum,) sed ut filios Dei qui dispersi erant congregarent in unum. Item Apostolus ad Ephe. 2. dicit. Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum. Ceterum unitas ecclesiæ appropriata legitur spiritui sancto, cui appropriatur connexio unio, & communio, secundum Augustin. lib. 1. de trinitat. Vnde glo. super illud ad Roma. 8. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei, dicit sic. Quia spiritus sanctus communis est patri, & filio, amborumq; unio per ipsum fit societas, & unitas qua efficimur unum corpus unici filii Dei. unitas enim non compaginat quam facit charitas. Charitas unde est, nisi a spiritu sancto? Hæc glo. Huius etiam rei apertissimum testimonium habemus ab apostolo Paulo qui ait. 1. ad Corinth. 12. Etenim uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, gloss. uno spiritu scilicet sancto, ducti sumus in

unum corpus. Idem habetur ex. 1. ad Ephe. 5. unum corpus, & unus spiritus, ubi gloss. magistri itaque inquit, unum corpus efficimur propter societatem quam facit spiritus sanctus non sine patre & filio. Etiam quippe accipitur hoc donum, ut in sancto spiritu fiat remissio peccatorum, quam remissionem cum trinitas faciat, propriè tamen ad spiritum sanctum intelligitur pertinere. ipse enim est spiritus adoptionis filiorum, ipse est patris & filii amor, ad ipsum ergo pertinet societas qua efficimur unum corpus unici filii Dei. hæc gloss. Præterea circa hoc notandum, quòd sicut spiritui sancto tanquam principali agenti attribuitur unitas qua omnes fideles efficiuntur unum corpus unici filii Dei, ita sacramento baptismi tanquam instrumento diuinæ pietatis legitur attribui effectus unionis siue incorporationis qua fideles Christo incorporantur. Vnde apostolus ad Gala. 3. Quot quot baptizati estis Christum induistis. Item August. ad Bonifac. & habetur in.c.quia passus de consec.dist. 2. Nulli est aliquatenus ambigendum unumquemq; fidelium corporis, & sanguinis dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi. Item li. de baptis. paruulorum, & habetur de conse.dist iiii.c.ad hoc, sic idem ait Augu. Ad hoc baptismus ualet, ut baptizati Christo incorporentur.

Cap. LXII. In quo declaratur an corpus Christi uerum sit melius corpore Christi mystico an econuerso.

QVIA in superioribus ex sententia beati Augu. sæpenumero repetitū est quòd corpus Christi uerum figura sit corporis Christi mystici, & apud ueteres doctores super illo uerbo beati Grego. inducto a magistro sententiarum. in iiii. dist in. xiii. cap. i. Quid melius corpore, & sanguine Christi, mota reperitur quæstio. An corpus Christi uerum melius sit corpore Christi mystico, aut econuerso. Placuit nobis in hoc loco pro ampliore huius tractatus doctrina aliquid tangere, & quia argumentorum discussione ueritas magis splendescit, in lucem argumenta inducemus ad utramque partem. Pro parte negatiua arguitur primo sic. Dicit gloss. super illud. 1. Corinth. 10. hæc omnia in figura contingebant illis, quòd in bonis melius est ipsum figuratum per figuram quam ipsa figura: sed corpus Christi uerum est figura corporis Christi mystici, ut dicit Augustin. & deducitur a magistro sententia. lib. iiii. dist in. viii. ergo corpus Christi mysticum est melius corpore Christi uero. Secundo sic. August. ut sæpe inductum est in superioribus, dicit. quòd totus Christus est caput & corpus, ait enim. Caput & corpus unus est Christus, constat autem quòd membra cū capite sunt aliquid melius quàm caput solum: ergo corpus Christi mysticū est melius quàm corpus Christi uerum. In oppositum arguitur multipliciter, & primo sic. Causa potior est effectu, sed corpus Christi uerum dicitur ipse Christus qui est causa corporis Christi mystici: ergo melius est illo. Secūdo sic. Corpus Christi uerum facit prætium datum pro redemptione, & salutatione corporis mystici. unde ad Eph. 5. dicitur. Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, &c. ergo melius est corpus Christi uerum corpore Christi mystico. consequentia patet. Tertio sic. Corpus Christi uerum est unitū diuinitati in unitate personę secundū illud, uerbū caro factū est, &c. non autem corpus Christi mysticū est tanta ac tali

Queritur

Arg. primum

Secundū

In oppositum

Respondetur

unitate diuinitati cõiunctũ: ergo multo melius ac excellentius est illõ. consequẽtia est manifesta. Respondetur dicendo ꝙ corpus Christi uerũ, melius est corpore mystico propriè loquendo. Pro cuius declaratione sequendo dominum Albertum magnum, & sanctum Tho. qui in loco prænominato hanc materiam tangunt notanda sunt duo. Primum est, quòd sicut in humano corpore uario modo accipitur hoc nomen corpus, quia quandoque dicit residuum a capite, & secundum hoc aliud est corpus, & aliud est caput. Quandoque uero dicitur corpus totum ipsum constans ex capite. & residuo, & secundum hoc caput est membrum totalis corporis. Ita multipliciter accipitur corpus mysticum, quia quandoque dicitur corpus mysticum ecclesia constans ex fidelibus omnibus aliis a Christo. Quandoque uero corpus mysticum dicitur collectio ipsa omnium fidelium cum capite suo Christo. Secundo notandum est quòd corpus Christi uerum dupliciter consideratur. Vno modo sine diuinitate cui est unitum. Alio modo, ut diuinitati coniunctum. His notatis dicimus quòd corpus Christi mysticum si accipiatur in prima significatione quæ est eius propria acceptio ut. s. tantum dicat membra cohærentia capiti, melius est corpus Christi uerum quam corpus Christi mysticum rationibus supra assignatis. Si uero accipiatur corpus mysticum secundo modo, ut scilicet dicit membra cum capite, tunc currit secunda distinctio, quia si accipitur corpus Christi uerum, non habita consideratione ad diuinitatem cui est unitum tunc corpus Christi mysticum est melius siue nobilius corpore Christi uero. Si uero accipitur corpus eius uerum, ut unitum diuinitati; tunc corpus Christi mysticum non est melius siue nobilius corpore Christi uero. Cuius ratio quæ est sancti Tho. est, quia Deus & omnes creaturæ simul non sunt aliquid melius quàm Deus tantum. Dicendum est ergo ad argumenta facta in contrarium. Ad primum respondetur, ut dicit Albertus magnus, quòd gl. illa loquitur de his quæ sunt figuræ tantum quorum. s. totus usus est in significando, & non in causando, sicut fuit agnus paschalis, non autem intelligenda est loqui de his quæ sunt signa & causa & res cuiusmodi est corpus Christi uerum respectu corporis Christi mystici. Ad secundum respondetur dupliciter. Primo ꝙ licet totus Christus dicatur caput cum membris, tamen quando comparatio fit inter corpus Christi uerũ, & corpus mysticum quod est membra, non intelligitur caput includi cum membris, & ideo argumentum non procedit. Secundo respondetur, ꝙ dato quòd caput intelligatur includi cum membris, quando corpus Christi accipitur coniunctum diuinitati nõ est uerum, ut dictum est, quòd totum corpus Christi mysticum sit melius corpore Christi uero.

Ad primum argum.

Ad secundum

Cap. LXIII. De qualitate, & modo unitatis quo corpus Christi quod est ecclesia, capiti Christo uniri dicitur.

POSTQVAM sermo habitus est de qualitate, & modo unionis quo membra corporis ecclesiæ uniuntur, & connectuntur adinuicem, & de causis eius: cõsequens est, ut de qualitate, & modo unionis quo ipsa mẽbra ipsi capiti Christo uniuntur aliquid tangamus. Pro quo notandum ut ait Hugo de. s. Vict. li. de sacramentis parte 2. tractãs illud Io. 17. Pater serua eos quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos unũ sumus. triplex dicitur unitas, uidelicet unitas in natura, & hoc mõ pater, & filius, & spiritussãctus unũ

Vnitas triplex

sunt.

sunt. Ioan. 10. Ego & pater unum sumus. Et. 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, uerbum & spiritussanctus, & hi tres unum sunt per indiuiduam scilicet eandem naturam. Quoniam ut ait Aug. li. 1. contra Maximinum hæreticum arrianum, aliud enim est unum sunt, & aliud unus est. Quando dicitur unum sunt, & ibi non dicitur quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur unus est de duabus diuersisq; substantiis, necesse est, ut quæratur quid unus. Verbi gratia, diuersa est substantia anima, & corpus: tamen unus homo, & diuersa est substantia spiritus hominis, & spiritus Dei, & tamen cum adhæret Deo unus spiritus est. unus dicit non unũ sunt, ubi autem dicitur unum, una substantia significatur. hæc Aug. Secunda unitas dicitur unitas personalis, qua unitate humanitas, & diuinitas sunt unum in persona filii Dei. unde Athan. in symbolo. Vnus omnino scilicet est Christus, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Tertia est unitas per conformitatem uoluntatis, secundum illud Act. 4. Erat illis cor unũ & anima una. Quod uerbum tractans Aug. super Io. in sermone. 34. dicit sic. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũsanctum qui datus est nobis, multas animas facit unam animam, & multa corda facit unum cor. Et in li. de uera innocentia. Multorum hominum multæ sine dubio sunt animæ, & multa sunt corda. si tamen per fidem, & dilectionem adhæreant Deo, fiunt omnes, una anima, & unum cor. Prima, & perfectissima unitas est diuinarum personarum in natura una de qua Aug. contra Maximinum hæreticũ lib. 3. ita inquit. Tres personæ sunt unum & summæ unum, ubi nulla naturarum, ubi nulla est diuersitas uoluntatum. Secunda est unitas naturarum in una persona Christi, de qua dicit Aug. ubi supra. Porro Christus una persona est geminæ substantiæ, quia Deus & homo est. Tertia est unitas capitis, & corporis ecclesiæ, quæ est unitas conformitatis in uoluntate una, & hæc est per iustitiam præsentem. Vnde Aug. li. de uera innocentia. Qui per iustitiæ ambulant uias ad similitudinem sui tendunt auctoris. Et Hieron. super illud psal. 24. Innocentes & recti adhæserent mihi, dicit sic. Sicut collum, caput, & membra in eodem corpore continentur; sic etiam ecclesia per iustitiam adhæret Christo, & membra eius in eodem corpore cótinentur per iustitiam. Sane merito ecclesiæ corpus Christo dicitur adhærere, quia cum ipsa secundum Anselmum rectitudo quædam sit uoluntatis, conformat animas Deo. De qua conformitate ad Ro. 8. inquit apostolus. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, s. gl. in puritate uitæ modo & postea in beatitudine. De istis tribus unitatibus sic uenerabilis Hugo ubi supra loquitur. Verbum cum patre unum in natura, homo cum uerbo unum in persona, membra cum capite unum sunt primo in iustitia, & postea unum in gloria. Verum sicut intra membra corporis humani, & caput non tantum est unitas spiritus quo totum corpus uiuit & uegetatur, sed etiam conformitas naturæ inquantum sunt ex similibus partibus, & unius rationis. s. ex carne & osse. Ita & inter membra corporis mystici & ipsum caput Christum est unio per cóformitatem uoluntatis, de qua dictum est, siue per unitatem spiritus, de qua ad Ro. 8. dicit apostolus. Qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo, quam unitatem amor ipse gratuitus efficit. habet enim amor, ut dicit Diony. li. de diui. nominibus uirtutem unitiuam. Vnde. 2. Io. 4. dicitur. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Cuius gratia exhortatur Apostolus ad Colo. 3. Super omnia charitatem habete quæ est uinculum perfectionis. cha

ritas enim,ut ait gl.in unum omnes colligit.Est præterea inter ipsa membra corporis Christi ad ipsum caput Christum unio per conformitatem unius & eiusdem naturæ in specie,quod per incarnationem filii Dei donatum est ecclesiæ ex hominibus assumptæ.Vnde uerbum enim caro factum est,& habitauit in nobis.Ioan.1.id est,nobis similis habitu inuentus,ut homo,ut ait gl. Hinc beatus Aug.super psal.cxlviii.dicit,quòd uerbum caro factum est, ut esset caput ecclesiæ,quoniam secundum quòd ait gl.super illud ad Ephe.1.Dedit eum caput super omnem ecclesiam dicit. Christus propriè dicitur caput secundum humanitatem secundum quam coniungitur ei ecclesia , & natura & gratia.Hæc autem duplex unitas,scilicet naturæ, & gratiæ inter Christũ, & ecclesiam aperte designatur.Cant.4.ubi sub sororis , & sponsæ Christi appellationibus ipsa ecclesia sancta describitur. dicitur enim Cant.4. Hortus conclusus soror mea sponsa. Sponsæ quidem nomine unitas affectus siue gratiæ, sororis uero uocabulo naturæ conformitas etiam perlucide designatur.

Cap. LXIIII. Quomodo accipiendum sit id quod dicitur quòd Christus, & corpus eius quod est ecclesia,sint unus homo.

TANGEMVS consequenter quæ intelligentia habenda sit quarundam propositionum quibus sancti doctores mysticæ unitatis ecclesiæ cum Christo sacramentum explicantes usi fuisse leguntur. Quarum una est ista,quòd Christus,& corpus eius quod est ecclesia sunt unus homo. Hanc ponit beatus Aug.super psal.xviii.ita dicens. Ideo spiritussanctus linguis omnium loqui fecit in quos primo uenit,quia linguis omnium gentium in unitatem se locuturum esse nunciauit.quòd tunc faciebat unus homo accepto spiritu sancto,ut unus homo linguis omnium gẽtium loqueretur. hoc facit modo ipsa unitas quæ linguis omnibus loquitur. igitur homo caput & corpus unum Christus,& ecclesia.hæc Augu. Item eandem propositionem ponit idem beatus Aug.super psal.lxxv.sic di.Nullum maius bonum præstare posset Deus hominibus quàm ut uerbum suum per quod condidit omnia faceret illis caput,& illos tanquam membra coaptaret,ut esset filius Dei filius hominis,& unus Deus cum patre,& unus homo cum hominibus. Item super psalm.cxix.ait.Omnes sancti unus homo in Christo, quia unitas sancta est, ipse unus homo dicit.A finibus terræ ad te clamaui cum augeretur cor meum.Item super psalm.cxxvii super illo.Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum.Est quidam homo qui sic benedicitur,& nemo timet dominũ nisi qui est in membris ipsius hominis,& multi homines sunt, & unus homo est,unus ergo homo Christus caput & corpus. Et infra. Intelligamus ergo uocem huius hominis in cuius corpore unus homo sumus.Item super psalm. cxxxi.per Dauid typice signatur unus homo cuius uox sæpe in psal. auditur, scilicet totus Christus caput & corpus.hæc ibi.Et in multis aliis locis hanc sæpenumero repetit propositionem. Pro cuius intelligentia considerandum est,quòd homo dupliciter potest sumi.Vno modo physicè, alio modo mysticè.Physicè quidem sumptus homo iuxta diffinitionem Aristo.7.methaphysicę,dicit quid constitutum ex corpore, & anima rationali. Mysticè uero homo sumptus,dicit quid constitutum ex eo quod habet similitudinem siue fi-

guram corporis physici organici, & ex eo quod habet similitudinem animæ rationalis animantis, & regentis totum corpus: quoniam ut dicit sanctus Thomas. I. II. q. lxxxi. arg. I. in ciuilibus omnes, qui sunt unius communitatis dicuntur unum corpus, & tota communitas quasi unus homo. Quo etiam modo scriptura uidetur loqui de populo Israel quasi de uno homine loquẽs ait Exo. 4. Israel inquit Deus filius meus primogenitus. Pariformiter beatus Aug. exponens illud psal. lxi. Irruitis in hominem interficitis uos &c. dicit, & ponitur in glo. ordinaria, totam ecclesiam hominem quendam uocat generalem. Simili modo legimus parte humanæ naturæ, scilicet carnem & animã rationalem distingui in ueram siue naturalem & mysticam, siue per similitudinem dictam. Vnde de carne beatus Hieronym. in epistola ad Ephe. & habetur de consec. distin. ii. cap. dupliciter dicit sic. dupliciter intelligitur caro Christi, & sanguis scilicet uel illa caro Christi quæ crucifixa, & sepulta fuit alia uero & spiritualis, & diuina de qua dominus ait. Caro mea uerè est cibus, &c. quam magister senten. in iiii. dist. viii. mysticam carnem appellans, dicit esse unitatem ecclesiæ. De anima uero dicit Augu. super psalm. lxii. In concordia Christi omnes una anima sumus. Item super Ioan. tractans illud Act. 4. Erat illis anima una, & cor unum in domino, dicit sic sermone. xxxiiii. Multæ animæ per charitatem una anima est, multa corda unum cor. Quibus notatis clare patet sub qua intelligentia accipienda sit propositio illa dicens quòd Christus, & corpus eius quod est ecclesia sint unus homo. quoniam non in eo sensu quo accipienda est physicè, siue naturaliter de homine loquimur. in hoc quippe sensu propositio illa non modo falsa, sed stulta esset, cum horret naturam & fidem tollat. licet enim Christus secundum ꝙ homo, & ceteri homines participatione speciei sint unus homo: non tamen simpliciter dicti sunt unus homo cum numero distinguantur, & substantiæ eorum distinctę sint. nec enim filius Dei naturam humanam in uniuersali, aut in omnibus eius suppositis suscepit, sed singularem quandam naturam, ut dicit Damas. lib. 3. Intelligenda ergo est propositio illa qua dicitur, ꝙ Christus, & ecclesia sunt unus homo, sub sensu mystico secundum quòd de homine mysticè siue per similitudinem loquimur, prout iam explanauimus.

Cap. LXV. Quomodo accipiendum sit id quod dicitur quòd Christus, & corpus eius, quod est ecclesia, sint una persona.

SÆPENVMERO etiam apud sanctos doctores de unitate hac mystica Christi, & ecclesiæ loquentes inuenimus hãc propositionem, quòd Christus, & corpus eius quod est ecclesia sint una persona. unde Augu. super psal. xxx. & ponitur in gl. ordinaria, ita dicit. Et ut noueritis ꝙ unus dicitur Christus caput & corpus suum ipse dicit, cum de coniugio loqueretur. Erunt duo in carne una. igitur iam non duo, sed una caro. Si forte hoc dicat de quocunque coniugio, audi apostolum Paulum. Et erunt inquit duo in carne una, sacramẽtum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Fit igitur tanquam ex duobus una quædam persona ex capite, & corpore, & sponso, & sponsa. Nam unitatem personę huiusmodi mirã & excellentẽ cõmendat etiam Esa. proph. in quo Christus loquens ait. Sicut sponso alligauit

mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento. Se dicit sponsum, se sponsam: quare se sponsum, & se sponsam nisi quia erunt duo in carne una. hæc Aug. Item Dam. li. III. c. XXV. hanc unionem cum Christo personalem uocat sic di. Oportet scire quòd duæ sunt Kirioses. i. proprietates uel familiaritates, una naturalis, & substantialis, altera personalis, & habitualis, hæc ille. Primam. s. substantialem. i. hypostaticam, ut exponit sanctus Thom. refert ad unitatem humanitatis cum uerbo. Secundam ad unitatem ecclesiæ cũ Christo. Item eadem propositio reperitur sæpenumero apud beatum Greg. unde lib. xix. moral. c. ix. dicit Christum & ecclesiam unam esse personam, ut crebro iam diximus. Item lib. xxxv. c. ix. ait. Quia Christus, & ecclesia. i. caput & corpus una persona est, sæpe beatum Iob dicimus modo capitis modo figuram corporis designare. Pro cuius propositionis uera intelligentia est notandum, quòd persona dupliciter a sanctis doctoribus accipitur. Vno modo propriè pro uno. s. singulari indiuiduo siue supposito rationalis naturæ, prout Boethius de duabus naturis, & una persona Christi accipit di. Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Quo etiam modo accipit eam Richar. lib. de tri. di. Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia. Alio modo accipitur nomen personæ non propriè approprietate naturali unius indiuiduę rationalis substantiæ, sed mysticæ a quadam analogica similitudine siue resonantia, & hoc modo sæpe de toto corpore ecclesiæ mystico loquitur scriptura, & doctores sancti sicut de una persona, sicut iam patuit. unde Aug. super psal. lxi. super illo uerbo. Irruitis in hominem &c. dicit. Debemus intelligere personam nostram, personam ecclesiæ nostræ, personam corporis Christi. Cum autem unum sequitur ens, & conditio unitatis conditionem entis, ut colligitur ex Arist. 4. metaph. sicut duplex est modus loquendi de persona, aut de homine, scilicet naturaliter: ut mysticè, ita duplex est modus loquendi de unitate. Si enim loquimur de unitate personali prout respondet primo modo acceptionis personæ, sic palam est quòd Christus, & corpus eius quod est ecclesia non sunt una persona sicut nec unus homo, ut in præcedenti. c. declarauimus. Quæ enim hoc modo sunt unum in persona, aut una persona non sunt plura supposita siue existentia, ut patet ex diffinitione personæ tam Boethi quam Richar. supra posita. Christus uero & fideles qui sunt corpus eius distinctas hoc modo personalitates habent. Si uero loquamur de unitate personali prout respondet secundo modo acceptionis nominis personæ. s. mysticæ, tunc concedendum est quòd Christus & corpus eius quod est ecclesia sunt una persona. Hoc quippe modo unitatis possunt dici una persona quæ etiam distincta sunt suppositis, & propriis naturalibus personalitatibus, quæ unitas mystica dicitur siue figuratiua, quia ad similitudinem unitatis, quæ est inter corpus naturale hominis, & eius caput accipitur: quoniam sicut cogitanti corpus naturale hominis, & caput coniuncta, necesse est intelligere quoddam integrum scilicet hominem, & personam naturalem in qua uniuntur corpus & caput, ita in proposito considerantì Christum caput & ecclesiæ corpus simul uno spiritu copulata, & compaginata, necesse habet intelligere unam mysticam resultare personam. Vnde August. tractans illud ad Ephe. 5. Erunt duo in carne una, &c. & ponitur in gloss. magistri dicit. Quomodo dicitur sponsus, & sponsa sic caput & corpus. siue ergo dicatur caput & corpus, siue sponsus & sponsa, unum intelligite: fit enim ex duobus quasi una quædam persona scilicet

Persona capitur dupliciter

licet

licet ex capite & corpore, ex sponso & sponsa, hæc ibi. Vbi considerandum quòd ut in parte iam dedimus intelligere, hæc unitas mystica personalis qua totum ecclesiæ corpus cum Christo dicitur una persona, non confundit distinctionem personalem naturalem Christi & membrorum, quia cum illæ personalitates sint alterius, & alterius rationis una non confundit aliam, immo cum unitate unius stat distinctio, & pluralitas alterius personalitatis. patet quoniam licet omnes fideles iuxta apostoli sententiam ad Rom. 12. &. 1. Corin. 12. sunt unum corpus, tamen distinguuntur suppositis, & personalitatibus propriis. quot enim fideles sunt, tot personæ sunt, cum persona sit rationalis naturæ induidua substantia, ut ait Boethus. Quare Augu. tractans illud psal 127. Beati omnes qui timent dominum, & sequitur in singulari, labores fructuum tuorum manducabis, dicit. O uos, o tu, uos multi qui unum estis, hæc ille. Nihil enim prohibet aliqua quæ uno modo sunt multa alio modo unum esse, & induisa, sicut quæ sunt distincta numero esse unum secundum speciem, & quæ specie diuisa sunt esse unum genere, immo ut dicit Dionysi. li. de diui. no. nihil est existentium non participantiũ uno, quæ enim sunt multa partibus, sunt unum toto, & quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subiecto: & quæ sunt multa numero sunt unum specie: & quæ sunt multa specie sunt unum genere: & quæ sunt multa processibus sunt unum principio, ita in proposito qui multi sumus in nobis unum sumus in Christo. Gal. 3. Omnes unum estis in Christo. Est autem hic etiam considerandum quòd licet beatus Greg. li. 4. moral. ca. 9. dicat. Quod sicut redemptor noster una persona est cum congregatione bonorum, ipse namque caput est corporis, & nos huius capitis corpus, ita antiquus hostis una persona est coniuncta cum collectione reproborum, quia ipse eis ad iniquitatem quasi caput præeminet, illi autem dum ad peruersa deseruiunt uelut subiectum capiti corpus inhæret. Nihilominus tamen unitas personalis mystica qua Christus cum corpore suo quod est ecclesia dicitur una persona, multo excellentior siue maior est quam illa sit qua antiquus hostis una persona dicitur cum corpore iniquorum, quia unitas præfata in Christum, & ecclesiæ corpus ut partim superius tetigimus, ex duabus radicibus consurgit, ualet ex conformitate unius naturæ quæ est inter caput Christum, & eius corpus quod est ecclesia quę ut diximus ex incarnatione filii Dei resultauit. Dicit enim Hugo de sancto uicto. lib. de sacramentis. Assumpsit ex nobis nostram naturam ut eam sibi sociaret per unionem in persona quæ sociata non erat per unionem in natura, ut per illud quod de nostro unum fecerat secum nos sibi uniret ut cum ipso unum essemus per id quod nostrum sibi unitum erat, hæc ille. Secundum uero ex quo prædicta unitas mystica resultare dicitur & quod est quasi completiuum eius, est unitas spiritus sancti uniuersum ecclesię corpus uiuificātis, de quo apostolus ad Eph. 4. Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis unũ corpus, & unus spiritus, id est si uultis inquit glo. esse unum corpus seruate unitatem spiritus, quia spiritussanctus est quo unum corpus efficimur. Cum enim ipse sit patris, & filii amor & connexio ad ipsum pertinet societas qua efficimur unum corpus. Vnitas uero qua diabolus una persona dicitur cum uniuerso iniquorum corpore non ex conformitate naturæ quæ sit inter caput, & corpus consurgit, aut ex unitate alicuius unius spiritus inhabitantes totum corpus ipsum malorum sed solum ex conformitate affectus, & praui ope-

ris imitatione, secundum illud. Sapientiæ.ii. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum:imitantur autem illi qui sunt ex parte illius gloss. filii perditionis.

Cap. LXVI. Quomodo accipiendum sit id quod a sanctis dicitur quòd Christus, & corpus eius quod est ecclesia sunt unus Christus.

BEATISSIMVS Augustinus de hac mira & excellenti dignitate corporis mystici cum capite suo Christo loquens, multiplicatis uicibus legitur usus fuisse hac propositione, quòd corpus ecclesiæ cum capite Christo unus & idem sit Christus:quare quomodo hoc accipiendum sit tangamus. Dicit enim idem beatus Aug. super serm. Ioan.27. Vnitas nos compaginat, & tanta ei unitate coniungimur ut ipse & nos simus unus integer Christus. Item hanc propositionem aperte Apostolus ponit.i.ad Corin.12.ubi sic dicit. Sicut enim corpus unum est & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa unum corpus sunt ita & Christus, ubi dicit glo. Omnes fideles sunt Christus ut non dicam corpus Christi, quia ipsi Christus tam minores quàm maiores sunt, caput & corpus dicitur Christus propter ineffabilem unitatem capitis, & membrorum. Hæc glo. Item Augu. tractans hoc uerbum super psal. 142.dicit. Non ait Apostolus ita & Christi, sed corpus unum est membra multa ita & Christus:totum ergo Christus, & quia totum Christus, ideo caput de cœlo. Saulæ inquit saulæ quid me persequeris? tenete hoc & fixum commendate omnino memoriæ tanquam filii ecclesiasticæ eruditionis, & fidei charitate ut agnoscatis Christum caput, & corpus, eundemque Christum uerbum Dei unigenitum æqualem patri, & inde uideatur per quantam gratiam pertingatis ad Deum, ut ipse uoluerit esse nobiscum unus qui est cum patre unus, non inquit & seminibus tanquam in multis sed tanquam in uno & semini tuo quod est Christus. Nempe semen Abrahæ Christus, nec contradici potest apostolicis apertissimis uerbis, & semini tuo quod est Christus. Item idem Augu. super eodem psal. ita ad propositum loquitur. Christum enim induti Christus sumus cum capite nostro, quia utiq; semen Abrahæ sumus, hæc ille. Et idem Augu. de uerbis domini Homelia.59. tractans illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum sic dicit. Quomodo ille solus, an ideo solus, quia Christus unus est cum membris omnibus suis tanquam caput cum corpore suo. Quid est. Nemo ascendit nisi qui descendit nisi quia nemo ascendit nisi unus cum eo factus, & tanquam membrum compactus in eius corpore qui descendit. Et infra. Hoc ergo totum, id est caput, & corpus unus, est Christus. Et infra. Quemadmodum nobiscum, id est cum corpore suo, unus est Christus. Sic iniquus hostis cum omnibus impiis quibus caput est, quasi cum quodam corpore suo unus est diabolus, hæc Augu. Et similia in multis aliis locis commemorat quæ breuitatis causa præterimus. Pro intelligentia autem huius propositionis tam sæpe repetitę ab Aug. iuxta nostram ingenii paruitatem, saluo semper meliori iudicio, duximus considerandum, quòd hoc nomen Christus, commune nomen est, nulli autem proprium: unde Aug. super Cano. Ioan. sic dicit. Iesus proprium nomen est saluatori, quo modo Moyses proprio nomine appellatus est, quo modo Helyas. Christus uero

Christus

uero nomen sacramenti quomodo sacerdos. Item Isido.7.Ethim. ca.2.dicit.Christus a Chrismate est appellatus, & consequenter. Non est autem saluatoris proprium nomen Christus sed communis nuncupatio potestatis dum enim dicitur Christus commune dignitatis nomen est, dum dicitur Christus Iesus proprium est uocabulum saluatoris. Secundo notandum uenit id quod dicit beatus Augu.in sermone quodam contra Arrianos quòd Christus quantum aduertere possumus per paginas sanctas tribus modis nominatur. Primus modus est secundum diuinitatem, patri æqualem, & coæternam ante assumptionem carnis,ad quod pertinet illud Ioan.i. In principio erat uerbum &c.Alter modus est cum assumpta carne, nam idē Deus qui homo & idem homo qui Deus secundum quandam suæ excellentiæ proprietatem qua non ceteris coæqualis hominibus mediator, & caput ecclesiæ legitur esse & intelligitur quomodo eum prædicat eadem scriptura cum inquit,uerbum caro factum est &c. Tertius modus est,quodammodo totus Christus in plenitudine ecclesiæ.i.caput & corpus secundum plenitudinem perfecti cuiusdam uiri,in quo uiro singuli membra sumus, quod credentibus prædicatur,& prudētibus cognoscibile offertur,loquitur apud Esaiam ubi ait.Velut sponso alligauit mitram mihi,& uelut sponsam ornauit me ornamento.eundem dicit sponsum secundum caput,& sponsam secundum corpus,duo uidentur & unus est,hæc Augus. Quem doctores antiqui sequentes distingunt hoc nomen Christus dupliciter dicentes, ut uerbis utar domini Altisiodo.in tractatu de Christo capite in sum.sua super illud apostoli i.ad Corin.12.Vos estis membra de membro,quod quandoque dicitur filius beatę uirginis. Quandoque autem dicitur Christus integer, scilicet caput cum membris,de quo ipse Aug.de uerbis domini Homel.49. ita dicit. Cum ergo ille sit caput & sit corpus eius ecclesia totus Christus caput & corpus est.Similiter tam Albertus magnus quàm sanctus Tho.in.4. sententiarum circa di.13.distingunt de corpore mystico, quia quandoque dicit membra tantum quandoque membra cum capite ipso.Et circa di.49. sanctus Tho.eandem distin.facit de ecclesia di. quòd nomen ecclesiæ dupliciter accipitur, quandoque enim nominat tantummodo corpus quod Christo coniungitur sicut capiti, quandoque nominat membra & caput coniuncta. Quibus notatis plana uidetur intelligentia huiusmodi quod dicitur quòd Christus & corpus eius quod est ecclesia sunt unus Christus,quoniam cum Christus unctus interpretatur. Chrisma enim græce unctio latinè dicitur, & Christus caput & corpus eius quod est ecclesia iuxta supra assignatam intelligentiam in superioribus proximis capitulis sunt unus homo,una persona, unum corpus mysticum, in quo sicut unus spiritus, scilicet sanctus intelligitur esse, ita una intelligitur unctio a capite in totum corpus defluere secundum illud psal. Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron quod descēdit in oram uestimenti eius sicut ros hermon qui descendit in montem syon. Patet apertissimè intelligentia præfatę propositionis quòd Christus caput, & ecclesia corpus eius sunt unus Christus,id est sunt una persona mystica, una unitate spiritussancti uncta siue præfusa. Vnde August.super illud psal.131. Sicut unguentum, in capite, &c. dicit sic. In capite ipsius unguentum, quia totus Christus, cum ecclesia, sed a capite uenit unguentum, & gloss. super psal.103.tractans illud. Vt exhilaret faciem eius in oleo dicit sic. Oleum

Esa.41.

dicit hic gratiam, quæ excellentius fuit in Christo, quia excellenter unctus est. Vnde & dicitur Christus, id est unctus. Ecce Christus totus unctus in se & in membris a quo ceteri accipiunt, hęc glo. Ex quibus omnibus faciliter uideri potest intelligentia illius propositionis quam tam frequenter beatus Augu. in libris suis comm. morat, uidelicet quòd omnes fideles cum Christo capite sunt unus Christus. Cum enim teste Damas. numerus sit nutus memeris, id est diuisionis, plane in eo in quo inter aliqua non est diuisio, non potest numerus poni. Cumque omnes fideles cum Christo una persona sint mystica uno numero spiritu, scilicet spiritu sancto uiuificata, & uno chrismate uncta patet quòd ipsi fideles cum Christo unus sint Christus, unde Augu. super psal. 127. apertissime hoc confirmat dicens. Multi enim Christiani, & unus Christus, ipsi enim Christiani cum capite suo quod ascendit in cœlum unus est Christus non ille unus & nos multi, sed & nos multa in illo unum unus ergo homo Christus caput & corpus, hæc Augu.

Cap. LXVII. Qualiter accipiendum sit id quod a sanctis dicitur quòd corpus Christi, immo quodlibet membrum eius sit Christus.

SED aduertendum quòd non tantum in dictis Augu. & gloss. ordinaris Biblię reperitur ista propositio quòd Christus & corpus eius quod est ecclesia sunt unus Christus, uerum etiam habetur ista copulatiua, quòd Christus caput est Christus, & corpus eius, inuno quodlibet membrum eius est Christus. De prima propositione iam parum ante in c. proximo testimonia plura induximus, & quæ illius esset uera intelligentia declarauimus. De secunda propositione copulatiuè expressa iam idem restat obseruandum. Inducemus ergo primo testimonia quæ illam attestantur: secundo declarabimus quomodo sit accipienda. Circa primum in primis est gloss. ordinaria super illud. 1. Corin. 12. Omnia autem membra cum sint multa unũ corpus sunt ita & Christus, ita di. ut supra induximus. Omnes fideles sunt Christus ut non dicam corpus Christi, quia ipse Christus sunt tam maiores quàm minores caput & corpus dicitur Christus propter ineffabilem unitatem capitis, & membrorum, hæc glo. Præterea eandem propositionem beatus Augu. in multis locis ponit, unde super Ioan. Homel. 27. ita dicit. Gratulemur & gratias agamus non solum nos Christianos factos esse, sed Christũ, intelligitis fratres gratiam Dei super uos capitis admiramini gaudete Christus facti sumus. si enim caput ille nos membra, totus homo ille & nos. Item idem Augu. super psal. 122. scilicet Ad te leuaui oculos meos, tractans illud. Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, dicit sic. Tanquam se solum uidetur dixisse: ergo ceteri remanserunt: quia solus ascendit qui solus descendit: quid deberent facere ceteri uniti corpori ipsius ut sit unus Christus qui ascendit, & descendit, escendit caput ascendit cum corpore uestitus ecclesia quam sibi exhibuit sine macula & sine ruga. solus ergo ascendit sed etiam nos quando cum illo sumus, & in illo membra eius sumus & nobiscum solus est, & ideo unus & semper unus, unitas nos compaginat uni, & illi soli, cum illo non ascendunt qui cum illo unus esse noluerunt. Et infra. Ascendat ergo iste cantor sed in uno quoque nostrum cantet hic homo, & unusquisque sit iste homo,

cum

cum dicitis illud singuli quia unum estis in Christo, unus homo illud dicit, hæc Augu. Item idem Augu. tractans illud. Ioan. 17. Ego pro eis sanctifico meipsum, dicit sic, & ponitur in glo. ordinaria. Pro eis ego sanctifico me, id est ut eis prosit, quia & ipsos qui sunt ego quia caput & corpus sunt unus Christus sanctifico in meipso. Ceterum beatus Greg. in moralibus tractans præfatum uerbum euangelii. Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, &c. & ponitur in glo. conti. dicit sic. Quia enim nos unum in illo iam facti sumus, unde solus uenit in se, illuc solus redit etiam in nobis & his qui in cœlo semper est ad cœlum quotidie ascendit, quia qui in diuinitate super omnia permanet humanitatis suę compage sese quotidie ad cœlos trahit, hæc Greg. Præterea hanc propositionem satis aperte, idem Greg. attestatur per simile quod de corpore malorum & capite diabolo loquens lib. 13. moral. cap. 10. dicit sic. Ita quippe unum corpus sunt diabolus, & omnes iniqui ut plerunque nomine capitis censeatur corpus, & nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine censetur corpus cum de peruerso homine dicitur, ex uobis unus diabolus est, & rursum nomine corporis appellatur caput cũ de ipso apostata angelo dicitur inimicus homo hoc fecit, hæc Greg. Circa secũdum ualet in quo diximus nos explicaturos qua intelligentia accipiendę sint huiusmodi auctoritates, & propositiones quæ sonare uidentur quòd ipsum corpus Christi quod est ecclesia aut aliquod membrum eiusdem corporis sit Christus est notandum, quòd tales propositiones non sunt ita accipiendę, quòd corpus Christi mysticum aut quodcunque eius membrum sint ipse Christus qui caput est ipsius corporis. Vnde in corpore humano ad cuius similitudiné de corpore ecclesiæ apostolus loquitur, nec corpus ipsum nec aliquod eius membrum dicitur ipsum caput, semper siquidem differentia est inter caput & residuum corporis, & quecunque alia membra, tam superioritate dignitatis quam amplitudine perfectionis, & suppositione uirtutis, sicut in superioribus dictum est. Quare beatus Augu. tractans illud apostoli ad Eph. 5. Erunt duo in carne una, inquit sic. Duo refert ad distantiam maiestatis, plane duo, non enim nos uerbum, non enim nos in principio apud Deum, non enim nos per quem facta sunt omnia, uenitur ad carnem, & ibi Christus & ibi nos. Cum ergo dicitur corpus Christi aut quecunque membra eius sunt Christus, accipiendum est altero quattuor modorum. Primo sic. Corpus Christi siue membra eius sunt Christus, id est cum Christo sunt unus & integer Christus, & hoc est uerum modo supra exposito. Vnde beatus Augu. tractans illud quod supra dictum est. Ioan. 17. Ego pro eis sanctifico meipsum, cum exponeret, id est ipsos qui sunt ego deinde, adiungit qualiter accipiendum sit hoc dicens. Quia caput & corpus sunt unus Christus. Hoc ergo sensu accipiendum est id quod idem Augu. dicit quòd fideles sanctificati sunt ipse Christus sanctificans, quia ipsi sanctificati fideles cum ipso Christo sanctificante sunt unus & idem Christus modo supra declarato. Secundo modo possunt huiusmodi propositiones sic accipi, corpus Christi quod est ecclesia siue fideles huiusmodi sunt Christus, id est sunt unum cum Christo participatione unius spiritus inhabitantis, & uiuificantis totum corpus ecclesiæ qui ultima perfectio ipsius corporis mystici est, sicut in superioribus diximus. Vnde dominus Altisio. in summa sua in materia unitatis capitis, & membrorum Christi ratione illius quod sæpe allegatum est ex Esa. 61. Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me or-

namento, in quo ut ait Aug. Christus se dicit sponsum, & sponsam, quærit. Vtrum sit uerum quòd sponsus sit sponsa, & respondens ita inquit. Duplex est forma siue perfectio ecclesiæ similiter & Christi. Est enim perfectio Christi naturalis, & ecclesiæ quæ est humanitas. & quantum ad hanc perfectionem sponsus est alius quàm sponsa, scilicet Christus quàm ecclesia. Est autem alia perfectio Christi, & ecclesiæ, scilicet gratuita perfectio quæ est spiritus sanctus. & secundum hanc perfectionem sponsus est sponsa, quia eadē est perfectio Christi, & ecclesiæ, scilicet spiritus sanctus, & per hanc unitatem dictum est, multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, & quòd omnes sumus unum in Christo, & propter istam unitatem Christus, quandoque in persona sua quandoque in persona ecclesiæ non mutata persona loquitur quæ est prima regula tychonii. Hæc Altisiodoren. Tertio modo potest sic accipi, Christi fideles sunt Christus, id est sunt unum unitate conformitatis, & consonantię uoluntatis cum Christo, sicut illud accipitur 1. Corin. 6. Qui adhæret Deo unus spiritus est cum illo, gloss. unus spiritus non idemtitate substantiæ. diuersæ substantiæ enim sunt spiritus hominis, & spiritus Dei, sed quia accedit iste spiritus, scilicet hominis ad perfectionē naturæ ueritatis, & bæatitudinis illius, est spiritus Dei. Hæc autem unitas quæ secundum affectionem siue consonantiam uoluntatis est a beato Bern. li. 5. de consideratione, uocatur unitas uotiua, quæ ut ait est cū anima uotis omnibus adhæret Deo. Quarto modo possunt accipi præfatę propositiones sicut illa. Mat 11. ubi Christus de beato Ioan. loquens ait. Ipse est Helias glo. in uirtute nó in persona, quia scilicet similis Helyę in multis quippe fuit illi similis sicut in eadem glo. tangitur, & tam Albertus quàm Nicolaus in postillis suis exponunt, uidelicet in austeritate uitæ, & soliditate constantiæ in auctoritate doctrinæ in similitudine officii siue ministerii. Hoc modo quidam doctor antiquus cuius nomen ignoramus in summa illa theologiæ, quæ incipit. Habet argentum principium uenarum suarum in li. 3. quærens de unitate capitis, & corporis quomodo debeat intelligi sacra scriptura de hac mystica unitate loquens, & maximè illa. Esa. 61. Sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam decorauit me monilibus, quę loquitur de sponso, & de sponsa quasi sit una sola persona dicens sic. Quod hæc unitas quæ dicitur esse inter sponsum, & sponsam non est nisi similitudo illorum, & inter quemlibet sanctum & sponsum est similitudo ista: spiritus autem sanctus propriè facit illam similitudinem, quia ei appropriatur unitas, quamuis tota trinitas illam similitudinem faciat. sponsum autem uocat Christum secundum humanitatem, & consuetudo sic loquendi est de duobus similibus ut unum dicatur esse aliud non per essentiam, sed per similitudinem, sicut dominus dixit de Ioan. Math. 11. quòd erat Helyas. Hæc præfatus doctor. His ergo modis accipiendæ sunt propositiones præfatæ, saluo tamen semper meliori iudicio, nec sunt extendendæ sed potius pie, & religiose exponendæ, non enim ut ait Augu. 4. de doctrina Christiana, sanctos patres semper in uerbis imitari debemus: quia non pares illis gratias habemus sed laborandum est ut illi qui utili ac salubri obscuritate dixerunt recte intelligantur, & exponantur.

Cap.

Cap. LXVIII. Qualiter accipiendæ sunt prædicationes eorum quæ in sacra scriptura ratione præfatę mysticæ unitatis dicuntur de Christo.

RELIQVVM iam nobis est exponere qualiter accipienda sunt multa prædicata quæ ratione præfatę unitatis mysticæ qua fideles Christo uniuntur in sacra scriptura attribuuntur, & prædicantur, de Christo tam ea quæ passiones penales,& defectus culpabiles important quæ ei nullo modo secundum se conueniunt. De prædicatis importantibus passiones corporales est primo illud Math. 25. quod in iudicio Christus dicturus legitur his qui in pauperes misericordiæ opera exercuerunt. Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui,& dedistis mihi bibere, ubi Christus tam passiones membrorum se passum quam beneficia illis collata se recepisse pronunciat. Vnde Augusti. super psal.86. hunc locum pertractans ita dicit. Adhuc Christus hic eget, Christus hic peregrinatur, Christus hic ægrotat, Christus hic in carcere includitur. Iniuriam ei facimus si non ipse dicit. Esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & potastis me, hospes fui,& collegistis me, nudus eram, & uestistis me,& eger fui, & uisitastis me. Et illi. Quando te uidimus ista patientem, & ministrauimus tibi? Et ille. Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, hæc August. Item similis attributio habetur. Act.9. ubi Christus inquit. Saule Saule cur me persequeris? Ecce quòd patientibus,& laborantibus hic Christi membris Christus qui in se impassibilis est, in illis laborare, & pati dicitur. Vnde Beda in gloss. ordinaria inquit. Non ait membra mea sed me persequeris, quia sibi facta denunciat cum ait. Esuriui, & dedistis mihi manducare. Math. 25. hæc gloss. De prædicatis, & attributis importantibus defectus culpabiles habentur etiam multa testimonia in scriptura sancta de quibus duo ad præsens sufficiant. Primo est illud psal.21. Deus Deus meus quare me dereliquisti, longa a salute mea uerba delictorum meorum. In hoc psal. ut dicit Augu.& Magister in gloss. Christus loquitur. Vnde magister in gloss. ita ait. Quare me dereliquisti, id est pœnę & culpę exposuisti me. Et sequitur in glo. magistri. Mirum est quomodo dicit dereliquisti me: cum & Deus esset, non enim dereliquerat eum Deus cum esset uerbum Dei Deus, sed pro nobis hoc dicit qui in eo sumus unum ut membra, & sumus corpus eius. corpus enim Christi est ecclesia pro qua & uerbum caro factum est & habitauit in nobis. Et Augu. in eodem loco. Quare dicit dereliquisti me, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi est ecclesia. Sequitur, Longe a salute mea uerba delictorum meorum, quorum delictorum? de quo dictum est qui peccatum non fecit nec dolus inuentus est in ore eius: quomodo dixit delictorum meorum? nisi quia & pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua delicta fecit ut iustitiam suam nostram iustitiam faceret. Item Nicolaus de Lyra hunc locum exponens ita dicit. Delicta populi Christus sua dicit, tum propter membrorum, & capitis affinitatem, tum quia fecit ea sua quoniam sustinendo pro eis pœnam. Secundum testimonium est illud psal 40. Ego dixi domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi quæ dicitur uox Christi. Vnde August. super eodem ita inquit. Nunquid hoc Christus? nunquid hoc caput nostrum sine peccato? nun-

naniens ne diuitias eius expauesceres, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Et infra. Addat paupertatem paupertati & transfiguret in se corpus humilitatis nostrę caput nostrum, simus membra eius sicut duo in carne una. Et post infert, uox ergo una quia caro una, hæc August. Istum etiam modum duplicem prædicandi aliquid de Christo tangit sanctus Tho. tertia parte, q. 15. ar. 1. accipiens a Damasc. lib. 3. loco supra allegato, & lib. 4. ca. 10. ubi multos modos ponit aliquid prædicandi de Christo cuius uerba sub compendio sanctus Tho. recitans ita ait. Sicut dicit Damasc. lib. 3. dicitur aliquid de Christo uno modo secundum proprietatem naturalem, & hypostaticam sicut dicitur quòd factus est homo, & quòd pro nobis passus est. Alio modo secundum proprietatem personalem, & habitudinalem prout scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt, unde & inter regulas Thiconii quas ponit August. 3. de doctrina Christiana, prima ponitur de domino & eius corpore, cum scilicet Christi, & ecclesiæ una persona æstimatur secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit, uerba delictorum meorum, non quòd in ipso capite delicta fuerint, hæc sanctus Tho. Est præterea pro horum plenaria intelligentia notandum, quòd sicut propter unitatem naturalem corporis naturalis, & capitis in homine caput non solum loquitur pro se sed etiam assumit in loquendo personam membrorum, ita in præsenti propter prędictam unitatem mysticam siue spiritualem Christi capitis & membrorum suorum Christus non solum reperitur loqui in persona sua sed in persona membrorum. Vnde glo. magistri super psal. 140. Domine clamaui ad te, ita inquit. Hæc autem charitas nos Christo compaginat, per charitatem námque quasi unus homo est caput & corpus. Proprium uero capitis est loqui pro membris sicut lingua nostra personam omnium membrorum suscipit, ipsa enim pro omnibus uerbo fungitur dicens pro pede, calcas me, & pro manu uulnerasti me: ita & Christus qui est caput pro multis loquitur cum quibus est unum. Charitas enim unum facit nos cum Christo siue caput loquatur siue membra siue quod dicitur capiti conueniat siue membris Christus loquitur, sed in uoce eius quisque agnoscat suam tanquam inhærens in Christi corpore. Aliquando enim dicit quod sibi soli competit non tamen separat se a uerbis nostris sed a suis propriis ad nostra rediit & a nostris interdum ad sua propria transit, hæc ibi. Ista etiam est sententia immo pro magna parte forma uerborum Augu. in multis locis tam super psal. quàm super Ioan. Ceterum beatus Greg. li. 26. moral. c. 2. tractans illud. Iob. 29. quando ridebam ad eos non credebant, dicit sic. Vnam esse personam Christum, & ecclesiam plerunque iam diximus, & sæpe uox capitis ad uocem corporis transit, qui enim sunt in carne una, nihil obstat ut conueniant in uoce una, hæc Greg. De isto autem celeri transitu locutionis a uoce capitis ad uocem membrorum & econuerso apertissimum exemplum habemus in uersu illo psal. 30. In manus tuas commendo spiritum meum redemisti me do. Deus ueritatis. Cuius prima pars est uox capitis, ut Aug. dicit, & magister in gloss. Secunda uero pars est uox membrorum siue populi qui redemptus est. Præterea tanquam necessariissima regula ad uitandum multos errores est notandum, quòd licet in tanta uarietate tam membrorum quàm attributorũ una uox loquens esse uideatur & una persona quę loquitur. plurimum tamen

Nota secundo.

Nota tertio.

est aduertendum cui, scilicet an capiti an membris cōueniat id quod dicitur siue prædicatur de Christo: quia non omnia omnibus conueniunt, sed quædam soli capiti, quædam solis membris licet una uoce utantur caput, & mēbra. hanc regulam expresse ponit magister in gloss. super psal. 17. accipiens ab Augu. ita dicit. Attende regulam unitatis capitis, & membrorum, id est Christi, & ecclesiæ. Cum enim una persona est caput, & corpus, ideoque una uoce utitur caput cum membris, licet ea quæ dicuntur ad diuersos referantur. quædam enim soli capiti conueniunt, & tamen in tanta diuersitate una uox est & quasi una persona uidetur loqui ut sicut duo sunt in carne una, scilicet sponsus, & sponsa, ita sint & in uoce una, hæc in glo. Item super psal. 30. ex Augu. accipiens prædictam regulam commemorat di. Sciendum quòd uerba huiusmodi psal. quædam capiti quædam membris quædam prophetę conueniunt. in hac enim uarietate non mentitur uox sed caput, & membra eadem uoce utuntur, dicendo ego: me mihi: quod fit propter nimiam unitatem capitis & corporis Christi, id est Christi, & ecclesiæ sponsi & sponsę, quam facit charitas. Sicut enim lingua omnium membrorum suscipit uocem dicens, pro pede calcas me: non dicit calcas pedem, & pro manu uulneras me, non ait uulneras manum meam, sic Christus membrorum utitur uerbis non incongrue non se diuidens a uerbis nostris. qui enim dignatus est pro nobis homo fieri & forma serui uestiri non dedignatur nos transfigurat in se. Et infra. Qui ergo nos sic transfigurat in se non dedignatur nobis loqui uerbis nostris ut & nos loquamur suis, hæc est diuina communicatio, & diuina hæc commercia celebrata sunt in hoc mundo a negociatore cœlesti, hæc glo. Eadem sententia ponitur ab Augu. super psal. 56. & 58. diffuso sermone. Vnde de necessitate eius aduertentiæ, & considerationis habendæ in huiusmodi prædicationibus de Christo dicit beatus Augu. super psal. 101. Nec ibi erres quando audieris aliquid quod aptari capiti illi non possit: ideo prælocutus sum ut cum tale audieris ex infirmitate capitis aduertas sonare & uocem membrorum cognoscas in capite, hæc Augu.

Nota quarto

Ex his aperte colligitur quæ intelligentia accipienda sit in omnibus illis prædicationibus antedictis eorum attributorum quæ Christo secundum se nullo modo conueniunt. Sanè non ita accipienda sunt hæc prædicata de Christo ut illis Christi persona aut secundum diuinam essentiam aut naturam humanam assumptam affecta aut obnoxia intelligatur, quia nullis talibus passionibus aut defectibus impassibilis, & immortalis ac sanctissima Christi persona obnoxia potest intelligi, sed accipienda sunt sic de Christo dicta, ut non in persona sua quæ nullis talibus subiecta est, sed in persona membrorum prædicata esse intelligantur, quæ talibus passionibus aut defectibus subiiciuntur afficiuntur, & informantur. solet namque ut commemorauimus ex dictis sanctorum Augu. & Greg. caput ascribere sibi quæ mēbris sibi coniunctis contingunt. Quare Orige. exponens illud Math. 25. Esuriui, & dedisti mihi manducare, ita dicit ut adducitur a sancto Tho. in gl. conti. Scriptum est ad fideles uos estis corpus Christi. Sicut ergo anima habitans in corpore cum non Esuriat quantum ad suam substantiam spiritualem, esurit tamen corporis cibum quia copulata est corpori suo, sic & saluator patitur quæ patitur eius ecclesia cum sit ipse impassibilis, hæc ille. Item beatus Augu. ad idem super psal. 142. ita inquit. Patitur adhuc Chri

stus

ctus pressuram non in carne sua qua ascendit in cœlum, sed in carne mea quæ adhuc laborat in terra. hæc autem aduertentia ut sciatur quid cui attribuendum sit in huiusmodi locutionibus maximè habenda est circa prædicata de Christo quæ culpabiles defectus importare dinoscuntur. Quare August. super psal. 37. tractans illud. Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, ita loquitur. Quæri solet cuius uox sit ista & aliqui accipiunt Christi propter quædam quæ hic dicuntur de passione Christi, sed non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, quomodo diceret qui nullum peccatum habebat? coartat nos ergo intelligendi necessitas ad cognoscendum tanquam plenum & totum Christum, id est caput & corpus. Cum enim Christus loquitur aliquando ex persona solius capitis loquitur quod est ipse saluator natus ex Maria uirgine: aliquando ex persona corporis sui quod est sancta ecclesia diffusa toto orbe terrarum. Et infra. Non est dubium quia uox Christi est, unde ergo peccata nisi de corpore quod est ecclesia, quia loquitur corpus Christi, & caput: quare tanquam unus loquitur quia erunt duo in carne una. sacramentum hoc magnum est ait Apostolus, ego autem dico in Christo, & in ecclesia. Si ergo ipse dicit non duo sed una caro est, quid mirum si una caro, una lingua eadem uerba tanquam unius capitis, & corporis sit audiamus tanquam unum, sed tamen caput tanquam caput & corpus tanquam corpus, non diuiduntur personæ sed diuiditur dignitas, quia caput saluat corpus saluatur, caput exhibeat misericordiam corpus defleat misericordiam, caput est ad purgandum peccata corpus ad confitendum peccata, una tamen uox. non scribitur quando dicat corpus quando caput, sed nos in audiendo distinguimus ille: autem tanquam unus loquitur, hæc Augu. Debent igitur omnes præfatæ prædicationes siue propositiones exponi in persona membrorum in quorum persona ipse Christus loquitur non in persona propria. Vnde sensus illius uersus de psal. 21. Deus Deus meus quare me dereliquisti, est iste, me id est ecclesiam meam. Pro qua ut dicit gloss. hoc Christus dicit. Et uerba delictorum meorum, scilicet ueteris hominis, in persona cuius Christus loquitur, ut dicit glo. Item sensus uersus de psal. 37. Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, id est membrorum meorum, quia ut dicit Aug. in glo caput dicit hic uoces corporis. Item sensus uersus illius psal. 39. Circundederunt me mala quorum non est numerus comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui ut uiderem, est iste, ut exponit illum. Cassiodo. de Christo. Mala, id est peccata, circundederunt me: id eos quibus annuncio qui mei futuri sunt, & iniquitates meæ, id est eorum qui mei futuri erunt, comprehenderunt me, id est ad actum conduxerunt hi qui mei erunt, & non potui ut uiderem, id est sic oppresserunt me, id est eos: illæ iniquitates quod non potuerunt habere usum rationis, hæc ille. Item sensus etiam illius uersus psal. 40 Domine miserere mei, sana animam meá quia peccaui tibi, quæ ut dicit Aug. in glo. est uox Christi miserere mei. i. meorũ membrorum, sana animã meam. i. meorum membrorũ, quia peccaui tibi. i. hi qui sunt uel futuri sunt mei ex quorũ persona loquitur. Vnde Aug. super hũc uersum ita inquit. Nũquid hoc Christus loquitur, nũquid hoc caput illud nostrũ sine peccato? nunquid ille qui nõ rapuit? tũc exoluebat? nunquid ille solus in mortuis liber? liber enim in mortuis, quia sine peccato, quoniam omnis qui facit peccatũ seruus est peccati, nunquid ergo ipse? immo ipse ex mẽbris suis quia

nox membrorum ipſius uox ipſius,quia & uox capitis noſtri uox noſtra,hæc Aug.Et hoc modo ſunt accipienda huiuſmodi prædicata omnia ſiue dicta de Chriſto. Ex quibus manifeſte oſtenditur quam turpiter errauerit magiſter ille qui in quodam opere ſuo de myſterio unitatis Chriſti, & eccleſiæ dogmatizare præſumpſit propoſitionem illam rationabiliter in concilio Baſilieñ iam condemnatam,quòd Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus continuo peccauit.ſane deceptus eſt,tum quia ex unitate uocis in loquendo capitis,& membrorum arguere uiſus eſt conuenientiam, & identitatem realem prædicatorum,non aduertens quòd licet una ſit uox capitis, & membrorum propter unitatem membrorum quam ipſa charitas facit:differentia tamen eſt in attributis ſiue prædicatis. aliqua enim conueniunt capiti quę non membris,& aliqua membris quæ non capiti,& aliqua aliquibus membris quæ non aliis:licet una uox & una perſona loquens eſſe uideatur,ut ſuperius ſæpe repetitum eſt. Deceptus etiam uidetur eſſe ſecundo in hoc ꝙ non diſtinxit inter prædicationem qua aliquid prædicatur de aliquo ex transfiguratione perſonæ aliorum in ſe, & prædicationem qua aliquid prædicatur in ſe de aliquo ratione ſuæ propriæ perſonæ, quod enim dicitur de Chriſto.i.Petri.ii.Qui peccatum nó fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius dictum eſt ratione propriæ perſonæ,& ita ueriſſimum eſt.Quod uero Chriſtus dixerit.Sana animam meam quia peccaui tibi:aut , Non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum, in perſona membrorú ſiue pro membris nó pro ſe dixit. Quare illud pro membris pro quibus loquitur uerum eſt eo modo expoſitum ſicut dictum eſt.pro Chriſto uero intellectum nephandum eſt ac religioſis auribus grauiſſimum audire . Quanquá ergo Chriſtus talia dixerit transfigurando in ſe perſonam ſuorum membrorum præſentiú præteritorum aut futurorum:non propter hoc tamen eſt dicendum ꝙ Chriſtus peccet. Tertio in hoc uidetur præfatus magiſter deceptus, quia inter caput & membra uiſus eſt putare illam communicationem idiomatum proprietatum ſiue prædicatorum eſſe quam ſancti doctores ratione duarum naturarú diuinæ ſcilicet & humanæ in Chriſto ſimul coniunctæ exponunt. quod ſi ita eſt ſicut quandoque uerba eius,& concluſio prædicta prætendunt,dicere recté poſſumus ꝙ euanuit in cogitatione ſua,quippe alia unitate unitur humana natura in Chriſto diuinæ naturæ,& alia membra Chriſti Chriſto unita eſſe dicuntur.Natura enim aſſumpta diuinitati unita eſt unitate hypoſtatica in uno & eodem ſuppoſito æterno,ſcilicet uerbi cum ea ſuppoſita:membra uero Chriſti unita eſſe Chriſto dicuntur unitate non hypoſtatica ſed cóformitate affectus,ſed amoris uinculo ſed nexibus charitatis, quam unitaté doctores myſticam nominant,quam ſpirituſſanctus qui cóis eſt toti corpori myſtico facit,ſicut in ſuperioribus plene monſtrauimus . Et in alio præterea deficit præfatus magiſter qui libere & nimis effrenata licentia uti præſumpſit propoſitionibus ſiue dictis ſacræ ſcripturæ aut ſanctorum patrum,& antiquorum in ea uerborum forma ſub qua ab eis explicata leguntur quod tamen non licet,quoniam ibi plurima leguntur quæ exponenda ueniunt , & non extendenda ut ſanctus Tho.de multis exemplificat, & doctis magiſtris nota ſunt,de quibus pauca exempla afferemus in medium . Planum eſt in ſacra ſcriptura contineri,pſal.ſcilicet.64 . Beatus homo quem elegiſti & aſſumpſiſti . Item etiam cantatur in Te Deum laudamus . Suſcepturus hominem &c . Hanc tamen propoſitionem non ſuſcepit ſimpliciter ſchola

Nota quinto.

Nota differentiá hanc.

theologorum in usu,& practica loquendi. Vnde sanctus Tho.in.3.dist.6.dicit nullo modo concedendum fore quòd homo sit assumptus, dicit, infra. Omnes huiusmodi auctoritates dicentes hominem assumptum exponendæ sunt ut ponatur concretum pro abstracto,scilicet homo pro humanitate. Item beatus Anastasius in.3.ser.actorum. Niceni concilii ex persona filii Dei loquens ita inquit. Ex tua essentia quam in me genuisti spiritum sanctum do eis. Sunt & aliæ auctoritates beati Augu.beati Hilarii huiusmodi quas magister sententiarum deducit in.1.sen.di.5. Clarum est omni Theologo quòd schola non recipit huiusmodi propositiones dicentes quòd essentia generetur,sed exponuntur ut ibidem patet.i.filius qui est diuina essentia generatur. Vel sic.i.pater filium generando essentiam siue naturam suã dat ei. Præterea aliud exemplum est in dictis eiusdem Anastasii in epistola ad Serapionem ita dicentis quòd deitas est homo facta: quæ tamen propositio non accipitur in schola theologorum. Vnde magister sententiarum in.3.dist.5.dicit,quod non debet dici diuina natura est caro facta,sicut dicitur uerbum caro factum est:sed exponenda est sic diuinitas facta est homo, idest naturam humanam assumpsit in una persona. Multa alia exempla prestò facile inducere possemus in medium quæ breuitatis gratia,& quia nota sunt doctis relinquimus. Quare manifestum est quòd non est sufficiens ratio nec excusatio legitima si quis dicat hoc sub tali forma uerborum in scriptura sancta legitur aut a sanctis patribus traditum est. ergo possumus nos sic dicere,sic loqui, talibus uti uerbis,quippe nos non habemus tam liberã licentiam loquendi in materia fidei quam spiritussanctus in sacra scriptura, aut sancti doctores qui spiritu sancto locuti sunt tenuere, nec regulæ illæ Thiconii quæ claues uocantur scripturæ,qui eis ut inquit Augu.li.de doct. Christiana,diuinarum scripturarum aperiuntur occulta quæ sunt datę non ad utendum sed ad exponendum, non ad extendendum modum loquendi scripturæ quem non sine magno mysterio, & diuinæ sapientiæ profundissima dispositione credimus sanctos patres tenuisse, sed ad intelligendum obscuros, & difficiles passus eiusdem cum omni integritate fidei & sinceritate.

Cap. LXIX. De congruentia distinctionis & uarietatis multiplicis statuum ac officiorum in ecclesia.

EXPEDITIS his quæ de ecclesiæ uniuersalis. unitate, atque de eius capite Christo Saluatore nostro benedicto dicenda uenerant, consequenter de distinctione ac uarietate multiplici statuum dignitatum officiorum atque graduum qua ipsam uniuersalem ecclesiam mira speciositate ornatam resplendere conspicimus sermo habendus est. Sane in primis uniuersitas ecclesiæ ex duabus partibus constat,laicis,scilicet & clericis. Hos enim duos ordines laicos,scilicet & clericos, ut dicit Hugo de sancto uict.2.parte de sacramentis,quasi duo latera corporis unius uniuersitas ipsa ecclesiæ complectitur. Laici etiam quia terrena. & terrenę uitæ necessaria tractant, pars corporis sinistra intelliguntur. Clerici uero quia ea quæ ad spiritualem uitam pertinent, dispensant quasi dextera pars cor-

Prima diuisio ecclesiæ.

poris ecclesiæ sint. De quibus lateribus scribi uidetur per prophetam, psal.127.ubi dicitur. Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ, ubi glo. August.inquit sic.Vxor Christi est ecclesia quæ fertilis est non in omnibus, sed in lateribus domus tuæ,latera domus, id est ecclesiæ Christi, sunt qui adhærent ipsi. Amplius quemadmodum corpus naturale hominis ad sui integritatem non tam laterum diuersitatem exigit sed etiam multorum organorum distinctionem, quæ uariis distributa uirtutibus, & uariis actibus deputantur. Ita corpus Christi mysticum ad sui integritatem non nisi multis membris, & multiformi uarietate distinctis constare potest. Vnde apostolus.1.Corinth.12.Si erunt omnia membra unum membrum ubi corpus.&c. quod ut ait glo.non nisi diuersis consistere potest, quasi dicat, si omnia membra essent unum membrum non modo periret multitudo sensuum sed etiam corpus. ita si in ecclesia essent omnes unius officii & dignitatis non discernerentur membra nec corpus, hæc glo.Quare sequitur in apostolo. Nunc autem ne, scilicet corpus pereat inquit glo. Multa quidem membra scilicet sunt unum autem corpus quod ex omnibus constat. Præterea cum ecclesia militans exemplata sit a triumphante secundum illud Exodi.18.Vide & fac omnia secundum exemplar quod tibi monstratum est,& Apostolus dicat. Omnia hæc exemplaria sunt cœlestium,ad Heb.9. & exemplata imitari debeant illud unde exemplantur, consequens est ut quemadmodum illa mater nostra superna Hierusalem ecclesia triumphans ut multiplici uarietate ordinum dignitatum officiorum præmiorumque distincta est, ita & ecclesia militans suo modo multiformi gratiarum uirtutum,& meritorum necnon dignitatum ac officiorum adornata distinguitur.Quamobrem in eius laude Propheta in psal.44.loquens inquit.Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate,ubi gloss. inquit. Doctrina apostolorum,confessione martyrum,puritate uirginum, & lamento penitentium ornatur regina,id est ecclesia. Fuit autem hæc uarietas gratiarum ac uirtutum quibus ornata refulget ecclesia figurata in tabernaculo ueteri quod multiformi uarietate uasorum ac ornamentorum distinctum fuisse legimus. Vnde glo.super Exod.ca.28.dicit Tabernaculum uetus cum ornamentis,& uasis suis significasse ecclesiam pulchra uirtutum & personarum uarietate distinctam. Decentia huius uarietatis multiplicis, ecclesia Dei iuxta beati Tho.doctrinam in.2.2.q.183. ex tribus colligitur. Primo quidem quia ipsa statuum officiorum graduum differentia, & multiplicitas facit ad perfectionem ipsius ecclesiæ, sicut enim in rerum naturalium ordine perfectio quæ in Deo simpliciter, & uniformiter inuenitur in uniuersitate creaturarum inueniri non potuit nisi difformiter,& multipliciter:ita etiam plenitudo gratiæ quæ in Christo sicut fontaliter adunatur ad membra eius diuersimode redundat ad hoc quòd corpus ecclesiæ sit perfectum,& hoc est quod Apostolus dicit ad Ephe.4. Ipse dedit quidem quosdã apostolos,quosdam autem prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, & opus ministerii in ædificationem corporis Christi,id est ecclesiæ. Secundo diuersitas officiorum & statuum pertinet ad necessitatem actionum quæ sunt in ecclesia necessariæ, oportet autem ad diuersas actiones diuersos deputari ad hoc ut expeditius & sine confusione omnia peragantur, & hoc est quod Apostolus

Secunda quæ est officiorum.

Diuisionis decentia.

stolus dicit ad Roma.12. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent ita multi unum corpus sumus in Christo, ubi glo. inquit Ambro. Ecce humani corporis exemplo docet non posse nos singulos habere omnia ac per hoc curam nostri inuicem nos agere debere, quia inuicem officiis nostris indigemus. Hac ratione inquit beatus Grego. in ca. singula disti.89. Singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis sigillatim committi iubemus, sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita in ecclesia spirituali corpore conferendum est hoc officium uni, alii committendum est aliud, nec enim quantumlibet exercitatę uni personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? hæc ille. Tertio hæc statuum officiorumque differentia ad dignitatem operatur, & pulchritudinem ecclesiæ quæ in quodam ordine consistit. Vnde.3. Regis.10. dicitur, quòd uidens regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum & ordines ministrantium non habebat ultra spiritum. Vnde & apostolus dicit.2. ad Thymo.2. quòd in magna domo non solum sunt uasa aurea, & argentea, sed lignea, & fictilia. Huiusmodi autem uarietas tam decenter ordinata in ecclesia maximam operatur pulchritudinem ac uenustatem. Vnde Dionysi.4. de dist. no. comparationem rerum earundemque consonantiam fontalis radii uocat traditiones pulchrificas: id est pulchritudinem facientes. Et Bernard. super Canticum, ait. Ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Et beatus Gregorius, in cap. singula distinct. lxxxix. parum supra commemorato hoc confirmans dicit. sic. Sicut uarietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat, ita uarietas personarum per diuersa nihilominus distributa officia, & uenustatem sanctæ Dei manifestat ecclesiæ, hæc ille.

Cap. LXX. In quo ponuntur obiectiones contra uarietatem, & diuersitatem statuum ac officiorum in ecclesia Dei.

FVERVNT autem hæretici quidam uenustatis, & pulchritudinis ecclesiæ aduersarii, qui aduersus ea quæ de uarietate, & diuisione statuum, & officiorum ac graduum in ecclesia dicta sunt multipliciter arguunt. Primo sic. Diuersitas unitati repugnat, sed fideles Christi ad unitatem uocantur secundum illud. Ioan.xvii. Vt sint unum in nobis sicut, & nos unum sumus: ergo in ecclesia non debet esse diuersitas, aliqua statuum uel officiorum. Arg. primum Secundo sic. Natura non facit per multa quod potest facere per unum, sed operatio gratiæ est multo ordinatior quàm operatio naturæ: ergo conuenientius esset quòd ea quæ pertinent ad actus gratiæ per eosdem administrarentur, ita ut non esset in ecclesia tanta diuersitas officiorum, & statuum. Secundũ Tertio sic. Bonum ecclesiæ maximè uidetur in pace consistere, secundum illud psal. Qui posuit fines tuos pacem. Et.2. Corinth. ulti. Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis, &c. sed diuersitas est impeditiua pacis quam similitudo causare uidetur, secundum illud Ecclesi.14. Omne animal diligit sibi si- Tertium

mile,& philosophus dicit. Politicorũ.7. Quia modica differentia facit in ciuitate dissidium. ergo uidetur quod non oporteat in ecclesia esse diuersitatem statuum, & officiorum. Quarto sic. Vnitas est saluationis motus,

Quartũ quoniam una est uia ad saluationem, scilicet Christus, qui ait Ioan.9. Ego sum uia ueritas,& uita: & nemo uenit ad patrem nisi per me: cum autem in diuersitate statuum, & religionum multiplex uia detur, utputa alia prælatorum, alia religiosorum, aut monachorum, & inter istos multiplex sit uarietas uiarum aliqui dicuntur ordinis prædicatorum, aliqui ordinis minorum,&c. Quare uidetur quòd talis differentia non sit conueniens. Quinto sic. In primitiua ecclesia non fuit hæc distinctio ordinum aut religionum

Quintũ differentia sancti August. sancti Benedicti, sancti Dominici, & Francisci &c. ergo uidetur quòd etiam nunc in ecclesia esse non debeat. Sexto sic. In primitiua ecclesia tantum dicuntur fuisse episcopi & præsbyteri ac dya-

Sextum coni. non fuerunt autem ut uidetur alii inferiores ordines:& per consequẽs non uidetur quòd sint alii ordines in ecclesia ponendi præter iam dictos. Septimo sic. In ecclesia primitiua non leguntur prælati nisi episcopi qui di-

Septimũ cuntur maiores sacerdotes,& presbyteri qui dicuntur sacerdotes, secundi ordinis, non autem fuerunt cardinales nec patriarchę priuates archiepiscopi archidyaconi decani,& sic de multis: ergo uidetur quòd talis uarietas in ecclesia esse non debeat.

Cap. LXXI. In quo datur responsio ad obiectiones iam factas contra uarietatem, & diuersitatem statuum & officiorum in ecclesia Dei.

HIS non obstantibus dicendum est ut prius, quoniam uarietas, & differentia hæc statuum dignitatum ac officiorum conuenientissimè ab ipso fundatore Christo (qui iuxta apostolum.1. Corin.1. uirtus Dei, & sapientia est) posita est in ecclesia, cum ut in præcedenti, c. deduximus ad integritatem perfectionem decoremque pertineat ecclesiæ faciatque ad habiliorem diuinorum ministeriorum expeditionem. Dicen-

Ad primũ argumen. dum est ergo ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur quòd non quælibet diuersitas repugnat cuilibet unitati, unde diuersitas membrorum in uno corpore non repugnat unitati corporis immo perfectio eius ut diximus ex illorum uarietate resultat. Vnde apostolus ad Roma.12. In uno corpore multa membra habemus, & ita dicimus quòd diuersitas præfata statuum,& officiorum in ecclesia non impedit in aliquo ecclesiæ unitatem quæ per unitatem fidei charitatis, & mutuæ subministrationis proficitur, secundum illud apostoli ad Ephe.4. Ex quo totum corpus, id est ecclesia cõpactum est, glo. per fidem,& connexum uinculis charitatis per omnem iuncturam subministrationis, dum scilicet unus alii seruit, & ita uarietas ista in ecclesia statuum, & officiorum stat cum unitate ecclesiæ. Vnde gloss. super illud.1. Corin.12. Nam corpus non est unum membrum sed multa, dicit sic. Ostendit apostolus per similitudinem humani corporis unitatem corporis Christi, id est ecclesiæ habere uarietatem officiorum, & diuersitatem hanc non tollere, unitatem: sicut humani corporis, unitas

non in singularitate consistit, sed in multis membris, ut sibiinuicem præstent quod debent. hæc ibi. Ad secundam respondetur, quòd sicut natura non facit per multa quod potest facere per unum:ita etiam non coarctat in unum id ad quod multa requiritur, secundum illud apostoli. 2. Corinth. 12. Si totum corpus oculus, ubi auditus? unde etiam in ecclesia quæ est corpus Christi oportuit membra diuersificari secundum diuersa officia status & gradus, quia ista non poterant conuenienter administrari per unum. Ad tertiam respondetur iuxta sanctum Tho. ubi supra, quòd sicut in corpore naturali membra diuersa continentur in unitate per uirtutem spiritus uiuificantis, quo abscendente membra corporis separantur, ita etiam in corpore ecclesiæ, pax diuersorum membrorum uirtute spiritussancti qui corpus ecclesiæ uiuificat, ut habetur Ioan. 6. Vnde & apostolus dicit ad Ephe. 4. Soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Discedit autem aliquis ab unitate spiritus dum quærit quæ sunt propria, sicut etiam in terrena ciuitate pax tollitur ex hoc quòd ciues singuli quæ sua sunt quærunt: alioquin per officiorũ & statuum distinctionem tam mentis quàm in ciuitate terrena magna pax conseruatur inquantum per hoc plures sunt qui communicant actibus publicis. unde & apostolus dicit. 1. Corinth. 12. quòd Deus sic temperauit, ut nõ sit scisma in corpore, sed pro inuicem solicita sint membra. Ad quartam respondetur, quòd una uia est saluationis principalis, & fundamentalis communionis omnibus hominibus. s. fides Christi cum obseruantia mandatorum Dei, secundum illud Math. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Sed in illa uia regia sunt etiam aliæ diuersæ uiæ siue semitę quę attenduntur penes diuersa opera charitatis quibus homo uacare potest uel penes diuersitatem exercitiorum quibus aliqui exercentur ad perfectionem charitatis. Vnde sunt quidam modi uiuendi, & progrediendi in uia domini, secũdum illud Augus. In uia Dei in quá alius sic alius sic ibat. De quarum uiarum siue semitarum uarietate propheta loquens sic psal. xxiiii. ait. Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. ubi per uias præcepta accipiuntur, per semitas uero quæ angustiora sunt consilia euangelica designantur. Vnde super illud psal. xxiii. Deduxit me per semitas iustitiæ, dicit gl. Semitæ iustitiæ sunt arctiora præcepta. & perfectiora consilia. Quare cùm religiones priuatæ in ecclesia Dei non sunt uiæ aliæ alienatę diuersitatis aut contrarietatis a uia illa principali communi omnibus in æternam beatitudinem tendere cupientibus, sed illam in se continent tanquam fundamentalem superaddentes illi consilia perfectiora: patet quòd aduersariorum ratio non procedit cum in falsa imaginatione fundetur. Ad quintam respondetur, negando consequentiam, multa enim processu temporis instituta sunt in ecclesia Dei tam circa cultum diuinum quàm circa usum sacramentorum, & distinctioné ministrorum, & uocabulorum uarietatem quæ in ipso nascentis ecclesiæ exordio non fuerunt sicut manifestum est spiritu sancto inspirante, quæ non parum ornamenti, & decoris conferunt sanctæ Dei ecclesiæ. Præterea licet religionum differentia. & uarietas in habitibus, & cerimoniis non fuerit in primitiua ecclesia quanta nunc: nihilominus substantialia fundamenta omnium religionum, uidelicet abrenunciatio omnium rerum temporalium propter Christum, castitas & obedientia in primitiua ecclesia fuerunt, quæ maxime in apostolis floruerunt. Ad sextam respondetur pariter negando consequentiam ratione iam dicta. Secundo respondetur iuxta sanct. Thom.

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

in.iiii.dist.xxiiii.quòd in primitiua ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dion. in li.eccle.hierar.nihilominus erant prædictę potestates, sed implicitę in una diaconi potestate, sed postea ampliatus est cultus diuinus, & ecclesia quod implicite habebat in uno ordine explicitè tradidit in diuersis, & hoc modo dicit magister sententiarum, quòd ecclesia aliquos ordines sibi instituit.

Ad septimum — Ad septimam respondetur negando consequentiam, & causa est. Tum quia sicut habuit auctoritatem instituendi, & deputandi uarias personas uariis, & distinctis officiis, ita habuit auctoritatem nominandi, & imponendi eis diuersa uocabula secundum diuersitatem officiorum. Tum quia illi quos patriarchas archiepiscopos etiam dicimus, sunt episcopi cardinales uero aut præsbyteri aut diaconi sunt. Vnde hoc non est nouos ordines in ecclesia introducere, sed in ordinibus constitutos iuxta uarietatem officiorum quibus deputati sunt dignis nominibus appellare, de nominibus autem non debet esse altercatio, cum prohibitum non sit illos sic nominari.

Cap. LXXII. De triplici diuersitate, quæ in corpore ecclesiæ principaliter reperitur.

ETSI multiplici uarietate ecclesia sancta Dei ornata refulgeat, tamen triplex potissimè in ea uarietas consideratur, quæ eam præ aliis uenustiorem ac splendidiorem reddit, uidelicet differentia statuum officiorum, & graduum, quorum distinctio sic ex superioribus colligitur. Diximus autem parum ante in capitulis superioribus, quòd diuersitas in membris ecclesiæ ad tria ordinatur, uidelicet ad perfectionem ipsius corporis mystici, & integritatem dicente apostolo. 1. ad Corinth. 12. Corpus non est unum membrum, sed multa. Secundo ad congruentiorem expeditionem actionum quæ sunt necessariæ in ecclesia: quoniam ut ait apostolus ubi supra. Si totum corpus oculus, ubi auditus? id est si in ecclesia ut ait Amb. in gl, omnes essent unius officii, quomodo impleretur necessitas corporis cuius generationi diuersis opus est. Tertio ad decorem qui ex ubitate, & ordine consurgit, secundum hæc tria præfata triplex distinctio diuersitatis fidelium in ipso ecclesiæ corpore accipi potest. Vna quidem per respectum ad perfectionem quæ maximè attendit secundum charitatem, iuxta illud apostoli ad Colo.3. Super omnia charitatem habete, quæ est uinculum perfectionis. Vnumquodque dicitur esse perfectum cum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio, charitas autem est quæ unit nos Deo qui est ultimus finis humanæ mentis, quia qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo ut dicitur. 1. Ioan. 4. Quare merito secundum charitatem dicitur attendi perfectio uitæ Christianæ. Per respectum autem ad hanc uitæ perfectionem accipitur distinctio statuum, prout quidam aliis sunt perfectiores. Secunda uero distinctio accipitur per respectum ad actionem, & hæc est distinctio officiorum.

Officium — Officium enim ut dicit Isido. lib. Ethimo. ab officiendo dicitur, officere autem a quo sumitur nomen officii importat actionem tendentem in aliud, & ideo officia propriè dicuntur actus qui referuntur ad alios. Vnde in diuersis officiis esse dicuntur qui ad diuersas actiones deputati sunt, sicut doctor dicitur habere officium docendi, & iudex

dex

lex iudicium faciendi, & sic de aliis. Alia autem distinctio accipitur per respectum pulchritudinis ecclesiæ, & secundum hoc accipitur differentia graduum prout scilicet in eodem statu uel officio unus est alio superior. Vnde in psalm. dicitur secundum aliam litteram. Deus in gradibus eius cognoscetur, de qua diuisione uidetur apostolus loqui. 1. ad Corinth. 12. dist. Diuisiones gratiarum sunt, glo. Gratias hic appellat gradus, & ordines qui sunt in officio ecclesiæ.

Cap. LXXIII. Quid nomine status designetur.

QVIA de differentia statuum in ecclesia sermonem inchoauimus, oportunum duximus pro dictorum, & dicendorum pleniori intelligētia ut quid in ratione status importetur enucleemus. Statust proprie loquendo, ut ait sanctus Thom. in.2.ii.q.clxxxiii. significat quandam positionis differentiam, secundum quam aliquid disponitur, secundum modum naturæ cum quadam immobilitate. est enim naturale homini, ut caput eius in superiora tendat, & pedes in terra firmetur, & cetera membra media conuenienti ordine disponantur, quod quidem non accidit si homo iaceat, uel sedeat, sed solum dum rectus stat, nec rursus stare dicitur si moueatur, sed quando quiescit. Et inde est quòd etiam in ipsis humanis actionibus dicitur negotium aliquod statum habere secundum ordinem propię dispositionis cū quadam immobilitate seu quiete. Vnde & circa homines ea quæ de facili circa eos uariantur, & extrinseca sunt non constituunt. puta quòd aliquis sit diues uel pauper in dignitate cōstitutus, uel plebeius uel si quid aliud est huiusmodi, & in iure ciuili dicitur, ꝙ ei qui a senatu amouetur magis dignitas quàm status auferatur, sed solum uidetur ad statum hominis pertinere quod respicit obligationē personæ hominis prout aliquis est sui iuris uel alieni, & hoc non ex aliqua causa leui uel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente. Et hoc est quod pertinet ad rationem libertatis, uel seruitutis. Vnde status propriè pertinet ad libertatem, uel seruitutem, siue in spiritualibus, siue in ciuilibus prout consueuit dici ꝙ error personæ, aut cōditionis, uel status impedit matrimonium non autem error fortunæ, uel qualitatis, & isto modo accipitur status. 2. q. 6. c. si quando, ubi dicit papa Adrianus. Si quando in causa capitali, uel causa status interpellatum fuerit non exploratores, sed per seipsos est agendum. Vbi causa status appellatur pertinens ad libertatem, uel ad seruitutem, ut satis aperte colligitur ex gl. Dicimus autem ꝙ status propriè loquendo pertinet ad ipsam rationem libertatis, uel seruitutis quoniam si largè, & impropriè de nomine status loquamur, nomine status aliquando importatur sola rectitudo, iuxta illud Ezech. 11. Fili hominis sta super pedes tuos, & Grego. dicit. 6. moral. Ab omni statu rectitudinis desperent qui per noxia uerba dilabuntur. Aliquando nomine status sola importatur firmitas siue immobilitas, iuxta illud apostoli. 1. Corin. 15. Stabiles estote, & immobiles. Vnde dicit Greg. super Ezech. Lapis quadratus est, id est quasi ex omni latere statum habet qui casum ex aliqua permutatione non habet. Præterea aliquando nomine status importari uidetur gradus altior siue altitudo aliqua dignitatis. nam ex hoc aliquis dicitur stare in altum quòd erigitur. Sed reuera nullum istorum adimplet rationem status non quidem rectitudo sola. Tum quia in aliis animalibus non requiritur rectitudo ad

hoc quòd stare dicantur. Tum quia nec etiam homines stare dicuntur quantumcunque recti nisi quiescant. Præterea nec sola immobilitas sufficit ad rationem status patet, quia etiam sedens, & iacens quiescunt qui tamen non dicuntur status. Ceterum nec gradus nec altitudo dignitatis sufficit ad rationem status: gradus enim dicitur secundum ordinem superioritatis, & inferioritatis, status uero dicit immobilitatem eo quòd pertinet ad conditionem personæ. Patet ergo quid in sermone nostro in ratione status importari intelligamus. Status triplex ecclesiæ. Distinguuntur autem tres status in ecclesia scilicet prælatorum, religiosorum, & coniugatorum ex euangelio Math. 24. ubi dicitur. Duo in agro, duo in lecto, & duo in molendino. In agro sunt ut exponit beatus Augustin. super psalm. cxxxi. qui gubernant ecclesiam, & ita prælati. Vnde dicit apostolus. Vide si non in agro erat, ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. In lecto autem eos intelligi uoluit, qui amauerunt quietem. Per lectum uero quietos intelligi uoluit non miscentes se turbis non tumultui generis humani in otio seruientes Deo. In molendino existentes intelligi uoluit plebem coniugatorum, quia in isto mundo uersantur, ubi molendinum intelligitur quia sic uertitur mundus quomodo mola. Item præfatus status designatur in tri-
Psal. 132. bus illis uiris, de quibus habetur. Ezech. 14. ualet in Noe Daniele & Iob. Noe significat rectores ecclesiæ, quia ipse Archam in diluuio gubernauit. Daniel autem quietam elegit in celibatu seruire Deo uxorem non quærens: erat uir sanctus in cœlestibus desideriis uitam gerens, per quem significantur serui Dei in religione uiuentes, de quibus dicitur. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum. In nomine uero Iob, qui habebat uxorem, & filios, &c. significantur boni coniugati. Ex quibus etiam apertissimè habetur, quòd nomine status importetur firmitas perpetuæ obligationis, cum aliqua solennitate, sicut patet in statibus illis tribus, quorum primus & supremus status prælatorum designatur per Noe, qui obligantur ad opera perfectionis, & cum solennitate aliqua benedicuntur, & consecrantur. Secundus status est religiosorum, qui obligantur ad perpetuam continentiam cum solennitate uoti professionis. Tertius qui infimus ponitur est qui obligantur obligatione matrimoniali etiam cum solennitate quam facit ecclesia. Et ita patet quòd propriè ratione status quædam immobilitas, & firmitas perpetuæ obligationis cum solennitate quadam importetur sicut inferius etiam plenius ostendetur, dimisso autem tertio statu. s. coniugatorum, in quo magis importatur obligatio siue seruitus quædam carnalis, cum sit ad debitum carnale reddendum quàm spiritualis, ut patet, consequemur differentiam statuum pertinentium ad seruitutem, uel libertatem spiritualem.

Cap. LXXIIII. Quòd differentia statuum pertinentium ad spiritualem seruitutem, uel libertatem attenditur secundum incipientes, proficientes, & perfectos.

LOCVTVRI autem de differentia status spiritualis seruitutis repetere necesse habemus quòd status prout iam exposuimus libertatem respiciat uel seruitutem. Inuenitur autem in rebus spiritualibus

bus duplex seruitus & duplex libertas, una quidem est seruitus peccati, alia uero est seruitus iustitiæ. Similiter etiam est duplex libertas una quidem a peccato, & alia uero a iustitia, ut patet per Apostolum ad Rom. 6. Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, nunc autem liberati a peccato serui facti essetis Deo. Est autem seruitus peccati, uel iustitiæ cum aliquis ex habitu peccati ad malum inclinatur, uel ex habitu iustitiæ ad bonum. Similiter autem libertas a peccato est cum aliquis ab inclinatione peccati non superatur. Libertas autem iustitiæ cum aliquis propter amorem iustitiæ, non retardatur a malo. Verum tamen quia homo secundum naturalem rationem ad iustitiam inclinatur, peccatum autem est contra naturalem rationem, consequens est quòd libertas a peccato sit uera libertas quæ coniungitur seruituti iustitiæ, quia per utrunque tendit homo in id quod est conueniens sibi. Et similiter uera seruitus est seruitus peccati cui coniungitur libertas a iustitia, quia sic per hæc impeditur homo ab eo quod est proprium sibi. hoc autem quòd homo efficiatur seruus iustitiæ, uel peccati contingit per humanum studium sicut Apostolus ibi dicit, cui exhibetis uos seruos ad obediendum serui eius estis cui obedistis, siue peccati ad mortem siue obeditionis ad iustitiam. In omni autem studio est accipere principium medium, & terminum, & ideo consequens est quòd status spiritualis seruitutis, & libertatis secundum tria distinguatur, scilicet secundum principium ad quod pertinet status incipientium, & medium ad quod pertinet status proficientium, & terminum ad quem pertinet status perfectorum. Dicit enim beatus Gregor. super Ezech. & habetur de pen. distinct. ii. §. hæc quæ de charitate. Alia namq; sunt uirtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Præterea conuenientia huius diuisionis accipitur ex eo, quòd libertas a peccato fit per charitatem quæ diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, ut dicitur ad Roma. 5. Vnde. 2. ad Corin. 13. inquit apostolus. Vbi spiritus domini ibi libertas: ideo eadem uidetur diuisio charitatis, & statuum pertinentium ad libertatem. Distinguuntur autem conuenienter gradus charitatis tres scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Dicit enim Aug. super primam Can. Ioan. Charitas cum primo fuerit nata nutritur (quod pertinet ad incipientes) cum fuerit nutrita roboratur, (quod pertinet ad proficientes) cum fuerit roborata perficitur, quod pertinet ad perfectos. Conuenienter ergo dictum est quòd differentia statuum pertinentium ad spiritualem seruitutem, uel libertatem attendatur, secundum incipientes proficientes, & perfectos.

Seruitus duplex

Libertas duplex

Cap. LXXV. In quo declaratur quibus conueniat esse perfectos, & quibus conueniat esse in statu perfectionis.

QVAMVIS statuum ad spiritualem seruitutem, uel libertatem pertinentium differentia secundum incipientes, proficientes, ac perfectos, ut prædiximus attendatur; nihilominus quia inchoatio, & augmentum non quæruntur propter se, sed propter perfectionem, nulla genera hominum specialiter deputantur statui incipientium, & proficientium, sed solum ad perfectionis statum aliqui homines cum quadam obligatione, & solennitate assumuntur. Quocirca de statu perfectionis, utputa ad quem alii status ordinantur sermonem nostrum prosequemur declarantes in primis,

Perfectio in quo cõsistit

in quibus uitæ spiritualis perfectio consistat, & quibus in statu perfectionis esse conueniat. Pro primo autem notandum est, quòd uitæ spiritualis perfectio ex charitate pensanda est, quod ex eo primo ostenditur, quia cum unumquodq; dicatur perfectum inquantum attingit proprium finẽ, qui est ultima rei perfectio, & charitas sit quæ uniat nos Deo qui est ultimus finis humanæ mentis, secundum illud. 1. Ioan. 4 Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. manifestum est, quòd secundum charitatem perfectio uitæ spiritualis maxime attendatur. Secundo, si charitatem non habens nihil spiritualiter esse dicitur, dicente Apostolo. 1. ad Cor. 13. Si habuero prophetiam & nouero omnia mysteria, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum. luce clarius habetur quòd uitę spiritualis perfectio in charitate consistat. Tertio idem colligitur ex eo quòd Ioan. totam spiritualem uitam in dilectione asserit esse dicens. 1. Io. 3. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitã quoniam diligimus fratres quos qui non diligit manet in morte. A perfectione ergo charitatis simpliciter aliquis in uita spirituali dicitur esse perfectus. Vnde ad Colo. 3. inquit Apostolus. Super omnia charitatem habete, quæ est uinculum perfectionis. Amor autem uim transformatiuam habet qua amãs in amatum quodammodo transfertur. Vnde Dyon. li. de diu. no. c. 4. dicit. Est autem extasim faciens diuinus amor non sinens suipsorum amantes esse, sed amatorum. Quia ergo totum & perfectum idem sunt, ut Aristo. dicit. 3. phy. perfectè charitatem habet, qui totaliter in Deum transformatur seipsum, & omnia postponens propter Deum. Vnde Aug. 14. de ciui. Dei dicit, quòd sicut ciuitatem Babylonis fecit amor sui usque ad contemptum Dei, ita ciuitatem Dei facit amor Dei usque ad contemptum sui. cuiuscunque ergo mens sic est affecta interius ut seipsum, & omnia contemnat propter Deum, secundum illud Apostoli ad Phil. 3. Quæ mihi aliquando fuerunt lucra arbitratus sum, ut stercora, ut Christum lucrifaciam. iste perfectus est siue sit religiosus siue secularis siue clericus, siue laicus etiam matrimonio coniunctus. Abraham enim matrimonio coniunctus erat, & diues cui Deus dixit. Gene. 17. Ambula coram me. & esto perfectus. Et Eccle. 31. dicitur. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & post aurum non abiit. Et post pauca subditur. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est. Præterea de secundo considerandum est, quòd non est idem esse perfectum & esse in statu perfectionis, sunt enim aliqui in statu perfectionis, qui nondum sunt perfecti, sed interdum etiam peccatores: sunt etiam aliqui perfecti, qui in statu perfectionis non sunt. Ad uidendum autem quomodo hoc sit, est aduertendum quòd sicut supra dictum est in. c. præcedenti, status propriè pertinet ad conditionem libertatis, uel seruitutis. spiritualis autem libertas, siue seruitus potest attendi in homine dupliciter. uno modo secundum id quod interius agitur, alio modo secundum id quod agitur exterius. Et quia ut dicitur. 1. Reg. 16. homines uident, quæ patent, sed Deus intuetur cor. Inde est quòd secundum interiorem hominis dispositionem accipitur conditio spiritualis status in homine in comparatione ad iudicium diuinum, quo modo possunt distingui status gratiæ, & status culpæ. Secundum autem ea quę exterius aguntur accipitur spiritualis status in homine per comparationem ad ecclesiam, & hoc modo nunc de statu loquimur prout, scilicet ex diuersitate statuum quædam pulchritudo consurgit. Ceterum est considerandum

Differentia inter perfectos & existentes in statu perfectionis

quòd

quòd quantum ad homines ad hoc quòd aliquis adipiscatur statum libertatis, uel seruitutis requiritur quidem aliqua obligatio, uel absolutio. non enim ex hoc, quòd aliquis seruit alicui efficitur seruus, quia etiam liberi seruiunt, secundum illud ad Gal. 5. Per charitatem spiritus seruite inuicem, nec ex hoc quòd aliquis desinit seruire efficitur liber, sicut patet de seruis fugitiuis. sed ille propriè seruus est, qui obligatur ad seruiendum, & ille est liber qui a seruitute absoluitur. Secundo requiritur quòd obligatio prædicta cum aliqua solennitate fiat sicut, & in ceteris quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem quædam solennitas adhibetur. Sic ergo in statu perfectionis propriè dicitur aliquis esse non ex hoc quòd habet actũ perfectę dilectionis, sed ex hoc quòd obligat se perpetuo cum aliqua solennitate ad ea quæ sunt perfectionis. Contingit etiam quòd aliqui se obligant, & non seruant, & aliqui implent ad quod se non obligarunt, sicut patet Math. xxv. de duobus filiis, quorum unus patri dicenti operare in uinea respondit, nolo, & post ea abiit, alter autem respondens ait. eo, & non iuit, & ideo nihil prohibet aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis, & aliquos esse in statu perfectionis, qui non sunt perfecti.

Cap. LXXVI. Quòd prælatis maioribus ecclesiæ. s. episcopis, & religiosis propriè competat esse in statu perfectionis.

EX his quæ iam diximus facile est uidere tam prælatos maiores ecclesiæ scilicet episcopos quàm religiosos in statu perfectionis esse. Cum enim ut in præcedenti. c. dictum est ad statum perfectionis requiratur obligatio perpetua ad ea quæ sunt perfectionis cum aliqua solennitate: cum utrumq; hoc competat tam episcopis quàm religiosis, manifestũ est illos in statu perfectionis esse. De episcopis quidem patet. obligant quidem se ad ea quę sunt perfectionis cum pastorale officium assumunt, ad quod pertinet, ut animam suam ponat pastor pro ouibus suis, sicut dicitur Ioan. x. Quod exponens beatus Grego. ita dicit. Audistis fratres eruditionem nostram, & periculum nostrum. Et postea subdit. Ostensa est nobis de contemptu mortis uita quam sequamur: primum est exteriora nostra misericorditer pro ouibus impendere, postremum uero si necesse fuerit etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. Quod uero ad hanc perfectionem se obligant episcopi colligitur ex illo apostoli. 1. ad Thym. ultim. Certa certamen bonæ fidei, apprehende uitam æternam in qua uocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus, scilicet in tua ordinatione ut ibidem dicit gloss. Præterea etiam adhibetur quædam solennitas consecrationis cum prædicta professione, secundum illud. 2. Thymo. 1. Resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum, quod gl. exponit de gratia episcopali, & beatus Diony. dicit in. ca. x. eccle. Hierar. quòd summus sacerdos id est episcopus in sua ordinatione habet eloquiorum super caput sanctissimam suppositionem, ut significetur quòd ipse est participatiuus integre totius Hierarchicæ uirtutis, & quòd ipse non solum sit illuminatiuus in omnia quæ pertinent ad sanctas locutiones, & actiones, sed quòd etiam hoc aliis tradat. Ex quibus facile est

uidere quibus prælatis, quia scilicet solis maioribus, competat esse in statu perfectionis quibus solum competit obligatio, perpetua ad ea quæ perfectionis sunt cum solennitate aliqua celebrata, quæ non competit aliis inferioribus prælatis, utputa præsbyteris curatis atque archydiaconis. unde tales non uidentur in statu perfectionis esse, quod sanctus Tho. in. 2. ii. q. clxxxiiii. arg. vi. ita deducit. In præsbyteris, & diaconibus habentibus curam animarum duo possunt considerari. s. ordo & cura. Ordo autem ipse ordinatur ad quendam actum in diuinis officiis, ex hoc autem quòd aliqui suscipiunt sacrum ordinem accipiunt potestatem quosdam sacros actus perficiendi non tamen obligantur ex hoc ipso ad ea quę sunt perfectionis, nisi quatenus apud occidentalem ecclesiam in susceptione sacri ordinis emitteretur continentiæ uotum quod est unum eorum, quæ ad perfectionem pertinent. Vnde patet, quòd ex hoc, quòd aliquis accipit ordinem sacrum non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis perfectio ad hoc requiratur, quòd aliquis dignè huiusmodi actus exerceat. Similiter etiam ex parte curę quam suscipiunt non ponuntur in statu perfectionis, licet constituantur in aliquo officio, non enim obligantur ex hoc ipso uinculo perpetui uoti ad hoc quòd curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, uel transeundo ad religionem etiam absque licentia episcopi, ut habetur in. c. duæ. xi. q. ii. uel etiã cum licentia episcopi dimittendo parochiam, uel archydiaconatum, & accipiendo simplicem præbendam sine cura, quod possunt facere, quod tamen nullo modo liceret si essent in statu perfectionis. Nemo enim mittens manũ ad aratrum, & respiciens retro est aptus regno Dei, ut dicitur Lucæ. 9. Episcopi autem quia sunt in statu perfectionis non nisi auctoritate summi pontificis ad quem etiam pertinet in uotis perpetuis dispensare, possunt episcopalem curam deserere, & etiam ex certis causis. Vnde manifestum est quòd non omnibus prælatis, sed solum maioribus competit esse in statu perfectionis. Quòd uero hoc etiam competat religiosis, patet, religiosi enim uoto se astringunt ad hoc quòd a rebus secularibus se obstineant quibus licite uti poterant ad hoc quòd libertus Deo uacent in quo consistit perfectio uitæ præsentis. Vnde Dyon. 7. ca. cœlestis Hierarchiæ de religiosis loquens dicit. Quòd religiosos alii quidem famulos Dei, alii quidem monachos nominant ex Dei seruitio, & famulatu. i. indiuisibili, & singulari uita uiuentes, ipsos indiuisilium sanctis conuolutionibus. i. contemplationibus ad Dei formem unitatem, & amabilem Deo perfectionem, &c. Horum etiam obligatio fit cum quadam solennitate professionis, & benedictionis. unde ibidem subdit beatus Dyon. Propter quod & perfectam ipsis donans gratiam sancta legislatio quadam ipsos dignata est sanctificatiua inuocatione. Patet ergo quòd tam episcopi quàm religiosi professi in statu perfectionis esse dicendi sunt. Vnde beatus Dyon. in lib. 5. ecclesiasticæ Hierarchiæ, attribuit episcopis perfectionem tanquam perfectoribus, & in. c. 6. eiusdem, perfectionem religiosis quos monachos uocant, siue Deo famulantes tanquam perfectis, &c. Vbi considerandum quòd cum teste beato Aug. super Gen. ad litteram, semper agens nobilius sit patiente, & causa suo effectu, & ex iam dictis beati Dyonisii in genere perfectionis episcopi se habent, ut perfectores, religiosi uero ut perfecti, quorum unum pertinet ad actionem, alterum uero ad passionem, manifeste habemus quòd potior, & altior sit status perfectionis in episcopis quàm religiosis. Præterea hoc etiam ex eo patet, quòd religiosus

giosus

giosus potest transire ad statum episcopalem. Dicitur enim in cap. 1. xviii. q. 1. quòd sacra ordinatio de monacho episcopum facit. hoc autem nullo modo liceret nisi status episcopalis, sit perfectior statu religiosorum: quoniam nulli licet a maiori statu ad minorem transire, hoc enim esset retro aspicere.

Cap. LXXVII. In quo ponuntur obiectiones contra ea quæ dicta sunt, de perfectione pontificalis status, & religiosorum.

ADVERSVS ea quæ dicta sunt in superiori cap. obiicitur multipliciter, maxime contra tria. Quorum primum est, quòd prælati superiores, utputa episcopi sint in statu perfectionis. Secundum est, q soli episcopi prælati maiores sunt in perfectionis statu, non autem minores scilicet presbyteri curati siue archydiaconi. Tertium est quòd status prælatorum potior sit ac sublimior statu religiosorum. Contra primum arguitur primo sic. Ad statum perfectionis uidetur pertinere renunciatio diuitiarũ, secundum illud Math. 19. Si uis perfectus esse uade & uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ueni, & sequere me. sed episcopi possident quoniam possidere possunt licite diuitias siue bona temporalia. Dicitur enim in. c. episcopi. xii. q. i. Episcopi de rebus propriis, uel acquisitis, uel quicquid de proprio habent hæredibus suis si uoluerint relinquant: ergo uidetur quòd status prælatorum maiorum, scilicet episcoporum non sit status perfectionis dicendus. Secundo sic, status prælationis non est appetendus, dicente beato Aug. 19. de ciui. Dei. Locus superior sine quo populus regi non potest, & si administretur ut decet, tamen indecenter appetitur: ergo sequitur quò d status prælationis non sit status perfectionis. consequentia uidetur nota eo quòd laudabile esse uideatur appetere statum perfectionis. unde laudabile est concupiscere statum religionis. Contra secundum arguitur primo sic. Sicut episcopi suscipiunt curam animarum cum consecratione, ita etiam presbyteri curati, & archydiaconi, de quibus supra illud. Act. 6. Considerate fratres uiros boni testimonii septem pleno spiritu sancto, &c. dicit glo. Bedæ. Hic discernebant apostoli per ecclesiam constitui septem dyaconos qui essent sublimioris gradus, & quasi columnæ proximę circa aram. Præterea in consecratione tam episcopi quàm sacerdotis uerba sunt conuenientia. s. ut consecrentur & sanctificētur manus istę, &c. ergo uidetur quòd presbyteri curati sunt in statu perfectionis. Secundo sic. Sicut episcopi obligantur ad hoc quòd animam suam ponant pro ouibus suis, ita & presbyteri curati, & archydiaconi: sed hoc pertinet ad perfectionem charitatis, secundum illud Ioan. 10. Nemo maiorem charitatem habet, ut animam suam ponat quis pro amicis: ergo uidetur quòd presbyteri curati, & archydiaconi sunt in statu perfectionis. Tertio sic. Religiosi sunt in statu perfectionis: ergo multo plus presbyteri curati, & archydiaconi. antecedens est conclusio præcedentis cap. consequentia uero nota uidetur ex duobus. Primo quia nulli licet de statu maiori ad minorem transire, de statu autem monastico licet transire ad officium presbyteri curam habentis, ut patet in capi. uos autem. xvi. q. i. Secundo patet ex eo, quòd presbyteri curati, & archydiaconi eo quòd habent curam animarum similiores sunt episcopis qui in

Arg. primum contra primũ principale.

Secundũ

Arg. primum contra secundum principale

Secundũ

Tertium

statu perfectionis esse dicuntur, quam religiosi. Contra tertium principale arguitur primo sic. Perfectum principalius consistit in dilectione Dei quam proximi, sed status religionis directe ordinatur ad dilectionem Dei. unde ex Dei seruitio, & famulatu nominantur, ut dicit Dyon. 6. eccle. Hierar. status autem episcoporum uidetur ordinari ad dilectionem proximi cuius scilicet curæ superintendunt. unde etiam nominantur, ut patet per Augu. 19. de ciui. Dei: ergo uidetur quòd status religiosorum perfectior sit statu prælatorum. Secundo sic. Status religiosorum ordinatur ad uitam contemplatiuam quæ potior est quàm uita actiua ad quam ordinatur status episcoporum: ergo uidetur quòd status religiosorum perfectior sit quàm status episcoporum.

Arg. primum contra tertiũ principale

Secundũ

Cap. LXXVIII. In quo respondetur ad rationes iam factas in præcedenti cap.

AD ista facile est respondere attentis his duobus quæ superius enucleauimus uidelicet in quo uitæ spiritualis perfectio principaliter consistat, & quid in ratione status importetur. Ad rationes ergo in oppositum est dicendum. Ad primam respondetur, quòd abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest. Vno modo secundum quòd est in actu, & sic negatur assumptum. dicimus enim quòd ad perfectionem uitæ spiritualis, non pertinet essentialiter actualis abrenunciatio diuitiarum, licet sit quoddam perfectionis instrumentum. Vnde ad Abraham plures diuitias possidentem dominus dixisse legitur. Genes. xvii. Ambula coram me, & esto perfectus. Et ideo nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenunciatione actuali propriorum. Sic etiam dicendum est de aliis exterioribus obseruantiis de quibus Deus perfectionis documenta tradens ait. Math. 5. Si quis te percusserit in dexteram maxillam præbe illi & alteram, & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, &c. quæ non semper actu perfecti complere tenentur alioquin Deus ab hac perfectione defecisset quando alapa in una maxillarum suscepta non præbuit alteram sed dixit, si male locutus sum perhibe testimonium de malo. Ioan. 18. Sic nec Paulus qui cum percuteretur maxillam non præbuit, sed ait. Percutiat te Deus paries dealbate. Act. xiii. Non ergo de necessitate perfectionis est, ut hæc opere compleantur, sed intelligenda sunt, secundum animi præparationem, ut Augus. dicit in lib. de sermone domini in monte. Alio ergo modo potest considerari abrenunciatio diuitiarum secundum præparationem animi, ut scilicet homo sit paratus si opus fuerit omnia dimittere, uel distribuere, uel alia facere quæ dicta sunt, quotiescumq; fuerit opus, & hoc pertinet directe ad perfectionem. Vnde Aug. dicit in lib. lxxxiii. q. & habetur in c. quod dicit. distin. xli. ubi sic dicit Aug. quòd Deus dicit in euangelio. Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis. ostendit dominus filios sapientiæ intelligere non in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam. sed in equanimitate tolerandi inopiam. Vnde & apostolus ait. Scio abundare & penuriam pati. Ad hoc autem maxime tenentur episcopi, ut omnia sua pro amore Dei, & salute sui gregis contemnant cum opus fuerit, uel pauperibus sui gregis largiendo

Ad primũ primi principalis

uel

uel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo. Ad secundam rationem respondetur negando consequentiam, & ratio est, quia in statu episcopalis dignitatis intelligitur quædam sublimitas gradus, quia episcopus super alios constituitur, secundum illud. Math. 25. Fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam. Hanc autem celsitudinem concupiscere non est licitum cum uideatur præsumptuosum. Vnde dominus. Math. 22. redarguit discipulos primatum quærentes dicit. Scitis quia principes gentium dominantur eorum. ubi Crysog. dicit. Ostendit per hoc quòd gentile est primatus cupere, & sic gentium comparatione eorum animum estuantem conuertit. Et ad probationem consequentiæ respondetur, negando ꝙ laudabile sit appetere omnem statum perfectionis. Ad id autem quod inducebatur de statu religionis, & de statu episcopali propter duo, ut inquit sanctus Thom. secunda secundæ. q. clxxxv. Primo quidem, quia ad statum episcopalem præexigitur uitæ perfectio, ut patet per hoc quòd Deus a Petro exquisiuit, si plus eum ceteris diligeret antequam ei committeret pastorale officium. Sed ad statum religionis non præexigitur perfectio, sed uia in perfectionem. Vnde & dominus. Math. 19. non dixit. Si es perfectus uade, & uende omnia quæ habes, sed si uis esse perfectus, & huiusmodi differentiæ ratio est, quia secundum Dyon. perfectio pertinet actiuè ad episcopum sicut ad perfectorem, ad monachum autem passiuè sicut ad perfectum. requiritur autem quòd sit perfectus aliquis ad hoc quòd possit alios ad perfectionem adducere quòd non præexigitur in eo qui debet ad perfectionem adduci. Est autem præsumptuosum quòd aliquis perfectum se reputet, non autem quòd ad perfectionem tendit. Secundo non est eadem ratio, de statu religionis, & episcopalis dignitatis, quia ille qui statum religionis assumit subiicit se aliis ad spiritualia capienda quod cuilicet licet, sed ille qui ad statum episcopalem transit sublimatur ad hoc quòd aliis prouideat & hoc non licet appetere. Vnde Crysog. super Math. dicit. Primatum ecclesiæ concupiscere nec iustum est, nec utile. Ad rationes uero factas contra secundam principale, in quo dictum est quòd loquendo propriè de statu, ut impræsentiarum loquimur, & supra diffinitus est, presbyteri curati in eo non essent. respondetur primo ad primam negando assumptum pro utraque parte, dicimus enim primo quòd presbyteri curati non suscipiunt curam animarum sicut episcopi, quoniam episcopi principaliter habent curam omnium suæ diocesis, ut habetur in c. quæcunque. x. quæst. i. ubi fratres in concilio antiocheno ita dicunt. Quæcunque res ecclesiasticæ sunt, conuenit cum omni diligentia, & fide gubernari, & dispensari cum iudicio, & potestate episcopi cui totius plebis animæ uidentur esse commissę. presbyteri autem curati, & archydiaconi habent aliquas subministrationes sub episcopis. Vnde super illud. 1. Cor. 12. Alii opitulationes alii gubernationes, dicit glo. Opitulationes. i. eos qui maioribus ferunt opem, ut titus apostolo, uel archydiaconi episcopis. Gubernationes, autem scilicet minorum personarum prælationes, ut presbyteri sunt, qui plebi documento sunt, & Dyon. dicit v. c. eccle. Hierar. Quòd sicut uniuersam Hierarchiam uidemus in Iesum terminatam, ita unamquamq; in proprium diuinum summum sacerdotem. i. episcopum. Et in c. cunctis xvi. q. i. dicit papa Clemens omnibus presbyteris, & dyaconibus attendendum est, ut nihil absq; proprii episcopi licentia agant. Vnde si quis rectè consideret inquit sanctus

Ad secundum

Ad primũ secundi principalis

Thom.hoc modo in regimine ecclesiæ comparantur archydiaconi, & plebani ad episcopum sicut in regimine temporali præpositi, & balliui ad regem. Secunda etiam pars antecedentis prætatę rationis est falsa in qua dicitur, quod presbyteri curam animarum suscipiant cum consecratione sicut episcopi quod falsum est. Vnde sicut in mundanis potestatibus solus rex solam benedictionem accipit, alii uero per simplicem commissionem instituuntur officiales, ita etiam in ecclesia cura episcopalis cum solennitate consecrationis committitur, cura autem archydiaconatus, uel plebanatus cum simplici impositione confertur. Quod uero dicitur, quòd in consecratione episcopi, & presbyteri eadem uerba sunt,&c.non est ad propositum, non enim nunc agimus de sacerdote inquantum sacerdos est, sic enim in statu ponitur per solennem consecrationem, ut dicit sanctus Tho.in lib. de perfectione uitæ spiritualis. Non quidem in statu perfectionis actiuę, uel passiuę, sed in statu illuminatiuę secundum Dyon.sed quando curam accipit tunc ei nulla solennis benedictio exhibetur. unde tunc nullum statum suscipit, sed fit ei quædam officij commissio,& ita presbyter curatus licet in susceptione ordinis consecratur non tamen in susceptione curæ. episcopus autem ad ipsam curam pastoralem consecratur, propter perpetuam obligationem qua se ad pastoralem curam obligat sicut ex prædictis patet. Ad secundam respondetur negando antecedens, quoniam sicut plebani,& archydiaconi non habent principaliter curam, sed administrationem quandam secundum quod eis ab episcopo committitur ita etiam ad eos non pertinet principaliter pastorale officium, nec obligatio ponendi animam pro ouibus, sed inquantum participant de cura. unde magis habent dicit sanctus Thom. quoddam officium ad perfectionem pertinens quàm obtineant perfectionis statum.

Ad secundum

Ad tertiū

Ad tertiam rationem respondetur negando consequentiam, & ad probationem primam quæ sumitur ex transitu monachali ad officium presbyteri curam habentis respondetur,quòd nihil facit ad propositum, quoniam monachus non transit ad curam secularem statu religionis dimisso, sed retento,dicitur enim in.c.de monachis.xvi.q.i.ubi Innocentius papa de monachis qui diu morantur in monasteriis inquit,quòd si postea ad clericatus ordiné peruenerint statuimus non debere eos a priori proposito discedere, sed presbyteri curati, uel archydiaconi, quando religionem ingrediuntur curam deponunt, ut adipiscantur perfectionis statum. unde ex hoc excellentia religionis ostenditur. Ad probationem secundam cum dicitur, quòd presbyteri curati similiores sunt,&c.respondetur,quòd curati & archydiaconi sunt similiores episcopis quàm religiosi quantum ad aliquid scilicet quantum ad curam animarum quam secundario habent,sed quantum ad perpetuam obligationem quæ requiritur ad statum perfectionis similiores sunt episcopis religiosi,ut ex dictis patet. Iam restat respondere ad rationes factas contra tertium punctum principale in quo dictum fuit,quòd status prælatorum sublimior ac perfectior esset statu religiosorum. Ad primam rationem respondetur quòd ratio non procedit, quia perfectio dilectionis proximi ex perfectione dilectionis diuinæ deriuatur, quæ quidem tantum in cordibus aliquorum præualet, ut solum non Deo frui uellent & seruire, sed etiam proximis propter Deum. unde hoc ipsum quod episcopi intendunt his, quæ pertinent ad proximorum dilectionem prouenit ex abundantia dilectionis diuinæ. unde dominus primo a Petro, quæsiuit an eum diligeret, & postea

Ad primū tertii principalis

postea gregis curam commisit. Et Gregorius dicit in pastoral. Si dilectionis testimonium est cura pastoris quisque uirtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum conuincitur non amare, hoc autem est maioris dilectionis signum, ut homo propter amicum etiam alii seruiat quàm si etiam soli amico uellet seruire. Ad secundam respondetur, quòd non uidetur facere ad propositum, quia episcopus cum mediator inter Deum, & homines constituatur oportet ipsum, & in actione præcellere inquantum minister hominum constituitur, & etiam in contemplatione præcipuum esse, ut ex Deo hauriat quod hominibus tradat. Vnde Greg. dicit in pastoral. Sit præsul actione præcipuus præ cunctis contemplatione suspensus rector interiorum curarum, in exteriorum prouidentia interiorum solicitudinem non relinquens. Sed etsi detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis patiuntur propter exteriorem occupationem, qua proximis seruiunt hoc ipsum perfectionem dilectionis diuinæ attestatur. magis enim amare aliquem conuincitur qui propter eius amorem iucunditate præsentiæ eius ad tempus carere desiderat in eius seruitio occupatus, quàm si eius præsentia semper frui uellet. Vnde apostolus ad Roma. 8. Postquam dixerat quòd nec mors nec uita separabit nos a charitate Christi. postmodum subiungit. Optabam ego anathema esse Deo pro fratribus meis. quod exponens Chrysosto. libro de compunctione cordis ita inquit. Ita totam eius mentem deuinxit amor Christi, ut in hoc quod ei præ ceteris omnibus amabilius erat esse cum Christo sursum, idipsum quia placeret Christo contemneret.

Ad secundum

Cap. LXXIX. In quo ponuntur rationes inter episcopum, & præsbyterum secundum rem distinctio sit semperq; fuerit ab institutione eorum.

SI quis rectè ponderat ea quæ superius diximus explicantes, qui in statu perfectionis dicendi essent, & qui non, facile intelliget quòd realis differentia sit inter episcopum, & præsbyterum. Sane cum ostenderimus episcopos in statu perfectionis esse, præsbyteros autem etiam curatos non: consequenter probamus differentiam secundum rem esse inter episcopum, & presbyterum. Quod autem huiusmodi differentia secundum rem etiam semper fuerit ab institutione harum dignitatum facile nobis est probare. Nam quòd circa tempora Hieronym. & Augustini distinctio ista fuerit patet beati August. testimonio qui in epistola ad Hieron. & habetur in. c. quanquam. ii. q. vii. sic dicit. Quanquam secundum honoris uocabula, quæ iam ecclesiæ usus obtinuit episcopatus præsbyterio maior sit tamen in multis August. Hieron. minor est. Secundo quòd talis differentia fuerit tempore apostolorum seu primitiuæ ecclesiæ, patet ex eo quòd Dyon. qui illorum tempore fuit scribens librum ecclesia. Hierar. in v. c. eius de libri ponit tres ordines, scilicet episcoporum, præsbyterorum, & dyaconorum, dicens ordinem dyaconorum esse purgatiuum, ordinem sacerdotum illuminatiuum, ordinem uero episcoporum perfectiuum. Quibus tribus ordinibus, ut ipse dicit in. c. vi. sequenti, tres ordines respondent. nam ordini dyaconorum subiicitur ordo immundorum, qui purgatione indi-

gent. ordini presbyterorum subiicitur ordo illuminandorum scilicet sacer populus qui a presbyteris illuminatur per sacramentorum susceptionem: ordini uero episcoporum subiicitur ordo perfectorum, scilicet monachorũ, qui per eorum traditiones edocentur ad perfectissimam perfectionem. Tertio ista differentia quòd non humana inuentione, sed diuina dispositione a Christo instituta fuerit apparet ex eo quod Math.x. habetur ubi dicitur. Designauit dominus, &c. ubi gl. dicit. Sicut in apostolis est forma episcoporũ sic in lxxii. discipulis forma est sacerdotum secundi ordinis, ubi expresse habetur, quòd differentia inter episcopos, & secundi ordinis sacerdotes instituta fuerit a Christo. Quarto præfata differentia ostenditur ex eo, quod figurata legitur in antiquo testamento prout beatus Isid. ponit, & habetur in c. cleros. dist. xxi. ubi dicitur, quòd summi sacerdotes, & minores sunt a Deo instituti per Moysen qui ex præcepto domini Aaron in summum sacerdotem pontificem, filios uero eius inunxit in minores sacerdotes. Et sic patet quòd secundum rem ab exordio institutionis horum ordinum in ecclesia semper fuerit differentia secundum rem inter episcopum, & presbyterum. Hinc beatus Aug. in li. de hæresi, inter dogmata hæretica enumerat dicere presbyteros non differre ab episcopis dicens quòd arriani dicebant presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni, ut dicit sanctus Thom. in. ii. ii. q. clxxxiiii. arg. vi. Nec obuiat prædictis quod Hieron. ait super apostolum ad Thym. dicens. Olim idem presbyter qui episcopus. Et postea subdit. Sicut ergo presbyteri sciunt se ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispensationis dominicæ ueritate presbyteris esse maiores. Pro quo notandum quòd de episcopo, & presbytero dupliciter loqui possumus. Vno modo quantum ad nomen, & sic olim non distinguebantur episcopi, & presbyteri. Nam episcopi dicuntur esse qui superintendunt, ut dicit August. 19. de ciui. Dei, presbyteri autem græce dicuntur quasi seniores. Vnde & Apostolus communiter utitur nomine presbyterorum quantum ad utrosque, cum dicit. 1. ad Thym. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. Et similiter, & nomine episcoporum, unde dicit Act. 20. Attendite uobis, & uniuerso gregi in quos uos spiritussanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Secundo consideratur quantum ad rem, & sic ut supra multis rationibus, iam ostendimus, semper inter eos fuit distinctio. Vnde Isid. dicit & habetur dist. xxi. in c. cleros, quòd presbyteri minores licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, quia nec chrismate frontem signant nec spiritum paraclytum dant quod solum deberi episcopis lectio actuum demonstrat. Vnde & apud ueteres licet fuerit conuenientia in nomine, & usus uocabulorum promiscuus (Alia etiam potest esse ratio, quia non solum erant promiscua uocabula, sed etiam in una persona erat episcopatus, & presbyteratus, quia episcopi exercebant etiam officium simplex presbyterale propter paucitatem tam pastorum quam gregis) differentia tamen fuit in re. fuit autem postmodum necessarium ad uitandum scisinatis errorem qui ex indifferentia nominum oriebatur, ut etiam nomina distinguerentur, ut scilicet soli maiores presbyteri episcopi dicerentur, minores uero solum presbyteri, ut inquit sanctus Tho.

Cap.

Cap. LXXX. Quòd domini Cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ sunt in statu perfectionis.

SANE si quis ea quæ supra de statu perfectionis commemorauimus rectè consideret, uidelicet quòd obligatio perpetua ad ea quæ perfectionis sunt cum aliqua solennitate hominem in statu perfectionis constituat, proculdubio manifestè uidebit dominos Cardinales in regimine, & gubernatione uniuersalis ecclesiæ Christi Vicario summo pontifici assistentes in statu perfectionis esse censendos. Obligant enim se ex dilectione Dei perpetuo fidem catholicam ac religionem Christianam usque ad sanguinis effusionem inclusiuè cum eorum, & totius ecclesiæ principe Christi Vicario summo pontifice totis uiribus fideliter defensuros: in cuius rei euidens testimonium capillo rubeo quasi professionis suæ habitu seu signaculo præstitis certis iuramentis ipso summo pontifici maximè de fideli assistentia in regimine uniuersalis ecclesiæ ab ipso Christi Vicario publicè, & solenniter insigniuntur. Dicendi ergo sunt domini Cardinales in statu perfectionis esse, & tanto sublimius præ ceteris prælatis quantum bonum uniuersalis ecclesiæ ad cuius regimen, & ordinationem assumuntur, & pro cuius tuitione exponere animas suas se obligant perfectius, & per consequens diuinius est bono particularium plebium quarum regimini intendere alii prælati obligantur. Vnde de dominis Cardinalibus conuenientissimè accipi potest quod præuidit illa uetus Anna Samuelis in cantico quod composuit occasione receptę prolis. 1. Reg. 2. dum inquit. Domini enim sunt Cardines terræ, & posuit super eos orbem. In quibus uerbis status dominorum Cardinalium tripliciter describitur. Primo quantum ad nobilitatem institutionis, ibi cum dicitur, domini enim sunt. Secundo quò ad dignitatem officii, ibi cum dicitur, Cardines terræ appellantur. Tertio quò ad uniuersalitatem auctoritatis, ibi cum dicitur, & posuit super eos orbem. Describitur namque in primis institutionis status dominorum Cardinalium nobilitas cum dicitur, domini sunt. s. per institutionem. Est enim Cardinalium status a Christo solo originaliter, & primordialiter institutus. Pro cuius declaratione est in primis repetendum quod superius annotauimus. s. quod Christus sponsam suam uidelicet ecclesiam uariis statibus officiis, & gradibus tanquam splendentibus monilibus decorauit, & miro ordine distinxit, iuxta illud apostoli ad Ephe. 1. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi propter quod ascendens in altum, dedit dona hominibus, & ipse dedit quosdam apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii ædificationis corporis Christi. Ex quo apostolico documento apertè colligitur quòd uarietas hæc statuum officiorum, & graduum quibus Hierarchicè distincta est ecclesia non ab humana dispositione principaliter, sed ab ipso Christo ecclesiæ capite fundatore atque ordinatore ortum habet, & per consequens quòd dominorum Cardinalium status post statum papalem, ad ordinem Hierarchicum ecclesiæ ex institutione diuina pertineat, cum ipsi quantum ad hunc statum statui apostolico immediate succedant. Pro quo considerandum iuxta quorundam sapientum doctrinam, quòd de apostolis triplex consideratio ha- Apostolorum triplex consideratio

beri potest. Prima quidem, ut Christo ante eius ascensionem principaliter astiterunt quibus ait. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum ualet ecclesiæ militantis, ut sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Luc. 22. Secunda consideratio apostolorum est, prout ante eorum diuisionem abinuicem, & separationem a Petri præsentia Petro tanquam Christi uices gerenti in administratione papalis officii assistebant. Tertia consideratio apostolorum est, quando ad Christi præceptum quo dictum est illis. Euntes in mundum uniuersum prædicate euangelium omni creaturæ, a Petro separati eiusq; auctoritate suffulti per mundum dispersi sunt, ad prædicandum singulas prouincias in sortem prædicationis accipientes.
Quantum ad primam considerationem,& secundam apostolorum, status dominorum cardinalium, repræsentat apostolorum statum in hoc quòd assistunt Romano pontifici qui Christi Vicarius, & Petri successor est, tanquam principales assessores consiliarii atque cooperatores, & in executione sacerdotalis officii coadiutores existunt iuxta uerba Bonifacii papæ octaui in ca. fundamenta. lib. vi. Quantum uero ad secundam considerationem apostolorum de quibus mystice intelligi potest illud. Apoca. 4. Sedes posita est scilicet apostolica, in cœlo id est in ecclesia militante, & supra sedem sedens id est Roman. pontif. & in circuitu eius sedilia xxiiii. & super thronos xxiiii. seniores, id est cardinales, sedentes amicti stolis albis, & in capitibus eorum omnes coronæ aureæ. Vbi domini Cardinales non throno describuntur ab officii dignitate quia dicuntur in circuitu apostolici throni sedere, utpote eius consiliarii, & coadiutores supremi pontificatus, sed etiam describitur quid in illis eorum dignitas requiratur. debent enim cardinales habere discretionis maturitatem in hoc quòd uocantur seniores. Secundo animi tranquillitatem in hoc quòd describuntur sedentes. Tertio uitæ puritatem in hoc quòd designantur amicti stolis albis. Quarto sapientiæ claritatem cum dicuntur habere coronas aureas. Quantum uero ad tertiam considerationem apostolorum episcopi succedunt apostolis statum ipsorum repræsentantes, quorum quilibet præest alicui ciuitati, uel prouinciæ, ut beatus Anacletus inquit in. c. in nouo testamento, dist. xxi. & beatus Vrbanus papa in cap. quorum uices, distin. lxviii. quod etiam notasse uidetur Apostolus ubi supra ubi distinguens status ecclesiæ. condistinxisse uidetur statum pastoralem a statu apostolico, cum ait. Dedit quosdam apostolos, sequitur, & quosdam pastores. Ex quibus rectè elici possunt aliqua correlaria.

Correlarium primum

Primum est, quòd apostoli prius fuerunt Cardinales, quàm episcopi, siue q prius exercuerunt Cardinalatus officium quàm episcopale. Patet hoc, quoniam apostoli prius fuerunt in statu apostolico per Christum instituti quàm in pastorali, quia ante passionem omnes fuerunt apostoli, sed post passionem institutus est Petrus a Christo omnium pastor, cum dictũ est sibi Pasce oues meas. Ioan. ult. & tunc status pastoralis ordinatus est in nouo testamento cũ apostolicus status ante fuisset.

Secundũ

Secundum correlarium, quòd apostoli prius fuerunt Cardinales orbis quàm urbis. Nam sicut Petrus prius fuit papa orbis. i. uniuersalis ecclesiæ antequã episcopus ecclesiæ Romanæ per singularẽ administrationẽ, sic & apostoli prius fuerunt Cardinales quàm aliquis fieret cardinalis Romanę urbis. In signum uero huius distinctionis in inuestitura papatus dicitur papæ. Inuestio te de papatu Romano, ut præsis urbi & orbi. In

bi. In utraque uero tam urbis quam orbis præsidentia assistunt Papæ cardinales tanquam spirituales eius coadiutores, propter quod tanquam senatores consules atq; patritii urbis esse censentur, ut in ca. Constantinus. 96. di. Tertium correlarium est quòd Papa etiam conuenienter se inter cardinales connumerat, ut inquit Archidya. in ca. Sacrosancta. di. 22. Et hac ratione status apostolicus in qua cardinales sunt distinguitur a pastorali statu, licet enim omnes apostoli fuerint pastores, nihilominus tamen ut dictum est prius fuerunt in apostolico statu. Vnde summus pontifex non modo dicitur episcopus uniuersalis ecclesiæ sed etiam apostolicus nominatur. Petrus ergo & sui successores utrunque retinent statum, scilicet apostolicum, & pastoralem, cardinales uero ut sic apostolicum duntaxat. Quartum correlarium est, quòd in ordine hierarchico sicut cœtui apostolorum succedit ordo episcoporum inquantum fuerunt episcopi, ita illi succedit sacer senatus cardinalium quantum ad illum statum quo apostoli assistebant Petro antequam per orbem diuiderentur ut dictum est. Et hoc dictum sit de status dominorum cardinalium institutione quę notabatur in primo uerbo beatę Annæ cum dicebatur, domini sunt. Secundo describitur status cardinalium quo ad dignitatem officii cum dicitur. Cardines terræ. Nominantur autem sic, multiplici ratione. Primo quidem dicuntur cardinales quia ecclesiæ Romanæ tantum seruiunt, quæ ut inquit Anacletus in ca. Sacrosancta, di. 22. caput & cardo est omnium ecclesiarum. Secundo quia sicut cardine ostium regitur, unde dicitur Prouer. 26. Ostium uertitur in cardine, ita dominorum cardinalium consilio & assensu summus pontifex regit disponit atque gubernat uniuersalem ecclesiam. Tertio dicuntur cardinales, id est principales. 7. q. 1. pastorales, &. 21. q. 1. relatio, glo. 1. Ipsi enim sunt principales in ecclesia quorum consilio, & regimine tota ecclesia uniuersaliter disponitur, & gubernatur. Tertio describitur status cardinalium quo ad uniuersalitatem auctoritatis cum subditur. Et posuit super eos orbem. Auctoritas nempè dominorum cardinalium non respicit tantum diocesim unam aut prouinciã sed uniuersum orbem, iuxta uerbum beati Grego. in ca. Decreto. 2. q. 6. Alii autem prælati assumpti sunt in partem solicitudinis, isti uero in adiutorium gubernationis totius orbis. Vnde de illis conuenientissimè accipiendum uenit id quod propheta egregius Dauid ecclesiæ sanctæ loquens inquit psal. 44. Pro fratribus tuis, id est apostolis, nati sunt tibi filii, id est cardinales, constitues eos principes super omnem terram. Tunc planè constituuntur Principes super omnem terram cum a summo pontifice Christi uicario assumuntur ad assistendum sibi & cooperandum in regimine totius reipublicæ Christianæ. Quocirca deuotus Bern. li. de consideratione, de cardinalibus loquens Papæ Eugenio. 3. ita dicit. Hi quoque qui tibi continuo assistunt seniores populi orbis iudices &c. Magnum certè amplitudinis dignitatis dominorum cardinalium ex huius sancti uiri uerbis testimonium colligitur. Ex quibus apertissimè conuincitur error detrahentium statui dominorum cardinalium dicentium illos tanquam accidentalia membra esse in ecclesia, & quasi hospites, & aduenas nulla auctoritate præstantes.

Tertium

Quartũ

Cardinalatus dignitas.

Cardinalium auctoritas.

Cap. LXXXI. In quo ponuntur rationes propter quas status dominorum cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ honore præferendi sint ceteris ecclesiæ prælatis.

EX his quæ iam exposuimus de perfectionis statu & dignitatis sublimitate dominorum cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ clara luce cognoscere poteramus ipsorum cardinalium statum merito honore præferendum fore cunctis post Papalem ecclesiasticis dignitatibus,& statibus. Primo quidem ex eo quòd ut in præcedenti c.explicauimus, dignitas apostolica in qua sacer dominorum cardinalium senatus sacro apostolorum collegio succedit priorem ceteris ecclesiasticis dignitatibus institutione,& origine,cuius autem prior est institutio alios merito præire debet honore iuxta c.1.ma.& obe.Præterea secundo hoc ex illo apertissimè ostenditur: quòd præfati domini cardinales curam regiminis , & gubernationis solicitudinem præ ceteris ecclesiæ prælatis habeant ampliorem cum enim sint uocati in adiutorium summi pontificatus ad totius ecclesiæ curam omniumque ecclesiarum solicitudinem assumpti dicuntur,iuxta ca.Bonæ. extra de postula.prælatorum. Ceteri uero ecclesię prælati cuiuscunque eminentiæ existant cum non in plenitudine potestatis sed in partem solicitudinis sint uocati,ut in ca.Decreto.ii.q.vi. & in ca . Qui se scit, ecclesiæ non uniuersali sed particularibus quibus deputati sunt præesse dicuntur,clarissimum est ut is ceteris præferendus ueniat honore qui maiorem ceteris curam atque solicitudinem regiminis habet.Hac ratione synodus antiochena ut in c.Per singulas prouincias.9.q.3.archiepiscopos episcopis honore præferendos instituit. Amplius tertio hoc colligitur ex eo quòd ut habetur in ca. Constantinus,dist.96.Dominis cardinalibus concessum est illud culmen singularis potentiæ,& præexcellentiæ cuius gloria amplissimus senatus uidetur adornari:cum aut senatoria aut patriciatus dignitate nulla maior post imperium habeatur,ut C.de consul.mu.lib.12.Nulli mirum aut molestum esse debet si domini cardinales ecclesiæ Romanæ omnibus aliis post summum pontificem cui iure diuino omnes caput inclinant præferantur honore.Quarto idem colligitur ex eo quòd ut diximus domini cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ pro earum auctoritatis amplitudine iudices orbis esse dicuntur ipsi quippe omnes fideles tam inferiores quam superiores episcopos etiam archiepiscopos , & patriarchas assistentes Papæ coniudicant. Notum autem est maioris dignitatis esse qui iudicat quam qui iudicantur,ut in ca.inferior.dist.21 . Quinto hoc magisterium fit ex eo , quòd cardinales pars corporis papæ esse dicuntur . Vnde cum ad prouincias regendas mittuntur,mitti de latere Papę censentur, ut in cap.decreto.2.q.6. beatus Greg . dicit & beatus Bern.de eis ad Eugenium loquens libro de consideratione, illos uocat collaterales Papę & eius coadiutores. Nulli autem dubium est quòd hi qui una persona censentur cum summo pontifice omnibus aliis ecclesiæ prælatis honore merito ueniant præferendi. Hæc tantum dixisse sufficiat ut ostendamus quàm rationabiliter domini cardinales post Romanum pontificem cunctis aliis ecclesiæ prælatis honore præferantur .

Cap. LXXXII. In quo ponuntur obiectiones contra statum dominorum cardinalium.

QVEMADMODVM fuere aliqui apostolici principatus inimici qui illum non a Christo sed ab hominibus institutú esse contra Christi euangelium assererent: ita etiam non defuerunt qui statum dominorum cardinalium tam quò ad eius institutionem quàm ad eius dignitatem impugnare ausi sunt. Sunt enim quidam qui illum non a Christo sed humana inuentione asserunt introductum, negantes in ecclesia illum tantæ fore dignitatis ut inter principalia ecclesiæ membra ueniat in ecclesiastica hierarchia connumerandus quod sequentibus rationibus fundare nituntur. Primo sic. De statu cardinalium nulla mentio fit in scriptura sacra noui testamenti: ergo uidetur ꝙ non sit annumerandus inter alios perfectionis status in nouo testamento a Christo institutos. consequentia uidetur optima, & antecedens patet discurrenti per singulos diuinos libros noui testamenti. Secundo sic. Nihil uidetur institutum a Christo cuius nomen nec tempore Christi nec apostolorum legitur fuisse: sed nomen cardinalatus nec Christi tempore nec apostolorum legitur fuisse ut patet: ergo status nomine cardinalatus designatus non potest dici a Christo institutus. Tertio sic. Omniũ ministrorum ecclesiæ institutio est in ueteri testamento figurata, & inchoata & in nouo plenius consummata ut habetur in ca. decretis dist. 21. sed status cardinalium nec præfiguratus nec inchoatus legitur in ueteri testamento: ergo sequitur id quod prius. Quarto sic. Status cardinalium nobis uidetur institutus a beato Pontiano Papa qui fuit anno domini 221. ut historiæ quædam referunt: ergo sequitur ꝙ non a Christo fuit constitutus. Quinto sic. Post dispersionem apostolorum non legimus ꝙ beatus Petrus habuerit aliquos cardinales assistentes sibi in regimine uniuersalis ecclesiæ: ergo uidetur ꝙ status cardinalium nec a Christo nec a beato Petro fuerit institutus, consequentia patet. Sexto sic, cardinalibus ex institutione eorum non uidetur alia dignitas aut prærogatiua attribuenda quàm explicatur in institutione eorum, sed de beato marcello qui fuit circa annos domini 304. legitur, ꝙ constituit in urbe Romana 25. cardinalatus siue titulos cardinalũ quasi dioceses propter baptisma, & propter cimiteria ad sepeliendum martyres & propter penitentes, & propter conuersos ex gentilibus sed ista officia non transcendunt statum communem presbyterorum: ergo non uidetur ꝙ status cardinalium debeat poni ita sublimis sicut dictum est. Septimo sic dignitas episcopalis est suprema in ecclesia. Vnde beatus Dionysius ordiné episcoporum dicit supremum in ecclesia & episcopi dicuntur summi sacerdotes & pontifices maximi, ut in ca. Cleros. dist. 21. ergo etiam dato quòd sit dandus status cardinalium, non tamen uidetur ꝙ debeat in honore præferri ceteris episcopis, & archiepiscopis ac patriarchis. Octauo sic, perfectio uitæ spiritualis requiritur ad statum episcopalem ut supra dictum est, quia episcopo ut dicit beatus Diony. 5. ecclesia. hierar. attribuitur perfectio tanquam perfectori aliorum: hæc autem perfectio non uidetur requiri in cardinalibus sicut nec in religiosis: ergo dato quòd cardinales sint in statu perfectionis non est dicendum quòd sint in statu sublimiori quàm episcopi.

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Quartum

Quintũ

Sextum

Septimũ

Octauum

Cap. LXXXIII. In quo respondetur ad obiectiones factas contra statum, & dignitatem dominorum Cardinalium.

SANE quemadmodum subtracta saluatoris nostri corporali præsentia ab ecclesia necessario uenit pro Christianæ religionis unitate seruanda aliquis per diuinam prouidentiam instituendus qui eiusdem saluatoris uices gerens ecclesiam regeret atque in unitate fidei,& diuinæ legis obedientia fideles conseruaret atque nutriret, ita post mortem apostolorum congruum uisum est tam pro bono ecclesię regimine pro eiusdem ampliori pulchritudinis, & decoris claritate ut apostolicum collegium semper in ecclesia continuaretur. Hinc est quòd cum Iudas ab apostolico collegio præuaricatus esset,beatus Petrus uertex apostolici collegii ceteriq; apostoli diuinitus inspirati alium loco illius illico communi electione statuere curarent, ut actuum apostolorum historia nos docet.i.c.Tenendum ergo est quòd cardinalium status qui apostolico statui succedit non humana sed diuina dispositione in ecclesia perseuerat apostolicæ dignitatis prærogatiua insignitus. Respondendum ergo restat ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur negando antecedens ,dicimus enim quòd licet de cardinalibus sub nomine cardinalatus non fiat mentio in sacra scriptura sicut nec de Romano pontifice sub nomine Papatus, nihilominus tamen fit sub nomine apostolorum quibus ut diximus in dignitate apostolica quantum ad assistentiam qua Christi uicario, & Petri successori assistunt,scilicet Romano pontifici succedunt. Ad secundam respondetur negando consequentiam,pariter enim posset argui, quòd nec status Papalis esset a Deo in ecclesia, cum tale nomen nec tempore Christi nec apostolorum fuerit. Dicimus ergo quòd licet nomina Papatus, & cardinalatus non fuerunt in usu tẽpore Christi aut apostolorum sed postea crescente ecclesia in titulis & honoribus ex fidelium deuotione,nihilominus dignitates ipsę & status in apostolis designati fuerunt in Petro Papalis, & in apostolis ceteris status cardinalatus. Sic enim nomina Patriarcharum primatum archiepiscoporum licet primo non fuerint in usu,postea tamen uenerunt in usum a sanctis patribus approbatum,maximè cum consonent officiis eorum iuxta expositionem officiorum, & graduum ecclesiasticorum quam ponit Isidorus in cap. Cleros,di.21.Ad tertiam respondetur negando minorem. Dicimus enim quòd figura status dominorum cardinalium pręcessit in antiquo testamento tam in senioribus illis quos Moyses dux populi Dei elegisse legitur secum in adiutorium regiminis populi Israel,de quibus Exo.18.& in sacerdotibus leuitici generis,de quibus habetur Deut.18.ubi dicitur. Si difficile,& ambiguum apud te esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam,lepram & non lepram, & iudicium uideris inter portas tuas uerba uariari,surge,& ascende ad locum quem elegerit dominus Deus tuus ueniesque ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem &c.quem textum Innocentius.3.in concilio generali præsidens ad propositum sic exponit,sicut habetur extra,qui fi.sint legit.in ca. Per uenerabilem,ita dicens. Sane cum deuteronomium lex secunda interpretetur ex ui uocabuli comprobatur, ut quod ibi discernitur in nouo testamento debeat obseruari.locus enim quẽ

Ad primũ

Ad secũdum

Ad tertiũ

elegit

elegit dominus apostolica sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus urbem fugiens exiuisset uolens eum dominus ad locum quem elegerit reuocare interrogatus ab eo. Domine quo uadis? respondit. Venio Romam iterum Crucifigi quodque intelligens pro se dictum ad locum ipsum protinus est reuersus. Sunt autem sacerdotes leuitici generis fratres nostri, qui in iure leuitico in executione sacerdotalis officii coadiutores existunt, hæc ibi. Ex quibus euidenter apparet statum, & dignitatem dominorum cardinalium in antiquo testamento fuisse euidenter repræsentatum. Ad quartam rationem respondetur negando assumptum, dicimus enim quòd status cardinalium quantum ad officium, & dignitatem eius institutus est tempore Christi, & apostolorum, licet quo ad uocabulum cardinalatus tunc non legatur institutus: sed ut quidam aiunt quòd tempore præfati Papæ, scilicet Pontiani: alii tempore beati Marcelli Papæ, alii autem quòd tempore beati Siluestri hoc nomen sit illi statui impositum iuxta proprietatem officii, & dignitatis eius sicut dictum est supra, in ca. 80. Horum enim tempore cardinalatus nomen clarum emicuit, ante uero presbyteri, & dyaconi urbis Romanæ cardinales appellabantur. Ad quintam rationem respondetur negando assumptum, dicimus enim quòd post dispersionem apostolorum ut ex historiis aperte colligitur, beatus Petrus aliquos coadiutores habuit lateri suo assistentes in iudicio maiorum causarum, & in regimine uniuersalis ecclesiæ, licet non sub nomine cardinalium: uidelicet Linum Cletum, & Clementem qui post eius mortem successores in Papatu successerunt, & ita creduntur alii summi pontifices aliquos sibi ad huiusmodi officium assumpsisse. Vnde Linus qui immediate successit Petro legitur fecisse duas ordinationes uidelicet episcopos. 11. presbyteros. 18. Cletus sequẽs dicitur instituisse. 25. titulos. Anacletus etiam qui successit beato Clementi ut asserit Godefridus uiterbien. dicitur. 7. Dyacones cardinales in urbe instituisse: & sic de aliis credendum est. Ad sextam rationem respondetur quòd cardinales sicut apostolis succedunt in dignitate apostolica ita in auctoritate assistentiæ, & cooperationis summo pontifici, & Christi uicario in regimine, & gubernatione uniuersalis ecclesiæ sicut superius dictum est. Quod uero inductum est de beato Marcello quòd propter baptisma &c. non obuiat dignitati dominorum cardinalium, quoniam ad ista peragenda non fuit principalis eorum institutio: licet occurrente multitudine tam conuersorum ad fidẽ quàm martyrum morientium pro Christi nomine deputarentur etiam ad alia pietatis officia, attento maximè ꝙ sepolturæ martyrum attendere qui fundatores fuerunt Christianæ religionis, & conuersioni fidelium, & dilatationi fidei: non minuit sed potius augere uidetur dignitatem status dominorum cardinalium: cum inter præcipuas laudes quæ beato Euthiciano attribuuntur, illa non inferior iudicata est quòd 342. martyres propria manu sepeliuerit. Quod ergo splendidius opus, & Deo acceptius efficere poterant quàm ad baptisma, & pœnitentiam gentes uocare: an non ista etiam fuerunt apostolorum opera an non in huiusmodi sanctis officiis apostoli cooperatores fuerunt Christo, & etiam discipuli quos mittebat ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse uenturus, ut habetur Luce. 10. Præterea licet ad huiusmodi pietatis officia a summis pontificibus cardinales quandoque deputati leguntur non tamen propter hoc credendi sunt absoluti a proprio dignitatis suę officio, utrunque plane adimplebant

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

tam scilicet propriç dignitatis officium assistendo summo pontifici in maiorum causarum expeditione quam officio pietatis conuersioni infidelium sepulturæ martyrum, & huiusmodi sanctis operibus insistendo. Ad septimam respondetur quòd licet totus ordo episcoporum qui quadruplex distinguitur a beato Isido. in ca. Cleros dist. 21. utputa Patriarchç primates archiepiscopi, & episcopi, maiores sint presbyteris, & dyaconis cardinalibus ordinis sublimitate, quoniam ordo episcopalis sublimior est, ut ait beatus Dionysius. nihilominus tamen eminentia siue sublimitate administrationis in qua Romano pontifici assistunt in regimine uniuersalis ecclesiæ, & maiorum causarum decisione maiores sunt & superiores cardinales episcopis non cardinalibus. hæc autem simul stare possunt ut unus alio superior sit administratione. & dignitate qui inferior sit ordine uel æqualis. patet in beato Petro, qui licet ceteris apostolis par fuit ordinis potestate eisdem tamen maior fuit administratione, & dignitate. 2. q. 7. ca. Puto. Patet etiam in archipresbytero & archidyacono, licet enim archipresbyter maior sit ordine (quia presbyter) archydiacono, administratione tamen archydiaconus maior est archipresbytero, ut patet in ca. Perlectis, dist. 25. & etiam de officio archipresbyteri. Hoc etimodo potest intelligi quod ait Augu. in ca. Quanquam 2. q. 7. Quanquam episcopatus sit presbyterio maior scilicet ordine, Augustinus tamen Hyeronimo minor est scilicet administratione, & dignitate, quoniam Hyeronimus presbyter cardinalis fuit, & omnis presbyter cardinalis maior est quolibet episcopo non cardinali ut quidam dicunt, ut refert Hugo in gloss. & nobis idem uidetur. Ad octauum respondetur negando assumptum pro minori, dicimus enim quòd uitæ perfectio etiam requiratur ad statum cardinalatus sicut ad statum episcopalem, quod manifeste colligitur ex eo quod beatus Bernar. ad Eugenium. 3. scribit, describens quales esse debent qui ad cardinalatus apicem sunt assumendi, ait enim sic. Sapientis consilium est, omnia fac cum consilio, & post factum non penitebis. & hoc tibi persuade eos qui amittendi sunt difficile in curia posse probari. & ideo si fieri potest, uiros probatos oporteret eligi non probandos. & ita quærendi sunt sane quibus nec defectus timeatur nec profectus optetur utpote iam perfecti, hæc Bern.

Ad septimum

Ad octauum

Cap. LXXXIIII. De triplici ordine in statu cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ.

POSTQVAM occasio nobis incidit de statu dominorum cardinalium aliquid loquendi, & iam de institutione, & perfectione status eorum sermonem fecerimus, conueniens nobis uisum est ut dignitatis huius status notitia illustrior fiat de illorum triplici ordine aliquid dicatur. Distinguitur autem in statu dominorum cardinalium triplex ordo, uidelicet episcoporum presbyterorum, & dyaconorum. Sane quemadmodum status cardinalium ut in superiori ca. exposuimus quo ad officium figura præcessit tam in ueteri testamento quàm in nouo, ita triplex eorum ordo iam dictus exemplatus uidetur in suprema cœlesti hierarchia cui proprium est assistere circa Deum. Ait beatus Dyonisius in cap. 7. cœlestis hierarchiæ, quòd prima cœlestium essentiarum dispositio in circuitu Dei, & circa Deũ imme-

immediate est stans,& simpliciter,& incessanter circuiens æternam eius scientiam secundum excellentissimam quantum angelis est possibile semper mobilem in Deum scilicet collationem. Distinguuntur autem huiusmodi primæ hierarchiæ tam secundum eundem beatum Dyonisium ubi supra quam secundum beatum Gregorium moral.um.33.tres ordines. Primus est seraphin, qui ardentes siue incendentes siue calefacientes interpretantur. Secundus ordo est cherubin qui pleni scientia interpretantur. Tertius est thronus,qui ut inquit beatus Greg.in Homelia supradicta illa agmina uocata sunt quibus ad exercendum iudicium semper Deus omnipotens præsidet,secundum illud prophetæ in psal. Qui sedes super thronum quæ iudicas æquitatem. Planè in his tribus ordinibus tres ordines præsati quibus dominorum cardinalium status distinguitur, & ornatur plenissimè repræsentari uidetur. In ordine primo,scilicet seraphin ordo episcoporum cardinalium qui præ ceteris aliis instar seraphin in amore sui creatoris intentissimi, & ardentissimi esse debent. In ordine secundo scilicet cherubin exemplatus uidetur ordo dominorum presbyterorum cardinalium qui instar cherubin sapientissimi esse debent atque in diuinis rebus eruditissimi. In tertio ordine scilicet thronorum exemplatus uidetur ordo dyaconorum cardinalium qui instar thronorum debent tanta auctoritatis, & iustitiæ rectitudine firmari,quod ut dicit beatus Bern. ubi supra stent uiriliter pro afflictis,& iudicent in æquitate pro mansuetis terræ.

Cap. LXXXV. De uarietate,& differentia officiorum in ecclesia Dei.

POSTQVAM de uarietate,& distinctione statuum in ecclesia Dei quantum ad præsens nobis sufficere uisum est locuti sumus, consequenter de uarietate, & distinctione officiorum in ecclesia Dei aliquid dicieramus.dicimus autem uarietatem officiorum conuenientissimè in ecclesia esse. Tum maximè propter actionum necessitatem quę in ecclesia necessariæ sunt. oportet autem ad diuersas actiones diuersos homines deputari ad hoc quòd expedientius, & sine confusione omnia peragantur, ut supra in ca.69.plenius declarauimus. Tum secundo propter commendandam Dei sapientiam quæ in distinctione ordinata rerum maximè relucet tam in naturalibus quàm in spiritualibus. Quod significatur in hoc quòd regina Saba uidens ordinem ministrantium Salomoni non habebat ultra spiritum deficiens admirationem sapientiæ ipsius.3. Reg.10. Tum tertio ad subueniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia quæ ad diuina mysteria pertinebant expleri sine magno grauamine, & ideo describuntur diuersi diuersis officiis. Vnde hac de causa dominus legitur Numeri.11. dedisse Moysi septuaginta senes populi in adiutorium. Tum quarto ut uia proficiendi hominibus amplior detur dum plures in diuersis officiis distribuuntur ut omnes sint Dei cooperatores quo nihil diuinius ut dicit Dionysius. Præterea considerandum quòd cum in diuersis officiis esse dicantur qui ad diuersas actiones sunt deputati, manifestum est officia distingui. Vnde Isi.li.ethi.dicit officium ab efficiendo dictum esse quasi efficium propter decorem sermonis una mutata littera. Videtur autem sub hac officiorum uarietate primo comprehendi distinctio

gratiarum quæ ad actiones necessarias in ecclesia dantur, de quibus Apostolus ait. 1. ad Corin. 12. Diuisiones gratiarum sunt idem autem spiritus alii quidem datur per spiritum sermo sapientiæ alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides, id est constantia fidei inquit gloss. in eodem spiritu: alii gratia sanitatum. i. curandi infirmos dicit gloss. in uno spiritu: alii opera uirtutum. i. miraculorum, dicit glo. alii prophetia, alii discretio spirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus & idem spiritus diuidens singulis prout uult. Secundo uero sub diuersitate officiorum etiam comprehendi uidetur distinctio quæ attenditur secundum diuersas uitas. s. actiuæ, & contemplatiuæ, quarũ distinctio accipitur secundum diuersa operationum studia. Vnde ut idẽ Apostolus ubi supra ait, diuisiones operationum, aliud enim est studium operationis in Martha quæ solicita erat & laborabat circa frequens ministerium quod pertinet ad uitam actiuam, aliud in Maria quæ sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius, quod pertinet ad contemplatiuam, ut habetur Luc. 10. Tertio comprehenditur sub officiorum distinctione differentia ministeriorum, de quibus ait Apostolus ubi supra. Diuisiones ministrationum sunt, quibus ut inquit glosa, alii aliis subseruiant ad quod uidetur pertinere uarietas, & distinctio tam ordinum ecclesiasticorum quàm dignitatum. Dicit enim beatus Isidorus quòd officiorum plurima genera sunt, sed præcipuum id quod in sacris diuinisque rebus consistit, de qua rerum distinctione beatus Isidorus in libro. 7. Ethimolo. ca. 12. & inducitur in ca. Cleros dist. 21. ita inquit. Generaliter autem clerici nominantur omnes qui in ecclesia Dei deseruiunt quorum gradus, & nomina hæc sunt ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdyaconus, dyaconus, presbyter, episcopus. Ordo enim episcoporum quadripertitus est, id est in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis atque episcopis. Patriarcha græca lingua summus patrum interpretatur, quia primum, id est apostolicum retinet locum. Et ideo quia summo honore fungitur tali nomine censetur sicut Romanus antiochenus Alexandrinus. Archiepiscopus græco uocabulo qui sit summus episcoporum, tenet enim uicem apostolicam, & præsidet tam metropolitanis quàm ceteris episcopis. Metropolitani autem a mensura ciuitatum uocantur, singulis enim prouinciis præeminent quorum auctoritati, & doctrinæ ceteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus nil reliquis episcopis agere licet. Solicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est. De distinctione uero ceterorum officialium quæ in maioribus ecclesiis esse solent scilicet archidyaconi, archipresbyteri, primicerii, & thesaurarii, & eorum officiis idem beatus Isidorus describit in quadam epistola quæ habetur in ca. Perlectis, distinct. 25. quorum cum nota sit distinctio ea commemorare supersedimus.

Nomina clericorũ.

Cap. LXXXVI. De uarietate, & distinctione graduum in ecclesia Dei.

QVEMADMODVM multitudo actionum quæ in ecclesia necesse sunt requirit diuersitatem officiorum in ecclesia: ita dignitas, & pulchritudo eius quæ in quodam ordine consistit exigit, ut in ipsa ecclesia multiplex sit graduum ac ordinum uarietas. Quorum cum distinctio acci-

accipitur penes ordinem ſuperioritatis,& inferioritatis hæc graduum uarietas reperitur , & in ſtatibus,quoniam in illis alii aliis ſunt excellentiores. reperitur in officiis,quoniam aliqui nobilioribus officiis deputantur quàm alii.reperitur in gratiis , & uirtutibus,quoniam quidam plenius , & perfectius præ ceteris illas participant. De quibus gradibus in pſal. ſecundum aliam expoſitionem habetur. Deus in gradibus eius cognoſcetur. Quod uerbum beatus Gregor. ſuper Ezech. tractans ita inquit ut deducit Gratianus de pe.diſtinct.2.§.hæc quæ de charitate. Dum ſanctam eccleſiam Deus ſuſcipit in gradibus eius dinoſcitur,quia & eius gloria per illius incrementa declaratur. quanto enim ſancta eccleſia aſcendendo proficit, tanto Deus hominibus ex eius uirtute cognoſcitur. De his quoque gradibus beatus Iob loquitur dicens cap.31. Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum,omnipotentem quippe dominum per ſingulos gradus ſuos pronunciat qui per incrementa uirtutum quæ acceperat ei ſemper laudem pietatis ſuæ reddit. Si quidem gradus aſcenſionis non eſſent pſalm.non diceret. Ambulabunt de uirtute in uirtutem. Nec mirum ſi de uirtute in uirtutem gradus ſunt quando ipſa unaqueque uirtus quaſi quibuſdam gradibus augetur,& ſic per incrementa meritorum ad ſumma producitur alia namque ſunt exordia uirtutis , aliud uirtutis profectus , aliud perfectio , hæc ibi. Hoc dixiſſe ſufficiat de uarietate,& diſtinctione graduum qui habentur in ipſa eccleſia Dei.

Cap. LXXXVII. De duplici poteſtate in republica Chriſtiana ſpirituali ſcilicet & terrena.

SANE præmiſſis attente conſideratis manifeſte cognoſcere poſſumus ut ipſa pluralitas actionum quæ in eccleſia neceſſaria ſunt penes quas officiorum diſtinctio ut prædictum eſt,ſumpta eſt, plures arguat neceſſarias in Republica Chriſtiana poteſtates eſſe. Cum enim poteſtas ſit agendi,neceſſe eſt ut in eccleſia in qua plures , & uarię ſunt actiones plures fateamur eſſe poteſtates. Dicit enim Ariſtot.de ſomno & uigilia quòd cuius eſt actus,eius & potentia. Planè quemadmodum ut ſupra cap. 69.explanauimus fidelium uniuerſitas duos in generali complectitur ordines, laicos ſcilicet & clericos quaſi duo latera corporis unius . ita in generali duæ in ipſa fidelium uniuerſitate ſunt poteſtates, ſcilicet ſecularis, & ſpiritualis,ut magiſter Hugo de ſancto Victore in libro de ſacramentis parte 2.inquit. In laicis quippe ad quorum ſtudium,& prouidentiam ea quę terrenę uitæ neceſſaria ſunt pertinent,poteſtas eſt terrena. In clericis uero ad quorum ſtudium ſpectant ea quæ ſpiritualis uitæ ſunt bona, poteſtas eſt diuina. illa ergo poteſtas ſecularis dicitur.iſta ſpiritualis nominatur.
Quarum poteſtatum figura in ueteri teſtamento præceſſiſſe uidetur 3 Regis 7.ubi dicitur , quòd ſtatuit Salomon duas columnas æreas in porticu templi , cunque ſtatuiſſet columnam dextram uocauit eam nomine Ioachim,ſimiliter erexit columnam ſecundam,& uocauit eam nomine Boom. Ad horum autem myſticum uerborum intellectum declarandum ſciendum eſt eccleſiam militantem ſignificari per atrium,triumphantem uero per templum domini. Cuius ratio eſt,quoniam ſicut per atrium intratur ad tem-

Eccleſia militans eſt atriũ, & triumphans tẽplum.

plum: ita de militante ecclesia transitur ad triumphantem. Salomon autem noster sapientissimus Dei, scilicet filius, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, ad Colos 2. Duas columnas, id est duas potestates, spiritualem scilicet & temporalem, posuit in atrio siue in porticu templi, id est in ecclesia militante, quibus tanquam columnis respublica Christiana fulciretur, & firmaretur. Quoniam autem spiritualia temporalibus præferuntur, spiritualis potestas digne per dexteram columnam accipitur, temporalis uero per columnam sinistram designatur. Recte autem columnæ primæ scilicet potestati spirituali impositum est nomen Ioachim, quod interpretatur præparans aliis firmitatem, per quod designatur excellentia spiritualis potestatis: quia nisi omnibus uirtutibus emineret potestatibus aliis firmitatem non præpararet. Vnde Petro qui plenitudinem spiritualis potestatis uocatus est, dictum est a Christo. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consequenter est notandum quòd in huiusmodi potestatibus ut inquit præfatus uenerabilis Hugo de sancto Victore, diuersi sunt gradus, & ordines potestatum: sub uno tamen capite utrinque distributi, & quasi ab uno principio deducti, & ad unum relati. Terrena enim potestas caput habet regem, spiritualis potestas caput habet summum pontificem. De quibus potestatibus Pelagius Papa Anastasio Imperatori ita scribit in cap. Duo sunt distinct. 86. Duo sunt quippe Imperator Auguste quibus principaliter hic regitur mundus, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas. Gradus uero & ordines differentes in potestate seculari siue terrena capiuntur tam ex ueteri testamento quàm ex nouo. Ex ueteri quidem primo patet Exod. 17. ubi dicitur quòd Moyses ex electis uiris strenuis de cuncto Israel constituit eos principes populi tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos qui iudicarent populum Dei omni tempore. Ex nouo quidem testamento accipiuntur primo ubi apostolus inquit ad Roman. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ubi inquit gloss. ut etiam seruiat homo potestatibus secularibus bonis uel malis, scilicet regibus principibus tribunis centurionibus, & aliis huiusmodi. Secundo accipitur ex illo ubi beatus Petrus apostolus ait 1. Petri 2. Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum siue regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Gradus uero & ordines in spirituali potestate etiam tam ex ueteri testamento quàm ex nouo designantur. De ueteri quidem patet Numeri 3. cap. ubi ponitur gradus summi sacerdotis Aaron, & minorum sacerdotum subministrantium Aaron ubi dicitur. Sumptique sunt sacerdotes Eleazar, & Ithamar coram Aaron. Item ponitur ibi subministratio leuitarum secundum gradus differentes, unde ubi dicitur. Dabis leuitas Aaron, & filiis eius quibus traditi sunt a filiis Israel in ministerio. In nouo quidem testamento etiam gradus in potestate spirituali describuntur. Primo ubi gradus summi pontificis ordinatur cum plenitudo potestatis clauium uni singulariter, scilicet Petro committitur dicente domino illi. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c. Math. 16. Item cum eidem cura gregis dominici uniuersalis iniungitur dicente domino illi. Symon Ioannis diligis me plus his pasce oues meas. Ioan. ult. cui in ecclesia Romanus pontifex in primatu succedit. Secundo differentia gradus episcoporum designatur in apostolis quorum locum tenent episcopi,

scopi,

ſcopi, quibus a domino dicitur. Amen dico uobis quęcunque ligaueritis ſuper terram erunt ligata &c. Math. xviii. Gradus uero presbyterorum accipitur cum dominus diſcipulos 72. qui minoris ordinis ſacerdotum figurarum geſſerunt, deſignaſſe legitur, qui cum præcederent in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe uenturus Math. 10. Sub poteſtate uero presbyterorum ordo Dyaconorum, qui in Archidyaconis habent iudiciariam poteſtatem deſignatur 1. Thimo. 3. ab Apoſtolo, ubi poſt deſcriptionem epiſcopi dicit. Dyacones ſi bene adminiſtrauerint bonum gradum ſibi acquirunt.

Cap. LXXXVIII. In quo ponuntur obiectiones contra ea quæ dicta ſunt de duplici poteſtate danda in uniuerſitate Reip. Chriſtianæ ſeculari, & ſpirituali.

CONTRA ea quæ iam diximus de duplici poteſtate ponenda in Republica Chriſtiana obiicitur aliquibus mediis per aliquos nitentes oſtendere quòd neceſſarium non ſit prędictas duas poteſtates ponere ſed quòd altera earum ſufficiat ad regimem Chriſtiani populi. Primo ſic. Pluralitas principatuum non eſt bona ut habetur 12. Metaphyſicæ, ſed pluralitas poteſtatum, & iuriſdictionum diſparatarum quarum una non continetur ſub altera arguit pluralitatem principatuum quorum unus non eſt ſub alio: ergo talis pluralitas non eſt bona nec expediens. ergo altera tantum danda uenit in Republica Chriſtiana & non duæ. Arg. primum Secundo ſic ſufficit populo quòd uiuat uirtuoſè, ſed ad hoc ſufficit poteſtas ſecularis quæ per pœnas, & præmia & leges intendit homines facere bonos, & uirtuoſos, & operatores bonorum, ut habetur 2. Ethicorum: ergo alia poteſtas ad regimen Chriſtiani populi non eſt neceſſario. Secundũ Tertio arguitur quòd ſola poteſtas ſpiritualis ſit ponenda, ſic regalis poteſtas ex permiſſione diuina uidetur eſſe non præcepto uel conſtitutione filiis Iſrael conceſſa, ſed omne tale culpabile, & illicitum eſſe uidetur: ergo relinquitur talem poteſtatem ſiue ſecularem non eſſe neceſſariam. maior patet, nam Deutero. 17. ſuper illud. Cum dixeris conſtituam ſuper me regem, dicit glo. interli. Conſtituunt ſibi regem contra Dei uoluntatem, non Deum ſed hominem. Item ſuper illud quod ſequitur ibidem. Conſtitues eum quem dominus tuus elegerit, glo. inquit, permittit non committit: ergo uidetur quòd poteſtas ſecularis puta regia non ſit a Deo conceſſa, & per conſequens uidetur quòd talis eſſe non debeat in eccleſia Dei. Tertium Quarto ſic ſuper illud Math. 17. Ergo liberi ſunt filii, gloſſ. ſi in quolibet regno filii illius regis qui regno illi præfertur ſunt liberi: tunc filii regis cui omnia regna ſubduntur in quolibet regno liberi eſſe debent, ſed Chriſtiani per fidem facti ſunt filii Dei, ſecundum illud Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: ergo ubiq; ſunt liberi, & ita ſecularibus poteſtatibus obedire non tenentur, & per conſequens in Chriſtiano populo nulla talis poteſtas uidetur ponenda ſed tantum ſpiritualis. Quartũ

Cap. LXXXIX. In quo ponuntur responsiones ad obiecta facta in præcedenti cap. contra duplicem potestatem in uniuersitate fidelium.

QVOD parum militent rationes factæ contra hoc quod diximus de duplici potestate in ecclesia Dei, quæ collectio dicitur omnium fidelium, facile est uidere, cum enim ad diuinam prouidentiam pertineat ut ordo seruetur in rebus. Proprium enim est sapientiæ omnia ordinate disponere i. Metaphysicæ: Vnde Sapientiæ 7. de sapientia dicitur, quòd attingit a fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Congruus autem ordo est ut per superiora inferiora regantur dispens. ntur, & gubernentur. Patet hoc in natura corporali in elementis, quæ regitur ex influentia corporis cœlestis. Vnde dicit philosophus i. Me. heororum, quòd tota regio elementalis contiguatur lationi astrorum ut omnis eius uirtus inde gubernetur. Et Dyonisius 4. cap. de diuinis nominibus inquit quòd sol ad generationem uisibilium corporum confert, & ad uitam mouet, & nutrit auget, & perficit. Hoc etiam patet in natura intellectuali, quoniam angeli inferiores illuminantur per superiores, ut docet idem sanctus Dyonisius in libro de cœlesti Hierar. Et ita relinquitur debere esse in uniuersitate hominum ut in eis ordo inueniatur, ut qui superiores sunt uirtute, & eminentiores intellectu regant inferiores. Vnde Augusti. 3. de trinita. inquit. Quemadmodum corpora grossiora, & inferiora per superiora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum uitæ rationalem, & spiritus uitæ rationalis peccatoris per spiritum rationalem iusti. Præterea cum in omni pluritate ordinata naturale, & expediens sit, ut inquit Aristote. i. politicæ, quòd aliquis principetur, & cetera sint subiecta. cõsequens est ut in uniuersitate hominum hoc idem sit fatendum ut aliquis principetur, alii sint subiecti, in hoc autem consistit ordo, & ratio potestatis: ergo necessaria est danda in Republica fidelium aliqua potestas qua unus alios regendo, & gubernando ceteris præsideat. Quod uero præter secularem siue laicam potestatem, ponenda sit necessario etiam in populo Christiano spiritualis potestas manifeste ostenditur iuxta dominum. Durandum in tractatu suo de origine iurisdictionum sic. Pro quo præsupponitur quòd potestas aliqua in Republica ad hoc ordinatur ut homines arceantur a malis, & inducantur ad bona. Vnde 1. Petri 2. dicitur de potestate, quòd est ad uindictam malorum, laudem uero bonorum. Et ad Romanos 12. dicitur. Vis non timere potestatem, bonum fac & habebis laudem nam principes sunt non timore boni operis sed mali. Quo præsupposito dicendum uidetur quòd si bona ad quæ facienda homines debent arceri pertinerent solum ad præsentem uitam ciuilem, & politicam sufficeret ad regimen Christiani populi potestas secularis, nec aliqua alia esset necessaria. patet, quia per uirtutes morales, & acquisitas, & maximè per prudentiam, & iustitiam quæ debent esse in rectore, sufficit regi uita præsens moralis, & politica & ciuilis sic præcisè accepta: sed hæc possunt inesse principi seculari habenti potestatem regendi quantum ad præsentem uitam, & ciuilem & politicam: ergo præter potestatem secu-

secularem nulla alia potestas est necessaria ad regendum populum in uita ciuili, & politica sic præcise accepta. Sed quia uita fidelium, & Christianorum non solum tendit ad bona, & mala præsentis uitæ, immo principaliter tendit ad bona futuræ uitæ, & ad ea quærenda ordinat omnia bona præsentis uitæ, secundum illud Math. 7. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Summe etiam horret inter omnes pœnas illam qua post mortem corporis anima & corpus finaliter mittentur perpetuo in gehennam ignis. Vnde Math. 4. dicitur. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: timete illum qui animam, & corpus potest mittere in gehennam ignis. Et idem habetur Luc. 12. Et ideo inter fideles Christianos ne exorbitent a fine quem intendunt, & si errauerint in uia reducantur ad eam, necessaria est potestas ad quam pertineat eos ad finem prædictum dirigere, & deuiantes corrigere, & ad uiam rectam reducere non solum exhortationibus sed etiam pœnis congruentibus. Et quia ad hoc non sufficit potestas secularis quæ de se nihil nouit de pœnis, & præmiis uitæ futuræ, nec de meritis seu de meritis quæ ad eas perducunt seu adducunt: ideo præter potestatem secularem necessaria est in Christiano populo alia potestas quæ communi nomine spiritualis dicitur. Ceterum harum duarum potestatum necessitatem in populo Christiano Hugo de sancto Victore lib. de sacramentis, parte. 2. ostendit sic dicens. Duæ uitæ sunt una terrena alia spiritualis. Ad uitam terrenam pertinent omnia quæ terrena sunt, ad uitam spiritualem omnia quæ spiritualia sunt. Vt autem in utraque uita iustitia seruetur, & utilitas proueniat, primum utrinque distributi sunt qui utriusque bona secundum necessitatem uel rationem studio ac labore acquirant: deinde alii qui ea potestate officii commissi secundum æquitatem dispensent ut nemo fratrem suum in negocio supergrediatur, sed iustitia inuiolata seruetur. Si ergo non potest humana societas sine utraque uita manere necessaria est duplex potestas ad conseruationem iustitiæ, una quę præsit in terrenis ad ordinandam uitam terrenam, alia quæ præsit in spiritualibus ad ordinandum uitam spiritualem, hæc ille. Has autem duas potestates etiam tangere uidetur apostolus ad Romanos 13. cum ait. Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus. Quod exponens magister Nicolaus de Lyra ait, id est prælatis in spiritualibus, & principibus terrenis in temporalibus. His habitis dicendum est ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur quòd pluralitas principatuum quorum unus non subest alteri, non est bona, sed non sic est in proposito, quoniam inter omnes Christianos principatus potestas principatus secularis aliquo modo subest potestati iurisdictionis spiritualis siue ecclesiasticæ, ut in sequentibus ostendemus. Ad secundam rationem respondetur quòd non debet sufficere populo fideli qualis est populus Christianus, quòd uiuat uirtuosè quantum ad uirtutes mortales, & politicas, de quibus loquitur moralis philosophus, sed oportet quòd uiuat secundum uirtutes theologicas quæ dirigunt actus fidelium Christianoruui ad beatam uitam. De qua uita, & uirtutibus theologicis ad eam dirigentibus nihil nouit ratio naturalis nec potestas secularis super eam fundata. Ad tertiam respondetur negando consequentiam, & hoc duplici ratione. Primo quia licet in populo Dei siue fidelium potestas secularis sub nomine regalis non legatur a Deo concessa sed permissa,

Ad primum argum.

Ad secũdum

Ad tertiũ

tamen non sequitur quòd potestas secularis simpliciter a Deo concessa, & præcepta non fuerit quòd cum antequam fuerit rex institutus in Israel duces, & iudices fuerint in illo populo ex institutione diuina qui populum iudicarent. dicitur enim Deuterono. 16. Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis quas dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas ut iudicent populum iusto iudicio. Secundo consequentia præfata uenit neganda, quoniam licet Saul constitutus fuerit rex contra uoluntatem Dei hoc modo, quia scilicet non commiserit illum constituendum, non sequitur tamen propter hoc quòd potestas regalis non fuerit a Deo, cum dicitur Sapientiæ 8. Per me reges regnant &c. Et ad Romanum 13. dicat apostolus. Non est potestas nisi a Deo. Quia ergo constituto Saulis non fuit secundum uoluntatem Dei qua illam fieri præcepisset sed desiderantibus permisisset, ideo secundum Augustinum in glosa dicitur non concessa sed permissa. permissio autem dicitur de malo & malum hoc fuit illi populo, quoniam bonum illius populi in hoc consistebat quòd solus Deus regnaret super eum eò quòd esset populus eius pecularis. Vnde 1. Regum 10. dicit Samuel filiis Israel petentibus regem. Vos proiecistis dominum hodie qui solus uos saluauit. Ad quartam rationem respondetur

Ad quartum

iuxta sanctum Thomam in secunda secundæ. Quod seruitus qua homo homini subditur ad corpus pertinet, non autem ad animam quæ libera manet. Nunc autem in statu huius uitæ per gratiam Christi liberamur a defectibus animæ, non autem a defectibus corporis, ut patet per apostolum ad Romanos 7. qui dicit de seipso, quòd mente seruit legi Dei, carne autem legi peccati. Et ideo illi qui filii Dei per gratiam fiunt liberi sunt a spirituali seruitute peccati, non autem a seruitute corporali, qua temporalibus tenentur dominis astricti, ut dicit glosa super illud 1. ad Thimoth. 6. Quicunque sunt sub iugo serui &c. Vel dicendum ut supra Thom. & dominus Bonauentura dicunt in fine ii. sententia, quòd Christus loquitur de se & eius discipulis qui nec seruilis conditionis erant nec res temporales habebant de quibus dominis suis obligarentur ad tributa soluenda, & ideo non sequitur quòd omnis Christianus huiusmodi libertatis sit particeps, sed solum qui sequuntur apostolicam uitam in hoc mundo possidentes & a conditione seruitutis immunes. Vnde in aliis Christianis qui uel sunt seruilis conditionis uel abundant temporalibus bonis auctoritas illa non habet locum.

Cap. XC. De multiplici eminentia qua potestas spiritualis supereminet potestati seculari.

OSTENSA necessitate duplicis potestatis, scilicet secularis, & spiritualis ad conueniens regimen populi Christiani: reliquum est uidere de comparatione harum potestatum adinuicem quæ earum alteri præemineat. Cum autem uniuersitatis regimen ex his duabus potestatibus pendeat iuxta dictum Gelasii Papæ in ca. duo quippe, distinct. 96. Cunque quę a Deo sunt ordinata, ordinata sunt, ut inquit Apostolus ad Roma. 13. necesse est ut altera harum potestatum alteri præemineat, non

autem

autem terrena spirituali, quoniam hoc manifeste rationi repugnat. consequens est ut spiritualis potestas terrenę siue seculari præemineat sitque illa superior. Videtur autem nobis quòd spiritualis potestas præemineat seculari in decem. Primo quidem temporis antiquitate, patet, nam in Abel a quo dicitur ecclesia incepisse, ut dictum fuit supra cap. 22. uidetur sacerdotium habuisse exordium in populo Dei, cum ipse in scriptura sancta sacrificium Deo acceptum obtulisse legatur Hebr. 11. Vnde Augusti. libro 5. ad Orosium dicit, tria maxime iustitiæ præconia in Abel fuisse comprobantur, scilicet uirginitas, sacerdotium, & martyrium, in quibus Christi figuram primus gessit. Patet etiam hæc antiquitas sacerdotii temporis legis naturæ, nam a tempore Noe ante institutionem regalis siue imperialis legitimæ potestatis sacerdotium annexum fuit primogenituræ usque ad sacerdotium legis, unde omnes primogeniti a Noe usque ad Aaron sacerdotes esse dicuntur. unde Melchisedech quem doctores dicunt fuisse Sem filium Noe: sacerdos altissimi appellatur Gene. 14. Nec obuiat quòd rex etiam fuisse dicatur sicut & sacerdos, quoniam sacerdotium in eo cum annexum fuerit primogenituræ, non autem regalis dignitas præcessisse uidetur in eo sacerdotalem dignitatem. Ceterum hæc prioritas temporis in sacerdotio patet tempore legis, nam in populo Israelitico qui tunc populus Dei erat peculiaris, ut habetur Deutero. 7. sacerdotium præcessit regalem dignitatem, sicut patet 1. Regum 10. ubi legitur quòd Samuel sacerdos inunxit de mandato domini Saulem in regem qui primus rex fuit in Israel. Secundo potestas spiritualis præeminet seculari potestati regali in nobilitate originis, quoniam potestas spiritualis, & maximè data in nouo testamento est a Deo immediate, uidelicet a Christo illam certę personæ tradente, scilicet Petro pro se & suis successoribus. Math. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et Ioan. ulti. Simon Ioannis pasce oues meas. Potestas autem secularis non fuit sic a principio instituta, quod consideranti sacræ scripturæ processum manifestum est, nam potestas secularis quantum ad quattuor imperia scilicet assyriorum, & chaldeorum, medorum, & persarum, græcorum, & Romanorum non fuit a principio legitimè introducta sed per uiolentiam usurpata. Quod de assyriorum & chaldeorum imperio patet, hoc autem incepisse legitur a Nemroth de quo dicitur Genes. 10. quòd ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus, & uenator hominum, id est oppressor, ut ibidem exponit magister hystoriarum. unde per uiolentiam, & oppressionem aliorum acquisiuit sibi regnum, & imperium. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, Archad, & Talamie in terra Senar, de qua terra Egressus est Assur qui ædificauit Niniuen, ut in eodem cap. dicitur. De imperio uero Medorum, & Persarum, quod etiam per uiolentiam & oppressionem fuerit introductum aperte colligitur, Daniel. 2. cap. ubi loquitur quòd interfecto Balthasar, rege Babylonis translatum est regnum & imperium in Medos, & Persas. De imperio uero græcorum quod successit post imperium Medorum, & Persarum, quod etiam per uiolentiam introductum fuerit patet in principio primi libri Machabeorũ, ubi dicitur, quòd Alexander rex græcorum percussit Darium regem Persarum, & Medorum, & constituit prælia multa & interfecit reges terræ, & sic obtinuit imperium. De imperio uero Romanorum quòd per uiolentiam, & potentiam secularem surrexit siue introductum etiam fuerit hystoriæ apertissime

Prima præeminentia potestatis spiritualis.

Secunda

docent. Patet ergo quòd potestas secularis quantum ad quattuor imperia sibi succedentia non fuit a principio legitimè introducta, sed per uiolentiam, & ambitionem usurpata. In cuius signum hæc quattuor imperia seu regna ostensa sunt Danieli in uisione in similitudine non hominum sed bestiarum, ut patet Daniel.7. quia non insurrexerunt per uiam rationis sed impetu sensualitatis quantum ad suam primam originem. Vnde si temporis processu hæc regna reducta sunt ad statum legitimum, oportuit quòd hoc auctoritate Dei fieret aut consensu populi expresso uel interpretatiuo.

Tertia Tertio potestas spiritualis præeminet terrenę siue seculari in dignitate, quoniam quanto uita spiritualis dignior est quàm terrena, & spiritus quàm corpus, tanto ut inquit uenerabilis Hugo de sancto Victore, libro de sacramentis parte.3. potestas spiritualis supra secularem siue terrenam honore atque dignitate præexcellit. Et hoc modo dicit Innocentius tertius extra de maio. & obe. in cap. Solite, quòd spiritualis tanto sunt temporalibus digniora quanto anima præfertur corpori. Quam ob rem beatus Ambrosius ut habetur in cap. Duo distinctio 96. inquit, quòd aurum non tanto preciosius est plumbo, quanto regia potestate sit ordo sacerdotalis altior.

Quarta Quarto potestas spiritualis præeminet, potestati terrenę siue seculari maioritate auctoritatis. Nam ut inquit Hugo de sancto Victore ubi supra in ecclesia sacerdotalis dignitas regalem potestatem sacrat, & sanctificat per benedictionem. Cum ergo sicut dicitur ad Hebr. vii. sine contradictione maior est qui benedicit quàm qui benedicitur, constat absque dubitatione quòd terrena potestas quæ a spirituali benedictionem accipit iure inferior illa æstimatur.

Quinta Quinto spiritualis potestas præeminet terrenę potestati siue seculari nobilitate finis ad quem dirigit. Finis autem quem debet intendere utraque potestas, est bonum multitudinis quod principaliter consistit in hoc quod est uiuere secundum uirtutem. in operatione namque uirtutis consistit felicitas quæ est perfectum, & finale bonum. differenter tamen intendit bonum multitudinis potestas secularis, & potestas spiritualis: quoniam secularis bonum multitudinis intendit, ad quod potest peruenire uirtute naturæ: spiritualis uero ad bonum cœleste, id est supernaturale, quod exuperat omnem sensum, ut ait apostolus ad Philipen.3. In cuius signum cum saluator noster hanc spiritualem potestatem se daturum Petro promitteret, Petro ait. Tibi dabo claues regni cœlorum. Sed finis supernaturalis est potior quocunque alio, ergo potestas spiritualis præeminet seculari nobilitate finis.

Sexta Sexto potestas spiritualis præeminere uidetur potestati seculari quodammodo causalitate, & hoc in triplici genere (ut uidetur) causalitatis efficientis, scilicet formalis, & finalis. Efficientis quidem quodammodo, & hoc dupliciter. Tum primo quia per sacerdotium Deo ordinante, & iubente ordinata est primo in populo Dei regalis potestas, ut patet, 1. Regum 8. ca. ubi legitur quòd cum filii Israel peterent a Samuele sacerdote ut regem illius constitueret, illeque consuluisset dominum, dominus ait ad eũ. Audi uocem eorum & constitue super eos regem. Quod uero Samuel fuerit sacerdos, negari non potest, cum de ipso legatur sacrificium obtulisse, & reges unxisse scilicet Saulem, & Dauid. Et beatus Aug. li. 17. de ciui. Dei, ca.4. dicit, quòd Hely reprobato substitutus est in Dei ministerio Samuel, & idẽ habetur in glo. ad Heb.7. Tum secundo in ratione causæ efficientis potestas

secula-

secularis a spirituali dependere quodammodo uidetur. Nam potestas secularis ueram, & perfectam rationem potestatis sortitur ex formatione seu ex deriuatione potestatis spiritualis. Pro quo notandum quòd quemadmodum uirtutes morales sine fide Christi, non habent rationem completam uirtutis: quia ut inquit sanctus Thomas in prima secundæ non ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter, quod est superna beatitudo, sed ad ultimum finem secundum quid in aliquo genere, uidelicet ad eum qui non excedit facultatem hominis, & ideo ut habetur in cap. Omnes xxviii. q. i. inquit August. Vbi non est agnitio incommutabilis ueritatis falsa est uirtus etiam in optimis moribus. Item idem Aug. ut habetur in c. Vbi sana. xxiiii. q. i. inquit. Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia. Ita uidetur dicendum de potestate regitiua populi, cuius intentio est subiectos inducere ad uirtutes, ut dicitur, 2. Ethicorum, quòd ipsa non habet perfectam rationem potestatis, ut subiectos suos regulet aliquo modo, etiam in ordine ad finem beatitudinis supernæ. Vnde beatus August. lib. 3. contra Cresconium grammaticum inquit. In hoc enim reges sicut eis diuinitus præcipitur Deo seruiunt inquantum reges sunt, si in regno suo bona iubeant mala prohibeant, non solum quæ pertineant ad humanam societatem, uerum etiam quæ ad diuinam religionem. Item libro de correctione donatistarum ad Bonifatium comitem ita inquit. Et nunc reges intelligite, &c. Quo modo ergo reges seruiunt domino in timore nisi ea quæ contra iussa domini fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? aliter enim seruit quia homo est, aliter seruit quia rex est. quia homo est seruit fideliter, quia uero etiam rex est seruit leges iuste præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti uigore sanciendo, sicut seruiuit Ezechias lucos, & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra Dei præceptum fuerunt constructa destruendo. hæc August. Cum autem potestas secularis, ut sic accepta nihil nouerit de felicitate superna nec de his quæ ad illam homines disponunt, necessario in hac potestatis perfectione pendet ex potestate spirituali cui per se, & directe competit homines inducere ad finem supernę felicitatis, & nulli alii nisi ex directione huiusmodi. Patet ergo quòd potestas secularis in republica Christiana in sua perfectione modo iam dicto pendeat a potestate spirituali etiam in genere causæ efficientis quasi ab ea formata. Videbimus enim quòd calor naturalis informatus uirtute animæ uegetatiuæ agit ad generationem carnis, & sanguinis in animali ad quod non potest uirtute propria tantum, & ita suo modo uidetur dicendum in proposito. Vnde ut in c. Si imperator. distinct. xcvi. dicitur, quòd imperator filius est ecclesiæ non præsul, & ideo quod ad religionem competit discere ei competit non docere. propter quod Hugo de sancto Victore, ubi supra inquit, quod spiritualis potestas terrenam instituere habet ut sic, & iudicare si bona non fuerit. Secundo potestas secularis dicitur dependere ex potestate spirituali in genere causæ formalis, sicut enim charitas ut inquit beatus Ambr. dicitur forma aliarum uirtutum, non quidem per modum inhærentiæ, sed per modum cuiusdam directionis. ordinat enim actus aliarum uirtutum ad finem ultimum. Simili modo potestas spiritualis potestati seculari regulam & formam regiminis, & directionis dat. Est autem hoc commune in artibus ordinatis, ut ea ad quam pertinet ultimi finis consideratio, leges & regulas det aliis artibus quarum fines ordinantur ad finem eius: sicut medici-

nalis pigmentariæ, & militaris equestri. Hinc dicitur quòd leges imperiales non solum, non dedignantur sacros canones imitari, ut dicitur in c. Clerici, extra de iudi. immo ut in c. Constitutiones dist. x. Felix papa dicit. Constitutiones principum contra canones, & decreta præsulum romanorum, uel bonos mores nullius sunt momenti. Tertio potestas secularis pendet a spirituali in ratione causæ finalis, quoniam sicut finis potestatis secularis, quæ est felicitas politica ad quam ex naturalibus peruenitur, ordinatur (ut dictum est) ad finem potestatis spiritualis quæ est superna beatitudo totam facultatem humanæ naturæ transcendens, ita potestas ad potestatem similiter ordinari uidetur, hinc potestas secularis dicitur data in obsequium spiritualis. Vnde in c. Principes 23. q. v. dicit Ambrosius. Principes seculi nonnunquā intra ecclesiam potestatis adeptę culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent nisi ut quod non præualent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit, ut qui intra ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam agunt rigore principum conterantur. Et infra. Cognoscant principes seculi Deo se debere esse reddituros rationem propter ecclesiam quam a Christo tuendam suscipiunt.

Septima

Septimo spiritualis potestas supereminet potestati seculari iurisdictione, quoniam potestas spiritualis iudicat terrenam si eam deuiare contingat non autem econuerso. Hanc superioritatis præeminentiam tangit uenerabilis Hugo ubi supra ita dicens. Potestas spiritualis terrenam iudicare habet si bona non fuerit, ipsa uero spiritualis a Deo primum instituta est, & cum deuiat a solo Deo iudicari habet & potest, sicut scriptum est, 1. Cor. 12. Spiritualis homo omnia iudicat, & ipse a nemine iudicatur. Ad hoc facit canon Gelasij papæ in ca. Cuncta. ix. q. iii. ubi sic ait. Cuncta per mundum nouit ecclesia quòd sacrosancta romana ecclesia fas habeat de omnibus iudicandi, nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Ad idem est ca. Nemo, & c. Aliorum eadem causa, & q. Quòd uero a potestate spirituali, potestas secularis cum eam errare contigerit ueniat iudicanda aperte colligitur ex multis. Primo quidem ex eo quòd ut habetur in c. Alius. xv. q. vi. Gelasius papa scribens Anastasio imperatori inquit. Romanus pontifex Zacharias regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quòd tantę potestatis erat inutilis a regno deposuit & Pipinum Caroli imperatoris patrem in eius loco substituit. Itē ut testatur Gelasius papa in c. Duo dist. xcvi. Innocentius papa excommunicauit Archadium imperatorem. Itē Stephanus papa secundus transtulit imperium a græcis ad Germanos in persona Caroli magni, ut inducit Innocentius tertius in ca. per uenerabilem, extra de iudiciis. Item Honorius tertius, ut legitur in Cronicis Fredericum Imperatorem anathematizauit, & barrones ab eius fidelitate absoluit, quem postea Innocentius quartus deposuit ab imperio, & omni regno in concilio Lugdunensi. Beatus etiam Ambrosi. ut legitur in ca. Duo distin. xcvi. licet non esset uniuersalis pontifex Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia excludit.

Octaua

Octauo potestas spiritualis præeminet seculari superioritate prælationis. patet hoc, quia spiritualis potestas, ut sæpe commemoratum est ad superiorem finem dirigit ad quem finis potestatis terrenæ ordinatur. Sententia autem Arist. est 1. Ethicorum, ut uirtus uel ars præceptiua sit

us ſit omnium aliarum, ad cuius finem fines aliarum ordinantur, & reducuntur. Hinc beatus Grego. in cap. Quis dubitet. diſtinct. xcvi. dicit. Quis dubitet ſacerdotes Chriſti regum, & principum omniumq́; fidelium patres, & magiſtros cenſeri? Quocirca Gregorius Nazanzenus imperatoribus conſtantinopolitanis, ut in cap. Suſcipitis. diſtin. 10. ita ſcribit. Lex Chriſti ſacerdotali uos ſubiicit poteſtati atque iſtis tribunalibus ſubdit. dedit enim nobis poteſtatem, dedit & principatum multo perfectiorem principibus ueſtris. an nunquid iuſtum uobis uidetur ſi cedat ſpiritus carni, ſi a terrenis cœleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana? quaſi dicat non. Nono ſpiritualis poteſtas præfertur terrenæ ſiue ſeculari amplitudine principatus. amplitudo enim principatus ſpiritualis poteſtatis extenditur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum, pſalm. lxxi. ſecundum quod expoſuimus ſuperius in cap. xxxiiii. Vnde de apoſtolis dicitur pſalm. xliiii. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Et Petro dictum eſt a domino. Ego conſtitui te principem ſuper plebem meam. Item ei dicitur Math. 16. Quodcunque ligaueris ſuper terram ligatum erit in cœlo. Et Ioan. ultim. Symon Ioannis paſce oues meas, non diſcernens inter has & illas, ſed quaſcunque ei commendat, ut ait Bernardus. Hæc autem prærogatiua poteſtatis ſpiritualis ſatis euidenter deſignata uidetur, ut inquit Innocentius tertius in cap. Nouit. extra de maior. & obed. Hierem. 1. ubi dictum a domino Hierem. legitur qui ſacerdos erat. Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut euellas, & diſſipes, ædifices, & plantes. Quam prçeminentiam poteſtatis ſpiritualis maxime in Romano pontifice, beatus Augu. admirans in ſermone quodam apoſtolorum Petri, & Pauli qui incipit. Fortis & humilis, ita inquit. O mira potentia & ineffabilis gratia ſaluatoris, quis plebeium piſcatorem apoſtolorum facile crederet principem & regibus obſiſtere, reges ſanctificare, regibus omnibus impetrare, mundum refrenare legibus? &c. Decimo poteſtas ſpiritualis præeminet ſeculari robore firmitatis & fortitudinis. patet hoc quoniam poteſtates ſeculares paruç durationis, & exiguç firmitatis ſunt, ſicut dicitur de quattuor imperiis ſupra nominatis. Dan. 7. Vnde bene dicitur Eccle. 10. Omnis potentatus breuis uita, poteſtas uero ſpiritualis ſtabilis ſemper perſeuerat. Vnde cum a Chriſto dictum fuiſſet Petro Math. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, immediate de firmitate eius ſequitur. Et portç inferi non præualebunt aduerſus eam. unde ſignanter ſtabilitas poteſtatis ſpiritualis maxime in apoſtolica ſede figurata uidetur per ſtabilitatem throni Dauitici de quo 2. Reg. 7. dicitur. Stabiliam thronum regni eius uſque in ſempiternum. Et infra. Thronus eius erit firmus iugiter.

Nona

Decima

Cap. XCI. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra ea quæ dicta ſunt, de præeminentia poteſtatis ſpiritualis ſupra ſecularem.

ADVERSVS aliqua quæ dicta ſunt, de præeminentia poteſtatis ſpiritualis ſupra ſecularem aduerſarii plurima obiiciunt. Et primo quòd non præemineat temporis antiquitate arguitur ſic. Prius

Arg. primum

tempore fuit terrena potestas siue secularis quam sacerdotium: ergo potestas secularis procedit temporis antiquitate spiritualem, & non econuerso, consequentia patet, antecedens ostenditur ex tribus. Primo ex eo quod dicit beatus Aug.15.de ciui.Dei,quòd Cayn ante diluuium fuit primus dominus inter homines, quo tempore nullum uidetur fuisse sacerdotium. Secundo ex eo,quia regnum uidetur incepisse in Nembroth Ge.10.tempore legis naturæ: quanquam post diluuium sacerdotium autem incepit in Aaron tempore legis scriptę,ut habetur Exod.28.non est autem dubium quòd tempus legis naturæ præcesserit tempus legis scriptæ. Tertio ex eo, quòd uerum sacerdotium in Christo uidetur incepisse. uerum autem regnum electione diuina longe ante incarnationem Christi,ut in Saule incepit,ut habetur,1.Reg.10.Et ita uidetur quòd potestas terrena siue secularis præcessit sacerdotium,& per consequens potestatem spiritualem.

Probatio prima

Secunda

Tertia

Secundũ arg.

Secundo quòd potestas spiritualis non preemineat seculari nobilitate originis arguitur sic. Quorum est una,& eadem origo nullum eorum alteri præeminere uidetur originis nobilitate,sed potestas spiritualis & secularis habent unam & eandem originem.s.Deum dicente Apostolo ad Rom.13. Non est potestas nisi a Deo. Propter quod subiungit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. unde imperium & sacerdotium ex eodem principio prodierunt, in autenticis quo modo oporteat episcopos in principio col. ii. & ergo sequitur quòd ex parte originis non sit aliqua præeminentia unius potestatis ad aliã.

Tertium

Tertio arguitur quòd potestas spiritualis non præemineat seculari dignitate, quoniam ut dicitur, 1.Petri.2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum siue regi tanquam præexcellenti. ubi beatus Petrus asserere uidetur regalem potestatem ceteris potestatibus dignitate præcellere.

Quartũ

Quarto arguitur quòd potestas spiritualis non præexcellit maioritate auctoritatis:quoniam si eo eo quòd potestas secularis regalis inungitur & benedicitur a potestate spirituali, spiritualis potestas est dicenda præexceller e maioritate auctoritatis,sequeretur quòd episcopus Hostien. qui summum pontificem consecrat, maior auctoritate summo pontifice dicendus esset quod non est uerum: ergo nec in proposito nostro ratio facta militare uidetur.

Quintũ

Quinto arguitur quòd potestas spiritualis non præemineat seculari causalitate sic. Ambæ istæ potestates sunt immediate a Deo: ergo una earum causalitate non dependet ab alia. consequentia patet, antecedens est notum de potestate spirituali, de seculari uero habetur in c. Quæsitum xxiii.q.iiii.ubi dicit Innocen.A Deo concessam esse imperialem potestatem propter uindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministerio esse datum.

Sextum

Sexto arguitur quòd spiritualis potestas non præemineat seculari maioritate iurisdictionis, ita quòd eam errantem iudicare posset sic. Glos.super illud psal.50.Tibi soli peccaui, dicit sic.quia rex est omnibus superior,ideo tantum a Deo qui maior eo est, est puniendus. si quis uero de populo errauerit Deo peccauit, & regi: rex uero non habet hominem qui eius facta diiudicet.ergo non uidetur quòd potestas spiritualis possit punire secularem potestatem,utputa regem aut imperatorem.

Septimũ

Septimo arguitur quòd potestas spiritualis non præemineat seculari superioritate prælationis siue dominationis,sic. Non soluitur tributum per aliquem alicui nisi maiori,aut superiori. unde solutio tributi probatio esse uidetur subiectionis ut habetur tam ex ca.Magnum.xi.q.i.quàm ex ca.ij.extra de censi. sed eccle

sia soluit tributum Imperatori, ut in c. Si tributum xi. q. i. ergo uidetur quod spiritualis potestas non terrenæ superemineat maioritate prælationis siue dominationis, sed potius econuerso. Octauo arguitur quòd spiritualis potestas non superemineat seculari superioritate principatus, sic. Moyses qui fuit primus ductor populi Israel & quasi Imperator fuit superior quam Aaron qui erat summus pontifex populi Israel: ergo superior est principatus secularis quàm spiritualis. consequentia uidetur nota. antecedens uero patere uidetur ex eo quòd potestate Moysi Aaron electus est in sacerdotem secundum illud Exod. 24. Applica quoque tibi Aaron fratrem tuum cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. Octauũ

Cap. XCII. In quo respondetur rationibus supra dictis contra præeminentiam potestatis spiritualis supra secularem.

CVM autem ea quæ de eminentia potestatis spiritualis supra secularem diximus, saluo semper meliori iudicio, uera esse credamus, respondebimus ad obiectiones factas in contrarium. Ad primam respondetur negando antecedens, & ad probationem primam in qua dicebatur quòd Chayn ante diluuium fuerit primus dominus inter homines, dicimus duo. Primo quòd chayn non fuit uerè dominus, utputa ordinariam habens potestatem, sed fuit unus tyrannus per uiolentiam, & oppressionem quærens sibi principatum. Secundum est quòd antequam Chayn dominium illud quod habuit usurparet iam præcesserat oblatio Abel quem Christus in euangelio Luc. 11. iustum uocat quæ fuit uera res sacerdotalis. unde subditur Gene. 4. Et respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, & propter hoc, ut supra diximus dicit beatus Augu. quòd inter cetera iustitiæ præconia quæ fuisse in Abel comprobantur est sacerdotium. Ad id quod inducitur in probatione secunda de Nembroth pariter respondetur. Primo quod etiam post diluuium antequam mentio fieret aut de dominio, aut de regno prius tempore fuit de re sacerdotali modo ad sacrificium pertinente facta memoria. unde cum Noe egressus esset de Archa cum filiis suis, & uxore ut legitur Gen. 9. ædificauit altare domino, & tollens de cunctis pecoribus, & uolucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratusq; est dominus odorem suauitatis. Hæc autem oblatio siue actus sacerdotalis præcessit tempore ipsum Nembroth de quo arguebatur cum fuerit quartus a Noe. Noe enim genuit Cham, & post diluuium Cham genuit Chus, & Chus genuit Nembroth. præcessit ergo tempore spiritualis dignitas temporalem. Secundo respondetur quòd dominium, siue regnum ipsius Nembroth non fuit legitimum, sed usurpatum, & uiolentum quemadmodum Gen. 10. designatur cum dicitur Nembroth erat robustus uenator coram domino, id est oppressor hominum, & extinctor ut exponit Alchuinus, quod etiam ex illo colligitur, quòd principium regni eius fuit Babylon quæ interpretatur confusio. Bene autem dicitur principium regni eius confusio, quoniam nec iustum fuit nec legitimum, sed tyrannicum & usurpatum magis latrocinium dicendum quàm regnum. Et ideo ex tali usurpato, & uiolento dominio non bene arguitur quòd in ecclesia Dei potestas terrena præcedat spiritualem

Ad primum argum. & eius primam probationem

Ad probationem secundam

Ad tertiã probationem sine sacerdotium. Ad id quod tertio inducitur quòd uerum sacerdotium in Christo inceperit, regnum autem in Saule; respondetur, quòd uerum capitur dupliciter. uno modo ut distinguitur contra fictum. alio modo ut distinguitur contra figuratum. Dicimus ergo quòd sacerdotium legale fuit uerum sacerdotium prout uerum distinguitur contra fictum, uel falsum cum a Deo institutum fuerit, ut habetur Exod. 28. Deus autem cuius perfecta sunt opera Deutero. 32. nihil facit fictum aut falsum. Nihilominus dicimus quòd non fuit uerum prout uerum distinguitur contra figuratiuum. Figurauit enim sacerdotium Christi prout omnes hostiæ ueteris testamenti figurabant ueram hostiam, quæ Christus est. Vnde ex hac parte qua legale sacerdotium fuit figuratiuum dicit non uerum, quia nó ueras hostias quæ peccata delerent, sed figuratiuas ueræ hostiæ offerebat, & ita imperfectum iuxta illud ad Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Et ita licet sacerdotium uerum prout distinguitur contra figuratiuum inceperit in Christo qui est sacerdos in æternum. sacerdotium tamen legale quod fuit uerum sacerdotium prout uerum distinguitur contra fictum, aut falsum præcessit in Aaron qui præcessit Saul primum regem in populo Dei, & per consequens sacerdotalis dignitas præcessit regalem in populo Dei.

Ad secundum arg. Ad secundam rationem in qua arguitur quòd potestas spiritualis non præemineat nobilitate originis, respondetur quòd potestas cuiuscunque dignitatis sit quantum ad duo ad præsens considerari potest, uidelicet quantum ad ipsam potestatem siue essentiam potestatis, & sic omnis potestas est a Deo ut argutum est. & hoc modo cum sit una, & eadem origo omnis potestatis creatæ scilicet diuina maiestas non differunt in origine potestas spiritualis, & secularis. Alio modo potest considerari potestas quantum ad modum adipiscendi, & sic potestas est a Deo quando scilicet aliquis ordinate adipiscitur potestatem. secundum illud ad Heb. 5. Nemo sibi honorem assumit, sed qui uocatur a Deo tanquam Aaron. Quandoque uero non est a Deo, sed ex peruerso hominum appetitu quo per ambitionem, uel alio modo quocunq; inconuenienti potestatem adipiscuntur Amos. 5. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua. Et hoc modo cum ut supra declarauimus dominia terrena non legitime, sed per usurpationem, & uiolentiam primo fuerint introducta, sacerdotium uero institutione diuina. dicimus potestatem spiritualem originis nobilitate præeminere potestati seculari.

Ad tertiũ Ad tertiam rationem respondetur quòd potestas regalis non nominatur sic excellens quòd simpliciter præemineat omni potestati, sed bene in ordine ad secularium potestatem est excellés, & ideo ex hoc non sequitur quòd præemineat potestati spirituali quæ alterius, & superioris ordinis est, ut supra dictum est.

Ad quartum Ad quartam rationem respondetur quòd licet papa ante consecrationem, utputa si sit solum dyaconus aut simplex presbyter, sit episcopo Hostien. consecratio maior auctoritate iurisdictionis: minor tamen est dignitate consecrationis illo. & hoc non est inconueniens: sicut de archiepiscopo dicimus respectu suorum suffraganeorum a quibus consecratur. Et sic uerum est quòd maior est qui benedicit quàm qui benedicitur in eo quòd benedicit, sicut agens nobilius est passo, 2. de anima.

Ad quintum Ad quintam respondetur quòd ad præsens sufficit. Primo quòd non intelligimus potestatem regalem causalitate in genere causæ efficientis sic pendere a spirituali potestate, quòd regalis potestas in quibuscumq; fuerit aut sit auctoritate

ritate

ritate instituta sit per spiritualem, quoniam sicut argutum est, ambæ istæ potestates ab eodem principio processerunt, scilicet Deo. sed dicimus quòd potestas regalis in primo rege qui fuit in populo Dei ministerialiter dependerit a potestate spirituali siue sacerdotio. quoniam sicut supra inductum est per sacerdotium iubente domino, & ordinante instituta est regalis potestas, sicut patet in Saule per Samuelem, 1. Regum, 8. & quodammodo etiam in Dauid quem idem Samuel præcepto domini inunxit in regem reprobato Saule, 1. Regum, 16. Secundo dicimus prout supra diximus, quòd potestas secularis pendere causaliter a spirituali potestate potest dici quantum ad perfectionem eius, quæ attenditur penes ordinem ad ultimum finem simpliciter qui est felicitas superna. Cum autem potestas secularis, ut sic nihil nouerit de ultimo fine nec de medijs perducentibus ad illum, sed sed hoc sit proprium spiritualis potestatis, necesse est quòd si in ordine ad ultimum finem potestas secularis dirigere habet subiectos suos hoc habeat ex deriuatione a spirituali potestate. unde August. lib. 2. de ciui. Dei. cap. 21. dicit quòd sine summa iustitia non potest regi respublica. uera autem iustitia non est in republica, cuius Christus non est rector. Vnde sanctus Tho. dicit in iiii. dist. xix. Reges inunguntur, ut excellentia potestatis ipsorum a Christo descendere significetur, & ut ipsi sub Christo in populo Christiano regnent. Perfectio ergo potestatis secularis quodammodo dependet in populo Christiano a potestate spirituali. præterea etiam ratio facta non procedit, quia dato quòd potestas secularis in ratione causæ efficientis non penderet a potestate spirituali, penderet tamen in ratione causæ formalis, & finalis, ut dictum est. Ad sextam rationem respondetur quòd cum dicitur quod rex non habet superiorem, intelligendum est in suo ordine. Est enim, ut dictum est ordo potestatum duplex, scilicet potestatum secularium, & potestatum spiritualium. in ordine potestatum secularium omnibus maior est rex, uel imperator. quemadmodum in ordine potestatum spiritualium superior omnibus est papa. nihilominus collatione facta potestatis spiritualis ad potestatem secularem potestas spiritualis est supra secularem, sicut spiritus supra corpus, ut dictum est. unde Hieremiæ sacerdoti dicitur. Ecce constitui te super reges, & regna. Hiere. 1. Ad septimam rationem respondetur quòd ecclesia non soluit tributum imperatori, aut principibus secularibus in recognitionem dominii, uel subiectionis, sed solum pro pace, & quiete seruanda, quam ipse Imperator, & principes seculares tueri, & conseruare tenentur, sicut colligitur ex eodem cap. Tributum, & ita ecclesia soluit tributum non in recognitionem dominii, sed potius in recognitionem præfati beneficii seu in solutionem stipendii. unde proprie non est tributum. Præterea nec ecclesia de omnibus temporalibus tributum soluit potestati seculari, quia non de his quæ possidet sorte spirituali, & iure diuino, ut de decimis, & oblationibus, sed de exterioribus bonis qui possidet sorte temporali, ut titulo uenditionis, uel concessionis. Ad octauam respondetur quòd Moyses non tantum fuit princeps, sed etiam sacerdos, secundum illud psalm. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, ubi glossa dicit. Nota quòd Moyses sacerdos dicitur, qui & si non hostias, tamen uota obtulit Deo, & pro populo supplicauit. Secundo dicitur quòd non est uerum quòd Moyses simpliciter maior fuit Aaron: quoniam sicut Moyses in aliquo maior fuit Aaron, ita econuerso Aaron maior fuit Moyse. in cuius

Ad sextum

Ad septimum

Ad octauum

signum in sacra scriptura quando simul combinantur aliquando præponitur Moyses, ut in psalm. cxxvii. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius aliquando præponitur Aaron, ut Exod.6. ubi dicitur. Iste est Aaron & Moyses, ubi dicit magister Nicolaus de lyra quòd præponitur hic Aaron propter duo. Tum ratione primogenituræ. Tum quia dominus præuiderat eum, & elegerat in summum sacerdotem. Moyses uero præponitur aliquando etiam propter duo. Primo quia illi principaliter concessum erat educere filios Israel de Ægypto. Secundo quia uerba domini immediate recipiebat a Deo, & per Aaron tanquam interprætem reddebat populo.

Cap. XCIII. In quo circa potestatem sacramentalem siue ordinis, & iurisdictionalem ponuntur duodecim conclusiones.

POSTQVAM ad rei publicæ Christianæ regimen perfectum duas in ea ostendimus necessario dandas esse potestates, secularem scilicet & spiritualem: consequens est ut quid nomine spiritualis potestatis intelligamus, de qua nunc principaliter loqui proposuimus subiungamus. de seculari uero iterum in sequenti libro opitulante Deo: repetemus sermonem cum an in summo pontifice ambę potestates concurrant discutiemus. Dicimus autem quod potestas spiritualis ecclesiæ duplex est, quædam scilicet ordinis siue sacramentalis, & quædam iurisdictionalis. Potestas autem ordinis siue sacramentalis dicitur quæ per aliquam consecrationem confertur ad confectionem, & administrationem sacramentorum. Potestas uero iurisdictionalis est ad regendum populum, secundum legem diuinam in ordine ad beatitudinem supernaturalem, quæ nõ per consecrationẽ, sed simplici iniunctione Dei aut hominis confertur. De quibus potestatibus ut illustriorem faciamus notitiam describemus per conclusiones quid nos de illis sentiamus. Prima conclusio sit ista. Vtraque harum potestatum spiritualium in ecclesia originaliter est a Deo. Patet conclusio ista ratione, & auctoritate. Ratione sic. Omne illud quod est & excedit totam facultatem naturæ, necesse est, ut ab auctore naturæ originem duxerit: sed utraque potestas spiritualis excedit totam facultatem naturæ. ergo necesse est dicere ut illa a solo Deo qui auctor naturæ est originem traxerit. consequentia est bona, & maior manifesta. minor etiam uidetur nota, primo quidem de potestate ordinis, quoniam per istam ordinatus in sacerdotem habet potestatem conficiendi corpus Christi, & auctoritatem diuina sacramenta dispensandi, per quæ cœlestis gratia dignè illa suscipientibus tribuitur, qui profecto sunt effectus omnem facultatem naturæ transcendentes. Idem etiam patet de potestate iurisdictionis qui ad regendum populum Christianum secundum legem diuinam in ordine ad beatitudinem supernaturalem est ordinata. Patet etiam conclusio auctoritate. Primo Math. 16. ubi Christus clauium potestatem se daturum Petro pollicetur dicens. Tibi dabo claues regni cœlorum. Secundo Ioan. ult. ubi Christus ouium suarum Petrum pastorem, & rectorem ordinans inquit. Simon Ioannis pasce oues meas.

Cóclusio prima

Secunda

Secunda conclusio comparando istis duas potestates adinuicem. Potestas prima. s. ordinis dignior est potestate secunda. s. iurisdictionis. Patet conclusio, quoniam potestas iurisdictionis ordinatur ad potestatem ordinis: ad hoc

enim

enim est potestas iurisdictionis, ut populus arceatur a malis, & exerceatur in bonis, ut sit aptus dignusq; participare sacramentis: ergo conclusio uera. Tertia conclusio. Potestas ordinis siue sacramentalis licet per relationem ad corpus Christi uerum sit equaliter in omnibus sacerdotibus: nihilominus in relatione ad corpus Christi mysticum maior est in episcopo quam in simplici sacerdote. Prima pars huius conclusionis patet, quoniam omnes sacerdotes equaliter conficiunt sacramentum corporis, & sanguinis Christi: ergo in relatione ad corpus Christi uerum equaliter hæc potestas sacramentalis est in omnibus sacerdotibus. Secunda pars etiam patet quoniam simplex sacerdos non ualet dispensare omnia sacramenta: quoniam non sacramentum confirmationis quod solum ab episcopis perfici potest, ut ait Eusebius papa in c.manus, de conse.dist.5. Nec sacramentum ordinis quod etiam a solis episcopis confertur: ergo in relatione ad corpus Christi mysticum potestas sacramentalis amplior est in episcopo quàm in simplici sacerdote, quod manifeste ostendit Isid. in ca.cleros, dist.21. ita dicens. Presbyteri ideo sacerdotes nominantur quia sacra dant sicut episcopi. quia licet presbyteri sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent: quia nec chrismate frontem signant, nec paraclytum spiritum dant quod solis debere episcopis actuum lectio apostolorum demonstrat. hæc ille. Verum ꝙ hæc maioritas potestatis sacramentalis siue ordinis in episcopo quàm in simplici sacerdote maior sit non solum ex institutione ecclesiæ, ut quidam dicere uoluerunt, sed etiam ex natura ordinis, & consecrationis secundum diuinam institutionem ostenditur sic. Ea quæ sunt in noua lege, figurata fuerunt per ea quæ fuerunt in ueteri lege, nunc autem ita est quòd in ueteri lege episcopus siue summus sacerdos ex diuina ordinatione consecrabatur speciali consecratione, & ad specialem actum ultra simplices sacerdotes. Nam ut habetur Leuit.8. solus summus sacerdos qui habebat in suis officiis alios ordinare, & cui soli licitum erat in sancta sanctorum semel in anno ingredi ungebatur oleo sacræ unctionis. ergo similiter uidetur quòd ex diuina institutione sit ut caput episcopi qui est summus sacerdos consecretur unctione chrismatis ad specialem actum qui ei competit; sicut est ministros consecrare, & ordinare & alia huiusmodi quæ solis episcopis conueniunt, quæ ponuntur a beato Isidoro in ca. Perlectis, dist.25. Veritas etiam huius conclusionis satis manifestè habetur ex dictis in c.85. ubi ostendimus ex diuina institutione differentiam esse realem inter episcopum, & presbyterum. Quarta conclusio. ad unam & eandem ordinis potestatem pertinent isti duo actus scilicet corpus Christi conficere, & ad illius susceptionem populum aptum dignumq; reddere. Ista conclusio ostenditur uera iuxta sanctum Tho. in 4. contra gentiles c.178. sic. Eiusdem uirtutis esse uidetur aliquam perfectionem tribuere, & ad susceptionem illius materiam præparare, sicut ignis uirtutem habet, & ut formam suam transfundat in alterum, & ut materiam disponat ad formæ susceptionem. Cum igitur potestas ordinis ad hoc se extendat, ut sacramentum corporis Christi conficiat & fidelibus tradat oportet ꝙ eadem potestas ad hoc se extendat quòd fideles aptos reddat & congruos ad tanti sacramenti susceptionem. Redditur autem aptus & congruus fidelis ad huius sacramenti susceptionem per hoc quòd est a peccato immunis: quoniam non potest aliter Christo spiritualiter uniri cui sacramentaliter coniungitur hoc sacramentum percipiendo. Oportet ergo quòd potestas ordinis se extendat ad remissioné peccatorum per illorum sacramento-

Tertia

Quarta

rum dispensationem quæ ad remissionem peccatorum ordinantur, cuiusmodi sunt baptismus, & pœnitentia. Habet ergo potestas ordinis hunc duplicē actum quorum primus est conficere sacramentū corporis & sanguinis Christi. secundus est per absolutionem peccatorum aptum facere suscipientem ad susceptionem sacramenti.

Quinta. Quinta conclusio. potestas ordinis quo ad primum actum consecrare corpus Christi, & aliis ministrare, data est apostolis in cœna domini quibus ait dominus Luc. 22. Accipite inter uos, & diuidite hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem ubi gl. interli. habet: accipite & date. Quantum uero ad secundum actū qui est absolutio peccatorum data est. Io. 20. cum dictū est apostolis. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Super quo uerbo dicit beatus Gre. in homel. Principatū superni iudicii sortiti sunt, ut uice Dei quibusdam peccata retineant & quibusdā relaxent.

Sexta. Sexta conclusio. Potestas ordinis qua soluuntur peccata est idem essentialiter cum charactere sacerdotali siue cum potestate consecrandi corpus Christi & non distinguuntur nisi ꝙ ad diuersos actus siue effectus comparantur. Illa conclusio licet satis clare habetur ex dictis nihilominus ex dictis sancti Tho. in 4. dist. 18. sic ostenditur. Ad duo quorum unum est causa alterius una potestas ordinatur, sicut in igne ad calefaciendum & dissoluendum, sed omnis gratia & remissio in corpore mystico ex capite Christo prouenit. ergo eadem potestas uidetur esse per essentiam qua sacerdos cōficere potest corpus Christi, & qua potest soluere & ligare si iurisdictio adsit, nec differt nisi ratione secundum quòd ad diuersos actus effectus comparatur, sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactiuus & secundum aliā liquefactiuus. Et quia nihil est aliud character ordinis sacerdotalis quàm potestas exercendi illud ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur, uidelicet ad consecrandum corpus Christi. sequitur ꝙ character ipse & potestas qua soluuntur peccata sint idem essentialiter.

Septima. Septima conclusio. Potestas spiritualis conuenienter designatur nomine clauium. Patet conclusio: quoniam Christus qui Dei sapientia est ita potestatem illam designat di. beato Petro. Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorū. Pro quo notandum ꝙ clauis a corporalibus ad spiritualia transsumitur. clauis enim materialis est instrumentū quo ostiū clausum aperitur, & sic in spiritualibus clauis dicitur potestas per quam ingressus regni cœlorum aperitur, & quoniam regnum cœlorum non clauditur nisi per peccatum, & quantum ad maculam & reatum pœnæ. ideo potestas qua tale obstaculum regni cœlorum remouetur dicitur clauis. Hęc autem potestas dicitur triplex a doctoribus s. quædam auctoritatis quæ est in solo Deo qui solus aperit principaliter per infusioné gratiæ & claudit per misiue iusto iudicio permittendo hominem ruere in peccatum gratiam nō infundendo. Quædam dicitur potestas excellentiæ quæ ponitur in Christo ratione humanæ naturæ qui cœlum aperit per meritum passionis suæ. Alia ministerialis in ministris ecclesiæ s. sacerdotibus qui cœlum aperiunt per dispensationem sacramentorum quæ operantur in uirtute passionis Christi. secundum illud. 1. Cor. 4. sic uos existimet homo ut ministros Christi.

Octaua. Octaua conclusio. Conuenienter clauis diffinitur cum dicitur. Clauis est potestas ligandi & soluendi qua ecclesiasticus iudex dignos recipere & indignos excludere debet a regno. Patet conclusio tum auctoritate Hiero. qui illam ponit in gl. Math. 16. super illo. Tibi dabo claues regni cœlorum. Tum auctoritate magistri sententiarum in 4. dist. 18. Conuenientia præfatę diffinitionis

ratione

ratione declaratur sic, iuxta sanctum Tho. in 4. eadem dist. secundum Phil. 2. de anima potentiæ per actus distinguuntur. unde cum clauis sit potestas quædam, ut dictum est; oportet ꝙ per actum siue usum suum diffiniatur, & ꝙ in actu obiectum exprimatur a quo speciem recipit actus & modus agendi ex quo apparet potentia ordinata. actus autem potestatis spiritualis non est ut cœlum aperiat absolute, quia iam apertum est, sed ut quantũ ad hunc aperiat quod quidem ordinate fieri non potest nisi idoneitate eius cui aperiendũ est pensata. Et ideo in prædicta diffinitione clauis ponitur genus. s. potestas, & subiectum potestatis. s. iudex ecclesiasticus, & actus. s. excludere & recipere secundum duos actus materialis clauis aperire & claudere, eius obiectũ tangit in hoc ꝙ dicit a regno, modus autem ex eo ꝙ dignitas uel indignitas in illis in quos actus exercetur pensatur. Nona conclusio. Conuenienter descri buntur claues ordinis duæ. s. scientia discernendi & potentia dignos recipiẽdi: uel indignos excludendi a regno Patet conclusio auctoritate ex gl. Hier. Math. 18. Ratione uero ista conclusio præfata, iuxta sanctum Tho. in 4. dist. 18. ostenditur uera. In omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis duo sunt necessaria ei quę debet actum illum exercere s. iudicium de idoneitate recipientis, & expletio actus. Et ideo etiam in actu iustitiæ per quẽ redditur alicui hoc quo dignus est oportet esse iudicium quo discernatur an ipse sit dignus, & ipsa redditio, & ad utrumq; horum auctoritas quædam siue potestas exigitur. non enim dare possumus nisi quod in potestate habemus, nec iudicium dici potest nisi uim coactiuam habeat eo quòd iudiciũ iam ad unum determinatur quæ quidem determinatio in speculatiuis fit per uirtutem primorum principiorum quibus resisti non potest, & in rebus practicis per uim superatiuam in iudicante existentem. & quia actus clauis requirit idoneitatem in eo in quẽ exercetur, quia recipit per clauem iudex ecclesiasticus dignos & excludit indignos, ut ex diffinitione posita in superiori conclusione patet ideo indiget iudicio discretionis quo idoneitatem iudicat, & ipso expletionis siue redditionis actu. & ad utrumque horum potestas quædã siue auctoritas requiritur & secundum hoc duæ claues distinguuntur. Decima conclusio. Istæ duæ claues ordinis scilicet scientia discernendi & potentia dignos recipiendi & indignos excludendi a regno non distinguntur in essentia auctoritatis, sed sunt una & eadem per essentiam potestas siue auctoritas solumq; distinguuntur per comparationem ad actus quorum unus præsupponit alium. Quæ conclusio est sancti Thom. cuius conclusionis ueritas ex eiusdem doctoris dictis sic declaratur. Ad eandem auctoritatem per essentiam cuiuscunq; debentis ex officio aliquem actum exercere qui requirat idoneitatem ex parte recipientis pertinet iudicium de Idoneitate, & expletio actus, sicut apparet in actu uirtutis iustitiæ per quam redditur alicui hoc quo dignus est quòd ad eundem ad quem pertinet alicui digno reddere aliquid pertinet iudicium an talis sit dignus, uel non. cum ergo ut dictum est in præcedenti conclusione, per clauem ordinis iudex ecclesiasticus dignos recipiat, & indignos excludit, sit necessario quòd ad eandem auctoritatem pertineat uterque actus scilicet iudicium de idoneitate eius qui absoluendus est, & actus absolutionis. solum ergo deberent hæ claues per comparationem ad diuersos actus quorum unus præsupponit alium. Clauis enim quæ dicitur potestas ligandi, & soluendi est quæ immediate seram peccati remouendo cœlum aperit. Sed clauis quæ dicitur scientia seram ostendit cui aperiendum sit. potestas ergo una & ea-

Nona

Decima

dem est, quæ ratione horum diuersorum actuum subordinatorum uariæ nominatur: quoniam ratione primi actus qui est iudicare, dicitur clauis scientiæ. ratione uero secundi qui est in dignos excludere uel dignos admittere ad regnum uocatur clauis potestatis. Vndecima conclusio est, quòd potestas clauium aliquo modo se extendit ad remissionem culpæ & pœnæ. Ista conclusio probatur auctoritate, & ratione. Auctoritate per illud Ioan. 20. ubi dominus inquit apostolis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed hoc non potest intelligi quantum ad manifestationem tantum ut aliqui dicunt, ut magister sentent. in 4. distinct. 18. quoniã sic sacerdos noui testamenti non haberet maiorẽ potestatem quam sacerdos ueteris testamenti qui solum ostendebat in aliquo lepram esse mundatã quam tamen nullo modo mundabat. quod non est dicendum. ergo sacerdotis noui testamenti potestas se extendit usq; ad remissionem culpæ, & per consequens pœnæ. Quod rõne sic probatur. Sacramenta nouæ legis agunt quod significant. quod patet ex diffinitione sacramenti. Sacramentũ enim est iuxta Aug. inuisibilis gratiæ uisibilis forma ita, ut Imaginem gerat & causa extet. Sed absolutio sacramentalis signat remissionem culpæ. patet ex forma eius. Ait enim sacerdos. Ego te absoluo. ergo dicendum est quòd potestas sacerdotalis aliquo modo se extendat ad culpæ & pœnæ remissionem. Ad uidẽdum autem quomodo hoc sit, est notandum secundum sanctum Tho. in. 4. dis. 18. quòd eodem modo se habet potestas clauium in sacerdote ad effectum sacramenti penitentiæ, sicut se habet uirtus in aqua baptismi ad effectũ baptismi. Baptismus autem & sacramentũ penitentiæ conueniunt quodammodo in effectu. quia utrunq; contra culpam ordinatur directe quod non est de aliis sacramentis. Sed in hoc differunt, quia sacramentum penitentiæ eo q̃ habet actus suscipientis quasi materiales non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur præparatio ad suscipiendum effectũ sacramentorum. sed baptismus quandoq; adultis, & quandoq; pueris & aliis carentibus usu rationis. & ideo per baptismũ datur gratia, & remissio peccatorum pueris sine aliqua sui prę paratione præcedente, non autẽ adultis in quibus præexigitur præparatio remouens fictionẽ, quæ quidem præparatio quandoq; præcedit sufficiens ad gratiæ susceptionem antequam baptismus actu percipiatur sed non ante uotum baptismi post tempus propalatę ueritatis. & tunc baptismus actu susceptus non dicitur culpam auferre quia iam erat remissa, nec gratiam conferre: quia iam collata erat, sed augere gratiam prius collatam: Quandoq; autem talis præparatio tempore non præcedit, sed est simul cum baptismi susceptione, & tunc per baptismi susceptionem gratia remissionis culpæ confertur. Sed per penitentiæ sacramentum nunquam datur gratia nisi præparatio adsit uel prius fuerit. unde si in penitente antequam sacramentum suscipiat penitentiæ præcedit sufficiens dispositio delens culpã & cõferens gratiam; tunc sacramentum penitentiæ superueniens culpã non aufert, quia non inuenit, nec gratiã confert, sed prius collatã auget. Si uero non præcedit sufficiens contritio quæ culpam deleat sed attritio, quæ superueniente sacramento uirtute clauiũ efficitur sufficiens, sic per sacramentũ actu susceptũ deletur culpa, & confertur gratia. & ita uirtus clauium se extendit ad remissionem culpæ, sicut & aqua baptismi uel in uoto existẽs uel in actu se exercens. sed sicut baptismus non agit ut principale agens, sed ut instrumentum non quidem pertingens ad ipsam gratiæ susceptionem causandam etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam per quam fit remissio culpæ, ita est

Vndecima

de po-

de potestate clauium. Vnde solus Deus remittit per se culpam, & in uirtute eius agit instrumentaliter, & baptismus, ut instrumentum inanimatum, & sacerdos ut instrumentum animatum. Et ideo sacerdos agit, ut minister. Et sic patet quòd potestas clauium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Vnde si ante absolutioné non fuisset aliquis perfectè dispositus ad gratiam suscipiendam in ipsa confessione, & absolutione sacramentali gratiam consequeretur si obicem non poneret. Ex quo manifeste concluditur, ut inquit idem sanctus doctor in 3. parte, quòd expositio illa quam quidem dant dicentes. Ego te absoluo. i. absolutum ostendo, licet quantum ad aliquid sit uera, non tamen est perfecta expositio, quoniam sacramenta nouę legis non solum significant, sed etiam efficiunt quod significant. unde sicut sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interius illuminatum per uerba, & facta non solum significatiuè, sed etiam effectiuè ita etiam cum sacerdos dicit. Ego te absoluo, ostendit hominem esse absolutum non solum significatiuè, sed etiam effectiuè. nec tamen sacerdos loquitur præsumptuosè quasi de re incerta, quia sicut alia sacramenta nouę legis habent certum effectum, ex uirtute Christi qui est institutor sacramentorum licet possit impediri effectus sacramenti ex parte recipientis ita etiam in hoc sacramento. Vnde Aug. in li. de adulterinis coniugiis. Non erit turpis nec difficilis post patrata, & purgata adulteria reconciliatio coniugii ubi per claues cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. Duodecima conclusio quòd huiusmodi potestas clauium solū conuenit sacerdoti euangelico. Ista conclusio habet duas partes. In prima dicit quòd solus sacerdos habet potestatem clauium: secunda quòd solus sacerdos euangelicus. Prima pars probatur sic. Id quod datur per cõsecrationem non habetur nisi a consecratis. sed potestas clauium datur per consecrationem sacerdotalem, ut patet ex uerbis episcopi qui dicit in impositione manuum. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, &c. quæ uerba directe important usum clauium. ergo potestas illa non est nisi in habentibus consecrationem sacerdotalem. Patet etiam pars hæc ex sexta conclusione superius posita in qua dictum est, quòd potestas clauium ordinis esset idem essentialiter cum charactere sacerdotali. Patet etiam hæc pars auctoritate beati Amb. dicentis li. suo de paradiso, & habetur de pe. dist. 16. econtra quòd hoc ius ligandi, & soluendi solis sacerdotibus est concessum. Secunda pars præfatę conclusionis dicentis quòd sacerdos legalis claues non habuerit sed solus euangelicus habeat. per consequens nec ergo sacerdos legalis qui erat dispensator illorum sacramentorum habebat. probatur sic, quia claues ordinantur ad aperiendum regnum cœlorum, sed regnum cœlorum aperiri non poterat ante Christi passionem. ergo sacerdos legalis non habuit claues regni cœlorum. Secundo sic. Sacramenta ueteris legis gratiam non conferebant, sed aditus regni cœlestis aperiri non potest nisi per gratiam. ergo per illa sacramenta non poterat aperiri: per consequens nec ergo sacerdos legalis qui erat dispensator illorum sacramentorum habebat claues regni cœlorum. Vnde sicut illorum sacramenta erant figura cœlestium, ita illorum sacerdotum potestas figura fuit potestatis clauium. Ex hac conclusione maxime ex prima parte eiusdem corrollarie sumitur clarissime ꝙ nulla communitas in ecclesia siue uniuersitas per modum uniuersitatis habere potest claues has ordinis de quibus loquimur, sicut Albertus magnus, sanctus

Duodecima

Tho.& dominus Bonauen.dicunt & probant in iiii.dist.xix.Quod & nos multiplici ratione ostendimus.Primo sic.Tota uniuersitas ecclesiæ non insignitur charactere sacerdotali . ergo tota uniuersitas ecclesiæ , ut sic nec habet nec habere potest potestatem clauium . antecedens est manifestum, & consequentia patet . Tum quia cum potestas clauium detur per consecrationem non potest haberi nisi a consecratis . Tum secundo quia cum potestas clauium sit idem essentialiter cum charactere sacerdotali,non est capax clauium quæ non est capax sacerdotii.Cum ergo uniuersitas,ut sic non sit capax sacerdotii patet corrollarium.Secundo sic.uniuersitas,ut uniuersitas non habet animam rationalem,ut dicunt domini iuristę , & est uerum.ergo ipsa ut sic non potest subiectum esse potestatis clauium,consequentia est nota quia sola anima rationalis potest esse subiectum capax entis spiritualis absoluti, cuiusmodi est potestas ordinis siue clauium,quæ essentialiter est idem characteri sacerdotali.ergo corrollarium uerum.Tertio sic.omnis habẽs potestatem clauium mediator est inter Deum,& populum,& omnis talis cõstituitur in his quæ sunt ad Deum ut offerat dona,& sacrificia pro peccatis: ergo ad illum pertinet tantum hæc potestas ad quem pertinet offerre sacrificium, sed hoc non potest pertinere uniuersitati ecclesiæ,sed solum conuenit sacerdotibus eius.ergo idem quod prius.Quarto sic.illi datur potestas clauium qui minister constituitur sacramenti pœnitentiæ , sed uniuersitas ecclesiæ non potest esse minister sacramenti pœnitentiæ,ut ei fiat sacramentalis confessio ut manifestum est.ergo corrollarium uerum.

Cap. XCIIII. In quo ponuntur aliquę obiectiones contra aliquas conclusiones positas in præcedenti c.

VT autem ueritas eorũ, quæ circa claues ecclesiæ diximus,illustrior fiat , inducemus obiectiones quorundam contra quasdam conclusiones positas in præcedenti c.uidelicet sextã,decimam,& duodecimam. Contra sextam in qua ponitur,quòd claues ordinis , & character sacerdotalis non distinguntur essentialiter , sed solum per relationem ad diuersos actus;arguitur primo sic . Illa distinguntur essentialiter abinuicem quorum unum potest esse sine alio,sed sacerdotalis character potest esse sine potestate clauium,sicut patet in apostolis quibus in cœna domini per uerba illa.Hoc facite in meam commemorationem , data est potestas conficiendi corpus Christi. sed potestas clauium data est post resurrectionem cum dictũ est illis.Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. ergo necessarium est dicere quòd potestas clauium distinguitur essentialiter a charactere sacerdotali . Secundo sic.Illa quæ diuerso tempore infunduntur aut generantur distinguntur necessario , sed character sacerdotalis & potestas clauium infunduntur diuersis temporibus . ergo necessario distinguntur . maior est Arist.in Topi.minor patet ex argumento præcedenti ubi inductum est quòd character sacerdotalis datus est in cœna apostolis.potestas uero clauiũ post resurrectionem Christi. Tertio sic.Ista separantur in quolibet sacerdote.ergo distinguntur. consequentia patet;& antecedens probatur, nam sacerdote nunc ordinato prius episcopus dicit.Accipite potestatem celebrandi missam tam pro uiuis quam pro defunctis,dans ei calicem. Et quibusdam interpositis ponens manus super caput eius dicit. Accipite spiritumsanctum, &

Contra sextã conclusionẽ Arg.primum

Secundũ

Tertium

quorum

quorum remiseritis peccata remittuntur eis, uel remissa erunt &c. Quarto sic. Christus habuit clauem ligandi, & soluendi (secundum illud Apoc. 3. Hęc dicit qui habet clauem Dauid) & non habuit characterem sacerdotalem cũ nihil susceperit a sacramentis. ergo necessario distinguntur claues a charactere. Quinto sic. Si claues essent idem quod character sacerdotalis, sequeretur, quòd sicut omnes sacerdotales equaliter habent characterem sacerdotii, omnes equaliter haberent claues, quod non uidetur uerum cum de beato Petro dicatur in gl. Math. 16. quòd præ ceteris dotatus fuerit clauibus regni cœlestis. Sexto sic. Scismatici hæretici, & excommunicati possunt conficere, & conficiunt, nó autem possunt absoluere uel ligare, ut in c. audiuimus & in c. miramur xxiiii. q. i. ergo hæc duo s. character sacerdotalis, & potestas clauium essentialiter distinguntur. Secundo principaliter arguitur contra conclusionem decimam in qua dicitur quòd claues ordinis non distinguantur ab inuicem realiter. Arguitur primo sic. Omnia illa quæ contingit separari subiecto non sunt unum, & idem in essentia: sed sic est quòd istas claues contingit separari subiecto: ergo necessario realiter siue essentialiter distinguntur. maior est nota. minor probatur, quoniam contingit quòd papa committat aliquibus quòd causam aliquam discernant absq; hoc quòd super ea ferant sententiam, immo mandabit quòd ad eum referant siue remittant. Ecce quòd tales habebunt potestatem discernendi non autem diffiniendi, & ita hæ duæ potestates possunt separari subiecto. Secundo sic Math. 16. Christus Petro de clauibus loquens ait. Tibi dabo claues regni cœlorum. ubi gl. dicit. Claues sunt scientia discernendi & potentia qua iudex ecclesiasticus dignos debet recipere, & indignos excludere a regno. illa autem quæ absolute pluraliter dicuntur non uidentur in una essentia conuenire. ergo &c. Tertio sic. Omnia illa quorum unum augetur, & minuitur altero permanente immobili necessario realiter distinguntur: sed sic est quòd scientia discernendi est in aliquibus maior & in aliquibus minor manente equali potestate ligandi & soluendi: ergo istæ duæ claues realiter distinguntur. Tertio principaliter arguitur contra cóclusionem duodecimam & eius corrolarium in quibus ponitur ꝙ claues ordinis siue potestas ligandi, & soluendi ita solis sacerdotibus in ecclesia conueniant ꝙ non uniuersitati ecclesiæ. Primo sic. Claues regni cœlorum sunt datę uniuersali ecclesiæ: ergo non solis sacerdotibus. consequentia uidetur nota: quoniam uniuersalis ecclesia cum sit collectio omnium fidelium, ut in c. ecclesia dicitur de conse. dist. 1. non est solũ sacerdos. antecedens est Aug. li. de doct. Christiana c. 14. dicentis, ꝙ has claues dedit Christus ecclesiæ, ut quæ solueret in terra, soluta essent in cœlis. & quæ ligaret ligata essent. & similis sentētia habetur ab eodem Aug. in multis aliis locis tam supra Io. quàm in li. de Agone Christiano, & non potest dici ꝙ non loquatur de clauibus ordinis cum istæ directe, & immediate respiciunt regnum cœlorum, ut dictum est. Secundo contra id quod dicitur ꝙ solus sacerdos euangelicus claues habeat, arguitur sic. Claues sicut dictum est sunt duæ. s. scientia discernendi, & potestas iudicandi, sed utrunq; sacerdos legalis habebat ut patet. ergo etiam sacerdos legalis habebat claues. Et confirmatur. Sacerdos legalis habebat aliquam potestatem super rel quũ populum non temporalem, quia sic potestas regia non fuisset distincta a sacerdotali ergo spiritualem, sed hęc est clauis, ut dictum est: ergo non solus euangelicus sacerdos, sed etiam legalis claues habuit.

Quartũ

Quintũ

Sextum

Cótra cõclusioné decimam

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Cótra cõclusioné duodecimam

Arg. primum

Secundũ

Cap. XCV. In quo respondetur ad obiectiones factas in præcedenti capitulo.

HIS facile est respondere attentis quæ superius diximus iuxta gloriosi doctoris sancti Tho. doctrinam, de cuius fonte præfatas sumpsimus conclusiones. Ad primam ergo rationem factam contra conclusionem sextam respondetur negando minorem, dicimus enim quòd potestas sacerdotalis una est per essentiam, sed habet diuersos actus subordinatos quorum primus & principalis est consecrare corpus Christi, & quò ad hunc data est ante passionem in cœna. Secundus actus est absoluere a peccatis, & quo adhunc data est post resurrectionem, ut supra diximus. Vnde ista uarietas temporum quibus dicitur data potestas conficiendi, & potestas absoluendi accipitur in respectu & ordine ad diuersos actus inter se ordinatos, & non ad diuersitatem potestatis in essentia quæ una, & eadem est. De quo exemplum satis aperte dare possumus in sole, qui licet quò ad substantiam factus dicatur prima Die, cũ facta est lux: nihilominus dicitur factus quarta die Gen. 1. quia data est ei specialis uirtus quò ad aliquos particulares effectus, ut tangit sanctus Tho. in 1. parte. q. lxvii. arg. ult.

Ad primũ cõtra sextam conclusioné.

Ad secundum

Ad secundam rationem eadem est responsio, quoniam minor assumpta est falsa. Non est enim uerum quòd potestas sacerdotalis, & potestas clauium diuersis temporibus infundantur si intelligatur quò ad substantiam earum: quoniam ut iam diximus uarietas istorum temporum quibus dicuntur infundi non ad substantiã potestatis refertur quæ uno tempore infusa est, s. in cœna domini: sed refertur ad diuersos actus eius de potestatis subordinatos penes quos uariis temporibus dicitur esse data, ut prædiximus.

Ad tertiũ

Ad tertiam patet responsio ex dictis. hæ enim potestates non separantur quò ad essentiam, sed quò ad actus quorum unus alterum præsupponit.

Ad quartum

Ad quartam rationem respondetur, quod non est ad propositum, quoniam impræsentiarum de claue sacramentali loquimur qualis non est clauis quam Christus habere dicitur, sed potius est sacramentalis clauis principium, utpote potestas auctoritatis inquantum est Deus, & potestas excellentiæ inquantum homo.

Ad quintum

Ad quintam rationem respondetur, quòd claues ordinis absolute loquendo sunt equales in omnibus sacerdotibus rite ordinatis, sicut & character sacerdotalis: usus tamen earum non est equalis in omnibus, sed magis uel minus extenditur, uel restringitur secundum quòd iurisdictionis potestas sine qua potestas clauium in actum exire non potest in unoquoq; magis, uel minus extenditur, uel restringitur. Beatus autem Petrus dicitur præ ceteris potestate clauiũ esse dotatus, quia ipse præ ceteris uocatus est in plenitudinem potestatis: cum non unius prouinciæ, sed totius orbis constitutus est magister, & rector. De quo plenius in sequenti libro dicetur.

Ad sextũ

Ad sextam rationem respondetur negando consequentiam, & cum dicitur quod scismatici, & heretici, & excommunicati non possunt absoluere uel ligare. dicimus quòd hoc non est quia in talibus non sit potestas clauium ordinis de quibus loquimur, sed quia caret iurisdictione siue materia in quam exerceatur usus potestatis illius. Cum enim usus clauium prælationem in utente requirat respectu eius in quem utitur, propria materia in quam exercetur usus clauium est homo subditus. Et quia per ordinationem ecclesiæ subditur unus homo alteri, ideo etiam per ecclesiæ prælatos

latos

latos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subditus. Vnde cum ecclesia hæreticos, & scismaticos & alios huiusmodi priuat subtrahendo subditos uel simpliciter uel quò ad aliquid, quantum ad hoc quo priuati sunt non possunt habere usum clauium. Ad rationem primam tactam contra conclusionem decimam respondetur negando minorem, uidelicet quòd claues ordinis separentur subiecto, & ad probationem respondetur quòd in iudicio siue foro conscientiæ quem principaliter respiciunt claues ordinis de quibus est præsens sermo nunquam committitur per Papam una clauis uni, & altera alteri. utputa uni clauis discretionis peccatorum de quibus quis absoluendus uenit & alteri potestas absoluendi sed unus, & idē scilicet confessor qui utrumque exercet. Ad secundam respondetur quòd claues Petro commissæ, Math. 16. non nominant tantum claues ordinis sed claues ordinis, & iurisdictionis simul, sicut dicit sanctus Tho. in 4. distin. 18. bene autem concedimus quòd ille claues, scilicet iurisdictionis, & ordinis distinguantur realiter sicut in sequenti ca. ostensuri sumus. Secundo potest dici quòd si per claues Math. 16. tantum claues ordinis designentur, tunc pluralitas illa clauium non est accipienda penes pluralitatem essentiarum, sed penes diuersitatem actuum quorum unus alium præsupponit, sicut supra commemoratum est, nec oportet quòd omnia quæ absolute pluraliter nominantur in scriptura sancta etiam plura sint quò ad essentiam. Ad tertiam rationem respondetur quòd ratio illa procederet si scientia quæ dicitur habitus siue infusus siue acquisitus diceretur hic clauis, hoc non est uerum, sed scientia quæ hic dicitur clauis est auctoritas exercendi actum scientiæ quæ auctoritas quandoque sine scientia est quandoque scientia sine ipsa sicut patet etiam in iudicibus secularibus. Aliquis enim est iudex habens auctoritatem iudicandi qui non habet iuris scientiam, & aliquis econuerso habet iuris scientiam qui non habet auctoritatem, & ita ratio non procedit. Consequenter respondendum est ad rationes factas contra duodecimam conclusionem. Ad primam respondetur quòd cum dicitur quòd claues datę sint ecclesiæ, non est intelligēdum quòd datę sint singulis de ecclesia, quia sic omnes fideles tam laici quam clerici dicendi essent habere claues ordinis, quod est absurdum nec etiam sic est intelligendum quòd claues præfatæ datę sint communitati ecclesiæ ut uniuersitati: ita quòd uniuersitas ipsa ut sic habeat in se subiectiue, & formaliter illas claues, quia hoc ut ostendimus esse non potest. Dicendum est ergo quòd omnes auctoritates dicentes claues datas esse ecclesiæ intelligendæ ueniunt hoc modo quo sancti doctores dicunt, quòd date sunt ei in principalioribus membris eius, ualet in sacerdotibus, & episcopis. Est enim ecclesia unum corpus diuersa habens membra in quibus diuersas gratias recipit, iuxta Apostolum 1. ad Corin. 12. Vnde beatus Hiero. super illud Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, dicit sic. Habent iudiciariam potestatem omnes populi, habet etiam omnis ecclesia in episcopis, & presbyteris. Dicitur autem omnis ecclesia habere in episcopis, & presbyteris hanc potestatem. Tum quia ubique terrarum quam per omnem decursum temporum usque in finem seculi habet & habitura est. Et ista est una intelligentia omnium similium auctoritatum. unde patet quòd similes auctoritates non militant contra conclusionem nostram & eius corrollarium. Est tamen hic notandum quòd licet soli sacerdotes in ecclesia utpote qui soli habent claues ligandi, & soluendi ab-

Ad primū contra decimā conclusionē.

Ad secundum

Ad tertiū

Ad primū cōtra duodecimam conclusionem.

soluant a peccatis: nihilominus hoc dicitur facere ecclesia secundum illud Augusti.li.de Agone Christiano, qui ait. Nec eos audiamus qui negant ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere, & hoc propter tria. Primo quia hoc potiores in ecclesia, scilicet presbyteri, & episcopi faciunt. Cum autem ut dicit Arist.9.Ethi.ciuitas dicitur esse id quod principalissimum est in ea, solitum est attribui ciuitati siue communitati id quod faciunt in ea principales. unde tota ciuitas dicitur facere, quod in ea rectores illius faciunt. Et eadem est ratio de omni alia re ex pluribus constituta ut dicit sanctus Tho.in expositione li.Ethi. Secundo, quia nullus habet usum clauium extra unitatem ecclesiæ constitutus, ut in ca. nouatianus 7.q.1. Propter quod beatus Aug. inquit. quòd claues ecclesiæ datæ sunt non uni, sed unitati. Hac ergo ratione doctores sancti usi uidentur hoc modo loquendi dicentes. Ecclesia dimittit peccata, ecclesia excommunicat, ecclesia absoluit, & huiusmodi, ut in c.quodcumque 24.q.1. quia nullus extra unitatem ecclesiæ constitutus ista agere ualet, ut inquit Augu.in ca.mulier. & in c.remissionem 7.q.1. Tertio quia quemadmodum in aliis sacramentis fides Christi, & charitas ecclesiæ operatur, ita etiam in clauibus ecclesiæ. Vnde Aug.dicit, ut in ca.ecclesiæ charitas, de con.dist.4.quòd ecclesiæ charitas dimittit peccata. Hinc est quòd quandoque ecclesiæ attribuitur actus ipse clauium, quia fides. & charitas ecclesiæ meritorie interuenit, licet ministeriali auctoritate solis sacerdotibus attribuendus sit. Ad secundam respondetur: quòd non quæcunque scientia discernendi, & peccata iudicandi dicuntur claues regni cœlorum: sed tantum ille qui ad hoc se extendunt, ut per eas iudicandus admittatur ad cœlestia. huiusmodi autem non fuit potestas sacerdotum legalium cum eorum sacerdotium non se extenderet ad cœlestia: sed ad figuras cœlestium. Cum autem sacerdotium Christi huius fuerit prærogatiue ut eo homo introducatur in cœlestia, profecto potestas quæ Christi sacerdotium siue euangelicum consequitur, conuenienter clauis regni cœlorum dicitur, non autem potestas sacerdotii leuitici quæ cum effectu non aperiebat.

Cap. XCVI. In quo posita distinctione potestatis iurisdictionis ponuntur conclusiones duodecim.

DECLARATA mente nostra circa potestatem sacramentalem siue ordinis, consequens est ut de potestate iurisdictionali quid nos iuxta doctrinam saniorem doctorum, & maximè sancti Tho. sentiamus, enucleemus. Est autem in primis sciendum quòd potestas iurisdictionis propriè dicitur potestas dicendi ius per modum imperii ad obseruandũ id quod præcipitur obligando. Circa quam sit ista prima conclusio, quòd potestas iurisdictionis est duplex secundum quod duplex distinguitur forum scilicet conscientiæ, & forum causarum. Patet quoniam quædam est potestas iurisdictionis in foro conscientiæ quam habet quicunque habet curã animarum, secundum quam potest absoluendos per imperium ad aliquid faciendum ligare. Alia est potestas iurisdictionis in foro causarum, per quam aliquis in negociis & causis diffiniendis quæ uertuntur inter hominem, & hominem habet facultatem diffiniendi, & ius etiam in inuitum dicendi de qua habetur dist.10.cap.1.ubi dicitur. Aliud est terminum causis imponere,

Cóclusio Prima

aliud

aliud est scripturas sacras diligenter exponere. Per hanc potestatem potest quis ad correctionem aliquam ab ecclesia per excommunicationem separari, de qua habetur Mat. 18. ubi dicitur. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico uobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, ubi dicit glo. Potestatem tribuit apostolis ut sciant qui a talibus damnantur humanam sententiam diuina sententia roborari. Harum autem duarum potestatum distinctio a quibusdam doctoribus designatur sic. Quia potestas iurisdictionis in foro causarum dicitur potestas coertiuæ iurisdictionis, quia fieri potest in inuitum. potestas uero iurisdictionis in foro conscientiæ dicitur potestas iurisdictionis non coertiuæ, quoniam in hoc foro nullus inuitus absoluitur uel ligatur. Secunda conclusio. Hæ duæ potestates iurisdictionis distinguuntur abinuicem, & separantur. Patet conclusio, quoniam simplices sacerdotes curam animarum habentes habent primam & non secundam, unde excommunicare non possunt nisi ex commissione eis facta siue in certis casibus a iure concessis, & econuerso multi iudices non sacerdotes in foro causarum habent secundam qui non habent primam, cum sacerdotes non sint, unde in foro conscientiæ non obediretur eis licet bene in causis super quibus iudices sunt constituti. Tertia conclusio. Vtraque harum potestatum iurisdictionis distinguitur a potestate ordinis. Conclusio patet. Tum primo, quia cum potestas ordinis ut supra dictum est in c. 92. circa conclusionem 6. idem sit essentialiter quod character sacerdotalis, sed character sacerdotalis est aliquid reale, & indelebile in anima impressum, & potestas iurisdictionis non sit huiusmodi, manifestum est quòd huiusmodi potestates realiter abinuicem distinguantur. Tum secundo probatur sic. Illa distinguuntur realiter quæ sic se habent quòd unum potest stare sine alio, sed sic est de istis clauibus. Nam multi potestatẽ ordinis habent qui nullam habent iurisdictionem sicut simplices sacerdotes nullam curam regiminis animarum habentes. Et econuerso multi habent potestatem iurisdictionis qui nõ habent potestatem ordinis, sicut habentes curam animarum qui nondum sunt sacerdotes. Item archydiaconi & electi & plures alii officiales non sacerdotes qui tamen excõmunicare possunt: ergo &c. Quarta conclusio. Licet potestas iurisdictionis realiter distinguatur a potestate ordinis: nihilominus necessaria est ad hoc ꝙ potestas ordinis in actum suum exeat, qui est absolutio a peccatis. Probatur conclusio, quia necesse est ut dispensator sacramenti penitentiæ talis sit qui possit imperare aliquid agendũ: imperium autem non competit alicui, nisi ei qui habet super alium iurisdictionem. Vnde non sufficit ꝙ uoluntariè se subiiciat qui uult absolui sed requiritur ꝙ auctoritate superioris sit subiectus confessori: ergo de necessitate huius sacramenti est non solum ꝙ minister habeat ordinis potestatem sed etiam ꝙ habeat potestatem iurisdictionis. Secũdo patet sic iuxta sanctum Tho. in 4. contra gentiles. Minister ecclesiæ in usu clauium iudiciũ quoddam exercet, nulli autem iudicium committitur nisi in sibi subiectos quod fit per iurisdictionem. Tertio confirmatur sic. Iudicium ecclesiæ in foro penitentiæ non debet esse minus ordinatum quàm iudicium seculare: sed in iudicio seculari non quilibet iudex potest iudicare quemlibet hominem, sed solum sibi subditũ: ergo similiter in foro penitentiæ nõ quilibet sacerdos põt iudicare peccatorẽ sed illum qui est sibi subditus, unde canon. 16. q. 5. quod nulli &c. Quinta conclusio. Potestas iurisdictionis etiam in

Secunda
Tertia
Quarta
Quinta

foro conſcientiæ non conuenit æqualiter omnibus ſacerdotibus. Patet conclusio quoniam aliquibus ſacerdotibus utputa epiſcopis amplior data eſt iuriſdictio tam quò ad populum ſubiectum quàm quò ad caſus reſeruatos, & hoc rationabiliter. Vnde in ueteri lege per cuius ſacerdotii iudicium ſacerdotii euangelici iudicium, & poteſtas figurata ſunt minoribus iudicibus non omnia competebat diſcutere ſed ad ſuperiores recurrebant unde dicitur Exod. 24. Si quid ortum fuerit quæſtionis referetis ad eos, ſcilicet ad Aaron & Hur qui amplioris, & ſuperioris erant poteſtatis. ergo ita in ſacerdotio euangelico conuenienter obſeruandum uenit quòd alii aliis poteſtate iuriſdictionis ſuperiores ſint & maiores.

Sexta

Sexta concluſio poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis in foro cauſarum ſiue exterioris iudicii licet dicatur clauis non tamen ita propriè, & immediate ſicut poteſtas ordinis. Patet concluſio cum poteſtas ordinis ſe extendat ad ipſum cœlum immediate remouendo impedimenta introitus in cœlum per dimiſſionem peccati: poteſtas autem iuriſdictionis directe ſe extendit ad ipſum cœlum ſed mediante eccleſia extra quam non eſt ſalus ſicut nec extra archam Noe, extra. de ſum. trini. & fide ca. ſ. una. Per excommunicationem autem fit homo extra eccleſiam militantem, & per abſolutionem intra. clauis ergo poteſtatis iuriſdictionis a qua hæc procedunt non eſt clauis regni cœlorum immediate ſed mediate.

Septima

Septima concluſio. Sicut in poteſtate ordinis duæ aſſignantur claues, ſcilicet clauis ſcientiæ, & clauis poteſtatis, ita in poteſtate ſpirituali iuriſdictionis. Patet iſta concluſio ex probatione nonę concluſionis poſitę ca. 92. ubi in ſumma dictum eſt quòd in omni actu qui requirit Idoneitatem ex parte recipientis duo neceſſaria exigebantur, uidelicet poteſtas diſcernendi de Idoneitate eius in quem iudicium eſt ferendum, & poteſtas ipſa diffiniendi ſiue iudicandi in cauſa, & per hæc diſtinguntur duæ claues in foro conſcientiæ. Cum ergo hæc duo ita neceſſario requirantur in foro cauſarum ſiue exterioris iudicii ſicut in iudicio conſcientiæ, ſequitur quòd ſimili neceſſitate ſcientia diſcernendi, & poteſtas iudicandi ſiue diffiniendi ponerentur claues poteſtatis iuriſdictionis ſicut, & poteſtas ordinis.

Octaua

Octaua concluſio. Sicut claues quæ aſſignantur in poteſtate ordinis non diſtinguntur eſſentialiter inter ſe, ſed per relationem ad diuerſos actus ſicut dictum eſt in ca. 92. circa concluſionem 10. ita claues in poteſtate iuriſdictionis ordinarię non diſtinguntur in eſſentia auctoritatis ſed ſunt una & eadem eſſentialiter, diſtinguuntur autem per relationem ad actus ſubordinatos. Patet concluſio, quoniam ad eandem auctoritatem ad quam pertinet ex officio diffinire aliquam cauſam ad eandem pertinet diſcretio iuſti, & iniuſti circa illam. Vnde ſicut poteſtas ordinis dicitur una clauis, ſcilicet ordinis propter unitatem eſſentiæ auctoritatis, duæ uero propter dualitatem actuum: ita poteſtas iuriſdictionis in foro exterioris iudicii propter unitatem eſſentiæ auctoritatis dicitur una clauis, ſcilicet iuriſdictionis, propter tamen dualitatem actuum ſubordinatorum qui ſcint diſcernere quid ſit iuſtum & quid nõ & condemnare uel abſoluere, dicuntur duæ claues eiſdem nominibus deſignatę quibus claues ordinis nominantur, ſcilicet clauis ſcientiæ, & clauis poteſtatis.

Nona

Nona concluſio. Licet apud iudices ſeculares in cauſis ſecularibus terminandis ad plenum iudicandum requiratur tam poteſtas diſcernendi de meritis cauſarum quàm poteſtas diffiniendi in cauſis abſoluendo uel condemnando; poteſtates tamen prædictæ claues regni cœlorum nominari

nari non possunt. Patet conclusio, quoniam præfatæ potestates cum seculares sint, & per consequens non se extendant ad spiritualia nec mediate nec immediate possunt dici aperire regnum cœlorum: ergo non possunt habere rationem clauium respectu regni cœlestis, consequentia est manifesta. Decima conclusio. Licet conuenienter mulieribus utputa abbatissis, & priorissis quandoque committatur aliquis usus clauium, scilicet correctio subditarum mulierum, nullo tamen modo conuenit eas habere potestatem clauium. Conuenientia uero primæ partis huius conclusionis patet, quia cum necesse sit in omni multitudine ordinata unum præesse & alia subiici .1. Politicæ; & periculosum sit uiris regere mulieres, conuenienter uni fœminæ committitur potestas alias regendi, & gubernandi. Conuenientia uero secundæ partis conclusionis ostenditur ex eo: quòd mulier non est idoneum subiectum principatus, cum secundum Apostolum sit in statu subiectionis. Dicit enim Apostolus. Mulieres in ecclesia taceant, non enim permittitur glo. ab aliqua auctoritate eas loqui sed subditas esse, & 1. ad Thi. 2. Mulierem docere in ecclesia non permitto nec dominari, gloss. aliqua prælatione spirituali. Vnde etiam philosophus dicit in politica sua, quòd corruptio urbanitatis est cum regimen siue dominium ad mulierem peruenerit. quod si de regimine siue potestate terrena uerum est: multo magis de spirituali censendum est. Ceterum hæc conclusio ex eo manifesta nobis fit, quòd beatissimæ uirgini Mariæ licet excellentior sit apostolis, non tamen illi sed ipsis Christus claues tradidit regni cœlorum, ut in ca. noua. extra. de pe. & remis. dicitur. Vndecima conclusio. Potestas spiritualis iurisdictionis licet aliis quàm sacerdotibus conuenire possit non tamen puris laicis aut etiam religiosis corona clericali non insignitis. Prima huius conclusionis pars patet ex tertia conclusione posita in hoc c. Secunda pars patet primo ratione, secundo auctoritate. Ratione sic. Spiritualis potestas non conuenit nisi homini assumpto ad statum uitæ spiritualis, & deputato singulariter cultui diuino, sed corona clericalis est per quam primo inter fideles de statu laicorum quis transit ad statum clericorum, & ad mancipandum diuinis officiis, unde ut notant doct. in 1. sententiarum dist. 25. tonsura est signum distinctiuum præparatiuum, & susceptiuum. Distinctiuum quidem status clericalis a statu laicali, præparatiuum uero seu dispositiuum, ut transeat ad susceptionem ordinum quibus spiritualis potestas datur. Est autem susceptiuum honoris regalis, quia per ipsam deputatur quis ad diuinum cultum seu seruitium. Seruire autem Deo regnare est, ut dicit Greg. ergo non nisi insignito corona clericali potestas iurisdictionis spiritualis committenda est, etiam si habeat monachalem coronam. Auctoritate patet præfata conclusio. Primo ex ca. 1. distinct. 96. ubi dicitur, quòd non solum de ordinibus sed etiam nec de rebus ecclesiasticis laicis legitur aliqua tributa disponendi facultas. Secundo ex ca. decernimus, extra de iudi. ubi ex synodo Eugenii Papæ sic dicitur. Decernimus ut laici ecclesiastica negocia tractare non præsumant, & episcopi & abbates archiepiscopi, & alii ecclesiarum prælati de negociis ecclesiasticis maximè de illis quæ spiritualia esse noscuntur laicorum iudicio non disponant, nec propter eorum prohibitionem ecclesiasticam dimittant iustitiam exercere. Duodecima conclusio est quòd licet potestas sacramentalis siue ordinis immobiliter adhæreat, potestas tamen iurisdictionis separabilis est. Patet prima pars conclusionis huius, quoniam potestas or-

Decima

Vndecima

Duodecima

dinis datur per consecrationem aliquam. omnes autem consecrationes ecclesiæ sunt immobiles manente re quæ consecratur, sicut patet in rebus etiam inanimatis. Nam altare semel consecratum non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum: ergo talis potestas secundum suam essentiam manet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quandiu uiuit siue in scisma siue in hæresim labatur, quod patet ex hoc, quòd rediens ad ecclesiā non iterum consecratur, sicut dicit beatus August. contra donatistas. Secunda pars conclusionis etiam patet, quia cum potestas iurisdictionis non per consecrationem detur sed ex simplici iniunctione hominis conferatur non immobiliter hæret his quibus confertur unde in scismaticis, & hæreticis non manet. patet sicut dicit Augu. contra donatistas. Non enim possunt absoluere aut excommunicare aut indulgentias facere, sicut ex c. nouatianus colligitur 7.q.1. ubi beatus Cyprianus inquit. Qui nec unitatem spiritus nec coniunctionem pacis obseruat & se ab ecclesiæ uinculo atque a sacerdotum collegio separat episcopi nec potestatem potest habere nec honorē. Idem etiam potest colligi ex eo quod Alexander 2. dicit in c. audiuimus 24. q.1. & quod Nicolaus Papa dicit in c. miramur. ibidem.

Cap. XCVII. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra aliquas conclusiones positas in præcedenti capitulo.

ADVERSVS maximè duas conclusiones positas in præcedenti capitulo obiicitur ab aduersariis. Et primo contra conclusionem quartam, in qua habetur in sententia quòd habentes potestatem ordinis in actum clauium absoluendo aliquem a peccatis exire non possunt nisi habeant auctoritatem iurisdictionis. arguitur sic rationibus domini Durandi in 4. distinct. 18. ubi multis rationibus probare nititur, quòd circumscripta omni ordinatione ecclesiæ quilibet sacerdos potest quemlibet absoluere. Primo sic. Concurrentibus omnibus ad sacramentum quæ sunt de necessitate sacramenti, & debita dispositione suscipientis est uerum sacramentum, & suscipiens recipit omnem effectum sacramenti, sed circumscribendo a sacramento penitentiæ omnem ordinationem ecclesiæ quilibet sacerdos est debitus minister & confessio omnium peccatorum est debita materia, forma autem debita est. Ego te absoluo &c. Confitens autem si sit penitens est sufficienter dispositus ad suscipiendum tam sacramentum quam effectum sacramenti: ergo eis concurrentibus non solum est uerum sacramentum sed etiam suscipiens uerè suscipit omnem effectum sacramenti. maior patet. minor est clara quantum ad materiam, & formam sacramenti sed dubia quantum ad ministrum, & dispositionem sacramenti. & quantum ad hoc probatur tribus mediis. Primo sic, quia quòd quilibet sacerdos non sit debitus minister nec quilibet peccator penitens sit sufficienter dispositus ad recipiendum sacramentum penitentiæ, & eius effectum a quolibet sacerdote non potest dici nisi quia penitentia est sacramentum iudiciale, & ideo requirit quòd minister eius sit sacerdos iurisdictionem habens & ꝙ iudicandus sit eius subditus, quod non inuenitur in quolibet sacerdote respectu cuiuslibet peccatoris sed istud non cogit, quia si penitentia sit sacramētum iudiciale est uoluntarium. Vnde sacerdos qui est iudex in sacramento peni-

Contra quartam conclusionem.

Arg. primum

Probatio

penitentiæ magis est arbitrarius de uoluntate partium assumptus quàm habens de se iurisdictionem super partibus eis inuitis uel altera inuita. Cum enim sacramentum penitentiæ agatur inter Deum, & hominem, constat ꝙ sacerdos ex parte Dei est iudex uoluntariè assumptus qui fecit sacerdotes mediatores, & arbitros inter se & homines, & ita est ex parte hominum, quia quantumcunque sacerdos sciret peccatum penitentis, nisi ipse penitens uoluntarie exprimeret, & exponeret se iudicio sacerdotis non posset sacerdos iudicialiter agere cum eo quo ad forum penitentiæ: ergo peccator uoluntariè se subdens iurisdictioni sacerdotis assumit ipsum quasi arbitrum quem Deus ad hoc assumpsit prius. uidetur ꝙ iste sit uerus iudex & ille uerus subditus dum tamen sit penitens. Secundo confirmatur sic, Papa nulli potest esse subditus nisi quantum uoluntariè alteri se subiicit. ex iure enim diuino nulli subiicitur sed omnibus præest. ex iure etiã humano nulli potest subiici, quia statuta canonum papam non obligant sicut nec leges imperatorem, ut notatur extra de const. c. 1. in glo. ergo cum subiiciat se alteri in foro penitentiæ necesse est quòd sufficiat subiectio quæ fit ex mera uoluntate. Quod etiam patet tertio ex alio, quia Papa non potest se subiicere iurisdictioni alterius quo ad forum contentiosum, unde non potest communicare alicui ꝙ excommunicet eum nisi sentẽtiæ eius paruerit. quia talis iurisdictio inuoluntaria est quo ad subditum & ex alterius uoluntate dependet, & similiter esset in iurisdictione fori penitentiæ nisi esset mere uoluntarium. Secundo sic principaliter. Si ex ordinatione diuina minister sacramenti esset habens iurisdictionem in casu extremę necessitatis non posset quilibet sacerdos quemlibet peccatorem absoluere, quia nulla necessitas mutat ministrũ a Deo institutum. Vnde sicut in extrema necessitate nullus potest absolui sacramentaliter nisi a sacerdote eo quòd sacerdos est institutus minister sacramenti penitentiæ, sic nullus potest absolui nisi a sacerdote habente iurisdictionem si iurisdictio requireretur ad ministrum ex institutione Christi. Tenet autem ecclesia ꝙ in casu necessitatis quilibet sacerdos potest quemlibet peccatorem absoluere de quolibet peccato nec ecclesia forte posset ordinare contrarium, ergo &c. Tertio idem patet sic: quia dato ꝙ minister sacramenti sit sacerdos habens iurisdictionem, idem sequitur, quia consuetudo dat iurisdictionem. sed tunc fuisset consuetudo quòd quilibet absolueretur a quolibet. ergo &c.

Cõfirmatio prima.

Cõfirmatio secunda.

Secundũ

Tertium

Cap. XCVIII. In quo respondetur ad obiectiones factas in præcedenti capitulo.

SANE absque omni dubitatione tenendum uidetur, quòd nullus sacerdos potest usum clauium habere absoluendo aliquem a peccatis, nisi adiunctã habeat potestati ordinis potestatẽ iurisdictionis. Vnde fatendũ est ꝙ sacerdos carens iurisdictione nõ est debitus minister sacramenti penitentiæ non solũ ex ordinatione ecclesiæ sed ex ordinatione diuina quod sic ostẽditur. Concurrẽtibus omnibus quę ex ordinatione diuina requirũtur ad sacramentũ, ecclesia uel papa non põt impedire effectũ sacramẽti: quia sicut ecclesia uel papa non potest immutare sacramentũ, ita nõ põt eius effectum impedire cõcurrentibus illis quæ ex ordinatione diuina requirũtur. Cũ ergo peccator confitendo, & penitens sit sufficiẽter dispositus ad recipiendũ tam

ſacramentum quàm rem ſacramenti, & integra confeſſio peccatorum ſit materia debita ex ordinatione diuina ut tenet eccleſia ſi ſacerdos carens iuriſdictione ex ordinatione diuina ſit debitus miniſter eccleſia non poteſt impedire quin peccator confitens, & penitens a ſacerdote tali non habenti iuriſdictionem ſit uerè abſolutus. Sed conſtat de facto quòd eccleſia impedit, quia tenet quòd talis non ſit abſolutus ſed tenetur iterum eadem peccata confiteri. Si forte dicatur quòd talis non eſt abſolutus, non quidem propter defectum miniſtri, ſed quòd confitendo ſacerdoti alteri quam habenti iuriſdictionem ſuper ipſum peccauit faciendo contra ordinationem eccleſiæ, unde confitendo alteri quàm debet ſecundum ordinationem eccleſiæ mortaliter peccans abſolutionis beneficium recipere non poterat. Sed hoc non ualet quia non conſtat quòd mortaliter peccet confitendo alteri quàm proprio ſacerdoti, cum eccleſia ſub præceptione non prohibuerit licet ordinauerit quòd quilibet ſemel in anno ſuo proprio ſacerdoti confiteatur. peccatum autem ueniale non impedit fructum abſolutionis, & præcipuè hoc conſtat ſi ex deuotione, & non contemptu confiteatur ignorans ordinationem eccleſiæ. Præterea eccleſia non tenet quòd talis non ſit abſolutus quia ſubiiciendo ſe alteri quàm deberet peccauit, quoniam hoc ſine omni peccato poteſt fieri ſi ſacerdos dicat ſe habere auctoritatem. Sed pro tanto tenet eccleſia quòd iſtè non ſit abſolutus, quia confeſſus eſt non habenti auctoritatem ſuper ipſum. Si autem dicatur quòd eſt uerè abſolutus ſed eccleſia non tenet eum abſolutum propter pericula quæ inde poſſent ſequi. Hoc autem eſſe non poteſt, quoniam inconuenientiſſimum eſt dicere quòd eccleſia dogmatizaret falſitatem quod faceret ſi eum qui uerè, & realiter ſacramentaliter eſſet abſolutus teneret ac doceret non eſſe abſolutum. Patet ergo quòd ſimplex ſacerdos carens iuriſdictione non eſt debitus miniſter ſacramenti penitentiæ. Et hinc eſt quòd in diffinitione clauium aliud ponitur pertinens ad ordinem & aliud pertinens ad iuriſdictionem, cum dicitur quòd eſt poteſtas ligandi atq; ſoluendi qua eccleſiaſticus iudex dignos recipere debet & indignos excludere habet a regno. His habitis dicendum eſt ad rationes in contrarium.

Ad primũ. Ad primam cum dicitur quòd ſacerdos carens iuriſdictione eſt debitus miniſter, reſpondetur quòd hoc non ſit uerum.

Ad probationem. Et quod ad probationem huius inducitur quòd miniſter huius ſacramenti eſt arbitrarius de uoluntate partium aſſumptus non ualet, quia licet de uoluntate Dei uoluntariè ſit aſſumptus in ſacerdotem non ſequitur tamen ex hoc quòd ex uoluntate Dei ſit quòd utatur claue in quemlibet, niſi alio modo probetur, ſicut licet ex uoluntate regis ſit quòd aliquis efficiatur balliuus uel præpoſitus, ex hoc tamen non habet quòd poſſet ſuo officio uti in quemlibet ſui regni. Et quod dicitur quòd ex parte ſubditi ſit etiam uoluntarius, dicimus quòd requiritur ex parte confitentis ꝙ uoluntariè ſua peccata confiteatur non quòd iſta uoluntaria confeſſio præbeat auctoritatem abſoluendi ſacerdoti, ſed quòd eſt diſpoſitio neceſſaria ad hoc quòd confitens beneficium recipiat abſolutionis. Poteſt enim aliquis peccator alicui uoluntariè confiteri cui auctoritatem abſoluendi non dedit, ut de ſe patet.

Ad confirmationẽ primam. Ad illud quod ſecundo inducebatur in confirmatione ſuperioris rationis reſpondetur quòd Papa poteſt ſe ſubiicere cui uoluerit cum cura illius nulli ſit determinate commiſſa ad cuius arbitrium ſatisfacere habet. Non ſic autem eſt de aliis quorũ cura commiſſa eſt alteri, ut puta Petro

qui

qui pastor constitutus est omnium fidelium secundum illud. Pasce oues meas Ioan.ulti. Vnde si Petrus mortaliter peccasset tenebatur confiteri: & quia nulli erat spiritualiter obligatus poterat cuique sacerdoti se subiicere, & subiiciendo iurisdictionem dare in seipsum in foro conscientiæ, licet ipse in seipsum uti clauium potestate non posset & ita de successoribus. Et si dicatur quod non potest dare quod non habet in se. Respondetur q᷑ licet nullus det quod non habet, dat tamen aliquis aliquid quod non eo modo sed alio modo habeat. Vnde prælatus dat præbendam quam non habet ad possidendum sed ad dandum, sic in hoc loco papa dat aliis iurisdictionem quam habet sed non in seipsum per seipsum exercendam sed per alium. Quare ut dominus Bonauen. dicit in 4.distinct.19.licet quia iurisdictio, & subiectio est ad alterum non possit quis sibi esse subiectus, nihil tamen prohibet ipsum subiici posse alii maximè si est libere potestatis. Quod pro tanto dicimus, quia & si alii quorum cura commissa est aliquibus determinate hoc facere non possunt, is tamen qui nulli determinate subiectus est sed est liber, potest hoc facere: sicut & si a. seruus Petri non potest se facere seruum Martini, tamen b. qui liber est potest se alteri tanquam seruum aut simpliciter aut quo ad aliquid submittere. Ad secundam confirmationem respondetur, quòd ratio facta ut dicit dominus Bonauen. dupliciter deficit. Primo quia excommunicatio est contra hominem. sed absolutio pro homine, & homo non potest auctoritate uti pro se quamuis posset contra se. Secundo ut dicit sanctus Thom. & dominus Bonauen. quia exterius iudicium est secundum homines siue inter homines, iudicium uero confessionis est quo ad Deum apud quem aliquis redditur minor ex hoc quòd peccat non autem apud hominem prælationes. & ideo in exteriori iudicio sicut nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere ut seipsum excommunicet. sed in foro conscientiæ potest alteri committere absolutionem sui licet ea ipse uti non posset sicut superius dictum est. Ad secundam rationem principalem respondemus negando consequentiam, quoniam ut inquit sanctus Thom. in 4.distincti.20. quis potest uti iurisdictione alterius ex eius uoluntate, quia ea quæ iurisdictionis sunt possunt committi. Ex uoluntate autem ecclesiæ est quòd unusquisque sacerdos non habens iurisdictionem habeat usum iurisdictionis in articulo necessitatis, & hoc maximè apparet quantum ad sententias excommunicationis a quibus constat quòd sacerdos inquantum sacerdos est, absoluere non potest, & tamen in articulo necessitatis potest quidem: quod non potest esse nisi ex iurisdictione commissa in illo casu. Ad tertiam principalem respondetur, quòd cum dicitur quòd consuetudo dat iurisdictionem, dicimus quòd hoc uerum sit si consuetudo iusta sit & non præiudicans iuri diuino siue intentioni legislatoris, secus iurisdictionem nó daret. Cùm autem iure diuino omnis Christianus dempto Petro uel eius successore satisfacere debet, contraria consuetudo si fuit, non ualuit. Et si aliqui in principio ecclesiæ legantur ut puta apostoli uel alii sancti apud eos apud quos declinabant, clauium potestate indifferenter usi fuisse; hoc non tamen sufficit nisi uoluntate expressa Christi aut Petri, & ita per consequens auctoritate fulti hoc egerant.

Ad secundá confirmationé.

Ad secundum arg.

Tertium

Cap. XCIX. Ostendens quòd potestas spiritualis clauium tam bonis sacerdotibus quàm malis communis est.

QVOD autem spiritualis potestas clauium non tantum bonis sacerdotibus sed etiam malis, & dis cholis communis sit; ita ut per malos sicut per bonos sacramenta dispensari possent, facile est ostendere multis rationibus. Pro quo in primis considerandum iuxta sanctum Tho. in 4. dist. 19. quod agens per se & agens instrumentale in hoc differunt, quod agens instrumentale non inducit in effectum similitudinem suam sed similitudinẽ principalis agentis. Principale autem agens inducit similitudinem suam, & ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens quòd habet aliquam formam quam in alterum transfundere potest. non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum. Cum ergo in actu clauium principale agens sit ipse Christus ut Deus per auctoritatem ut homo per meritum ex ipsa plenitudine diuinæ potestatis, & bonitatis in eo & ex perfectione gratiæ consequitur quòd possit in actum clauium. sed homo alius non potest in actum clauium sicut per se agens, quia nec ipse alteri gratiam qua remittuntur peccata dare potest nec sufficienter mereri, & ideo non est nisi sicut agens instrumentale, unde & ille qui effectum clauium consequitur nõ assimilatur utenti clauibus, sed Christo. Et propter hoc quantuncunque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clauium nisi applicetur ad hoc quasi minister per ordinis susceptionem. Patet ergo quòd potestas spiritualis in ministris ecclesiæ sicut per bonitatem uitæ non acquiritur sic nec per malitiam amittitur. Secundo hoc idem ostenditur sic iuxta sanctum Tho. in 4. contra gentiles. Nihil potest in id quod eius facultatem excedit nisi accepta aliunde potestate, quod tam in naturalibus quã in ciuilibus patet. Non enim aqua calefacere potest nisi accipiat uirtutem calefaciendi ab igne, nec balliuus ciues coercere potest nisi accepta potestate a rege. Ea autem quæ in sacramentis aguntur facultatem humanam excedunt. ergo nullus potest sacramenta dispensare quantumcunque sit bonus nisi potestatem accipiat dispensandi. Bonitati autem malitia opponitur & peccatum. ergo nec per peccatum ille qui potestatem accipit impeditur quò minus sacramenta dispensare possit. Tertio sic. Homo dicitur bonus uel malus secundum uirtutem uel uitium quæ sunt habitus quidam: habitus autem a potentia in hoc differt, quòd per potentiam sumus potẽtes aliquid facere, per habitum autem non reddimur potentes uel impotentes ad aliquid faciendum, sed habiles uel inhabiles ad id quod possumus bene uel male agendum. per habitum ergo nec datur nec tollitur nobis aliquid posse sed hoc per habitum accipimus unde bene uel male aliquid agamus. Non ergo ex hoc quod aliquis est bonus uel malus est aliquis potens uel impotens ad dispensandum sacramenta, sed idoneus uel minus idoneus ad huiusmodi dispensandum. Quarto sic. De bonitate & malitia alterius hominis homo iudicare non potest, hoc enim solius Dei est qui occulta cordis rimatur. Si enim malitia hominis impedire posset actum clauium siue effectum sacramenti, non posset homo habere fiduciam certam de sua salute,

ut

ut conscientia sua libera maneret a peccato. dato enim illo nemo sciret utrū absolueret uel ligaret, & utrum absolutus sit uel ligatus: & ita dubitatio maxima & perplexitas in ecclesia Dei relinqueretur, quod nullo modo conuenit constitutioni ecclesiæ quæ fundata est in fundamento ueritatis æternæ ergo &c. Quinto sic. Si potestas clauium sequeretur sanctitatem uitæ, cum tota die fiat transmutatio in sanctitate, quia qui modo minus sanctus est fit magis sanctus, & econuerso. sequitur quòd modo subditus fieret prælatus & modo prælatus subditus, & ita nulla stabilitas esset in ecclesia quod exhorret fides recta. ergo idem quod prius. Sexto idem ostenditur ex eo quod dominus ait Mat. 23. Super cathedram Moysi sederūt scribæ & pharisæi quę autem dicunt uobis, seruate & facite: secundum autem opera eorum nolite facere. Ecce quòd malis prælatis Christus iubet obediendum, quod non faceret nisi in eis etiam malis existentibus spiritualis potestas maneret. Non ergo propter peccata ministrorum potestas spiritualis eis collata amittitur aut minuitur in eis. Ex quibus manifesta luce excluditur primò error dicentium, quòd omnes boni fideles habent potestatem sacramenta dispensandi. Secundo error dicentium ꝙ nulli mali sacerdotes habent potestatē dispensandi sacramenta. Tertio error dicentiū ꝙ omnis potestas spiritualis a Christo ecclesiæ ministris data sit iam euacuata propter malitiam eorum.

Cap. C. In quo ponuntur obiectiones aliquæ aduersariorum contra ea quæ dicta sunt in cap. præcedenti.

FVERVNT autem quidam perditi homines nomine Valdenses, qui dogmatizare præsumpserunt solis sacerdotibus qui uita, & doctrina pollerent sicut apostoli concessum esse potestatem ligandi, & soluendi. Quem errorem auctoritatibus, & rationibus fulcire conati sunt. Primo sic. In donatione siue promissione clauium quæ facta est Petro, primo commendatus est Petrus, unde dictum est sibi. Beatus es Symon Bariona, & postea sequitur. Et ego tibi dabo claues regni cœlorum. ergo uidetur quòd si claues regni cœlorum datæ sint Petro ratione bonæ, & fidelis confessionis, & in Petro datæ sunt omnibus sacerdotibus, ut Ambro. Hyero. & Augu. testantur, quòd ad illos tantum clauium potestas deriuata sit qui Petri in uita & doctrina imitatores sunt. Vnde Augu. dicit super Ioan. quòd quando dictum est Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum: Petrus typum gerebat bonorum. ergo uidetur ꝙ soli boni sacerdotes habeant usum clauium. Secundo sic. Ioan. 20. cum datæ sunt claues apostolis, dictum est. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata &c. Si ergo ante donationē siue usum potestatis dedit illis Christus spiritum sanctum, uidetur quòd qui non habeant spiritum sanctum, non habeant potestatem siue usum clauium: sed mali non habent spiritum sanctum quia ut habetur Sapientiæ. i. Spiritus disciplinæ fugiet fictum. ergo &c. Tertio ex eo quod ait beatus Augu. in li. de baptismo, & recitatur de con. dist. 4. in c. quomodo. Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos. ipsam uero gratiam non nisi per seipsum uel per sctōs suos, & ideo remissionē peccatorū per seipsum facit uel per ipsius columbæ mēbra. Sed remissio peccatorū est usus clauiū: ergo peccatores qui nō sunt columbæ membra usum clauium non habent. Quarto ostenditur idem

Error Valden.

Arg. primum

Secundū

Tertium

Quartum

ex illo Aug. quod habetur in c. remissionem 7. q. prima. Remissionem peccatorum auari non dant quæ per orationem, id est per columbæ gemitum datur, & sequitur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus dominus dicit si cui remiseritis peccata remittentur eis, cui non remiseritis tenebuntur. ergo id quod prius. Quinto arguitur ex illo Greg. Illi soli habent in hac uita positi ligandi, & soluendi potestatem sicut sancti apostoli qui illorum exempla simul cum uita tenent. Sexto idem arguitur ex dicto Origenis dicentis ut deducit magister sententiarum in 4. distinct. 28. Hæc potestas soli Petro concessa est, & imitatoribus eius. nam quicunque uestigia Petri imitantur habent rectè ligandi, & soluendi potestatem. Septimo ratione sic. Nullus sapiens rex dispensationem thesauri sui committit suo inimico, sed usus clauium consistit in dispensatione thesauri cœlestis regis: ergo mali sacerdotes qui cum per peccatum mortale sint inimici Dei, non uidentur habere usum clauium. Octauo sic. Nullus sapiens distributor dat potentiam distribuendi illi quem scit omnino indignum, sed peccator in peccato existens est omnino indignus tali potestate absoluendi, scilicet & ligandi, & dominus hoc nouit qui talem tribuit potestatem: ergo uel Deus insipienter largitur dona sua, quod non est dicendum, uel nulli tali indigno tribuit talem potestatem.

Quintũ

Sextum

Septimũ

Octauũ

Cap. CI. In quo dantur responsa ad obiectiones factas.

PRÆMISSIS non obstantibus dicendum est ut prius, uidelicet ꝙ potestas dispensandi sacramenta siue clauium usus communis sit tam sacerdotibus bonis quàm malis. Quod etiam conuenientissimè atque sapientissimè ordinatum esse sic ostendit sanctus Tho. in 4. contra gentiles. Inconueniens uidetur ut placet salutis in bonitate puri hominis quis ponat. Dicitur enim. Hiere. 17. Maledictus homo qui confidit in homine. si autem homo consequi salutem per sacramenta non speraret nisi a bono ministro dispensata, uideretur spem suæ salutis aliqualiter in homine ponere. ut ergo spem nostræ salutis in solo Christo ponamus qui Deus, & homo est, confitendum est quòd sacramenta sunt salutaria ex uirtute Christi, siue per bonos siue per malos ministros dispensentur. Dicendum est ergo ad rationes factas in oppositum. Pro quarum solutione notandum iuxta dominum Bonauen. in 3. sententiarum, disti. 10. quòd dupliciter loqui possumus de clauium collatione alicui. Aut quantum ad ea quæ sunt de necessitate, aut quantum ad ea quæ sunt de idoneitate. Si loquamur primo modo quantum ad ea quæ sunt de necessitate siue ad esse clauis sufficit donum spiritussancti secundum gratiam gratis datam, hoc enim infallibiliter secundum diuinam institutionem datur omni suscipienti ordinis sacramentũ siue sit bonus siue sit malus. Ratio autem huius est, quia donum gratiæ gratis datæ nõ repugnat iniquitati quia insimul esse potest cum ea, sicut patet in scientia & in aliis donis. Et rursus peruersitas non repugnat utilitati illius doni, sicut enim prædicator malę uitæ sæpe bene prædicat, & frequenter fructificat. Propter quod dominus noluit prohibere eum qui in nomine eius eiiciebat dæmonia quamuis cum non sequeretur, ut habetur Math. 9. quia hoc erat ad utilitatem aliorum, sic quia bonum illud gratiæ gratis datæ ordinatum

est

ste ad utilitatem cōmunem quamuis non ualet accipienti tamen ualet aliis. Et ideo dominus qui in distributione sacramentorum utilitatem communē considerat, & suam institutionem non retractat, malis etiam confert istam potentiam qui ordinati sunt secundum ecclesiæ catholicæ formam. Si ergo quantum ad id quod de necessitate clauium loquamur siue quantum ad esse siue quantum ad executionem, cum nihil exigatur ad hoc nisi ordo, & iurisdictio præfata potestas clauium tam in bonis quam in malis est. Si autem loquamur quantum ad ea quæ spectant ad idoneitatem, cum ad debitū usum officii concurrat meritum, & auctoritas prælationis, conuenit ut talis habeat charitatem siue uitæ sanctimoniam: quia cum illud sit officium mediatoris, & reconciliatoris, & auctoritas ista sit iudiciariæ potestatis, & nullus sit bonus mediator qui est inimicus, nullusque sit bonus iudex in ea causa in qua est reus, conuenientissimum est ut minister huius potestatis sit mundus, & sanctus. Vnde Esa. 52. Mundamini qui fertis uasa domini, alias & si minister sit non tamen idoneus siue dignus est. His notatis facile est respondere obiectis. Ad omnes namque auctoritates inductas in oppositū unica responsio dari potest, uidelicet quòd loquantur de clauibus siue de usu earum quantum ad idoneitatem, non autem quantum ad necessitatem: quoniam licet omnes sacerdotes habeant potestatem soluendi, & ligandi, non tamen rectè ac digne habent nisi qui uitam, & doctrinam apostolicam seruant. unde præmissæ auctoritates non dicunt malos sacerdotes potestatem præfatam non habere, sed illos solos digne ac rectè hac potestate uti significant qui prædita sunt uita, & doctrina apostolica, ut exponit magister sententiarum in 4. distinct. 20. Ad primum igitur respondetur, quòd licet uitæ sanctimonia requiratur in ministro utente claue de congruitate non tamen de necessitate, ut superius ostensum est. Vnde cum soli apostolorum imitatores dignè rectecę possint ligare, & soluere, ratio illa bene probat quòd nemo digne habeat usum clauium qui non fuerit sanctimoniæ Petri imitator. Ad quem sensum dicit August. quòd beatus Petrus qui cum potestate habuit idoneitatem in receptione clauium figuram gesserit bonorum. Ad secundam & est eadem responsio, dicimus enim quòd ad usum clauium requiritur de necessitate donum spiritussancti, intelligendo per donum spiritussancti donum gratiæ gratis datę quod est ipsa potestas clauium. Sed intelligendo per donum spiritussancti donum gratiæ gratum facientis non requiritur de necessitate, ita ut sine eo fieri non possit, bene de congruitate, siue quia sine eo incongrue uel non rectè fit ex parte utentis quamuis subiiciens se clauibus clauium consequatur effectum, & ideo ratio non procedit. Ad tertiam respondetur quòd beatus Aug. ut dicit sanctus Tho. loquitur de remissione peccatorum secundum quòd sancti homines cooperantur ad ipsam non ex ui clauium sed ex merito congrui. Et ideo dicit quòd etiam per malos sacramenta ministrat inter quæ absolutio sacramentalis computanda uenit sed per membra columbæ, id est per sanctos uiros facit remissionem peccatorum inquantum eorum intercessionibus peccata remittit. Vel potest dici quòd membra columbę nominat omnes ab ecclesia non præscisos. qui enim ab eis sacramenta recipiunt gratiam consequuntur, non autem qui recipiunt ab illis quæ sunt ab ecclesia præscisi, quia hoc ipso peccant excepto baptismo quem in casu necessitatis licet etiam ab excommunicato recipere. Ad quartam respondetur eo-

Respōsio cōis ad obiecta.

Ad primū

Ad secū-dum

Ad tertiū

Ad quar-tum

dem modo quòd August. loquitur de remissione peccatorum quæ fit non ut clauium sed merito congrui siue suffragio orationis ecclesiæ. unde ait, quæ per orationem, id est columbæ gemitum datur, uel loquitur quantũ ad idoneitatem non quantum ad necessitatem, unde gloss. decreti dicit sic. Auari remissionem peccatorum non dant, id est non sunt digni dare. Vel etiam per auaros raptores, & fœneratores intelligit præscisos, ut eadem gl. etiam exponit. Ad quintam respondetur quòd dictum beati Greg. accipiendum

Ad quintum

est quemadmodum dictum beati August. scilicet quantum ad idoneitatem usus clauium seu dispensationis sacramentorum, quoniam uerissimum est quòd nullus digne recteque hoc exequi potest sicut apostoli nisi qui eorum

Ad sextũ

doctrinam, & uitam imitatus fuerit. Ad sextam quæ est auctoritas. Origenis eodem modo est respondendum. Ad septimam rationem respondetur

Ad septimum

iuxta sanctum Thom. in 4. cum dicitur: quòd nullus sapiens &c. hoc uerum sit de rege qui defraudari aut decipi possit quales sunt reges terreni, talis autem non est rex cœlestis qui defraudari non potest. quicquid enim facit totum ad eius honorem cedit etiam quòd aliqui male clauibus utantur quia nouit ex malis bona elicere & etiam per malos multa bona facere, & ideo non est simile. Ad octauam iuxta dominum Bonauen. in 4. respondetur dupliciter. Primo quòd Deus non dat indigno propter se sed propter com-

Ad octauum

munem utilitatem, & ideo malus quamuis non sit dignus habendi, potest tamen esse utilis, & ideo ei confert. Secundo dicitur quòd hoc facit Deus ad ostendendum abundantiam largitatis suæ qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Math. 5. Et hæc pro primo huius summæ libro.

Primi Libri Finis.

DE ROMANA ECCLESIA, ET DE EIVS PONTIFICIS PRIMATV LIBER SECVNDVS.

Cap. I. Ostendens quòd in ecclesia sit ordo.



XPLETO sermone de uniuersali ecclesia in superiori libro, reliquum est ut secundum librum in quo de ecclesia Romana, & pontificis eius primatu nos loqui polliciti sumus, attingamus. Ostendemus autem in primus tanquam omnium dicendorum in hoc libro potissimum fundamentum, quòd in ecclesia (quam in superiori libro multipliciũ ordinum statuum ac officiorum uarietate distinctam ornatamque ostendimus) esse debeat & sit ordo siue gradus superioritatis, quo quidam in ea potestate ac dignitate siue officio aliis superiores sint ac potiores. Quod nobis ostendere ex multis facile est. Primo sic iuxta sanctum Thom. in 4. Deus enim ita opera sua in sui similitudinem producere uoluit ut perfecta essent, & per ea cognosci posset. & ideo in suis operibus repræsentaretur non solum secundum quòd in se est sed etiam secundum quòd aliis influit. Hanc legem naturalem posuit omnibus ut ultima per media perficerentur, & media per prima ut dicit beatus Diony. Decentissimè ergo ne huiusmodi pulchritudo deesset ecclesiæ posuit ordinem in ea, ut quidam aliis influerent sacramenta aliis dispensando suo modo in hoc Deo assimilati quasi Deo cooperatores. ergo in ecclesia est ordo & graduum differentia potestatis. Secundo sic. Æquè uel magis debet esse regulatus processus ecclesiæ ordinatus ad esse gratiæ quàm processus naturæ ordinatus ad esse naturæ: sed in processu naturæ est ordo quo quidam aliis sunt superiores officio & habent aliis influere: ergo & in ecclesia debet esse ordo quo quidam aliis sunt superiores potestate, & officio & habent aliis influere, doctrina scilicet & sacramentorum dispensatione. Tertio sic. Ecclesia militans exemplata est a triumphante siue cœlesti, secundum illud Exodi. 24. Inspice, & fac secũdum exemplar tibi monstratum in monte. Vnde beatus Dionysius in c. 6. ecclesia. hierar. dicit ita. Nostra enim hierarchia a Deo traditis ordinibus sanctè disposita sanctis, & cœlestibus hierarchiis conformis est. De qua etiam conformitate ipse cœlorum conditor & amator inquit. Iob. 36. Nunquid nosti ordinem cœli, & rationem eius pones in terra, subaudi ut ego, inquit beatus Gregorius in glo. Ordo quidem cœli in terra ponitur, hoc est in militante ecclesia, cum a triumphantis ecclesiæ exemplari militans disponitur, & formatur: sed in ecclesia triumphanti est ordo quo quidam angeli sunt aliis potestate superiores, & dignitate & habent eis influere diuinas illuminationes: ergo similiter in ecclesia militante talis ordo siue gradus superioritatis ponendus est quo quidam aliis habeant diuina ministrare. Et hæc est ratio beati Grego. in cap. ad hoc 89. distinct. ita loquentis. Quia uero quæcunque creatura in una eademque qualitate gubernari uel uiuere non potest cœlestium militiarum exemplar nos instituit, quia dum sunt angeli, & archangeli, liquet quia non æquales sunt sed in potestate, & ordine sicut nostis

differunt alter ab altero. Quarto confirmatur ista ratio sic. Ecclesia militans est instituta ad formam hierarchiæ. Vnde de ecclesiastica hierarchia beatus Diony. librum illustrem fecit qui ita de ecclesiastica hierarchia intitulatur. Sed ratio hierarchiæ in ordine potestatis consistit. Dicitur enim hierarchia a hieros quod est sacrum & archos quod est principes, quasi sacer principatus. Et Diony. diffiniens hierarchiam lib. cele. hierar. ca. 3. dicit, quod est ordo scientia, & actio &c. ergo sequitur quòd præfatus ordo hierarchicus, sit in ecclesia ponendus. Quinto sic. Ecclesia constituitur ex duplici pariete siue latere, scilicet laicali, & clericali, sed in pariete laicali est ordo, ut pote imperator rex dux, comes, tribunus, ballius, centurio, decurio omnia hæc ordinem dicunt: ergo uidetur quòd in pariete clericali qui spirituali militia Deo militat debeat esse huiusmodi ordo, ratio est manifesta. Sexto sic. Omnis multitudo aut confusa est aut ordinata sed uniuersitas ecclesiæ cum sit a sapientissimo Christo instituta, & Apostolus dicat ad Rom. 12. Quæ a Deo sunt ordinata, confusa esse non possunt. Vnde de ipsa dicitur Cant. 4. quòd sit ut castrorum acies ordinata. ergo necesse confitendũ est quòd in ea ordo sit & esse debeat, maximè cum ordo faciat ad concordiam, & decorem & ad firmam existentiam uniuersitatis, secundum illud beati Greg. in c. ad hoc distinct. 89. ita dicentis. Ad hoc dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reuerentiam minores exhiberent potioribus, & potiores minoribus dilectionem impenderent, uera concordia fieret, & ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. nec enim uniuersitas alia poterit ratione consistere nisi huiusmodi eam magnus differentiæ ordo seruaret, hæc ille. Ratione autem pulchritudinis quæ in ecclesia ex huiusmodi ordinis differentia consurgit dicitur 3. Regis 10. quòd regina Saba uidens omnem sapientiam Salomonis, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium non habebat ultra spiritum. Quod uerbum pertractans Origenes li. 2. super Cant. dicit. Per hoc puto ecclesiasticum ordinem dici qui in episcopatus uel presbyterii sedibus habetur. Ex quibus apertissimè conuincitur error & stultitia negantium ordinem in ecclesia, asserentes omnes ecclesiæ ministros æqualis esse potestatis.

Cap. II. Ostendens quòd talis ordo sit & debeat esse in ecclesia ut unus in ea superior sit princeps, ac rector existat.

ORDO autem qui in ecclesia est & esse debuit, ita accipiendus est, ut unus in tota uniuersitate reip. Christianæ summus princeps rector ac gubernator esse credatur. Quod multiplici ratione colligitur. Primo sic. Ex dictis ordo potestatis est in ecclesia, ut in præcedenti c. est ostensum, sed ordo iste intelligitur secundũ prælationẽ, & subiectionem. prælatio autẽ attenditur secundũ ascensum, & descensum non secundũ æqualitatem, & ascendendo superius necesse est status, & reductio ad unũ cum nõ sit processus in infinitũ, & econuerso descendendo multiplicatio. ergo secundũ rectũ ecclesiæ ordinẽ oportuit aliquẽ unum esse prælatũ & supremũ in quo totius potestatis ecclesiasticę esset status qui omniũ aliorum esset rector & pastor. Vnde dominus de hac ecclesiæ suę regiminis dispositione futura loquens per prophetam ait. Suscitabo super eos pastorem unum, Ezech. 34.

Et pastor unus erit omnium uestrum. Ezech. 37. Secundo sic iuxta sanctum Thom. in 4. contra gentiles. Nulli dubium esse debet quin ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum per quem reges regnant & legum conditores iusta decernunt. Optimum autem regimen multitudinis est quod regatur per unum, quod patet, tum auctoritate Aristo. 11. Metaphysicæ, & 3. polyticorum, tum ex fine regiminis. Pax autem, & unitas subditorum est finis regentis, ut inquit Augustinus. Vnitatis autem causa congruentior est unus quàm multi. ergo regimen ecclesiæ sic a Deo esse dispositum creditur, ut unus in eo toti ecclesiæ præsit. Tertio sic. Ad unitatem ecclesiæ requiritur quòd omnes fideles in fide conueniant.. Vnde primæ ad Corin. 1. inquit Apostolus. Idipsum dicatis omnes & non sint in uobis scisinata. Est autem fides religionis Christianæ fundamentum, secundum illud ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Circa ea uero quæ sunt fidei contingit quæstiones moueri. per diuersitatem autem sententiarum diuideretur ecclesia nisi in unitate per unius sententiam conseruaretur. Exigitur ergo ad unitatem fidei in ecclesia conseruandam, ut sit unus qui toti ecclesiæ præsit, ut doctor & rector. manifestum est autem q̃ Christus ecclesiæ non deficit in necessariis quam dilexit & pro qua sanguinem suum fudit, cum & de synagoga dicatur per dominum. Quid ultra debui facere uineæ meæ & non feci, Esa. 5. Non est ergo dubitandum quin ex ordinatione Christi unus toti ecclesiæ præsit. Quarto sic. Ecclesia militans sicut in præcedenti c. argutum est ab ecclesia triumphante deriuatur. unde Ioan. in Apocal. 21. ait. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo a Deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo, sed in triumphante ecclesia unus præsidet qui etiam præsidet toti uniuerso scilicet Deus. ergo in militante ecclesia etiam debet esse unus præsidens etiã uniuersis. Hac ratione beatus Bernar. utitur lib. 3. de consideratione ad Eugenium ita dicens. Non uilem repures formam hanc quæ in terris formam habet in cœlo. uidit hoc qui dicebat. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo, &c. sicut enim Seraphyn, & Cherubin, & ceteri ordines sunt sub uno capite Deo; ita & hic Patriarchæ archiepiscopi & reliqui sub uno pontifice summo, quod non est paruipendendum quòd Deum habet auctorem & quòd de cœlo ducit originem. Hæc ille.
Quinto sic. In ecclesia Dei non debet esse minor unitas quàm in synagoga immo tanto maior quanto sacerdotium euangelicum excellentius est leuitico. sed in synagoga erat unus summus pontifex qui præerat omnibus sacerdotibus s. Aaron & postea Eleazar, & sic de aliis successoribus. cum is qui summo sacerdoti non obediebat reus erat mortis, ut habetur Deut. 17. ergo multomagis in ecclesia debet esse unus summus pontifex cui omnes tanquam superiori obedire teneantur. Sexto sic. In uno speciali populo unius ecclesiæ requiritur unus episcopus qui sit totius populi caput: cum summa regiminis fidelis populi ad episcopalem pertineat dignitatem. ergo etiam in toto populo Christiano requiritur quòd sit unus totius ecclesiæ caput. consequentia patet. Septimo sic iuxta sanctum Tho. in 4. Vbicunque sunt multa ordinata in unum oportet esse aliquod uniuersale regitiuum super particularia regitiua, quia in omnibus uirtutibus, & actibus, ut dicitur 1. Ethicorum, est ordo secundum ordinem finis. bonum autem commune dicitur diuinius quàm bonum speciale. & ideo supra ptãtem regitiuã quæ cõ-

municat bonum speciale oportet esse potestatem regitiuam respectu boni communis, alias non potest esse colligatio ad unum: ergo cum tota ecclesia sit unum corpus, oportet si ista unitas debeat conseruari quòd sit aliqua potestas regitiua respectu totius ecclesię supra potestatem episcopalem qua unaquæq; specialis ecclesia regitur, & gubernatur & hæc est potestas papæ. Vnde ex hoc concludit sanctus Tho. quòd qui hanc potestatem supremam negant scismatici dicuntur quasi diuisores ecclesiasticæ unitatis. Octauo sic. Regimen ecclesiæ non creditur minus ordinatum esse quam regimen naturæ: immo ordinatius dispositum cum gratia supergrediatur naturam, sed in his quæ uidemus in natura ubicunq; est regimen naturale semper illud totum regimen reducitur ad unum principale regitiuum omnium, ut in corpore animalis in quo sunt diuersa membra diuersis officiis & actibus diuersis deputata oportet dare unum membrum, uidelicet cor uel caput unde omnium aliorum membrorum motus sensus, & gubernationis regimen deriuetur. Item tota machina uniuersi est unum cœleste corpus, uidelicet primum mobile per cuius motum mouentur & reguntur motus corporum inferiorũ, ut habetur per Aristotel. 8. physicorum. In toto etiam mundo est unus supræmus s. Deus unus rex uniuersæ terræ: ergo pariter in regimine ecclesiæ oportet quòd sit unus qui toti Christianæ uniuersitati præsideat caput, & rector illius. Nono sic. Tota ecclesia Dei est una. Can. 6. Vna est columba mea. Est unum corpus 1. Corin. 12. Multi unum corpus sumus. Est una ciuitas, secundum illud psal. Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas. Vna hierarchia, ut patet per sanctum Dyonisium lib. eccl. hierar. Vnum ouile. Io. 10. ergo necessario in tota ecclesia est dandus unus supremus præsidens & rector, unum caput totius corporis, unus princeps totius ciuitatis, unus Hierarcha totius Hierarchiæ, unus pastor totius ouilis siue gregis dominici. & ita idem quod prius: hinc dicitur Ioel. 1. Congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter exponent sibi caput unum. Et dominus ait. Ioan. 10. Erit unum ouile, & unus pastor. Decimo sic. Ecclesia est regnum, siue ecclesiæ principatus est Monarchicus siue regalis. Hoc patet tum ex multis sacræ scripturæ locis ubi ecclesia regnum cœlorum nominatur. Vnde & Esa. nono dicitur. Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis. Et sequitur. Super solium Dauid & regnum eius sedebit, gl. i. ecclesiam, & Lucæ 1. dicitur. Regni eius non erit finis. Tum etiam quia optimum genus politiæ est Monarchicum siue regale, cum iuxta sententiam Arist. 3. polyti. omnium urbanitatum perfectissima sit regnum quod consistit ex omni ordine ad unum secundum perfectissimam gubernationem, propter quod Dyo. li. de di. no. c. ii. dicit. Quòd regnum est omnis finis legis & ordinis distributio: sed regnum est in quo potestas regiminis residet apud unum toti multitudini præsidentem, ut tam ex 8. ethyc. quàm ex 3. poly. aperte colligitur. ergo talis a Deo ecclesię principatus constitutus est, ut unus in eo superior potestate præsideat & principetur. Hoc enim est de ratione legalis siue Monarchici principatus ut dictum est. Dicitur enim Monarchicus a Monos quod est unũ & Archos quod est princeps, quasi unus princeps toti multitudini præsidens. Et confirmatur per illud quod idem diuus Dyon. in principio tam cœlestis quàm ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit. Quòd ratio ornatus, & decentissimæ dispositionis attenditur in ordinatorum consonantia & connexione adinuicem, & ad unum simpliciter primum Monarcham. Vndecimo sic. Principatus ille uidetur omnibus aliis

præstantior

præstantior & nobilior quo inter subditos charitas & pax ac concordia maximè nutritur fouetur & conseruatur,& quo seditio & discordia quæ est cuiuslibet communis corruptio præcipue deuitatur. hoc patet: quoniam sunt quæ maximè princeps cuiuscunque principatus tenetur nutrire & fouere in subditis.Nam ut Cassio. in epistolis suis dicit. decet regalis apicis curam, gentem sibi commissam custodire concordem: quoniam ad laudem regnantis trahitur si a sibi subditis pax habetur. nihil quoq; est quod sic principem prædicet sicut quietus populus,& concors senatus totaq; resp. morum honestate uestita.Vnde princeps pacis Christus super cuius humerum factus est principatus Esa.9.corporaliter a fidelibus discessurus pacem & dilectionem præcipuè illis commendauit,di.Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis,Ioan.13. Et iterum. Hoc est præceptum meum,ut diligatis inuicem,&c.sed hoc magis & congruentius fit,si principatus fuerit apud unum sicut est in regno:quam si fuerit apud plures sicut in Aristocrasia siue in politia,unitatis enim & pacis congruentior causa est unus quàm plures. ergo sequitur quòd talis ecclesiæ principatus, scilicet Monarchicus siue regalis in quo omnium ordinatorum reductio ac adunatio est,redigatur ad unum principem potestate & auctoritate omnibus præsidentem. Hinc ecclesia per archam Noe designatur quæ in uno cubito consummata fuit Gen.6. Duodecimo præfatus ordo,scilicet omnium ad unum adunatio in ecclesia clarissimè probatur ex eo quòd commendabilior est atque præstantior. Vnde de eius commendatione loquitur dominus Albertus magnus in li. suo de missa dicens.Hæc adunatio scilicet multorum per omnem ordinem graduum ecclesiæ ad unum caput in cœlo refulget,in naturis ostenditur, in operibus exemplificatur,in diuinis legibus præcipitur, & in toto corpore mystico obseruatur. In cœlis enim Angeli ad Archangelos, Archangeli ad principatus,& principatus ad potestates, potestates ad uirtutes, uirtutes ad dominationes, dominationes ad thronos, & throni ad Cherubyn, & Cherubyn ad Seraphyn secundem obedientiæ & illuminationis ordinem ordinati ordinantur, & ipsa multitudo angelorum quæ in quolibet est agmine ad unam personam quæ in quolibet ordine præeminet adunatur.Et ideo ordo cœli uocatur,quia omnis ordo est multorum in gradibus differentium ad unum Iob. 38.Nunquid nosti ordinem cœli,& rationem eius pones in terra. Hoc etiam in naturis ostenditur,ubi multi ramusculi ad uirgas, ubi multæ uirgę ad ramum,ubi multi rami ad stipitem unum, ubi multi stipites in una radice infiguntur, ut omnia socia fiant & participia succi qui est in radice ad Rom.11. Socius radicis oliuæ & pinguedinis factus es.Sic multæ grues unam sequuntur ordine litterato. sic multa membra in corpore unius capitis percipiunt beneficia 1.Corint.12.Sicut enim multa membra in uno corpore habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo. In Christi operibus hæc adunatio etiam exemplificatur, quia Christi opus semper est in unum colligere dispersa.Diaboli autem opus est adunata diuidere & dispergere. Hinc est quòd Ioan.10.dicitur.Fiat unũ ouile & unus pastor.Et Math.12.Qui non colligit mecum dispergit. Hæc adunatio præcipitur in legibus diuinis quia sicut dicit beatus Dyo. Lex diuinitatis est per prima media,& per media ultima reducere.Talis autem reductio ultimorum ad media & mediorum ad prima non potest esse nisi in ordine ad primum: sic ergo lex diuinitatis est sicut descensus est illuminationum

& charismatum ab uno sic reductio ad primum. Hæc enim lex sicut superiora mouet, & ligat ad inferiorum prouidentiam & curam. ita inferiora ligat ad superiorum obedientiam, ut omnia hoc modo sint connexa, psalm. 47. Distribuite gradus eius, ut enarretis in progenie altera, & Dan. 10. Sta in gradu tuo. Sic enim octo gradibus ascenditur ad deitatis templum & cultuiam, ut dicitur Ezech. 40. Papatu seu Patriarchatu, Primatu, Archiepiscopatu, episcopatu, Abbatum reuerentia, præpositura, decanatu, cura parochiali. Curam enim archydiaconorum sub præpositura comprehendimus. Hoc etiam in toto corpore mystico quod est ecclesia obseruatur in quo omnia ad unum diriguntur quæ Petri clauibus committuntur. Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum & quodcunq; solueris super terram, &c. Hæc clauis uni committitur, ut plenitudo potestatis in uno ostendatur, & in alios ab illo secundum partem solicitudinis ad quam uocantur committatur: hæc Albertus magnus. Ex quibus manifeste conuincitur error dicentium principatum ecclesiæ non esse monarchicum.

Aliter do mos eius

Cap. III. In quo ponuntur obiectiones quædam aduersariorum contra prædicta de unitate unius præsidentis, & capitis in ecclesia.

SVNT quidam aduersariorum prædictę ueritatis hostes qui rationes inductas in præcedenti c. ad ostendendum quòd in ecclesia dandus sit unus princeps rector, & gubernator cunctorum fidelium euacuare molientes respondent ad rationes præfatas dicentes, quòd ille unus rector, & pastor quem rationes præfatę in ecclesia esse necessario cócludunt sit Christus qui caput est omnis principatus, ut inquit Apostolus ad Colo. 1. & quòd nullus alius purus homo princeps in uniuersali ecclesia unus dandus sit. Quā responsionem tribus rationibus fulcire nituntur. Primo quia (ut dicunt) unitas uniuersalis ecclesiæ ex ordine populi Christiani ad unum caput quod est Christus saluator & redemptor ipsius & cui fide & spe & charitate coniungitur & nó respectu alicuius alterius sumenda est. Secundo, quia dicunt quòd etsi principatus ecclesiæ sit Monarchicus siue regalis hoc est respectu Christi & non respectu alicuius alterius qui unus principetur & præsideat toti ecclesiæ cuiusmodi sit papa: quoniam si respectu alterius principatus ecclesiæ esset regalis iam alius quàm Christus rex uniuersalis ecclesiæ ueniret dicendus, quod non uidetur conueniens. Tertio dicunt, quòd sicut in potestate & principatu seculari non obstantibus præfatis rationibus non uidetur necessarium nec forte expediens quòd unus sit princeps super omnes alios laicos principes & reges, ita non uidetur in principatu ecclesiastico necessarium quòd detur unus qui omnibus præsideat.

Arg. primum

Secundū

Tertium

Cap. IIII. In quo confutatur prædicta aduersariorum responsio, & respondetur rationibus eorum.

QVOD responsio præfata aduersariorum ad rationes inductas in pręcedenti cap. pro unitate unius rectoris, & principis qui toti ecclesiæ præsideat nulla sit, hæ rationes inductę in fauorem eorum alicuius

ius sint roboris faciliter ostendemus. Et primo quòd responsio data nulla sit sic. Oportet omnem communitatem habere unum caput siue rectorem qui uisibiliter cum illa conuerse tur circa personas illius regiminis sui mynisterium pro uarietate temporum locorum ac personarum exercendo sententiando de illa uel de illa, corrigendo hanc uel illam personam secundũ communem cursum. Christus autem non conuersatur nunc cum fidelibus suis modo prædicto. Necessarium ergo uidetur secundum rationes prius factas ad bonum regimen ecclesiæ quòd aliquis alius a Christo uices tamen eius gerens sit ipsius ecclesiæ rector & pastor qui cum ipsa ecclesia uisibiliter conuersetur. Vnde beatus Tho. in 4. contra gentiles c. 76. responsionem præfatam aduersariorum tanquam minus sufficientem euacuans ita inquit. Si autem quis dicat quòd unum caput, & unus pastor est Christus qui est unus unius ecclesiæ sponsus non sufficienter respondet. manifestum est enim quòd omnia sacramenta Christus ipse perficit: ipse enim est qui baptizat Ioan. 1. & ipse est qui peccata dimittit Ioan. 1. ipse est uerus sacerdos qui se obtulit in ara crucis in cuius uirtute corpus eius continuo in altari consecratur, ut etiam habetur extra de sum. tri. & fid. cath. ca. 1. §. una de consec. dist. 2. c. quia corpus. Et tamen quia corporaliter non erat cum fidelibus omnibus permansurus elegit ministros per quos prædicta fidelibus dispensaret, eadẽ ratione qua præsentiam corporalem erat ecclesiæ subtracturus, oportuit q alicui committeret qui loco sui uniuersalis ecclesiæ curam gereret. Hinc est q Petro inquit ante ascensionem suam. Pasce oues meas. Ioan. ult. Et ante passionem. Tu autem aliquando conuersus confirma fratres tuos. Luc. 22. hæc sanctus Tho. Quòd uero rationes quas aduersarii in suorum errorũ fauorem inducunt nullius roboris sint ostendimus. De prima quidem patet. Licet enim unitas corporis Christi quod est ecclesia principaliter sumenda sit ex ordine ad Christum qui principale caput eius est, cui omnes fideles qui eius uera membra sunt fide spe, & charitate connectuntur: nihilominus ecclesia unitas quantum ad gubernationem exteriorem secundum quam ex diuina institutione est ordo inter ipsos ecclesiæ prælatos & rectores etiam assuméda est & assumitur ex ordine ad unum principalem Christi Vicarium totius uniuersalis ecclesiæ principem & pastorem. Est autem huiusmodi unitas ostensiua, & conuersatiua unitatis interioris ecclesiæ ad Christum. Ostensiua quidem. Dicit enim Cyprianus in epistola ad Magnum. Dominus insinuans nobis unitatem de diuina auctoritate uenientem ponit & dicit. Ego & pater unum sumus. ad quam unitatem redigens ecclesiam suam ait. Et erit unus grex & unus pastor. Item in c. loquitur 24. q. Cyprianus ita inquit. Loquitur dominus ad Petrum. Ego dico tibi quia tu es Petrus & super hãc petram ædificabo ecclesiam meam. super unum ędificat ecclesiam. Et infra. Exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur. Ceterum unitas hæc in ecclesia penes ordinem ad unum generalem gubernatorẽ & rectorem ecclesiæ est conseruatiua unitatis interioris fidelium ad Christum. Dicit enim gl. super illud Math. 16. Tibi dabo claues &c. Specialiter potestatem clauium Christus Petro concessit, ut ad unitatem nos inuitaret. ideo enim eum principem apostolorum constituit, ut ecclesia unum principalem Christi haberet Vicarium ad quem diuersa membra recurrerent si forte inter se dissentirent. quòd si diuersa capita essent in ecclesia unitatis uincula rumperentur: hæc ibi. Et Hieron. ait. Ex 12. unus eligitur, ut capite

Ad primũ

Ad secũdum
constituto scismatis tolleretur occasio. Secunda ratio aduersariorum etiam nullius est roboris, quoniam falsum est quod aiunt, uidelicet quòd principatus ecclesiæ respectu papæ non sit monarchicus siue regalis. Hoc enim uidetur contrariari & sacræ scripturæ, & rationi. Sacræ quidem scripturæ contradicit, quæ habetur. Ioan. 10. Erit unum ouile, & unus pastor. Item scripturæ sanctæ illi ubi beatus Ioan. Apoca. 21. ait. Vidi ciui atem sanctam Hierusalem, nouam descendentem de cœlo, &c. ubi ecclesia militans dicitur imitatione, descendere a cœlo, quia formam ordinis cœlestis habet, sicut beatus Bernard. ait 3. de consideratione ad Eugenium papam ita dicens, sicut fuit supra in secundo capit. inductum. Non uilem repures formam hanc quæ in terris est, formam habet in cœlo. uidit enim hoc qui dicebat, uidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem, &c. sicut enim ibi Seraphyn, & Cherubyn, & ceteri ordines sunt sub uno capite Deo: ita & hic Patriarchæ archiepiscopi & reliqui sub uno pontifice summo, quod non est paruipendendum quòd Deum habet auctorem, & quòd de cœlo sumpsit originem. hæc ille. Ex quibus patet quod aduersariorum fantasia sacræ scripturæ aduersatur. Quòd aduersetur etiam rationi patet. Tum quia eadem species politiæ manet in principatu respectu principalis, & respectu Vicarii instituti a principali cum plenitudine potestatis. unde idem consistorium reputatur episcopi & sui Vicarii, ut in c. romana extra de appell. lib. 6. Tum quia ecclesiæ regimen non solum in præsentia corporali Christi debuit optime disponi, quod est disponi, & ordinari sub suprema & nobilissima specie regiminis, siue politiæ, cuiusmodi est regalis: sed etiam in eius absentia corporali. Sunt etiam ad hoc rationes factæ supra in secundo capite. Facit etiam ad hoc. Primo, quia naturalior est principatus unius in multos quàm possit esse multorum in unum. Natura enim principiorum amat singularitatem, ut ait beatus Augustin. primo de nuptiis & concupiscientia. Hinc Aristoteles probans unitatem primi principii 12. methaphysic. ait. Entia nolunt male disponi, neque bona pluralitas principatuum: unus ergo princeps. in apibus etiam unus est princeps, & grues unam sequuntur ordine litterato ait beatus Hierem. in cap. in apibus 7. quæst. 1. Secundo, quia inter species regiminis humanarum ciuilitatum nobilior, & præstantior est species regalis regiminis in quo summa potestatis, & principatus auctoritas est apud unum, ut 3. polytic. Aristot. docet. Tertio, quia huiusmodi regiminis dispositio magis assimilatur diuino regimini in quo Deus præsidet toti mundo unus Deus omnium gubernator & rector. Ecclesiastici 1. Vnus est altissimus creator omnium. Quarto, quia in triumphante ecclesia a qua ecclesia militans exemplariter descendit Apocal. ultim. Hierarcha unus supremus est cunctis ordinibus præsidens, in quem omnis Hierarchia consummatur, ut ostendit diuus Dion. 5. eccle. Hierar. Quinto, quia in lege ueteri quæ figura nouæ legis fuit: unus summus sacerdos diuina dispositione fuit institutus cui ceteri omnes parere deberent. Sexto, quia uno toti ecclesiæ præsidente, nulli dubium quòd unitas fidei per quam ecclesia maxime una dicitur melius conseruatur. de qua Apostolus 1. ad Corinth. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis scismata. Quod uero aduersarii arguunt:

Replicatio
quòd si principatus ecclesiæ esset regalis respectu alterius quàm Christi, alius quàm Christus rex ecclesiæ dicendus ueniret quod inconueniens esse

putant,

putant. Hoc parum ualet. Tum primo, quia non est inconueniens reputandum papam dici regem ecclesiæ: sub Christo tamen sicut eius Vicarium. licet hoc usus non habeat: quoniam cum papa rector ecclesiæ sit quantum ad interpretationem uocabuli, non dubium quin rex recte & ueraciter dici possit. Dicitur enim rex, ut ait Isid. a regendo. Præterea non uidetur magis inconueniens quòd papa rex nominetur quàm quòd princeps. Legitur autem a Christo nominatus princeps secundum illud quod ecclesia dictum esse a Christo Petro commemorat cum ait. Symon Petre antequam de naui uocarem te, noui te & super plebem meam principem te constitui. Ceterum hoc nomine etiam omnes apostoli a spiritu sancto per os prophetæ appellati leguntur, psalm.44. Constitues eos principes super omnem terram. unde etiam episcopi loca apostolorum tenentes principes nominantur in c.ecclesiæ principes dist.35. Quocirca non mirum si etiam reges nominarentur, attento maxime quòd apostoli ipsi eorumq; successores sub regis nomine a spiritusancto describuntur, psalm. 44. ubi dicitur. Delectauerunt te filiæ regum. Quod uerbum Aug. exponens super psalm. 44. ita inquit. Etenim omnes ecclesiæ, quæ illis euangelizantibus, & prædicantibus natæ sunt, filiæ regum sunt, & ecclesiæ filiæ apostolorum filiæ regum sunt. ille enim rex regum illi autem reges de quibus dictum est. Sedebitis super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel: hæc August. Nihilominus tamen licet papa, & prælati ecclesiæ reges nuncupari ueraciter possent: hoc tamen non fit duplici de causa ut tangit dominus Aluarus in lib. suo de potestate ecclesiastica. Prima est propter superbiam uitandam, quæ nomine regis importari uidetur, secundum illud apostoli Petri. Regi quasi præexcellenti 1. Petri 2. Christus enim humilitatis magister, iuxta illud Math. 11. Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. suos discipulos ac Vicarios uoluit per omnia humilitatem seruare. Vnde Lucæ 22. dicebat. Qui maior est uestrum fiat sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator. propter quod illos non solum superbiam, uerumetiam superbiæ uocabula uoluit declinare, maxime cum nihil in episcopali ceruice splendidius fulgeat quàm humilitas, ut in cap. contra morem di. c. Secunda causa est, ut quemadmodum inter spirituales, & temporales principes est discretio potestatis: ita etiam sit in nominibus differentia. Assumpserunt ergo sibi seculares principes nomen mundanæ gloriæ expressiuum scilicet nomen regis. Spirituales uero aliis humilioribus proprium officium designantibus, & ultimum finem demonstrantibus nominibus nuncupantur. Dicuntur enim pastores rectores iudices sacerdotes præpositi pontifices, &c. Vnde in cap. duo sunt, distinct. 69. dicitur. Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas. Patet ergo quòd licet papa ratione humilitatis rex non nominetur ecclesiæ: ex hoc tamen non sequitur, quòd principatus ecclesiæ non sit Monarchicus siue regalis, & quòd regimen ecclesiæ non sit Monarchicum siue regale: quia propria ratio regni in hoc consistit, quòd regimen, & principatus eius sit apud unum, qualicumque nomine nominetur ille unus, siue regis nomine, siue ducis aut Pontificis, siue pastoris, siue imperatoris. Tum secundo ratio aduersariorum uacua est uiribus: quoniam ut patet ex dictis non est inconueniens, ut alius in persona a Christo dicatur rex aut rector, aut pastor, aut princeps ec-

Re῀ pōsio

clesiæ, dum tamen non sit alius auctoritate. Papa enim cum Vicarius sit Christi uices eius gerens in ecclesia non est alius rex ecclesiæ alietate auctoritatis quàm Christus. Ceterum tertia ratio etiam non militat dupli-

Ad tertiũ

ci de causa. Prima, quia præsupponere uidetur quòd in uniuersitate Christiana non sit unus qui tam in spiritualibus quàm in temporalibus præsideat uniuersis quod simpliciter & absolute negare non uidetur nobis conuenienter dici: quoniam ut nos infra auxiliante Deo ostensuri sumus, papa qui est ille unus qui uice Christi omnibus præsidet non solum in spiritualibus, sed etiam aliquo modo inferius exponendo, in temporalibus principatum siue potestatem habet in tota repub. Christiana disponente eo cuius Vicarius est. In cuius femore scriptum est rex regum, & dominus dominantium Apocal. 19. Secunda causa propter quam ratio aduersariorum non ualet, dato q ille unus non præsideat in temporalibus, est quia non est eadem ratio de prę sidendo unum in temporalibus & in spiritualibus. Primo quia scissura unitatis. s. fidei in ecclesia, ad quam conseruandam maxime institutum est, ut in 2. cap. ostendimus, quòd unus præsideat toti ecclesiæ est maxime periculosa fidelibus: cum extra illam non sit salus iuxta illud Mar. ult. Qui uero non crediderit condemnabitur. Et illud Apostoli ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Non sic autem est de aliqua alia unitate in quacunque politia inter fideles obseruanda, cum non sit necesse omnes eos conuenire in politia communi, sed possunt secundum diuersitatem climatum & linguarum, & conditionum hominum esse diuersi modi uiuendi & diuersæ politiæ sicut sunt. propter quod non est ita necesse mundum regi per unum in temporalibus plenam in omnibus potestatem habentem sicut in spiritualibus. Secundo quia non est necessarium leges ciuiles quibus regna & prouinciæ regun tur esse conformes siue easdem apud omnes nationes, propter uarietatem morum & conditionum hominum in diuersis prouinciis, immo secundum uarietatem nationum uariatur, quia non omnibus eędem leges conuenire possunt: nec etiam omnes omnibus secundum naturam & consuetudinẽ possibiles esse possunt quod tamen est de ratione legis secundum illud Isid. lib. ethy. & habetur dist. 4. c. erit autem ubi dicitur. Erit autem lex honesta possibilis secundum naturam, & secundum cõsuetudinem patriæ loco temporiq; conueniens. Est autem necessarium ut obseruantia diuinæ legis per quam est ingressus ad uitam secundum illud Math. 19. Si uis ad uitam ingredi serua mandata uniformiter in tota rep. Christiana ab omnibus obseruetur. Et quia ad hoc multum operatur, ut supra probauimus quòd unus in tota politia Christiana rector & magister præsideat: ideo magis est necessarium ut in spiritualibus præsideat unus in rep. Christiana quàm in temporalibus: tertio quia facilius unus potest præesse toti populo Christiano in spiritualibus quàm in corporalibus. Tum propter diuersitatem & uariam multiplicitatem quæ in temporalibus negotijs maior, quàm in spiritualibus inuenitur: tum quia mucro quo princeps ecclesiæ contra rebelles & errantes utitur quę est excommunicatio, facilius extenditur in quantumlibet longinquas nationes quàm facit gladius materialis quo principes seculares utuntur. De quo apostolus ad Rom. 14. inquit, quòd non sine causa gladium portat. Quarto quia quòd unus præsideat in tota ecclesia in spiritualibus est iure diuino, & diuina institutione, iuxta illud Ioan. ult. Symon pasce oues meas. Quòd uero unus plene in temporalibus in toto populo Christiano præsideat nec natu-

rali

rali iure nec diuino uidetur haberi expressum: quoniam licet phylosophus in polyt.dicat dominationem esse in singulis ciuitatibus, uel religionibus non autem dicit imperii, uel Monarchiæ. Vnde Aug.4.de ciui.Dei, dicit, ꝙ melius.i.magis pacificè regebatur resp. quando uniuscuiusque regnum suæ patriæ terminis finiebatur. Ex dictis in hoc c. clarissime conuincitur error dicentium,quòd non est scintilla apparentiæ quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam quod semper conuersetur cum ea.qui error inter errores Ioan. Hus condemnatus est in concilio Constantien. ut patet in bulla domini Papæ Martini 5.

Cap. V. In quo ostenditur multiplici sacræ scripturæ argumento quòd beatus Petrus primatum inter apostolos habuerit.

OSTENSO quam conuenientissimè in ecclesia Dei dandus sit omnium pastor & rector, qui Christi uice uniuersitati præsideat fidelium: consequens est uidere quis in ecclesia ille sit. Pro quo probabimus in primis quòd beatus Petrus primus post Christum fuerit huiusmodi qui in ecclesia super omnes primatum habuerit, quod tam sacræ scripturæ auctoritatibus quàm apertis rationibus facile est ostendere. Primo quidem primatus beati Petri inter apostolos, & primatus eius in ecclesia Dei ostenditur ex illo Math.10.ubi beatus Mathęus euangelista nomina apostolorum describens ait. Duodecim nomina apostolorum sunt hic. primus Symon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius,&c. In hoc autem quòd primum apostolorum Petrum nominat, & eum in capite apostolorum ponit manifeste ipsum habuisse primatum apostolicæ dignitatis ostendit cum de prioritate dignitatis uideatur loqui non autem uocationis: quoniam ordine temporis non Petrus, sed frater eius Andreas prius fuit secutus Christum,& per consequens ordine temporis prior fuit in discipulatu Christi sicut habetur Io.1.unde dominus Albertus magnus super Mat.exponens illud. Primus Symon,&c.ita dicit.Primus dignitate non uocatione propter quod uertex dicitur apostolorum.Andreas uero secundus & sic deinceps,quia omnes subditi Petro sunt æquales.Et attende ꝙ licet Petrus uertex dicatur primus non tamen dicitur Andreas secundus,nec Philippus tertius, & sic deinceps: quia omnes secundi sunt Petro quò ad iurisdictionem, quia non unus sub alio, sed omnes sub Petro.Hæc Albertus,gl.etiam ordinaria super illud Mat. 10.Primus Symon qui dicitur, satis explicat Petri primatum ita di. Voluit dominus apostolorum principem prius alio nomine uocari, ut ex ipsa commutatione nominis sacramenti uiuacitas commendaretur. Secundo primatus beati Petri ostenditur ex illo Mat. 16. ubi dominus singulariter loquens Petro inquit.Et ego dico tibi,quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.Et tibi dabo claues regni cœlorum,& quodcumq; ligaueris super terram,erit ligatum & in cœlis,&c.Super quo uerbo gl. ordi. inquit.Specialiter Petro claues concessit,ut ad unitatem nos inuitaret,ideo enim ipsum principem apostolorum constituit, ut ecclesia unum principalẽ haberet Christi Vicarium ad quem diuersa ecclesia membra recurrerent si forte inter se dissentirent,ꝙ si diuersa forent in ecclesia capita unitatis uincula rumperentur.Item ad idem Rabanus in gl.& etiam Beda in homelia sic

Ratio prima

Secunda ratio

Secunda pars

dicit. Qui enim regem cœlorum maiori dilectione prę ceteris confessus est: merito præ ceteris ipse collatis clauibus regni cœlestis donatus est.

Tertia ratio

Tertio primatus Petri ostenditur ex illo Mat.17.ubi dominus postulatus solutionem tributi ad Petrum inquit. Vade ad mare,& mitte hamum,& eum piscem qui primus ascenderit tolle,& aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da pro me,& pro te. ubi manifeste designatur prærogatiua primatus Petri ex eo quòd in solutione tributi Christus solum Petrum sibi sociauit. Pensa enim didragme,ut inquit Anb.solutio erat capitis. unde iam dabatur intelligi quòd Petrus post Christum super alios apostolos caput,& primus constituendus ueniret. Vnde beatus August.li.de quæstionibus noui,& ueteris testamenti.q.79.mouens hanc quæstionem cur Christus tantũ pro se & Petro soluit didragma ita respondendo dicit. Saluator noster cum pro se & Petro dari iubet didragma pro omnibus soluisse uidetur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterii ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur,ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis dominici.Hæc Aug. Quarto Petri primatus ostenditur ex illo quod Math.19.sequitur,ubi apostoli interrogant dominum dicentes. Quis putas maior est in regno cœlorum,quod ideo quærunt,ut Chryso.& gl. interli. dicunt.Quia discipuli uidentes in tributi redditione quòd Petrus domino fuerat comparatus arbitrati sunt Petrum apostolis prælatum. Quinto Petri primatus ostenditur ex illo Luc.22.ubi dicit quòd facta est contentio inter eos s.inter discipulos Christi quis eorum uideretur esse maior. Quod uerbum Greg.ita commentatus est. Videtur hæc contentio habuisse motiuum, quia cum dominus ab hominibus transmigraret oportebat aliquem eorum fieri principem aliorum quasi domini uicem gerentem. Et rursus Chryso. in eodem loco.Credenda erat Petro summa apostolorum.Dixit autem eis. Reges gentium dominantur,&c.Ecce hic apparet quòd unus inter eos.s.apostolos maior ceteris,& præcessor & princeps erat ordinandus. Vnde ait. Sed qui maior est in uobis fiat sicut minor & qui præcessor est sicut ministrator: quis autem esset huiusmodi præcessor siue maior non aperuit Christus quousq; loquens ad Symonem Petrum ait. Symon ecce sathanas expetiuit uos ut cribraret sicut triticum.ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua.tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, ubi ex hoc quod præcepit Petro coram aliis apostolis,ut deficiente,uel titubãte fide in eis ipse eos confirmare debeat,manifeste dat illis intelligere Petrum esse præcessorem rectorem ac principem illis ordinatum.Vnde beatissimus Leo papa in Sermone quodam ita inquit. Commune erat omnibus apostolis periculũ de tentatione formidinis & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant:quoniã diabolus omnes exagitare omnes cupiebat elidere & tamen specialis cura a domino Petri suscipitur & pro fide Petri proprie supplicatur tanquã aliorũ status certior sit futurus si mens principis uicta non fuerit. In Petri ergo omnium fortitudo munitur & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur per Petrum apostolis conferatur hæc ille. Sexto primatus Petri ostenditur apertissime ex illo Ioan.13.ubi Christus pedes discipulorum loturus uenit ad Petrum & dixit ei Petrus. Tu mihi lauas pedes? super quo dicit gl.interli. Venit ad Petrum non post alios, sed prius ad primum apostolorum. Et Aug.in gl. Quis nesciat primum apostolorum esse beatissimum Petrum? Primus autem, ut in superioribus circa

Quarta

Qui

Sexta

primam rationem diximus, intelligendum est dignitate non uocatione. quia uocatione primus non fuit. Septimo primatus Petri ostenditur ex illo Ioan. ult. ubi Christus ascensurus in cœlum præsentibus alijs apostolis soli Petro ouium suarum curã uniuersaliter cõmittit dicens. Symon diligis me, pasce agnos meos: pasce oues meas. Super quo uerbo inquit beatus Chrys. i. loco mei præpositus esto & caput fratrum tuorum. Ex quibus manifeste constat ꝙ Christus beatum Petrum loco sui in ecclesia primatum singulariter habere uoluit. Octauo Petri primatus ostenditur ex eo, quòd Christus doctrinam quam omnibus apostolis & discipulis tradebat per Petrum uoluit in alios deriuari. Vnde Math. 18. scribitur. Aspiciens Iesus in discipulos suos dixit Symoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus uade & corripe eum inter te & ipsum. Nono primatus Petri ostenditur ex eo quòd ipse Petrus quasi semper aut respondere Christo, aut interrogare Christum pro omnibus discipulis solitus est. Vnde interroganti Christo discipulos. Vos autem quem me esse dicitis. respondit Symon Petrus dicens. Tu es filius Dei uiui. Math. 16. Super quo uerbo beatus Chryso. ita loquitur. De plebis opinione interrogat omnes: sed omnibus discipulis interrogatis Petrus tanquam os apostolorum, & caput pro omnibus respondet. unde sequitur. Respondens Symon Petrus, &c. Item interroganti Christo an apostoli cum alijs discipulis qui retro abierant abire uellent. respondit Symon Petrus, gl. unus pro omnibus. Domine ad quem ibimus: uerba Dei habes Ioan. 6. Præterea dicenti Christo. Et uos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis ueniet Solus pro omnibus interrogat an Christus doctrinam suam ad solos ipsos referebat discipulos an ad omnes dicens. Domine an ad nos dicis hanc parabolam an ad omnes. Luc. 22. Super quo inquit gl. Theophyli. Petrus cui committenda erat ecclesia quasi omnium curam gerens inquit. Vtrum ad omnes hanc parabolam protulisset. Item Christo dicente difficile fore diuitẽ intrare regnum cœlorum, solus Petrus pro omnibus interrogat. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis &c. Math. 19. Super quo uerbo beatus Chryso. inquit. Qui claues regni cœlorum acceperat de his quæ ibi sunt iam confidit & pro orbe terrarum interrogat uniuersa. Et sic de multis alijs. Quis ergo iam dubitabit attenta hac continuo interrogandi respondendiq; pro omnibus licentia quam sibi Petrus uendicabat, ipsum Petrum apostolorum fuisse dignitate primum & præstantiorem auctoritate. Ait enim gl. in c. placuit dist. 16. illi in conuentu deberi prius loqui cuius potior extat auctoritas. Decimo primatus Petri ostenditur ex his quæ Petrus post domini ascensionem præsentis alijs apostolis ac consentientibus publicè gessit. In primis quidem sicut habetur Actuum 1. Exurgens Petrus in medio fratrum ostendens ex ueteris testamenti scriptura alium loco Iudæ proditoris fore subrogandum in apostolatu inquit. Oportet ergo ex his uiris qui nobiscum sunt congregati testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. Plane hoc uerbum principis esse uidetur, quod beatus Chrysog. testatur super illud. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit. Petrus ut inflammatus & sicut ille cui a domino commissum erat ouile & ut princeps semper incepit sermonem. Item 120. erant & unum quærit ex omni multitudine. Opportune uero primo Petrus huiusmodi rei dominatur, quia ipse omnes in prãte acceperat. Ad eum enim dixerat Christus. Et tu aliquando cõuersus cõfirma fratres suos. Ceterũ cũ ess[illegible]. spiritus

Septima

Octaua

Nona

Decima

sancto super discipulos in die Penthecostes & illis uariis linguis loquentibus multi irriderent illos dicentes eos musto repletos, Petrus præsentibus aliis undecim discipulis eleuans uocem suam locutus est, ostendens eis Iohelis prophetæ testimonio eos non esse ebrios, sed spiritusancto repletos, ut habetur Actuum 2. Quod autem hoc etiam in Petro primatum designat ostendit glo. interli. dicens. Loquitur pastor pro ouibus. Præterea Petrus Ananiam, & Zaphyram spiritusancto mentientes, & apostolis sententiam mortis protulisse solus legitur dicens sic ad Ananiam. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri spiritusancto & fraudari de pretio agri? In qua re maxime primatus Petri ostenditur. Vnde glo. Quamuis ante pedes apostolorum Ananias & Zaphyra scilicet partem pretii agri posuissent, tamen Petrus quasi princeps apostolorum loquitur. Pari etiam modo in Symonem magum offerentem pecuniam apostolis, ut potestatem haberet dandi spiritum sanctum: Petrus in illum condemnationis sententiam protulit, dicens. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri Act. 8. ubi glo. interlin. super illud. Petrus autem dixit inquit sic. Petrus quasi princeps loquitur primus. Amplius sicut legitur Actuum 15. cum fieret magna inquisitio inter conuersos ad fidem, utrum conuersi ex gentibus circuncidi deberent, & alia legalia seruare, conuenerunt apostoli, & seniores uidere de hoc uerbo. Surgens autem Petrus dixit ad illos. Viri fratres uos scitis, &c. ubi Petrus protulit in concilio generali sententiam quòd non tenerentur conuersi ex gentibus circuncidi aut legis cerimonias seruare. Quòd etiam hoc fuerit signum primatus Petri ostendit glo. super uerbo. Surgens Petrus dicit sic. Præ omnibus quasi princeps loquitur. Ex his ergo gestis per beatum Petrum post ascensionem Christi quæ clarissima principatus Petri testimonia sunt, manifeste apparet, quòd Petrus maior ac princeps apostolorum fuerit: cum non sit uerisimile quod beatus Petrus spiritusancto repletus præcipuus humilitatis commentator talia præ aliis attentasset nisi ex officio sibi incumbere cognouisset & ceteris prælatum se fore non dubitasset. Ex quibus apertissimè conuincitur error dicentium quòd beatus Petrus apostolus non ratione alicuius maioritatis potestatis siue auctoritatis, sed ratione tantum alicuius uirtutis in eo præstantioris ceteris præferebatur apostolis.

Cap. VI. In quo inducuntur aliquæ rationes ad idem uidelicet ad probandum, quòd Petrus apostolus primatum habuerit super apostolos.

LICET ad probandum beati Petri primatum, & superioritatem auctoritatis super apostolos ceteros, & per consequens omnes alios fideles, sufficere debeant sacræ scrieturæ inducta testimonia: nihilominus ad ampliorm ueritatis illustrationem pr incipatus beatissimi Petri apostoli illum apertis rationibus demonstrare curabimus. Primo sic. Ratione naturali dictante & experientia docente uidemus, quòd quisque sapiens paterfamilias habens plures filios ne familiam relinquat confusam & sine ordine, unum aliquem quasi primogenitum ceteris præponit quem facit hæredem uniuersalem, alios uero hæredes particulares sub eo, sicut Genes. xxvii. inquit Isaac filio suo Iacob cui primogenita dederat. Esto domi-

dominus fratrum tuorum. ergo uidetur quòd similiter paterfamilias sapiẽtissimus Christus cuius omnes credentes in eum filii sunt secundum illud Ioan.1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. qui etiam dicit ad apostolos omnes. Vos fratres estis. Math. 23. ita credendum est fecisse, ne familiam suam confusam sine rectore relinqueret, ut aliquem unum aliis apostolis pręficeret prælatum ac pastorem. Huiusmodi autem Petrus fuit, ut sacræ scripturæ testimonia quæ in c. præcedenti induximus, apertissime designant. Vnde Cyrillus uir ac doctor clarissimus super illud Luc. 22. Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, ita inquit. Christus omissis ceteris uenit ad Petrum ceteris prælatum. Secundo sic. Ille cui commissum est a Christo ceteros fratres suos deficientes, & titubantes in fide confirmare siue roborare uidetur primatum, & magisterii auctoritatem super alios a domino suscepisse. sed beato Petro apostolo commissum est a Christo ut ceteros fratres apostolos ac Christi discipulos si forte eos fluctuare, aut deficere a fide contingeret, in fide firmaret ac roboraret iuxta illud Luc. 22. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ergo beatus Petrus primatum habuit super apostolos. unde beatus Cyril. tractans præfatum uerbum. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, quasi dicat postquam me negato ploraueris, & si penitueris corro bora ceteros fratres tuos cum te principem apostolorum deputauerim: hoc enim decet qui mecum robur es & petra ecclesiæ. Tertio sic. Ille cuius curæ, & regimini tempore apostolorum fuit totus grex dominicus commissus a Christo super omnes qui tunc erant & futuri erant de grege dominico, primatum habuit siue obtinuit: sed curæ & regimini beati Petri totus grex dominicus commissus est a Christo dicente Petro. Ioan. ultim. Symon pasce oues meas. inter has & illas non distinguens. & apostoli ipsi nequaquam extra gregem dominicum censendi sunt, sed intra computandi. ergo beatus Petrus primatum, & principatum habuit super apostolos. consequentia patet. Quarto sic. Caput super omnia membra primatum habere dinoscitur: sed beatus Petrus caput fuit apostolorum. unde Ioan. 1. inquit Christus Petro. Tu uocaberis cephas quòd scilicet secundum græcam linguam caput sonat. Dicit enim beatus Anacletus, ut habetur in cap. sacrosancta distinct. 22. inter beatos apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet sint omnes apostoli, Petro tamen concessum est, ut reliquis omnibus præesset apostolis, & cephas id est caput & principatum teneret apostolatus. Et eadem sententia colligitur ex illo cap. beati Leonis papæ. ita dominus distinct. 19. Ergo sequitur quòd beatus Petrus primatum habuit super omnes alios apostolos. Quinto sic. Beatus Petrus potestatem acceperat a Christo regendi & gubernandi omnes apostolos, & ceteros fideles, teste beato Grego. & habetur in c. Petrus 2. q. 7. qui ait. Petrus potestatem regendi acceperat, & tamen idem apostolorum primus querimonię contra eum a fidelibus factæ, &c. ergo sequitur quòd beatus Petrus apostolus super omnes alios apostolos, & reliquos fideles habuit principatum. Sexto hoc idem apertissime habetur totius ecclesiæ testimonio quæ illi uniuersaliter decantat. Tu es pastor ouium princeps apostolorum, tibi tradidit Deus claues regni cœlorum.

Cap. VII. In quo ponuntur improbationes quædam aduersariorum contra fundamenta quæ inducta sunt cap. 5. pro primatu beati Petri.

ADVERSARII ueritatis ex opposito multipliciter insurgunt. Primo quidem fundamentales rationes inductas ex auctoritatibus sacræ scripturæ pro primatu beati Petri supra in 5. c. insufficientes esse ostendere nituntur. Et in primis dicunt quòd ratio sumpta ex eo quòd Mathæus apostolorum nomina describens. Mat. 10. inter apostolos Petrum primum nominat: non sufficienter probetur beatum Petrum habuisse primatum, quia pari ratione beatus Iac. dicēdus esset maior beato Petro, eo quòd Paulus ad Gal. 2. describens apostolos cum quibus fuerat Hyerosolymis: Iacobum præferat beato Petro sic dicens. Et cum cognouissent gratiā quæ data est mihi Iacobus & cephas, & Ioannes qui uidebantur columnæ ecclesię dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, &c. ubi Petrum cepham uocat apostolus iuxta illud Ioan. 1. Tu uocaberis cephas. Ergo uidetur quòd ratio illa non faciat fidem sufficientem quòd Petrus primatum habuerit. Secūda etiam ratio illa non uidetur sufficienter probare primatum Petri quæ inducta est ex illo quòd beatus Petrus dictus est fundamentum ecclesiæ: cum ei dictum est. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meā, quia pariter idem de duodecim apostolis arguendum esset cum ipsi etiā fundamenta ecclesiæ dicantur. Vnde Apoc. 21. dicitur, quòd murus ciuitatis. s. ecclesiæ habebat duodecim fundamenta & in ipsis erant nomina duodecim apostolorum, & ita uidetur quòd ratio illa non sufficienter probet primatum beati Petri. Tertio etiam ratio illa non uidetur sufficienter probare primatum Petri quæ ex illo sumebatur quod consequenter dictum Petro legitur. Tibi dabo claues regni cœlorum: quoniam hoc idem dictum est omnibus apostolis sicut legitur Mat. 18. Amen dico uobis quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quęcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Claues enim regni cœlorum nihil aliud uidentur quam potestas ligandi atque soluendi. Quarto nec illa ratio uidetur sufficiēter probare primatum Petri quæ ex illo sumebatur Ioan. ult. Pasce oues meas, quia pascere oues specialiter non contingit, nisi tripliciter. s. doctrina salutari, uita exemplari, & disciplina seu correctione: sed quilibet istorum modorum pascendi oues Christi communis fuit omnibus apostolis. uniuersi enim apostoli omnes oues Christi doctrina pascere debuerunt, ipsa ueritate testante, quæ omnibus præcipit apostolis. Math. ult. di. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Omnes etiam debebant pascere uita exemplari Christo dicente illis. Mat. 5. Vos estis lux mundi. Et sequitur. Sic luceat lux uestra coram hominibus, &c. De modo pascendi correctione disciplina habetur Ioan. ultim. ubi Christus dixit omnibus apostolis quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. ergo uidetur quòd Christus omnibus apostolis potestatem corrigendi alios commisit, & per consequens ratio illa non uidetur sufficiens ad probandum primatum beati Petri.

Improbatio primę rationis, quæ cum sequentibus annichilabitur c. 11.

Improbatio secundæ pro prima parte

Improbatio secundæ pro secūda parte

Improbatio septimæ rationis

Cap. VIII. In quo ponuntur aliæ rationes aduersariorū contra beati Petri primatum ex euangeliis sumptæ.

AMPLIVS

AMPLIVS contra ipsam principalem conclusionem quam nos de primatu beati Petri super apostolos ceteros firmauimus, aduersarii multa obiiciunt & ex euangeliis. Primo sic. Omnes apostoli uidentur recepisse æqualem potestatem a Christo. ergo nullus eorum Christi institutione principatum habuit super alios. consequentia patet: quia par super parem nullum noscitur principatum habere. antecedens autem deducunt ex multis euangeliorum locis. Primo ex illo Math.18. cap. Amen dico uobis quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Secundo ex illo. Ioan.20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. Ex quibus uerbis dicunt aduersarii manifeste patere, quòd potestas ligandi, & soluendi æqualiter data sit a Christo Petro & aliis apostolis. Quod etiam confirmari credunt aliquorum sanctorum patrum testimoniis. Primo auctoritate beati Anacleti papæ, qui ut habetur in c. in nouo dist.22. inquit, quòd ceteri apostoli cum beato Petro pari consortio præditi & honorem & potestatem acceperunt. Secundo auctoritate beati Cypriani qui ut habetur in c. loquitur dominus 24.q.1.di. ꝙ hoc ceteri apostoli erant quod Petrus fuit pari consortio præditi & honoris & potestatis. Secũdo sic principaliter. Christus interdicit apostolis dominatum & principatũ potestatis. ergo sequitur ꝙ nullus inter eos habuit primatum super alios. consequentia patet, quia recipere potestatem super alios quam non debet in eos recipiens exercere, superfluum & uacuum est ac inutile, quod in operibus Christi qui summa sapientia est, esse non potest. antecedens patet ex illo Math.22. ubi Christus inquit ita apostolis. Scitis quia principes gentium dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter uos, & Marc.10. idem habetur. Tertio sic. Luc.22. dicitur de apostolis, quòd facta est contentio inter eos quis eorum uideretur esse maior. Dicit autem eis Saluator. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici uocantur, uos autem non sic: sed si quis maior est in uobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator, &c. Ex ista auctoritate aduersarii arguunt dupliciter. Primo sic. Si apostoli de maioritate s. honoris siue primatus contendebant; ergo sequitur ꝙ nullus inter eos primatum habebat. patet consequentia: quia si habuisset cum eis fuisset notum non contendissent super hoc. Secundo ex eo ꝙ dominus contentionem resoluens dicit eis, ut singuli se minores singulis reputarent: sed hoc apostoli facere non potuissent si aliquis inter eos habuisset principatum: cum ipse seipsum aliis minorem estimare non posset cum ueritate. ergo uidetur ꝙ nullus inter apostolos habuit principatum. Quarto sic. Si quis maior fuit inter apostolos, & princeps: ille potius dici deberet qui immediate Christo successit in ecclesia militante in qua Christus pontificatum tenuit, & quam sui passione glorificauit, & ita ergo Iacobus alphæi potius Christi Vicarius, & eius successor ac ecclesiæ princeps dici deberet quàm Petrus: sed hoc non. ergo uidetur ꝙ nec Petrus principatum habuisse dicendus sit.

Arg. primum cuius, & sequẽtiũ solutiones puniũtur cap. 12.

Cõfirmatio

Secundũ

Tertium

Secunda pars

Quartũ

Cap. IX. In quo ponuntur aliquæ aduersariorum rationes ex epistolis beati Pauli collectæ.

ARGVVNT consequenter aduersarii ex cap.2. epistolæ beati Pauli ad Gal. & maxime ex eo primo quod beatus Paulus de Christi apo

ſtolis principalibus loquens ita dicit. Mihi enim qui uidebantur eſſe aliquid nihil contulerunt inter quos erat Petrus : ſed etiam cum cognouiſſent quòd creditum eſt mihi euangelium præputii id eſt prædicandum gentibus, ſicut & Petro circuncisionis id eſt iudæis. qui enim operatus eſt Petro in apoſto latu circuncisionis operatus eſt mihi inter gentes. dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, & ipſi in circuncisionem. Ex quo loco contra Petri primatum arguunt aduerſarii ex quattuor capitibus.

Ratio prima quæ cũ ſequẽtibus ſoluitur ca. 13.

Primo ex illo quod ait Paulus. Nihil mihi contulerunt. Ex quo patet inquit gloſſ. quòd non illis inferior fui qui a domino Deo adeo perfectus ſum quòd nihil eſſet quod in collatione perfectionis meæ addiderint, qui enim illis imperitis tribuit ſenſum dedit & mihi : hæc gloſſ. Ex hoc ſic arguunt. Si Petrus princeps fuiſſet primatum habens inter apoſtolos, profecto Paulus, & ceteri in eccleſia poteſtatem habentes eam a Petro ſuſcepiſſent : cum capitis ſit influere ſenſum & motum regiminis ceteris membris omnibus.

Secunda

Secundo arguunt ex illo, ubi inquit apoſtolus. Cum cognouiſſent quòd creditum eſt mihi euangelium præputii ſicut & Petro circuncisionis, quia in hoc uidetur Paulus ęquiparare ſe Petro : cum innuat ſe poteſtatem recepiſſe inter gentes æqualem poteſtati Petri inter iudæos, maxime cum dicat glo. in hoc loco. Creditum eſt euangelium mihi fideli ita principaliter ſicut & Petro. Non eſt autem dubium quin iſta repugnent principatui Petri.

Tertia

Tertio arguunt ex illo quod ait apoſtolus, quòd ſibi & Barnabæ dexteras ſocietatis dederunt. cum enim ſocietas uideatur importare paritatem quandam non uidetur princeps nominandus ſocius ſubditi ſiue ſubiecti.

Quarta

Quarto ex illo quod ſequitur. Vt nos in gentes & ipſi in circuncisionem. ubi uidetur Paulus reſtringere apoſtolatum Petri ad circuncisionem tantum. Ex quibus dicunt manifeſte uideri quòd ex inſtitutione Chriſti Petrus non fuerit Paulo nec aliis apoſtolis ſuperior.

Quinta

Conſequenter arguitur per aduerſarios ex illo quod in præfato cap. ad Gal. 2. dicit apoſtolus ſic. Cum autem ueniſſet Petrus in antiochiam in faciem ei reſtiti, quia repræhenſibilis erat. Ex hoc arguunt quòd Paulus nequaquam ita publicè auſus fuiſſet Petrum apoſtolum reprehendere ſi Petrus princeps eius fuiſſet aut ſuperior : cum præceptum legis ſit, Deutero. 21. Diis non detrahes & principi populi non maledices. Vnde beatus Hieronymus in hoc loco inquit, & habetur 2. q. 7. c. Paulus, quòd Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet niſi ſe non imparem ſciret. ergo uidetur quòd Petrus non fuit Paulo maior, & per conſequens nec princeps apoſtolorum.

Cap. X. In quo fiunt aduerſariorum rationes contra Petri primatum ſumptæ ex actibus apoſtolorum.

Corroboratio prima quæ improbabitur cũ ſequentibus c. 14.

AMPLIVS errorem ſuum aduerſarii firmare nituntur ex actibus apoſtolorum. Et primo ex illo. Actuum 1. ubi de electione apoſtoli Mathiæ agitur, quia ſi Petrus habuiſſet primatum inter apoſtolos nõ concurriſſet cum eis ad electionem cuiuſcumq; inferioris ſed potius ſua auctoritate inſtituiſſet: ſed Petrus concurrit cum aliis apoſtolis ad electionem Mathiæ, ut habetur Act. 1. ubi dicitur quòd undecim ſtatuerunt duos. ſ. Ioſeph qui uocabatur Barſabas qui cognominatus eſt iuſtus, & Ma-

thiam, & orantes dixerunt &c. Et sequitur. Dederunt eis sortes, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est 11. apostolis. Et sic patet quòd Mathias simul electus est a Petro & ab aliis. ergo sequitur quòd Petrus non habuit aliquem primatum super apostolos. Secundo idem arguitur ex illo Act. 6. ubi de electione 7. dyaconorum ita scribitur. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt. Non est equum &c. Et infra. Elegerunt Stephanum & alios sex & statuerunt eos ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. Ex hoc arguunt sic. Si Petrus princeps apostolorum fuisset sibi præsentari debebant electi, & non omnibus apostolis, & ad ipsum & non ad omnes apostolos confirmatio siue manus impositio debuit pertinere, sed uidemus quòd hoc non est factum sed æqualiter omnibus. ergo uidetur quòd Petrus primatum inter apostolos non habuit. Tertio sic. Contra rationem esse uidetur quòd inferiores mittant superiores. missio enim superioritatem importare uidetur in mittente respectu personæ missæ. Non est autem credendum quòd apostoli aliquid egerint contra rationem, sed Actuum 8. habetur, quòd cum audissent apostoli quòd recepit Samaria uerbum Dei: miserunt ad illos Petrum, & Ioannem: ergo uidetur quòd Petrus non fuit superior ceteris apostolis eum mittentibus.

Secunda

Tertia

Cap. XI. In quo respondetur ad improbationes factas contra fundamenta quæ inducta fuerunt cap. 7. pro primatu beati Petri.

FACILE patebit aduersariorum improbationes superius inductas contra ea ex quibus principaliter Petri principatum probauimus, nullius fore uigoris, cum ostenderimus aliunde rationes nostras recepisse fundamentum, quàm unde aduersarii arbitrati sunt. In primis quidem prima improbatio nulla est, non enim argumentati sumus Petrum apostolum primatum habuisse, quia inter apostolos primo fuerit nominatus, sed quia apostolorum primus fuerit nuncupatus. Ait enim sic euangelista. Duodecim nomina apostolorum sunt hæc, primus Symon qui dicitur Petrus. Dictus est autem primus, ut supra in c. 5. diximus. prioritate apostolicæ, dignitatis non prioritate temporis uocationis ad apostolatum. Vnde gloss. super hunc locum quæ est Rabani dicit sic. Symon, id est obediens qui propter primatum apostolici ordinis uocatur Petrus, id est firmus. Præterea ꝙ beatus Paulus ad Gal. 2. prius nominauit Iacobum quàm Petrum, hoc non ideo fecit ꝙ Iacobus maior aut æqualis Petro fuerit auctoritate, sed ut dicit sanctus Thom. super epistolas ad Gal. quia episcopus erat hierosolymitanorum ubi hæc fiebant. Et ita dicit dominus Petrus de tarantasia super epistolas Pauli. Ceterum secunda improbatio nulla fuit, quia non argumentati sumus Petrum primatum habuisse, quia dictus fuit fundamentum siue Petra ecclesiæ, sed ideo quia singulariter Petrum aliis præsentibus apostolis Christus Petram nominauit ecclesiæ. Ex quo uidetur quòd licet aliis apostolis commune fuerit cum Petro fundamentum esse ecclesiæ, ut aperte ad Eph. 3. habetur, & Apoc. 11. sicut infra plenius habebitur. Nihilominus Petrus post Christum principale fundamentum fuerit, & totius fundamentum ecclesiæ. unde beato Dyo. teste, Paulus fertur Petro uersus mortem di-

Contra primæ rationis improbationem.

Cótra improbationem secūdæ.

xisse. Pax inquit tecum fundamétum ecclesiarum, & pastor ouium episcopi. Vnde Leo papa in sermone 3. consecrationis suę dicit, quod in Petro omnium fortitudo muniatur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro attribuitur per Petrum apostolis conferatur, hæc ille.

Contra tertiæ partis improbationem.

Tertio improbatio tertia nulla fuit, quoniam non probauimus Petrum primatum habuisse nec ex eo quod claues a Christo acceperit, nec ex eo quod dictum fuerit illi. Quodcunque ligaueris, &c. sed ex eo quod ipsi singulariter aliis præsentibus apostolis Christus claues regni cœlorum promittit, & prius tempore ipsi soli dicit. Quodcunque ligaueris super terrā &c. quàm ipsi & aliis apostolis communiter dixerit. Quæcunque ligaueritis &c. Vnde ut dicit sanctus Tho. in 4. dist. 24. Quamuis omnibus apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi, tamen ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est ut ostendatur quod ab eo in alios debeat deriuari. Hoc plane manifestum signum est primatus Petri. Ceterum ex differētia etiam uerborum quibus Christus usus est cum Petro soli potestaté clauium dat & quibus usus est cum illi, & aliis communiter tribuit etiam ipse Petri primatus arguitur. Nam ad Petrum usus est his uerbis. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis &c. Ad apostolos uero sic. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Super quo dicit Origenes. Apostolis inquit in cœlo, non in cœlis sicut Petro, quia non erant tantę perfectionis sicut Petrus. Et sic patet quod improbatio illa aduersariorum nulla sit.

Cótra improbationem septimæ ratio

Quarto hoc idem facile ostenditur de improbatione quarto loco facta, & hoc propter tria. Primo quia non sumus argumentati primatum beati Petri ex sola pastoralis curę commissione, sed ex eo quòd præsentibus aliis apostolis nulla de illis mentione facta soli Petro Christus indefinite curam gregis sui committit, dicens. Symon Ioannis diligis me, pasce agnos meos, pasce oues meas. Vnde Theophilus in glo. ait. Præteriens autem dominus alios Petro de talibus loquitur, eximius enim erat apostolorū, & uertex collegii. Item beatus Greg. super Ioan. & sanctus Tho. adducit in gloss. super illud Ioan. 21. Accessit Symon & traxit rete. Petro autem sancta ecclesia est commissa, ipsi spiritualiter dicitur, Pasce oues meas. Nec obuiat huic quòd Augu. dicit quod etiam hoc ad omnes dictum est, quia etsi ad omnes apostolos dictum esse intelligatur, hoc tamen in Petri persona tanquam a quo in alios deriuanda erat potestas dictum est illis, per quod singularis prærogatiua primatus Petri demonstratur in hoc quòd figuram gessit omnium aliorum. Vnde beatus Augu. super Ioan. dicit, quod totius ecclesiæ Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam. Secundo nulla est aduersariorum improbatio, quoniam licet modus ille pascendi communis fuisset omnibus apostolis non tamen æqualiter, cum discretio potestatis fuerit inter eos ut dicit beatus Anacletus in ca. sacrosancta dist. 22. Solus enim Petrus habuit in uniuerso orbe pascendi auctoritatem, utpote totius gregis dominici pastor. Alii uero non uniuersaliter sed secundum mensuram taxandam, & limitandam per Petrum. Vnde gl. super illud 1. Petri 5. Pascite eum qui in uobis est gregem, dicit sic. Sicut dominus Petrum curam totius gregis habere iussit, ita Petrus sequentibus iure mandat ut eum quisque qui secum est gregem Dei solicita gubernatione tueatur. hæc ibi. Hanc singularitatem præeminentiæ Petri beatus Ambro. tangit super Lu. ca. ulti. exponens præfatum uerbum. Ioan. ulti. Petre amas

me

me &c. ubi sic dicit. Bene conscius sui non ad tempus assumptum sed iandudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum, quis est alius qui de se hoc facile profiteri possit? & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur, hæc Ambro. Tertio potest dici quòd falsum aduersarii assumunt cũ arguendo dicunt quòd pascere oues non contingit nisi tripliciter, quod patet ex glo. Ioan. ulti. quæ Alchuini est sic dicentis. Pascere oues est credentes in Christo ne a fide deficiant confortare: terrena subsidia si necesse fuerit subditis prouidere, & exempla uirtutum cum uerbo prædicationis impendere, aduersariis resistere, errantes subditos corrigere, hæc glo. Patet ergo quòd cura pastoralis beato Petro commissa plus continet auctoritatis quàm illa contineant quæ Petro, & aliis apostolis simul dicta fuerunt. Sed de hoc plenius inferius habebitur.

Cap. XII. In quo respondetur rationibus supra ca. 8. factis contra beati Petri primatum quæ ex euangelio sumi uidebantur.

DATIS responsionibus ad improbationes aduersariorum inductas contra principalia fundamenta ex quibus beatum Petrum primatũ habuisse inter apostolos ostendimus; iam reliquum est respondere rationibus quibus aduersarii primatum ipsum beati Petri impugnant. Et primo ad eas quæ ex euangelio uidebantur sumi. Et ad primam cum dicitur quòd apostoli æqualem potestatem receperunt &c. Respondetur hoc assumptum esse falsum. Et ad probationem quæ inducitur ex auctoritate Math. 28. & Ioan. ulti. respondetur, ꝙ ex illis auctoritatibus nihil probatur, quoniam licet ex illis auctoritatibus habeatur quòd potestas clauiũ sit data omnibus apostolis, nõ tamẽ habetur ꝙ ęqualiter data sit omnibus, sicut licet ut inquit apostolus ad Ro. 13. Non sit potestas nisi a Deo, non tamen sequitur ꝙ omnibus rebus potestatẽ habẽtibus potestas æqualis data sit: & ita est in proposito. licet enim omnibus apostolis potestas clauium data sit, nihilominus tamen Petro qui caput & princeps aliorum ordinabatur plenius data est, sicut ex gl. Mat. 16. superius inducta in c. 5. patet unde inquit sanctus Thom. in 4. dist. 24. Quamuis omnibus apostolis communiter data sit potestas ligãgandi, & soluendi, tamen ut in hac potestate aliquis ordo significaretur primo soli Petro data est; ut ostendatur quòd ab eo in alios debeat illa potestas descendere, propter quod ei dicit singulariter. Confirma fratres tuos, & pasce oues meas, id est loco mei, ut (Chriso. dicit.) Præpositus & caput esto fratrum ut ipsi te in loco mei assumentes ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent & confirment. Ad duas autem auctoritates consequenter inductas, scilicet sanctorũ Anacleti, & Cypriani, in quibus dicitur quòd apostoli pari consortio honoris &c. respondetur dupliciter. Primo quòd cùm dicitur Pari consortio &c. dicimus ꝙ ly pari non dicit æqualitatem potestatis aut honoris sed similitudinem. unde exponẽdum est pari, id est communi siue simili potestate. Paritas enim nõ tantũ æqualitatem, sed etiã similitudinẽ in sacris litteris legitur designare. unde Leui. 18. dicitur. Cauete ne uos similiter euomat cũ paria feceritis, gl. i. similia. Et ꝙ in hac significatione nomẽ paritatis accipiẽdũ sit in proposito ex sentẽtia beati Leonis papæ, qui scribẽs ad Anastasiũ thessalon. episcopũ ita dicit. Quoniam inter beatissimos apostolos

Ad primum argum. cap. 8.

Ad cõfirmationẽ.

in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & etsi omnium par esset electio uni tantum datum est ut ceteris præemineret. Ecce quòd ibi Anacletus & Cyprianus dicunt, pari consortio honoris &c. Leo papa quasi exponens dicit: in similitudine honoris. Secundo respondetur: quod ut supra dictum est in 1.li.& in glo.c.sacrosancta, distinct.22.tangitur, duplex dicitur potestas. Quædam scilicet ordinis siue consecrationis, & quædam regiminis siue administrationis. Dicimus ergo quòd paritas illa de qua loquitur Anacletus, & etiam Cyprianus accipienda est quantum ad dignitatem ordinis siue consecrationis. illa enim æqualis fuit omnibus apostolis, non autem intelligenda est quantum ad potestatem regiminis siue administrationis, quin in hac potestate Petrus superior & maior fuerit. & quòd talis fuerit intentio præfatorum sanctorum patet ex eorum dictis nam Anacletus in c.præallegato, scilicet sacrosancta, distinct.22.ita inquit. Inter beatos apostolos quędam discretio fuit potestatis, & licet omnes essent apostoli, Petro tamen concessum est a domino & ipsi inter se uoluerunt idipsum ut reliquis omnibus præesset apostolis, & cephas, id est caput, & principatum teneret apostolatus. Item hoc idem beatus Cyprianus designat 1.c. loquitur dominus 24.q.2. ubi post uerba inducta ita subiungit. Sed ab unitate exordium proficiscitur ut ecclesia Christi una monstretur. Præterea patet ex eo quòd infra huius ecclesiæ caput & potestatis originem dicit esse apostolicam sedem. Ex quibus clarissime ostenditur quòd sententia horum sanctorum est Petrum primatum habuisse inter apostolos ac principatum habere in uniuersali ecclesia.

Ad secundum Ad secundam rationem respondetur negando antecedens, & ad probationem ex ca.Math.20.respondetur quòd Christus non interdicit omnem dominatum ab apostolis siue principatum sed tantum dominatum quo gentiles, & homines mundani utuntur in subditos. Pro quo notandum iuxta sanctum Thom.in postilla sua super Math.exponendo prædictam auctoritatem, quòd dominari dupliciter accipitur. Vnomodo accipitur pro præesse, & hoc modo non loquitur Christus in præfato loco. Math.20.nec talis dominatus interdicitur apostolis. Vnde Christus legitur dixisse Petro. Super plebem meam principem te constitui. Et de apostolis dicitur psal.44. Constitues eos principes super omnem terram. Et de exercitio pastoralis præsidentiæ commissæ beato Petro dicitur. Ioan.ulti. Symon Ioannis pasce oues meas. Alio modo dominari dicitur prout relatiuè dicitur ad seruum, unde sic dominari est idem quod seruiliter sibi subiicere seruum, & hoc modo sumitur in loco præallegato cum ait dominus. Principes gentium dominantur eorum &c. Principes enim constituti sunt ad hoc ut bonum procurent subditis. Si uero illos uolunt in seruitutem redigere tunc abutuntur principatu qui utuntur liberis ut seruis. Et quia hoc consuetum erat apud gentiles, & adhuc est apud aliquos dicit. Principes gentium dominantur eorum, id est in seruitutem redigunt sibi subditos secundum illud Ezech.20. Principes tui in medio eius quasi lupi rapaces. & talis primatus siue dominatus interdicitur a Christo apostolis cum ait dominus. Non erit ita inter uos. Vnde beatus Chryso. super Math. pertractans hoc uerbum ita inquit. Principes mundi ideo fiunt ut dominentur minoribus suis, & abutantur uita eorum ad suas utilitates, & glorias. Principes autem ecclesiæ, ut seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcunque acceperunt a Christo ut suas utilitates negligant, & illorum procurent, hęc

Chriso.

Chryso. Ad tertiam rationem quæ sequitur ex illo Luc.22.Facta est contentio &c. Respondetur ad primam partem negando consequentiam, dicimus enim quòd licet apostoli tunc nondum plene cognouerint quis inter eos post Christi corporalem abscessum ceteris præsidere deberet, & ideo de hoc contenderent: non sequitur propter hoc quòd Christi dispositione nullus inter eos maior esset præordinatus, immo hoc expresse innuit dominus cum ait. Qui maior est inter uos &c. Ad secundam partem eiusdem rationis respondetur quòd Christus in uerbis illis non docuit apostolos ut singuli reputarent se singulis minores inferioritate officii seu auctoritatis, nec hoc Christus suo exemplo docuit qui dicit. Ioan.13.ca. Vos uocatis me magister & domine & bene dicitis, sed hoc docuit ut quanto inter apostolos quis esset maior tanto esset humilior, secundum illud Ecclesiastici 3. Quanto maiores, tanto te humilia in omnibus. Ad quartam rationem respondetur cum dicitur quòd ille debuit principatum habere inter apostolos qui immediate Christo successit in ecclesia &c. Respondemus quòd uerum est intelligendo de successione tanquam generalis uicarius. unde iste solus fuit beatus Petrus qui tanquam generalis uicarius in toto orbe Christo successit & non Iacobus alphei qui ab ipso Petro post Hierosolymis episcopus est ordinatus. Vnde sanctus Thom. exponens illud Ioan. ulti. Sequere me, dicit iuxta Chrysostomum quòd Iacobus licet post ascensionem Christi specialem curam illius loci habuerit: Petrus tamen uniuersalem totius ecclesiæ curam obtinuit. Quod autem Petrus Christo immediate etiam hyerosolimis successerit patet ex hoc, quòd ibi officia summi pontificis quo ad prædicationem, quo ad Mathiæ electionem, & quo ad alia superius expressa primo inter omnes exercuit, sicut supra in cap.5. copiose monstratum est. uerum locus Hierusalem licet consecratione sanguinis Christi fuerit gloriosior, nihilominus tamen Roma pro successione summi pontificis fuit aptior, sicut inferius ostendetur. Hinc Petrus sedem specialem suam tandem Romæ elegit constituto Hyerosolymis episcopo beato Iacobo: & hoc pulchrè siue conuenienter, ut dicit beatus Bernardus 2. lib. de consideratione ad Eugenium, ut ibi positus suscitaret semen defuncti fratris ubi occisus est ille. nam dictus est frater domini.

Ad tertiũ

Ad secundã partẽ.

Ad quartum

Cap. XIII. In quo respondetur rationibus sumptis ex epistolis Pauli.

AD primam rationem sumptam ex prima parte auctoritatis inductę ex apostolo ad Gal.2. respondetur negando consequentiam, quoniã apostolus Paulus in prædictis uerbis non negat se aliquid auctoritatis a Petro suscepisse, sed tantum ostendit ueritatem euangelii sui ex collatione cum aliis apostolis & eorum approbatione. ascendit enim ut dicit in principio eiusdem c. post 14. annos a passione Christi Hyerosolymam & contulit cum Petro, & aliis secum stantibus euangelium quod prædicabat in gentibus, & ostendit tria. Primo quòd alii apostoli cum quibus contulit nihil in sua prædicatione correxerunt quasi falsum. Secundo quòd nihil suppleuerunt uel addiderunt quasi diminutum. Tertio quòd cum in societatem suam receperunt tanquam uerum apostolum: propter quod ex parte perfectionis doctrinæ, ut dicit gl. non fuit inferior aliis apostolis qui ita a Deo

Ad primã rationem cap.9.

perfectus fuit ut nihil esset quod in collatione perfectionis suæ adderent. Dei enim perfecta sunt opera Deutero.32. Et ita patet quomodo siue in quo Paulus non dicebatur inferior Petro, scilicet in duobus. Primo in hoc quòd a Christo immediate erat institutus apostolus ut Petrus,& alii. Secundo in hoc quòd a Deo perfectè instructus in euangelio erat sicut,& ipse Petrus. non autem dictus est par Petro in potestate iurisdictionis, quoniam non latebat ipsum Paulum Petrum caput esse ecclesiæ, unde eum uocat cephas quod caput secundum linguam græcam sonat, ut dicit beatus Isid. Ceterum licet Paulus non immediate a Petro apostolatus officium susceperit sicut nec alii apostoli sed a Christo immediate, non sequitur quòd beatus Petrus non fuerit Pauli sicut & aliorum apostolorum princeps & prælatus. Sicut enim superius in c. præcedenti diximus, licet potestatem Christi reliquis apostolis contulerit, in ordine tamen ad Petrum contulit eis, cui primo singulariter ait. Tibi dabo claues regni cœlorum &c. In cuius signum beatus Paulus licet a Deo esset immediate gentium prædicator constitutus nihilominus ad Petrum uenit cum eo de euangelio suo collaturus, de quo Hyero. in epistola ad August. 22. Denique tantæ auctoritatis Petrus fuit ut Paulus in epistola sua scribat. Deinde post tres annos ueni hyerosolymam uidere Petrum,& mansi apud eum diebus quindecim, rursumque in sequentibus post annos quattuordecim ascendi iterum hyerosolymam cum Barnaba assumpto,& Tito. ascendit autem secundum reuelationem, & exposui eis euangelium quod prædicaui inter gentes, ostendens non habuisse securitatem euangelii prædicandi nisi Petri, & eorum qui cum eo erant fuisset sententia roboratum, hæc Hyero.

Ad secundam

Ad secundam rationem quæ ex secunda parte inductæ auctoritatis ad Gal. 2. assumebatur, respondetur negando quòd per illa uerba Paulus æquiparare se uellet Petro in potestate regiminis quem sciebat rectorem constitutum, & caput totius uniuersitatis ecclesiæ nec Paulus credidit Petri potestatem restrictam esse solum ad circumcisos, licet appropriate pro illo tempore ad illos specialiter uerbum prædicationis extenderet: quoniam Petrus in antiochia sedit, & in Hierusalem,& multos conuertit ibidem,& alibi ex gentibus, sicut patet Actuum 12. de Cornelio, & 11. ubi reprehensus legitur a circumcisis fratribus quòd ad gentes ingressus fuisset, & cum conuersis ex gentibus manducasset. Ad id autem quod gloss. dicit. quòd ita principaliter sicut Petro erat sibi creditum euangelium. Respondetur quòd lv principaliter ut exponit magister Nicolaus gorra in postilla sua super epistola Pauli dicit esse intelligendum quo ad officium prædicationis non quo ad officium prælationis: quod ex ipsis uerbis Pauli manifeste colligitur. paritas autem hæc potestatem ordinis quæ par fuit in apostolis, ut supra declarauimus respicit. non autem potestatem iurisdictionis.

Ad tertiã

Ad tertiam rationem quæ ex tertia parte auctoritatis præfate assumebatur respondetur negando consequentiam. sicut enim ex hoc quòd Christus Ioan. 20. cap. uocat apostolos fratres non sequitur quòd non fuerit eis superior, similiter sicut nec ex hoc quòd Papa episcopos uocat fratres in aliquo primatui apostolico derogatur. ita nec ex hoc quòd Petrus frater, & socius dictus sit Pauli modo prædicto sequitur quòd non fuerit princeps eius ac superior. Præterea falsum est quod assumitur, uidelicet quòd princeps ac superior nunquam dicatur subditos habere socios nam 1. Reg. 23. cap. dicitur Iuit rex Saul & socii eius ad quærendum Dauid

Ad.

Ad quartam rationem sumptam ex quarta parte supradictæ auctoritatis respondetur falsum esse quòd Paulus crediderit Petri potestatem restrictam esse solum ad circuncisos, immo eius auctoritas, & potestas etiam ad gentes se extendit, sicut in responsione ad secundam rationem diximus, quod etiam manifeste colligitur. Actuum 10. ubi ostenso sibi lintheo pleno animalibus dictum est ei. Surge Petre occide, & manduca, ubi glo. interli. ita dicit, id est recipe ad unitatem corporis ecclesiæ cuius Petrus princeps, & occide in gentibus quod fuerant, & fac quod es. Ad ultimam rationem quæ sumpta est ex illo loco in eadem epistola, ubi apostolus Paulus dicitur Petro in faciem restitisse, respondetur negando consequentiam, quoniam ex hoc quòd Paulus restitit in illo casu Petro in faciem publice non sequitur quòd maior aut par in auctoritate Petro fuerit. quoniam ubi imminet periculum fidei siue animarum subditi etiam publice possunt in faciem resistere prælatis suis ut beatus Gregor. inquit & habetur in cap. Paulus 2. q. 7. ubi ita dicit. Paulus dicit, seniorem ne increpaueris, sed hæc eius regula in eo reseruanda est cum culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Et hac inquit beatus Thom. in 2. 2. Paulus licet esset subditus Petri propter imminens scandali periculum circa fidem Petrum publicè arguit. Et sicut glosſ. dicit ad Gal. 2. cap. Petrus exemplum maioribus tribuit ut sicubi forte rectum reliquissent non dedignarentur etiam a posteribus corrigi. Id autem quod inducebatur. Deutero. 21. Diis non detrahas, & principi populi tui non maledices, non facit ad propositum, quoniam talis reprehensio nec est detractio nec est maledictio. Ad glosſ. autem Hyero. dicentem quòd Paulus Petrum reprehendisse non auderet nisi se illi non imparem sciret, dicit Gratianus in cap. Paulus. 2. quæst. 7. ita. Hoc non de officio ecclesiasticæ dignitatis sed de paritate uitæ, & sanctitate conuersationis intelligitur, solus enim Petrus inquit inter apostolos primatum gerebat. sed melius uidetur dicendum iuxta sanctum Thoma. in 22. quæst. 34. ar. 4. quòd Paulus erat par Petro quo ad fidei defensionem non. quo ad dignitatem prælationis: quoniam de paritate uitæ conuersationis sanctitate non bene uidetur intelligendum, cum Paulus dicat. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum 1. Corinth. 4. ubi glosſ. magistri, ita ait id est non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio, delicta enim quis intelligit, & quis gloriatur se mundum habere cor &c. humiliat se apostolus hoc dicens ut homo loquitur qui potest habere culpam nescius, hæc glo.

Ad quartam

Ad quintam

Cap. XIIII. In quo respondetur rationibus aduersariorum quæ sumuntur capit. 10. ex actibus apostolorum.

AD rationem primam sumptam ex c. 1. Act. apostolorũ respondetur negando consequentiã, & ratio est, quoniam licet Petrus non solus sed simul cum aliis elegerit Mathiã, non est factum ex defectu potestatis quæ fuerit in Petro ad electionem illam faciendã cũ princeps apostolorum foret. Vnde super illud. Exurgens Petrus in media fratrum dixit. dicit

Ad corroboratio-nẽ primã ca. 10.

glo.interli.Pastor pro ouibus loquitur, sed factum est religiosa intentione pacis & unitatis causa. Quod manifeste beatus Chryso.exponens hunc locum super actus apostolorum profitetur ita di. Petrus ut inflammatus, & sicut ille cui a Christo commissum erat ouile, & ut princeps apostolorum semper primus incepit sermonem.uide autem quia Petrus omnia facit communi omnium uoluntate nihil agit principaliter aut dominatiuè. Et infra. Oportet ergo ex his qui nobiscum sunt uiris in omni tempore. quare ita palam omnibus loquitur?ne contentiosæ res fierent, & ad litem deuenirent. & ideo scandala uitabat. Quapropter incipiens dicit. Viri fratres oportet eligi ex uobis. multitudini populi electionem concedit, ut & ipse a contentione liberaretur, & aliis honor exhiberetur. Et infra. Quid ergo &c. Eum eligere non poterat?utique poterat:sed ne uideretur ipse gratiam dare, ideo non fecit. Et infra. Centum, & uiginti erant & unum quærit ex omni multitudine. Opportune uero primus Petrus huiusmodi rei dominatur, quia ipse omnes in potestate acceperat.ad eum enim dixit Christus. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, hæc Chryso. Ex qua expositione beati Chrys.multa aduersariorum deliramenta confunduntur quæ ex falsa intelligentia libri actuum apostolorum conflata sunt. Ad secundam rationem

Ad secundam

quæ sumitur ex c.6.de electione 7.Dyaconorum patet responsio ex responsione data ad rationem superiorem negando consequentiam, cuius ratio est: quoniam non obstat primatui siue principatui beati Petri quòd ad id quod solus agere poterat, alii apostoli secum ad agendum conuenirent: cum hoc non ex eo factum sit quòd alii apostoli maioris potestatis essent quàm solus Petrus, aut quòd Petrus eguerit illorum adiutorio potestatis: sed factum est ita rationibus iam dictis iuxta beatum Chrys. uidelicet ut contentio uitaretur, ut honor etiam aliis exhiberetur apostolis, & ut in Petri obseruantia doctrina magistri sui refulgeret. Qui maior est in uobis fiat sicut

Ad tertiã

minister. Ad tertiam rationem sumptam ex c.8.de missione Petri respondetur quòd assumptum est falsum, uidelicet quòd omnis missio importet superioritatem in mittente respectu missi. hoc enim fuit unum de fundamentis Arrii ad ponendum inæqualitatem substantiæ, & potestatis in diuinis personis, quia in scriptura sancta legitur & pater mittere, & filius & spiritussanctus leguntur mitti.ut ex 4.de tri.beati Augu.aperte colligitur. Præfatum etiam fundamentum aduersariorum fuit unum de fundamentis armenorum contra primatum Romani pont. ut deducit dominus Richardus in lib.de quæstionibus armenorum, li.7.ca.3. Item quòd sit falsum præsuppositum illud patet ex illo Math.2.ubi dicitur. Herodes mittens tres reges magos qui uenerant adorare dominum in Bethleem dixit eis. Ite & interrogate diligenter de puero &c. & tamen clarum est quòd Herodes nullam auctoritatis superioritatem habebat supra reges prædictos. Ceterum Genes. 41.dicit Ioseph fratribus suis. Mittite ex uobis unum ut adducat fratrem uestrum minimum. planum est quòd huiusmodi missio non importabat superioritatem auctoritatis in mittentibus respectu missi. Dicitur ergo quòd est missio uidelicet secundum auctoritatis imperium ut seruus mittitur a domino, quemadmodum rex mittit seneschalcum aut papa legatum. Alia est secundum consilium, ut consiliarii siue senatus dicitur mittere regem ad bellandum. Istos duos modos missionis tangit sanctus Tho. in 1. parte q.44.arti. Tertius modus est secundum auctoritatem amoris,

sicut

ſicut quandoque ſocii aut etiam inferiores mittunt nuncium ſiue legatum ad regem ſiue papam aliquem maiorem inter eos, reſpectu cuius nullam habent auctoritatem prælationis ſed tantum amoris. Qua diſtinctione habita poteſt dupliciter dici. Primo quòd apoſtoli non miſerunt auctoritatis imperio, ſed miſerũt eum prouidentiæ conſilio ſuggerentes ei ut ipſe iret utpote magis accommodus. Tum ratione auctoritatis. Tum quia præ ceteris maiori ſplendebat miraculorum gratia. Talis autem miſſio non dicit ſuperioritatem auctoritatis in mittente. Et quòd talis fuerit illa miſſio uidetur aperte colligi ex gloſſ. ordi. eiuſdem textus quæ dicit ſic. Petrus Ioannem aſſociat ſibi, quia uirginitas eccleſiæ grata eſt & placet. plane ſi iſta miſſio facta fuiſſet ab aliquo ſuperiori non diceretur quòd Petrus aſſociat ſibi Ioannẽ, ſed diceretur magis quòd Ioannes aſſociatus ſibi eſſet ab aliis. Secundo poteſt dici quòd iſta miſſio qua Petrus dicitur miſſus ab apoſtolis fuit, ut dicit dominus Vlricus in ſumma ſua theologiæ, auctoritate amoris qui gradum neſcit, non auctoritate prælationis, cum Petrus uertex fuerit apoſtolorum, hæc ille.

Cap. XV. Quòd beatus Petrus non ſolum inter apoſtolos ſed ſuper omnes fideles in toto orbe terrarum habuit principatum.

QVOD uero beatus Petrus non ſolum aliorum apoſtolorum princeps fuerit, ſed in totum Chriſtianum orbẽ principatum, & prælationis habuerit auctoritatem, tam ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis quàm rationibus efficacibus facile oſtendemus. Imprimis ex eo quòd Mat. 16. inquit dominus. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiã meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Quod uerbum beatus Cryſoſto. ſuper Math. pertractans ita inquit, prout inducit ſanctus Thom. Filius quod patris eſt & ipſius filii poteſtatem Petro uniuerſaliter conceſſit ubique terrarum & homini mortali omnium quæ in cœlo ſunt dedit auctoritatem, dando ei claues ad hoc ut eccleſiam ubique amplificet. Item ſuper Actio. apoſtolorum idem beatus Cryſo. ita propoſitum optimè confirmat. Petrus apoſtolus a filio ſuper omnes qui filii ſunt, poteſtatem accepit nó ut Moyſes in gente una ſed in uniuerſo orbe. Secundo idem trahitur ex illo Ioan. ulti. ubi Chriſtus Petro ait. Symon Ioannis paſce oues meas inter has, & illas non diſtinguens, ſed uniuerſas eius curæ commendat. Vnde beatus Chryſo. exponens hoc uerbum ſic ait. Paſce oues meas, id eſt loco mei præpoſitus, & caput eſto fratrum, ut ipſi te in loco meo aſſumentes ubique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent, & confirment. Tertio idem oſtenditur ex illo Ioan. etiam ulti. c. ubi Chriſtus ait Petro. Sequere me. Quod uerbum non tam intelligi debet de genere martyrii quàm de ordine magiſterii. Nam & Andreas, & quidam alii præter Petrum in crucifixione ſecuti ſunt Chriſtum, ſed ſolum ſibi Petrum ſubſtituit dominus, & in officio uicarium & in martyrio ſucceſſorem. Vnde ſanctus Tho. exponens hunc locum de utroque dicit, uel ſecundum Chryſo. Sequere me in prælationis officio, q. d. ſicut ego habeo a Deo patre curam eccleſiam pſal. 2. Poſtula a me & dabo tibi gentes &c. ita tu loco mei ſis ſupra totam eccleſiam. Vnde Theophilus ſuper eodem uerbo inquit. Per hoc quod dominus ait Petro, ſeque-

te me, cunctorum fidelium prælatum eum instituit. Et beatus Bern. ad Eugenium lib.2. de consideratione cap.6. ex hoc loco euangelii amplitudinem principatus apostolici probans ita illi inquit. Tu es cui traditę sunt claues regni cœlorum, cui oues traditę sunt. Sunt quidem, & alii cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius quanto, & differentius utrunque præ ceteris hæreditasti. Habent alii assignatos greges singuli singulos tibi uniuersi crediti sunt, unus uni nec modo ouium sed & pastorum, tu unus omnium. unde illud probetur quæris, ex uerbo domini cui non dico episcoporũ sed apostolorum etiam sic absolute, & indistinctè totæ commissæ sunt oues. si me inquit amas, pasce oues: quas? illius uel illius populi ciuitatis aut regionis aut certe regni? oues inquit meas cui non planum non designasse aliquas sed assignasse omnes? nihil excipitur ubi dicitur nihil, & forte præsentes ceteri discipuli erant cum committens ecclesiam uni unitatem omnibus commendaret in uno grege in uno pastore secundum illud. Vna est columba mea formosa mea perfecta mea, ubi unitas ibi perfectio, reliqui numeri perfectionem non habent sed distinctionem recedentes ab unitate. Inde est quòd alii singulas sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Iacobus qui uocatur columna ecclesiæ una contentus hyerosolymitana Petro uniuersitatem cedens. pulchrè uero ibi positus est suscitare semen defuncti fratris ubi occisus est ille. nam dictus est frater domini, porro sedente domini fratre quis se ingerat alter prærogatiuè Petri. ergo iuxta canones tuos alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis uocatus es &c. Quarto eadem sententia colligitur ex illo Ioan. in eodem cap. ubi solus Petrus super mare uenire iussus est, per quod dabatur intelligi, quòd totum mundum per mare designatum sub una ditione obtineret. Vnde beatus Bern. ubi supra ita præfato pontifici subinfert. Accipe illud quod nihilominus prærogatiuam tuam confirmat. Discipuli nauigabant, & dominus apparebat in littore, sciens Petrus quia dominus est in mare se misit, & sic uenit ad ipsum aliis in nauigiis uenientibus. Quid illud est? nempe signum singularis pontificii Petri per hoc non nauim unam ut ceteri quisq; suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim seculum, naues ecclesiæ. Hinc est etiam quòd altera uice instar domini gradiens supra aquas unicum se Christi uicarium designauit, qui non uni populo sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ populi. itaque cum quibusque ceterorum sua tibi una commissa est nauibus facta ex omnibus ipsa uniuersalis ecclesia toto orbe diffusa. Hæc Bern. Quinto pontificatus apostolici uniuersitas ostenditur ex eo quod consequenter in eodem euangelio Ioannis sequitur, ubi legitur Petrus solus ascendisse, & traxisse rete in terram plenum magnis piscibus. Super quo beatus Greg. rationem assignans huiusmodi inquit. Ipsi enim sancta ecclesia est commissa, ipsi dicitur spiritualiter, pasce oues meas hoc autem ipse nunc præfigurat in opere, nam pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Sexto idem ostenditur ex illo Act.10. ubi soli Petro ostensum est lintheum submissum de cœlo, & super eum solum submissum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terrę, & uolatilia, & sibi soli dictum est de omnibus illis animalibus. Surge Petre occide, & manduca. Quod lintheum nemo ambigit uniuersum mundum cum cunctis hominibus diuersorum rituum designare. nec dubium quin occidere, & manducare non aliud erat

quàm

quàm peruersos mores in ipsis præscindere, & eos in sua persona toti incorporare ecclesiæ, ut satis colligitur ex glo.interli. Vnde & beatus August. tractans hoc uerbum super illud psalm.30. Potabunt omnes bestiæ agri, ad propositum nostrum de extensione principatus Petri in omnes homines fideles quarumcunque nationum ita loquitur. Quattuor enim lineis uas submissum est de cœlo Petro ubi erant omnis generis animalia, & sonuit ei uox. Surge Petre macta, & manduca, omnes enim mactat Petrus in eo quòd mali sunt, & manducat in corpus ecclesiæ traiiciendo. Et infra. Omnes enim erant in archa, omnes in disco, omnes mactat Petrus, & manducat omnes. Hæc August. Septimo hoc idem ostenditur ex illo quod ecclesia per totum orbem in festo beati Petri apostoli dicit ad Petrum. Tu es pastor ouium princeps apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi. Octauo ex illo quod in eadem historia fertur dominus dixisse Petro. Symon Petre antequam de naui uocarem te noui te & super plebem meam principem te constitui. plebs autem Christi tota uniuersalis ecclesia dicitur. Relinquitur ergo ex inductis sacræ scripturæ testimoniis clarissimum, quòd beatus Petrus fuit, & nunc eius successor habet auctoritatem prælationis super totam ecclesiam Christi ut ueraciter sit seruus ille. de quo dicit Christus Luc. 12. Fidelis seruus, & prudens quem constituit dominus super familiam suam glo.dicit, i. ecclesiam. Nouo hoc idem ostenditur ex concilio calcedonen. quod sanctus Thomas in tractatu contra errores græcorum in c.67. inducit ad hoc probandum scilicet quòd prædictus Christi uicarius in totam ecclesiam uniuersalem prælationem obtineat. Legitur enim in calcedonen. concilio quòd tota synodus Leoni papæ acclamauit. Leo sanctissimus apostolicus, & Ycomenicus, id est uniuersalis patriarcha per multos annos uiuat. Item inducit Crysto. super Ioan. dicens. Iacobum localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrum & doctorem. Hoc etiam ratione sic ostenditur. Princeps lex & finis uidentur sic commensurata ut sibiinuicem paris sint uniuersalitatis, & extēsionis principatum, scilicet regulatiuum, medium quo, & finis ad quem, sed sic est quòd lex euangelica secundum quam pontifex ecclesiasticus regit ecclesiam, & finis quem intendit in regimine ecclesiæ ipse princeps ecclesiasticus, scilicet suprema beatitudo se extendit ad omnem hominem fidelem, ad omnem sexum, & ad omnē statum. ergo ad omnes fideles cuiuscunque conditionis, & status existant congregatos simul localiter siue dispersos per orbem extenditur auctoritas regiminis, & administrationis summi pontificis. Ex quibus apertissimè conuincitur error dicentium beatum, Petrum siue Romanum pontificem non habere primatum siue principatum super totam ecclesiam. De cuius erroris grauitate beatus Tho. contra errorem græcorum in ca.66. ita loquitur. Similis autem error est dicentium Christi uicarium Romanæ ecclesiæ pontificem non habere uniuersalis ecclesiæ primatum, errori dicentium spiritumsanctum a filio non procedere. Ipse enim Christus Dei filius suam ecclesiam consecrat, & sibi consignat spiritusancto quasi suo caractere, & sigillo, ut ex suprapositis auctoritatibus manifeste habetur, & similiter Christi uicarius suo primatu, & prouidentia uniuersalem ecclesiam tanquam fidelis minister Christo subiectam conseruat. hæc sanctus Tho.

Cap. XVI. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones contra id quod dictum est quòd Romanus pontifex habeat uniuersalis ecclesiæ primatum; & responsio ad illas.

Arg. primum

ADVERSVS prædicta arguunt aduersarii ex aliquibus auctoritatibus sanctorum. Primo ex ca. Primæ sedis 99. dist. ubi ex concilio aphricano habetur, quòd primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum aut summus sacerdos aut aliquid huiusmodi, sed tantū primæ sedis episcopus. Secundo arguunt ex ca. Nullus ea distin. in quo habetur quòd Romanus pontifex non appelletur uniuersalis. Tertio ad idem arguunt ex ca. sequenti ecce. in quo beatus Greg. uniuersalem se uocari prohibet. Sed istis non est difficile respondere. Ad primam enim dicimus quòd non sit ad propositum, quoniam ca. illud non loquitur de episcopo primæ sedis simpliciter quæ est Romana sed de primæ sedis, scilicet patriarchalis pontifice. Vnde glo. supra illud ca. ita habet. Primæ, id est patriarchalis, alias Papa bene. Eodem modo exponit dominus archydiaconus dic. Primæ sedis, id est patriarchalis. Ad alia duo sequentia quæ loquuntur de Romano ponti. dicimus: quòd non ideo prohibitum est Romanum pontifi. uocari uniuersalem quia non sit uniuersalis pastor totius ecclesiæ, & caput uniuersalis ecclesiæ, cum in concilio calcedonen. acclamatum legatur beatissimo Leoni papæ uiuat Leo sanctissimus ycomenicus. i. uniuersalis patriarcha. Præterea multi sancti pontifices ita se nominasse in suis epistolis leguntur. unde beatus Sixtus scribens omnibus episcopis ita in 2. epistola ut recitat beatus Isid. in lib. pontificum loquitur. Sixtus uniuersalis apostolicæ ecclesiæ episcopus omnibus episcopis &c. Item sanctus Victor papa in epistola de pascha, & baptismo Theophilo Alexan. directa sic scribit. Victor Romanæ ac uniuersalis ecclesiæ episcopus. Item sanctus Eleutherius in epistola quā uniuersis episcopis per Galliæ prouincias scribit dicit sic in fine. Huius rei gratia uniuersalis nobis a Christo Iesu commissa est ecclesia. Sed ideo prohibetur uocari uniuersalis; tum propter humilitatem; tum quia non præficitur cuilibet particulari ecclesiæ ut proprius, & spiritualis illius ecclesiæ rector, & immediatus administrator. unde sanctus Thom in lib. contra impugnantes religionem ad hoc cap. respondens dicit sic. Quod autem Papa uniuersalem pontificem se prohibet nominari non ideo hoc est quòd ipse non habeat auctoritatem immediatam, & plenam in qualibet ecclesia: sed quia non præficitur cuilibet particulari ecclesiæ ut proprius, & specialis illius ecclesiæ rector: sic enim cessarent omnium aliorum pontificum potestates, & hoc cap. inductum nullus pro ratione inducit, hæc sanctus Thom.

Secundū

Tertium

Ad primū

Ad secūdū & tertiū.

Cap. XVII. Quibus rationibus beatus Petrus fundamentum ecclesiæ dictus est.

POSTQVAM probatissimis testimoniis ostendimus beatum Petrum apostolum inter apostolos habuisse primatum, & ecclesiæ principem ac rectorē a Christo institutū esse, perscrutabimur cōsequenter qui-

quibus de causis fundamentum ecclesiæ dictus sit. Dicimus autem quòd etsi omnibus apostolis fundamenti uocabulum attributum legamus iuxta illud psalm.86. Fundamenta eius in montibus sanctis, gloss.i.in apostolis Et Apoc.21. dicatur. Murus ciuitatis, id est ecclesiæ habens fundamenta duodecim & in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum. Et hoc quia omnes apostoli fundauerunt ecclesiam in fide, & doctrina Christi. Sicut fundauerat apostolus Paulus qui dicebat 1.Corin.3. Vt sapiens architectus fundamentum posui, gloss.fidem Christi non aliam. Nihilominus singulari quadam prærogatiua beatus Petrus post Christum fuit & dictus est ecclesiæ fundamentum. Vnde Mathei 16.ita Christus singulariter Petro loquitur. Ego dico tibi Petre quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quod uerbum pertractans beatus Hyero.in commentario ita inquit. Tu mihi dixisti, tu es Christus filius Dei uiui, & ego dico tibi sermone non casso & nullum opus habente sed dico tibi quia meum dixisse fecisse est, quia tu es Petrus. sicut enim lumen apostolis donauit ut lumen mundi appellarentur, & cetera quæ a domino dicta sunt uocabula, ita & Symoni qui credebat in petram Christum, Petrę largitus est nomen, ac secundum Metaphoram petræ rectè dicitur ei ædificabo ecclesiam meam super te, & hoc est quod sequitur, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, hæc Hyero. Percurrentes autem nos plures sanctorum patrum expositiones, & commentaria, inuenimus multis rationibus siue considerationibus nomen fundamenti siue petræ Petro conuenientissimè apertissimeque attributum. Primo quidem ratione illius gloriosissimę confessionis, qua Christum præ ceteris omnibus apostolis Christum confessus est dicens Math.16. Tu es Christus filius Dei uiui. Confessio certe omni laude digna, in qua totius ecclesiæ fides offertur, ut inquit August. Christum enim & Deum uerum ac hominem uerum confitetur, ut inquit gloss. Confessio certe salutifera ac necessaria, absque qua nullus cœlorum regnum ingreditur, ut inquit gloss. Hanc rationem tangit beatus Maximus in sermone apostolorum Petri, & Pauli qui incipit. Gloriosissimos Christianæ fidei principes, ita dicens. Hic est Petrus cui Christus dominus communionem libenter indulsit: ut enim sicut apostolus Paulus edocuit: petra autem erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente enim domino. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Nam sicut in deserto iussu dominico sitienti populo aqua effluxit e petra, ita uniuerso mundo perfidię ariditate lassanti de ore Petri fons salutiferę confessionis emersit, hæc ille. Et Leo sanctissimus in sermone 2.ordinationis de hac Petri confessione ita loquitur. Tu es Christus filius Dei uiui, quotidie Petrus dicit, & omnis lingua quæ dominum confitetur magisterio huiusmodi uocis imbuitur. Hæc fides diabolum uincit, & captiuorum eius uincula dissoluit. Hæc exutos mundo inserit cœlo, & portę inferi aduersus eam præualere non possunt. Tanta enim diuinitus soliditate munita est ut eam nec hæretica unquam corrumpere prauitas nec Pagana potuerit superare perfidia. Secundo beatus Petrus dictus est conuenientissimè ecclesię fundamentum quia primus in nationibus fidei iecit fundamenta, ut inquit Ambro. in cap. Fidelior.I.dist. Siue ut inquit beatus Anacletus in cap. In nouo distinct.21. Primus ad fidem uirtute suæ prædicationis adduxit uerboque instituit. ipse enim apostolus Petrus primos Iudæos, primos gentiles post Chri

deificabo ecclesiam meam, & portè inferi non præualebunt aduersus eam, super hanc inquit fortitudinem æternum extruam templũ, & ecclesiæ meæ cœlo inserenda sublimitas in huius fidei firmitate consurget, hæc ille. Ad idem est beatus Grego. Papa in epistola ad syracusanum episcopum. Quis nesciat sanctam ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine ut Petrus a petra uocaretur cui ueritatis uoce dicitur. Tibi dabo claues regni cœlorum. Item Pasce oues meas. Itaque cum multi sint apostoli pro ipsorum principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit. Quinto ecclesiæ fundamentum Petrus dictus est propter eius cathedræ insuperabile magisterium, in qua ut in ca. In sede. & in ca. Hæc est fides 24. q. 2. habetur extra maculam semper est catholica seruata religio. Quocirca beatus Hyero. in cap. Quoniam uetus. Ibidem clamat cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ecclesiam fundatam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus est: qui in archa non fuerit, peribit regnante diluuio. Et Cyprianus qui cathedram Petri supra quam fundata est ecclesia deserit, in ecclesia esse non confidat. Sexto Petrus ecclesiæ fundamentum dictus est ratione sui primatus, cuius sedis auctoritas quoddam fundamentum est ecclesiæ ut dicit sanctus Tho. in fine 2. lib. sententiarum. Sedes enim Petri prima est a Christo, & super Christum fundata, ut in cap. Omnes dist. 22. a qua ipsa uniuersi ordinis ecclesiastici dispositio pendet ac totius ecclesiastici ædificii altitudo post Christum consurgit. Ipsa enim est quæ ut ait Nicolaus Papa in ca. Omnes dist. 22. Omnes siue patriarchæ in cuiuslibet apicem siue metropoleon primatus aut archiepiscopatuum cathedras uel ecclesiarum cuiuscunque ordinis dignitatem instituit ac fundauit. illam uero solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit qui beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperii iura commisit. Et hoc modo uidetur intelligendum illud quod Damasus in sermone de transfiguratione respondens Petro dicenti. Bonum est nos hic esse faciamus hic tria tabernacula dicit. Non te dominus tabernaculorum sed uniuersalis ecclesiæ constructorem constituit. Quocirca ut beatus August. in sermone quodam qui legitur in festo cathedræ sancti Petri inquit. Rectè ecclesiæ natale sedis Petri colunt quam apostolus pro ecclesiarum salute suscepit dicente domino. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Petrum itaque fundamentum ecclesiæ nominauit, & ideo digne hoc fundamentum ecclesia colit supra quod ædificii altitudo consurgit, hæc August. Item idem beatus August. in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli qui de beato Petro loquens ita inquit. Petrus audire meruit: tamen dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam. Dignus certe qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamenta, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. Item idem August. & habetur in ca. pudenda inquit 24. quæst. 1. quòd ecclesia est fundata in radice apostolicæ sedis. Septimo beatus Petrus dictus est fundamentum ecclesiæ ratione irrefragabilis firmitatis iudiciorum suæ apostolicæ sedis. De quo Origen. in gloss. super illud Math. sedecim. Quodcunque ligaueris, &c. dicit sic. Vide quantam potestatem habet petra supra quam ædificatur ecclesia, ut etiam iudicia eius maneant firma quasi Deo iudicante per ipsam. Item Maximus in sermone apo-

stolorum Petri & Pauli qui incipit Beatissimorum apostolorum,&c.de hoc ita inquit. Quid etiam de Petro referam cuius est a Deo tanta approbata iustitia,tantaque ei attributa est potestas iudicandi ut in arbitrio eius poneretur cœleste iudicium? perspicite ergo, & æstimate quanto sit nobis Petrus apostolus honore reuerendus cuius sententiam in terris prolatam sempiterni iudicis æquitas non repellit. Et beatus Bernar.in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli qui incipit. Petrus apostolorum princeps unus est quem prænobilitant singularis primatus insignia,clauicularius regni,cœlorum lingua,fidei fundamentum, consummatus honor, & dignatio gloriosa, hominem in terris positum in cœlis imperare, & inter angelorum choros iudiciariæ potestatis exercere uirtutem,& in terra ligandi,& soluendi,nullus angelorum possidet,adest Petrus & ad eius arbitrium uniuersitas orbis ligatur & soluitur, & præcedit Petri sententia sententiam redemptoris:quia non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus hoc ligat Christus,ipso ad ipsum attestante.Quodcunque ligaueris &c. O quam potens dignitas,quam digna potentia, iudicabit Petrus,& omnipotens Petri, iudicia confirmat,& est in manu Petri manus altissimi, solusque ille efficitur familiaris Christi qui Petri familiaritatem habuerit,hæc ille.

Cap. XVIII. In quo aduersariorum obiectiones quædam ponuntur contra hoc quod dictum est quòd Petrus apostolus ecclesiæ catholicæ fundamentum uerè dictus sit.

ADVERSARII primatus apostolici hostes sanctorum patrum doctrinis non consentientes alium quàm Christum dici ecclesiæ fundamentum non ferentes ausique dicere quòd beatus Petrus uerè non fuerit dicendus fundamentum ecclesiæ,talibus nituntur probare rationibus. Primo sic 1.Corin.3.Paulus apostolus inquit.Vnusquisque uideat quomodo ædificet.fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter illud quod positum est Christus Iesus, ergo manifeste apparet quòd nullus alius potest ueraciter poni fundamentum ecclesiæ. Secundo in glo interli.super illud Math.16. Tu es Petrus,habetur sic. A me petra ita tamen ut mihi retineam fundamenti dignitatem, & tu super me ordinabis lapides mundos & abiicies leprosos. Ecce quòd Christus retinet sibi dignitatem fundamenti.ergo sequitur quòd nec Petrus nec alius apostolus fundamentum ecclesiæ dicendus sit. Tertio idem arguitur ex expositione quam beatus Augu. ponit in de uerbis domini homel.13. ubi tractans illud Math.16. ita inquit. Tu es ergo inquit Petrus, & super hanc Petram quam confessus es ædificabo ecclesiam meam,super me ædificabo te, non me super te. Et super Ioan.dicit.Non super petram Petrum, sed super petram Christum ædificasse ecclesiam,ergo idem quod prius. Quarto sic, unius ædificii non est nisi unũ fundamentum,sed ecclesiæ ædificium unum est, cũ ecclesia una sit, ergo sequitur ꝙ illius unum tantũ sit fundamentum dandũ.s.Christus, & nõ plura. Quinto sic fundamenti non est aliud fundamentũ,quia sic esset processus in infinitum,sed Petrus habet fundamentũ sui.s. Christum:patet ex dictis beati Aug.ergo ipse non potest dici alterius.s. ecclesiæ fundamentũ.Sexto sic fundamentum est prius eo cuius est fundamentum, sed Petrus non potest

Arg. primum | Secundũ | Tertium | Quartũ | Quintũ | Sextum

test

test dici prior ecclesia quæ ab ipso Abel iusto dicitur incepisse. ergo sequitur ꝙ Petrus nullo modo potest dici uere fundamentum ecclesiæ.

Cap. XIX. In quo respondetur ad superiores obiectiones aduersariorum.

NON parum certe admirandum est quòd aduersarii inter tot sanctorum patrum luminaria scilicet splendidissima testimonia tāta cecitate laborant, ut Petrum apostolum præsumant fundamentum ecclesiæ negare, nihilominus tamen respondeamus ad rationes eorum. Ad primam quæ sumitur ex apostolo 1. Corin. 3. respondetur quòd Christus est primum & præcipuum fundamentum ecclesiæ, utpote a quo ecclesia principaliter dependet & sustentatur, & præter hoc fundamentum nemo potest aliud ponere tanquam primum & principale: nihilominus apostoli secundario dicti sunt fundamēta, & inter eos principaliter & maxime beatus Petrus, ut uisum est supra. Vnde apostolus Paulus, ut beatus Dyonisius testatur, fertur dixisse beato Petro uersus mortem. Pax tecum fundamentum ecclesiarum pastor ouium Christi. unde ly præter in auctoritate apostoli magis uidetur nota anthonomasiæ quàm sit nota exclusionis, sicut ibi. Tu solus sanctus. Huius sententiæ est doctor egregius Aug. super psal. 76. ita di. Vt noueritis quòd fundamentum Christus sit primum & maximum. fundamentum inquit apostolus, nemo potest ponere aliud præter id quod positum est quod est Christus Iesus. quomodo ergo fundamenta prophetæ & apostoli, & quomodo fundamentum Christus Iesus quo ulterius nihil est, quomodo putamus nisi quemadmodum aperte dicitur sanctus sanctorum sic figuratè fundamentum fundamentorum. si ergo sacramenta cogites Christus sanctus sanctorum, si gregem subditum cogites Christus pastor pastorum, si fabricam cogites Christus fundamentum fundamentorum. hæc Aug. Et idem ponitur in glo. ad Eph. 3. Ad secundam rationem quæ sumitur ex gl. interli. Math. 16. licet pateat responsio ex dictis, dicimus quòd uerum est, quòd Christus reseruauit sibi dignitatem principalis fundamenti, sed hoc non obuiat quin Petrus secundario fuerit fundamentum. Verum pro ampliori intelligentia huiusmodi materiæ est sciendum quòd fundamētum dicitur dupliciter. Vno modo id cui adhæret prima pars ędificii quod tamen non includitur in ædificio, sicut terra solida, uel petra siue rupis. Alio modo potest dici fundamentum prima pars ipsius ædificii supra quam residuum ædificii fundatur. Primo modo fundamentum quod scilicet sustentat totum ædificium est Christus, & hoc modo dicti fundamenti dignitatem retinuit sibi Christus. Sed fundamentum secundo modo dictum bene conuenit aliis scilicet apostolis. Vnde de utroque horum dicitur Eccle. 26. Fundamenta æterna supra petram solidam, & inter apostolos maxime hoc modo competit beato Petro & sedi eius, & ita gl. illa non obstat. Ad tertiam rationem quæ sumitur ex dictis August. respondetur, quòd etiam beatus August. ut superius patuit fuit alterius sententiæ, uidelicet quòd Petrus fundamentum fuerit ecclesiæ super quod ipsa ecclesia fundata sit, quod ipse testatur quòd in illo tanquam in petra fundata sit ecclesia in lib. retractationum c. 2. ubi ita dicit. Dixi quodam loco de apostolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata sit ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in uersibus beatissimi Am-

Ad primū

Ad secundum

Ad tertiū

ra ecclesiæ consurgit secundum diuersos ipsius potestatis gradus secundum quos quidam quantum ad ipsam potestatem sunt infimi, ut curati: quidam medii ut episcopi: quidā unus solus summus est sicut papa. Et de utroq; modo fundationis potest intelligi illud uerbum Math. 16. Secundū enim primū dicitur Petrus fundamentum ecclesiæ inter alias rationes: quia in eius fide & confessione ut inquit Hieron. & gl. Math. 16. ædificata est ecclesia. Secundum secundum uero modum intelligendi Petrus dicitur ecclesiæ fundamentum inquantum ipse primus in ecclesia principatum ecclesiasticæ potestatis obtinuit dicente sibi domino. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Vnde beatus Cyprianus & habetur in c. Loquitur dominus 24. q. i. Loquitur dominus ad Petrum dicens. Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. super unum ædificat ecclesiam. His præsuppositis respondetur ad rationem sic, quòd si loquimur de fundatione ecclesiæ in fide Christi, licet ecclesia prius absolute fuisset quàm Petrus confessus fuisset Christum dicen. Tu es Christus &c. cum multi forent ante credentes s. ipse Petrus & alii apostoli: nihilominus tamen ipse Petrus quantū ad eos qui credituri erant per uerbum prædicationis illius in Christum prior erat ipsa ecclesia. unde sicut prius dictum est in c. 17. ex dicto beati Amb. ipse Petrus primus in nationibus fidei fundamenta posuit, & ut dicit Anacletus primus ad fidem populum uirtute suæ prædicationis adduxit. Si uero loquamur de fundatione ecclesiæ quantum ad potestatem ecclesiasticam eo modo quo superius diximus ecclesia non uidetur prior fuisse Petro: cum fundatio huiusmodi ecclesiæ facta fuerit in Petro. quoniam ut ait sanctus Anacletus in ca. In nouo. dist. 21. In nouo testamento post Christum dominum a Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est dicente domino ad eum. Tu es inquit Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ex his manifeste confunditur error dicentium quòd non magis Petrus quàm ceteri apostoli dicendus fuerit fundamentum ecclesiæ Christi.

Cap. XX. Quòd beatus Petrus caput fuerit sanctæ, & uniuersalis ecclesiæ.

CVM autem fundamentum in spiritualibus non sit inimo ut in corporali ædificio sed in summo existet: ostenso ꝙ beatus Petrus ecclesiæ Dei fundamentū fuerit, clarissime arguitur ꝙ etiam caput fuerit ecclesiæ. Vnde beatus Hier. in lib. de obitu siue ortu sanctorū noui testamēti sic ait. Petrus in Christo ecclesiæ firmamētū cephas corporis Christi princeps & caput est. Præterea ꝙ beatus Petrus caput ecclesiæ a Christo institutus fuerit ex illo inprimis apertissime colligitur Saluatoris uerbo quo inquit. Tu uocaberis cephas. Io. 1. Cephas enim licet secundum unam linguam interpretetur Petrus: nihilominus secundum aliam, ut sanctus Anacletus in c. In nouo. dist. 21. Et beatus Isid. 7. ethym. c. 4. uolūt caput sonat. Cephalym enim græcè: caput latinè dicitur. Secundo hoc idem habetur testimonio beati Chrysost. qui tractans illud Ioan. 21. Symon Ioannis pasce oues meas, dicit sic. Præteriens autem alios Petro loquitur. eximius enim apostolorum erat Petrus os discipulorum & uertex collegii. Tertio ad idem quod beatus Augustin. in libr. q. noui & ueteris testamenti. ubi respondens illi

quæstioni. Cur saluator tantum pro se & Petro solui didragma iussit ita dicit. Saluator cum pro se & Petro dari iubet didragma pro omnibus soluisse uidetur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterii, ita & post saluatorem in Petro omnes continentur. ipsum enim constituit caput eorum, ut pastor esset gregis dominici. hæc Augu. Quarto idem testatur idem beatus Aug. in sermone quodam passionis domini, ubi assignans rationem quare Deus permiserat Petrũ eũ negare ita dicit. Ideo diuinæ prouidentiæ secretũ ita tẽperauit atq; permisit, ut primus laberetur, atq; rueret in peccatum, quo erga peccantes duriorẽ sententiã proprii casus intuitu temperaret. Quantũ igitur diuini muneris erga salutem hominũ, quantũ curæ, quantũ solicitudinis impendatur aduertite: totius corporis morbum in ipso capite curat, & in ipso uertice componit membrorũ omnium sanitatem, & in ipsa confessionis Christi crepidine in ipso immobilis fidei fundamento. in Petro dico scilicet illo qui dixerat, etiam si me oporteat mori, non te negabo. Hic est Petrus qui diuina reuelatione prior omnium ueritatem meruit confiteri di. Tu es Christus filius Dei uiui. hæc August. Ecce quòd beatus August. Petrum uocat & caput & uerticem ecclesiæ necnon immobilis fidei fundamentum. Quinto ad idem est testis illustris Calixtus papa in c. Non decet dist. 12. ubi dicit uniuersalis ecclesiæ caput esse Romanam ecclesiam. Idem etiam Iustinianus ponit in l. inter claras C. de sum. tri. ubi papam caput uocat omnium ecclesiarum. Sexto hoc idem ratione probari potest sic. Quilibet rector cuiuscumque communitatis dicitur caput illius. unde reges siue præsidentes in communitatibus secularibus propter excellentiam auctoritatis dicuntur capita populorum suorum, secundum illud Amos 6. Optimates capita populorum. unde etiam dominus per Samuelem ait ad Saulem. Cum esses paruulus in oculis tuis caput in tribubus Israel factus es. cum ergo Petrus constitutus fuerit rector & pastor uniuersalis ecclesiæ, ut superius amplissime ostensum est, patet manifeste quòd beatus Petrus ueraciter caput fuerit ecclesiæ uniuersalis, &c.

Cap. XXI. In quo aduersariorum ponuntur obiectiones contra hoc quod dictum est quòd beatus Petrus caput fuerit uniuersalis ecclesiæ.

EX aduerso ueritatis & apostolici principatus aduersarii negant beatum Petrum apostolum & eius successorem caput fuisse sanctæ ecclesiæ catholicæ aut esse. Inducunt autem in suorum errorum fauorẽ rationes sequentes. Primo sic. capitis non est caput: sed Petri & successorum eius Christus est caput: cum sit caput super omnem ecclesiam. ad Eph. 1. ergo sequitur quòd nec Petrus, nec successor illius potest dici caput ecclesiæ. Secundo sic. unius corporis unum est caput, sed corpus ecclesiæ est unum dicente apostolo ad Rom. 12. Multi unum corpus sumus, & huius corporis Christus est caput, ut testatur apostolus ad Colo. 1. ergo nec Petro, nec successori suo conuenit esse caput corporis ecclesiæ. Tertio sic. Christus est caput ecclesiæ & sufficientissimum: ergo uidetur quòd otiosum & frustra sit aliud quodcunque detur, & ita non uidetur dicendum quòd beatus Petrus, aut successor eius sit caput ecclesiæ. Quarto sic. sicut in capite cor-

[Margin: Arg. primũ quod cum sequẽtibus soluetur intra c. 23 — Secundũ — Tertium — Quartum]

te corporis animalis est plenitudo sensuum. uigent enim in eo omnes sensus interiores & exteriores, cum in ceteris membris solus sensus tacitus sit: ita in capite ecclesiæ esse debet. Vnde de Christo ecclesiæ capite dicitur Ioan.1. Vidimus eum plenum gratia & ueritate: sed in beato Petro nec in successoribus est plenitudo sensuum spiritualium: ergo non potest dici caput ecclesiæ. Quinto sic capitis est influere sensum & motum: sed nec a beato Petro nec eius successore influitur membris ecclesiæ sensus fidei & motus charitatis: cum ab ipso non redundet gratia in corpus ecclesiæ: ergo ei non est attribuendum nomen capitis. Sexto sic. si Petrus fuisset caput ecclesiæ ab ipso inter ceteros deriuata esset potestas spiritualis: sed hoc non est. Tum quia non ipse solus recepit claues: sed tota ecclesia in ipso qui significabat ecclesiam, ut habetur in ca. Quodcunque 24. q.1. Tum quia omnes apostoli cum eo æque principaliter potestatem a Christo susceperint. Math.18. Amen dico uobis quæcunque alligaueritis: ergo &c. Septimo sic. si Petrus fuisset caput ecclesiæ uidetur quòd ab ipso uenissent denominandi fideles ut uidetur, sed a Petro non denominantur fideles Petrini, sed a Christo Christiani, ut dicit Aug. de uerbis domini homel.13. ergo &c. Octauo arguitur sic. corporis ad caput est necessaria connexio: sed ad Petrum & ad eius successores ecclesiæ corpus non habet necessariam connexionem: patet quia ecclesia quandoque stetit sine Petro & stat sine eius successore scilicet quando decedit aut quando papa efficitur hæreticus: ergo &c. Nono confirmando rationem factam sic. capite separato a corpore expirat corpus & priuatur uita & motu: sed Petro aut eius successore sublatis per mortem a corpore militantis ecclesiæ corpus ecclesiæ non expirat & non priuatur uita: ergo nec Petro nec eius successori competit esse caput ecclesiæ.

Quintũ

Sextum

Septimũ

Octauum

Nonum

Cap. XXII. In quo improbatur aduersariorum præfata sententia & ostenditur qualiter ratio capitis respectu ecclesiæ Petro cõuenerit ac eius successori.

QVOD præfata aduersariorum sententia negantium beatum Petrũ uniuersalis ecclesiæ caput fuisse erronea sit: non solum ex his quæ supra induximus in 20.c. uerum etiam ex multis aliis sanctorum patrũ testimoniis exploratissimum est. Ait enim beatus Anacletus papa & martyr: ut habetur in c. Sacrosancta dist.22. inter beatos apostolos quædam fuit discretio potestatis. licet enim omnes essent apostoli: Petro tamen concessum est a domino & ipsi inter se uoluerunt idipsum ut reliquis omnibus illis præesset apostolis & cephas.i. caput & principium teneret apostolatus: qui etiã eandem formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. hæc ille. Item Marcellus papa & martyr ut habetur in c. Rogamus 24. q.1. scribens uniuersis episcopis per antiochiam constitutis ita inquit. Rogamus fratres dilectissimi ut non aliud doceatis nec sentiatis quàm quod a beato Petro & reliquis apostolis & patribus accepistis. ipse est enim caput totius ecclesiæ: cui ait dominus. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. hæc ille. Ex quibus omnibus nunc & superius inductis apertissimum est aduersarios grauiter errare negantes beatum Petrum fuisse caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Quocirca rationabiliter papa Ioan.22. in

extrauaganti quæ incipit. Licet secundum apostolum: Marsilium de Padua & Ioannem de Ianduno tanquam hæreticos condemnauit, qui inter ceteros errores quos contra sedem apostolicam dogmatizare præsumpserunt dicunt quod Petrus apostolus non plus auctoritatis habuit quam alii apostoli habuerunt, & quòd aliorum apostolorum non fuerit caput. Item papa Martinus quintus in concilio Constantien. condemnauit errores Ioannis Hus, quorum inter alios iste est unus scilicet septimus in ordine, quòd Petrus nec est nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Viso ergo quòd iuxta catholicæ doctrinæ normam necesse sit concedere beatum Petrum apostolum pro primatus sui excellentia caput fuisse sanctæ ecclesiæ catholicæ, & per consequens eius successor, sub Christo tamen qui principale caput est ecclesiæ. ostendendum est qualiter nomen capitis Petro apostolo conuenerit ac eius successori conueniat, quia qualiter Christo conueniat supra in lib. 1. huius nostræ summæ in cap. 46. explicauimus. Pro quo notandum iuxta sanctum Thomam in tertia parte quæst. 8. artic. primo, quòd sicut tota ecclesia dicitur unum corpus mysticum per similitudinem ad corpus naturale hominis secundum quòd diuersa membra habent diuersos actus, ut apostolus docet ad Roman. 12. Et 1. Corin. 12. ita Christus siue etiam papa dicitur caput ecclesiæ secundum similitudinem capitis humani. Inuenimus autem in capite hominis quattuor. Primo conformitatem naturæ cum aliis membris. Secundo ordinem: quia caput est prima pars corporis incipiendo a superiori, & ita situm est superius aliis membris. Tertio perfectionem, quia in capite uiget plenitudo sensuum. Quarto uirtutem influentem ceteris quia ab ipso motus est ceterorum membrorum & gubernatio in suis actibus propter uim sensitiuam & motiuam ibi dominantem. Qualiter ista quattuor competant Christo supra libro primo exposuimus ubi eum caput ecclesiæ esse ostendimus. Iam ostendamus qualiter Petro apostolo & nunc eius successori conueniant. Primo quidem Petrus fuit conformis naturæ aliis fidelibus: cum homo fuerit eiusdem speciei cum eis. Secundo ipse in ordine apostolorum fuit primus: unde primus annumeratus legitur. Math. 10. Et de episcopo romano successore suo dicit canon concilii Constantini, ut deducit sanctus Thomas in quarta distinct. 24. Veneramur secundum scripturas & canonum diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse & maximum episcoporum. Et Iustinianus in auctenticis de ecclesiasticis, ti. coll. 9. inquit. Nemo est qui dubitat sanctissimum senioris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum. Tertio in ipso solo inter alios fuit plenitudo potestatis, utpote in quo posuit dominus totius ecclesiæ principatum, ut in c. nolite, distinct. 11. dicit Iulius papa, & cui soli inquit beatus Chrysog. Christus dedit quod suum est plenum & qui solus uocatus est in plenitudinem potestatis aliis uocatis in partem, ut in ca. decreto, & in ca. qui se scit 2. q. 6. Quarto ab ipso est deriuata potestas iurisdictionis in alios dicente Leone papa in c. ita dominus dist. 19. Huius muneris sacramentum ita dominus ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret ut ab ipso quasi quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet. hæc ille.

Cap.

Cap. XXIII. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum contra illud quòd beatus Petrus fuerit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ.

SVPERIORIBVS bene notatis respondendum est iam ad obiecta aduersariorum. Ad primum cum dicitur quòd capitis non est caput, &c. respondetur hoc esse uerum de eo quod est caput naturale alicuius corporis naturalis non autem de capite mystico siue per similitudinem dicto. sicut enim sanctus Thom. in tertia parte respondens huic obiectioni ait. In metaphoricis locutionibus non oportet attendi ad similitudinem quantum ad omnia, sic enim non esset similitudo sed rei ueritas. capitis ergo naturalis non est aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius corporis, sed corpus similitudinariè dictum utpote aliqua multitudo ordinata est pars alterius multitudinis: sicut multitudo domestica est pars multitudinis ciuilis, & ideo paterfamilias qui est caput multitudinis domesticæ habet supra se caput rectorem ciuitatis, per hunc modum dicit Apostolus 1. Corinth. 11. Omnis uiri caput Christus est, caput autem mulieris uir, caput uero Christi Deus. Et idem ad Ephe. 5. Et ita dicendum est in proposito, quòd ista stant bene simul quòd papa sit caput ecclesiæ & ipsius papæ Christus sit caput. Ad secundam rationem cum dicitur unius corporis, &c. respondetur sicut ad primam quòd assumptum illud uerum sit de corpore naturali: non autem de corpore mystico siue per similitudinem dicto: quoniam unius & eiusdem corporis mystici. i. alicuius unius multitudinis ciuilis est caput rector ciuitatis & etiam rex qui totius regni est caput supremum. Item licet mulieris caput sit uir, ut inquit Apostolus, nihilominus etiam Christus est caput mulieris fidelis qui caput est totius ecclesiæ. Ita in proposito unius & eiusdem corporis Christus est caput principale & papa etiam est caput subordinatum tamen sub Christo eius uices gerens. differenter tamen multum dicitur caput ecclesiæ Christus & prælati dicuntur capita eius, ut dicit sanctus Thom. in tertia parte ubi supra. Primo quantum ad hoc quòd Christus est caput omnium eorum qui ad ecclesiam pertinent secundum omnem locum & tempus & statum. alii autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut episcopi suarum ecclesiarum, uel etiam secundum determinatum tempus, sicut papa est caput totius ecclesiæ scilicet tempore sui pontificatus, & secundum determinatum statum prout scilicet sunt in statu uiatoris. Alio modo secundum quòd Christus est caput ecclesiæ propria uirtute & auctoritate. Alii uero dicuntur capita inquantum uicem gerunt Christi. secundum illud 2. Corin. 2. Nam & ego quod donaui si quid donaui propter uos in persona Christi. Et 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Secundum dominum Aluarum in li. suo de potestate ecclesiæ, potest aliter responderi ad rationem factam quòd Christus & eius Vicarius nõ sunt duo capita sed unum, quia papa non dicitur caput nisi inquantum gerit uicẽ Christi & eius personam repræsentat. Item ita etiam dicit papa Bonifacius viii. in extrauaganti sua. Vnam sanctam. Ad tertiam cum dicitur Christus est caput ecclesiæ sufficientissimum, &c. respondetur negando consequentiã, dicimus enim ꝙ licet Christus caput ecclesiæ sit, quia tamẽ est inuisibile

Ad primũ arg. c. 20. adductũ.

Ad secundum

Ad tertiũ

oportuit ponere aliquod caput uisibile specie, & mortalitate conforme & consimile statu & conditione corpori & membris ipsius ecclesiæ quod uisibiliter regat & præsit toti ecclesiæ & tale caput fuit beatus Petrus & est nūc successor eius. Cuius conuenientia licet superius satis ostensa sit pro pleniori tamen notitia potest sic ostendi, unitas corporis mystici siue ecclesiastici principatus non dicitur habere minorem unitatem quàm habent seculares politiæ siue principatus inuentę industria humana siue naturali ratione cum uinculum membra ecclesiæ colligans adinuicem sit quolibet alio uinculo maius & unitius, lexque ipsa diuina secundum quam principaliter regitur & gubernatur ecclesia, prestantior sit omni alia lege humana. sed sic est quòd humanæ politiæ ad sui unitatem absq; hoc quòd uniantur in uno Deo a quo sicut principio uniuersali effectiuo formali exemplari ac finali omnis potestas & dignitas deriuatur secundum illud Sapientiæ.8. Per me reges regnant &c. requirunt unum caput homogeneum seu conforme in natura & statu, ut unum regnum unum regem, una prouincia unum principem, una ciuitas unam potestatem, una domus unum patremfamilias: ergo unitas ecclesiæ omnium fidelium quæ est multo maior & perfectior quàm unitas politię humanæ debet habere unū caput sibi conforme & sibi simile in natura mortali & statu. Conueniens ergo fuit & hoc ipsa unitas corporis ecclesiæ requirit, ut ecclesia unum habeat hominem mortalem secum uisibilem conuersantem corpori ipsius ecclesiæ & eius membris conformem qui sit caput & rector & sit uiator, sicut tota ecclesia & eius membra sunt uiatores. Ad quartam cum dicitur quòd in capite corporis animalis est plenitudo sensuum & quòd in Petro siue in papa non est plenitudo, &c. dicēdum est iuxta sanctum Thomam in 3. parte, ubi supra, quòd caput in alia membra dupliciter influit. Vno modo quodam intrinseco influxu prout uirtus motiua & sensitiua a capite deriuatur ad cetera membra. Alio modo secundum exteriorem quandam gubernationem prout scilicet secundum uisum & alios sensus qui in capite radicantur dirigitur homo in exterioribus actibus: interior autem influxus non est ab aliquo nisi a solo Christo cuius humanitas ex hoc quòd est diuinitati coniuncta habet uirtutem iustificandi: sed influxus in membra ecclesiæ quantum ad exteriorem gubernationem potest aliis conuenire, & secundum hoc alii possunt dici capita ecclesiæ. secundum illud Amos.6. Optimates capita populorum. Hoc notato patet responsio ad præfatas rationes dicimus enim quòd primus modus influendi scilicet influxu intrinseco qui est influxus sensus & spiritualis motus requirit in capite influente plenitudinem sensuum spiritualium, & hinc est quòd Christus qui influit hoc modo dicitur plenus gratia & ueritate Ioan.1. Secundus uero modus influendi influxu scilicet extrinseco quantum ad gubernationem non requirit plenitudinem sensuum spiritualium sed quòd habeat plenitudinem potestatis sufficientis ad regimen populi sibi commissi. Et quoniam beatus Petrus, aut eius successor non est constitutus ut influat in corpus ecclesiæ primo modo s. influxu intrinseco, sed extrinseco: ideo non requiritur ad rationem capitis in eo quòd habeat plenitudinem potestatis sufficientis ad regnum uniuersalis ecclesiæ & hanc habuit quando pastor & rector Christiani populi factus est dicente sibi domino. Ioan. ult. Pasce oues meas. Patet etiam ex hoc responsio ad quintam cum dicebatur quòd capitis est, &c. quia non tantum capitis est influere uno modo, sed dupliciter ut dictum est. beato uero Petro & eius successori

Ad quartum

Ad quintum

successori licet non conueniat influere primo modo, influit tamen secundò modo & hoc sufficit ad rationem capitis per similitudinem dicti siue mystici. Vel dicendum quòd licet beatus Petrus non influxerit nec successor eius influat motum & sensum spiritualem in membra ecclesiæ nec per modum efficientis sicut Christus inquantum Deus, nec per modum meriti siue redundantiæ sicut Christus inquantum homo, tamen per modum ministri potestatem clauium secundum plenitudinem habentis & thesaurum ecclesiæ dispensantis influit ministerialiter sensum & motum omnibus debitè præparatis ac ecclesiæ sacramenta dignè suscipientibus. Vnde dominus Albertus magnus in tractatu de missa dicit. quòd presbyterorum ecclesiæ officio toti corpori mystico gratia influitur ad sensum spiritualem & motum meritorum & augmentum spirituale quod officium est in uerbo doctrinæ & eucharistia & huiusmodi aliis sacramentis. Et quòd hoc sufficiat ad rationem capitis ministerialis patet: quoniam ut inquit sanctus Tho. in q. de ueritate q. 29. arg. 5. Minister ecclesiæ non agit in sacramentis quasi ex propria uirtute sed alterius s. Christi, & ideo in eo non requiritur gratia personalis sed sola auctoritas ordinis per quam quasi Christi Vicarius constituitur. Christus autem operatus est nostram salutem quasi ex propria uirtute, & ideo oportuit quòd in eo esset gratiæ plenitudo. hæc sanctus Tho. Ad sextam rationem quando dicitur quòd a Petro non est deriuata potestas: respondetur quòd loquendo de potestate iurisdictionis falsum est, ut patet ex c. ita dominus dist. 19. supra inducto. Confirmatur etiam hoc eiusdem beati Leonis sententia dicentis sic in tertio sermone ordinationis suæ. De toto mundo unus eligitur qui & uniuersarum gentium uocationi, & omnibus apostolis cunctisq; ecclesiæ patribus præponatur, ut quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint multiq; pastores: omnes tamẽ regat Petrus quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile dilectissimi huic uiro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune ceteris uoluit esse principibus nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit, hæc Leo papa sanctissimus. Et cum dicitur quòd Petrus non solus claues accepit: respondetur quòd licet Petrus non solus receperit: sed tota ecclesia in episcopis & presbyteris in eo: ipse tamen eas solus principaliter & in plenitudine recepit, ut habet gl. Math. 16. superius inducta. Cum uero dicitur quòd alii apostoli æque principaliter, &c. dicendum quòd falsum est. unde licet Math. 18. Christus omnibus communiter potestatem dederit ligandi & soluendi: nihilominus ut inquit sanctus Tho. in 4. ut in hac potestate ordo aliquis significaretur primo soli Petro data est ut ostendatur ꝙ ab eo in alios debeat ista potestas descendere. propter quod dixit ei singulariter. Confirma fratres tuos, & Pasce oues meas. i. loco mei, ut inquit Chryso. præpositus & caput esto fratrum tuorum. Ad septimam cum dicitur ꝙ si Petrus apostolus fuisset caput &c dicimus ꝙ hoc non sequitur cum non ponatur caput fuisse principale ecclesiæ a quo sensus spiritualis gratiæ & motus charitatis deriuentur in corpus ecclesiæ: sed sic caput est Christus, & ideo merito ab eo tanquam a principali & sicut a quo in membra ecclesiæ unctio diuinæ gratiæ influitur denominamur Christiani & non a Petro petrini. Ad octauam cum dicitur ꝙ corporis ad caput est necessaria connexio & talis non est connexio ecclesiæ ad Petrum: respondetur ꝙ licet corporis ecclesiæ non sit habitudo siue connexio necessaria ad papam ut singularis homo est, tamen necessaria est ad

Ad sextũ

Ad septimum

Ad octauum

ipsum inquantum est papa siue rector & pastor eius a Christo constitutus stā-
te hac diuina ordinatione. Vnde de necessitate salutis est subesse Romano
pontifici, ut in extrauaganti Bonifacii est declaratum, & ut sanctus Thom. in
quit in expositione super Ioan. ubi super illo uerbo Symon Ioannis diligis
me pasce oues meas dicit. Non potest se dicere Christianum qui dicit se
non subesse sub cura huiusmodi pastoris. Et beatus Greg. in c. Si qui. distin.
81. inquit. Peccatum paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se asse-
rit, sedi apostolicæ obedire contemnit. Præterea ita necessaria est ista con-
nexio stante diuina ordinatione, ut extra ecclesiæ corpus sit qui cum episco-
po eius non est, dicente Cypriano, & habetur in c. Qui cathedram distin. 93.
Qui cathedram Petri super quam fundata est ecclesia deserit in ecclesia se
esse non confidat. De ista materia uide superius lib. 1. huius operis, in c. 8. &
Ad nonū in c. 2. huius secundi libri. Ad aliam rationem cum dicitur de capite sepa-
rato, &c. respondetur quòd hoc est uerum de capite a quo influitur sensus &
motus in membra corporis: sed hoc modo Petrus non fuit caput sed Chri-
stus. non est autem uerum de capite a quo solus est influxus extrinsecus se-
cundum exteriorem gubernationem cuiusmodi fuit Petrus & est eius suc-
cessor. tali enim capite amoto ad tempus a corpore non propterea perit cor
pus multitudinis gubernatę: licet ex diuturnitate uacationis posset aliqua
incommoda & dispendia pati. iuxta c. Vbi periculum maius, de elect. libr. 6.
Hæc pro nunc sufficiant licet posset dici quòd licet persona papæ deficiat nō
tamen apostolica sedes quæ nunquam moritur, extra de rescr. in c. Si gratio-
sæ in 6. ubi dicit gl. & concordat Arch. licet enim habens papatum, uel di-
gnitatem sit corruptibilis: papa tamen & Imperium, & dignitas semper sunt,
ut in auct. quomodo oportet episcopos. §. licentiam, & ideo corrupto sub-
iecto hæc non dicuntur non existere sed uacare, hoc est: administratore
iuris uel facti carere, ut de conces. præben. cum nostris, de quo plenius in
fra dicendum est.

Cap. XXIIII. De quorundam errore dicentium Petrum non fuisse caput uniuersalis ecclesiæ licet bene singularium ecclesiarum particularium.

SVRREXIT diebus nostris nouellus quidam error apud quosdam
nouellos magistros qui basilien. concilio in defensionem & colorem in
obedientiæ ac rebellionis eorum aduersus romanum pontificem dog-
matizare non sunt ueriti, quòd nec beatus Petrus fuerit nec successor eius
scilicet papa caput uniuersalis ecclesiæ, & per consequens ut aiunt nec con
cilii uniuersalis illam repræsentantis, licet bene concedant quòd sit caput
particularium ecclesiarum & singulorum fidelium, & iuxta hunc sensum om
nes auctoritates sanctorum patrum dicentium Petrum fuisse caput uniuer-
Probatio salis siue totius ecclesiæ exponunt di. i. particularium siue singularum eccle-
prima siarum. Iu fauorem aut huius erroris eorum faciunt sequentes rationes.
quæ i m- Primo arguunt ex cap. Quamuis distinct. 21. ubi Gelasius papa dicit sic.
probatu- Quòd quamuis uniuersæ per orbē catholicæ ecclesiæ unus thalamus Chri-
cō sequē sti sint: tamen Romana ecclesia catholica, & apostolica ceteris ecclesiis præ
lib. c. 26. lata est. Ecce inquiunt quòd dicit ceteris & non uniuersali ecclesiæ præ-
Secunda lata est. Secundo sic. uniuersalis ecclesiæ caput est Christus ergo nec bea-

tus Petrus nec successor eius papa: consequentiam dicunt notam, quia mon struosa res est ut unius corporis assignentur duo capita. Tertio sic. caput dicitur uno modo ratione perfectionis sicut primum in quolibet genere dicitur caput sicut Leo in genere animalium. Secundo ratione ordinis quia est prima pars corporis incipiendo a superiori & inde omne quod est principium consueuit uocari caput, secundum illud Hierem. 2. Ad omne caput uiæ posuisti lupanar tibi, & principium libri consueuit dici caput libri. Tertio ratione directionis, & sic rector dicitur caput populi, secundum illud Amos. 6. Optimates capita populorum, sed licet papa ista habeat respectu singulorum, & ita merito dicatur caput singulorum non tamen respectu uniuersalis ecclesiæ: quoniam non est perfectior ecclesia uniuersali nec prior siue dignior illa sed director illius: sed ipsa congregata magis est directrix illius in his quæ sunt fidei & salutis: ergo illius non debet dici caput. Quarto sic. papa non est caput totius ecclesiæ distributiuę, quia non est caput suiipsius. item nec totius ecclesiæ collectiuæ, quia nec sensum per fidem nec per sacramenta gratiam influit collectæ toti ecclesiæ, quia sicut non habet animam ita non capit baptismum nec indiget sacramentis licet membra indigeant & suscipiant: ergo &c. Quinto sic. uniuersalis ecclesia non potest errare siue deficere: ergo respectu illius non potest aliquis homo qui peccare potest & deficere dici caput. consequentia uidetur manifesta: ergo non uidetur dicendum quòd beatus Petrus fuerit, aut nunc successor eius sit caput uniuersalis ecclesiæ.

Tertia

Quarta

Quinta

Cap. XXV. In quo improbatur honor præfatus aduersariorum.

CONTRA præfatum aduersariorum errorem negantium beatum Petrum caput fuisse sanctæ ecclesiæ catholicæ uniuersalis procedemus hoc ordine. Imprimis confutabimus illum aliquibus rationibus. Secundo commemorabimus aliqua sanctorum patrum testimonia. Tertio ostendemus responsa quæ dantur per aduersarios ad dicta præfata sanctorum patrum nulla esse. Quarto in c. sequenti respondebitur rationibus dictorum aduersariorum. Imprimis præfati erroris stultitia in hoc quod dicit quòd beatus Petrus fuit caput singularum ecclesiarum, & omnium fidelium, sed non uniuersalis ecclesiæ ostenditur ex multis. Primo quidem quia aduersarii dicendo Petrum esse caput unum & non assignando illi unũ corpus cuius sit caput, sed plura corpora, quia singulos fideles siue singulas particulares ecclesias: uidentur facere ecclesiam monstruosam quod est inconuenientissimum. Secundo quia dicendo quòd Petrus fuerit caput singularum ecclesiarum particularium, & non uniuersalis ecclesiæ uidentur implicare contradictionem, cum ecclesia uniuersalis non sit aliud quàm uniuersæ ecclesiæ catholicæ in una fide Christi unitæ. Vnde in capit. quamuis distinct. 21. Papa pelagius dicit quòd uniuersæ per orbem catholicæ ecclesiæ unus thalamus Christi sunt. Tertio quia cum uniuersalis ecclesia sit unum corpus, ut inquit apostolus, & corpus unum habere debeat immediatum caput Homogeneum id est eiusdem naturæ, & eiusdem status, & conditionis, ut scilicet sit uisibile, & conuersabile cum corpore cuius sit caput: aduersarii negando beatum Petrum, post

Quatuor facit principaliter

Primum principale

post Christi corporalem absentiam ab ecclesia fuisse caput uniuersalis ecclesiæ, necessario uidentur confiteri corpus uniuersalis ecclesiæ esse acephalum, quia sine capite uisibili & conuersante cum ea quod est hæreticum. Vnde Marsilius de Padua dicens Christum nullum caput dimisisse ecclesiæ, condemnatus est per sedem apostolicam, ut patet in extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit. Licet iuxta doctrinam apostoli. Item in concilio Constantien. per papam Martinum condemnatus est Ioannes Hus asserens quòd non erat scintilla apparentiæ quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam quod semper conuersetur cum ea. Quarto sic. unitas ecclesiæ prout li. 1. c. 8. & in hoc 2. lib. c. 2. ostendimus: non modo accipienda est stante ordinatione euangelii in ordine ad Christum quemadmodum græci, armeni, & plures alii hæretici & scismatici uolunt: sed etiam in ordine ad unum Christi Vicarium. s. summum pontificem ad quem uniuersum corpus ligari ac uniri necesse est. unde glo. Math. 16. ita dicit. Ideo specialiter potestatem ligandi soluendiq; Petro Christus concessit, ut ad unitatem nos inuitaret, ideo enim eum principem apostolorum constituit, ut ecclesia unum haberet principalem Vicarium ad quem diuersa membra ecclesiæ recurrerent si forte inter se dissentirent, quòd si diuersa capita essent in ecclesia unitatis uincula rumperentur. hæc gl. Et beatus August. super psalm. 46. exponens illud. Deus deorum locutus est & uocauit terram, de Christo loquens dicit sic. Deinde quadragesimo, scilicet ascensionis die commendans sancto Petro ecclesiam id est uocatam terram a solis ortu, usque ad occasum, ne haberent excusationem qui uolunt in scismate deperire. Quinto contra hunc errorem est uerbum manifeste Cristi dicentis Petre tu uocaberis cephas. Cephas enim ut parum ante dictum est græcè caput sonat. Quòd autem hoc loco totius ecclesiæ caput Petrus describeretur futurus, testatur uenerabilis Beda in glo. ita dicens. Intuitus autem Petrum Christus uidit cordis simplicitatem, animi sublimitatem: cuius merito cunctæ esset præferendus ecclesiæ. hæc Beda. Sexto contra hunc errorem est illud quod a domino Petro dictum legitur. Super plebem meam principem te constitui, non dicit plebes particulares, sed plebem ipsam. s. uniuersalem ecclesiã, quæ est plebs Dei. Septimo contra hunc errorem esse uidetur, quod beatus Petrus constitutus sit pastor uniuersalis ecclesiæ Ioan. ult. Pasce oues meas. si ergo pastor totius ecclesiæ. ergo & caput. Quod autem quidam aduersarii ueritatis dicebant Basileæ nobis audientibus, & in scriptis suis damnatissimis reliquerunt quòd beatus Petrus non fuerit constitutus pastor ecclesiæ, quia Christus non dixit pasce ecclesiam meam, sed pasce oues meas, est stulte dictum. Tum primo: quoniam cum ecclesia uniuersalis nihil aliud sit nisi ipse grex dominicus siue ouile Christi: sicut beatus Petrus dictus est pastor gregis dominici, ita & uniuersalis ecclesiæ. Tum secundo: quia oratio ipsa ecclesiæ quę per totum orbem terrarum in ecclesia pronunciatur est in contrarium. unde in ea sic dicitur. Deus omnium fidelium pastor & rector famulũ tuum N. quẽ pastorem tuum ecclesiæ præesse uoluisti, &c. Tum tertio, quia in cõtrarium est beatus Greg. in homelia dominicæ resurrectionis, & habetur in c. considerandum d. I. qui ita di. Considerandum nobis est cur omnipotens Deus eũ quẽ cunctæ ecclesiæ præferre disposuerat, ad ancillæ uocẽ pertimescere & se ipsum negare permisit. quod nimirum magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus: ut is qui futurus erat pastor ecclesiæ in sua culpa disceret qua-

liter

licet aliis misereri debuisset. hæc ille. Ad idem sunt uerba beati Aug. inducta supra in c. 20. Patet ergo manifeste quod grauiter errant qui beatum Petrum fuisse & eius successorem Ro. pon. negant esse caput uniuersalis ecclesiæ. Secundo ubi ad reprobationem præfati erroris commemoranda erant sanctorum patrum testimonia sufficiat quòd in capitulis proxime superioribus habentur ad hoc testimonia Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Anacleti, Marcelli, & Gregorii, quorum patrum sanctorum sententiis synodus Constantiensis illustrata condemnauit præfatum errorem inter errores Ioannis Hus dicentis quod Petrus non fuerit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ; & ratio. catholicum idem est quod uniuersale: cathos enim græcè commune siue uniuersale dicitur. Tertio uidendum est quomodo responsio aduersariorum quam sanctorum dicta dant nullius sit roboris ac uirtutis: Pro quo sciendum, quod ad omnes auctoritates dicentes Petrum fuisse uel romanum pontificem esse caput uniuersalis ecclesiæ: respondent sub hac distinctione, dicunt signum illud uniuersale accipiendum esse distributiue, ut scilicet distribuat pro singulis ecclesiæ membris, non autem collectiue pro ipsa uniuersali ecclesia. Sed quòd ista responsio sit uana & quodammodo stulta & errorem sapiat licet ex supradictis quisque sapiens manifeste intelligat: nihilominus sic ostendimus. Vana quidem præfata responsio est: quia licet signum uniuersale cum cadit supra nomen commune non collectiuum possit fieri ista distinctio. uerbi gratia: distinguitur apud logicos ista. Omnes apostoli Christi sunt duodecim. quia collectiue est uera, distributiue sumpto signo uniuersali est falsa & econuerso illa. Sortes est fortior omnibus hominibus, quia distributiue potest esse uera, collectiue est falsa: tamen quando signum uniuersale cadit super nomen collectiuum cuiusmodi est ecclesia plebs populus familia grex collegium concilium synodus & huiusmodi: non uidetur habere locum ista distinctio, quia contra naturam nominis collectiui est quòd teneatur distributiue & non collectiue. Præterea falsitas præfatæ distinctionis ostenditur ex professione patrum calcedonen. concilii, qui ut in gestis eiusdem concilii colligitur scribentes Leoni papæ profitentur in concilio per suos missos quod eis ut caput præerat, ubi bene patet quòd isti patres sancti calcedonen. concilii sublimius sentiebant de auctoritate romani pontificis quàm nouelli magistri basilien. sentiant: qui in tantam stultitiam deuenerunt, ut Romanum pontificem non caput concilii cognoscerent, sed tantum membrum partiale licet principale. Secundo quòd papa dicatur caput singulorum membrorum corporis ecclesiæ & non ipsius corporis quod ex ipsorum membrorum resultat multitudine, uidetur nobis stultum, sicut quòd episcopus sit caput fidelium diocesis suæ & non ipsius diocesis: rex sit caput omnium regnicolarum & non regni. Tertio uidetur erronea quoniam contra euangelium & sanctorum patrum doctrinam est, & quia expresse damnata est ut diximus in cōcilio Constantien. inter articulos Ioannis Hus.

Secundũ principale

Tertium principale

Cap. XXVI. In quo respondetur rationibus inductis in fauorem erroris præfati.

IMPROBATO errore tam auctoritatibus, quàm rationibus: iam aduersariorum rationibus restat respondendum, quod erat quartum faciendum. Pro quarum solutione & multarum aliarum similium est no-

Quartũ principale cōtinēs

solutionẽ probationũ in 24. c. factarũ.

tandum, quòd sicut de corpore naturali animalis contingit loqui dupliciter quia uel corpus nominat membra cum capite simul aut tantum residuã partem a capite, ita de ecclesiæ corpore contingit loqui dupliciter. Nam ut sanctus Tho. dicit in 4.49. dist. nomen ecclesiæ dupliciter accipitur. quandoque enim nominat tantummodo corpus quod Christo coniungitur sicut capiti quandoq; nominat caput & membra simul coniuncta. Et ita similiter possumus loqui dupliciter de uniuersali siue de tota ecclesia in proposito nostro uidelicet. Vno modo ut dicit collectionem siue uniuersitatem absolutè omnium fidelium nullo dempto siue non intellecto, & hoc modo nominat membra omnium cum capite suo, & sic est sermo de uniuersali ecclesia cum de ea absolute loquimur non distinguendo, aut referendo eam contra aliquem fidelem: sicut cum dicimus quòd uniuersalis ecclesia est sponsa Christi, quòd errare non potest & huiusmodi. Alio modo contingit loqui de corpore uniuersalis ecclesiæ prout nominat membra tantum siue fideles commissos curæ beati Petri siue eius successoris & sibi tanquam capiti unitos. & hoc modo de ecclesia uniuersali fit sermo cum de ea loquimus sicut de corpore in corpore in comparatione ad caput eius. Cum enim nihil referatur realiter ad seipsum nec aliquis sibiipsi subiectus esse possit: necesse est ut ista adinuicem ut distincta accipiantur, ut cum dicimus quòd papæ est commissa cura totius ecclesiæ, ut inquit beatus Greg. & quòd beatus Petrus fuit caput totius uniuersalis ecclesiæ, ut inquit beatus Marcellus papa in c. Rogamus 24. q. 1. & quòd est cephas corporis Christi, ut ait beatus Hieron. Et similis fit distinctio de regno & de omni principatu, quãdoq; enim nominat simul principem & subditos, aliquando regnicolas tantum subditos alicui principi, sicut dicimus istud regnum est illius: ille dominatur huic regno. His autem

Ad primã

notatis dicendum est ad rationem primam quæ sumitur ex ca. Quamuis. Respondetur primo negando consequentiam, quia arguit ab auctoritate negatiue & talis argumentatio nulla est. præterea si ibi non habetur, habetur tamen in multis aliis locis sicut patet supra c. 20. Secundo respondetur ꝙ papa Pelagius rectè loquitur sed nihil in fauorem aduersariorũ, quod patet: quia cum nihil sit maius, aut superius seipso oportet ꝙ inter prælatum & subditos fit distinctio. cum ergo romanam ecclesiam ponimus prælatam necesse est, ut intelligamus ꝙ respectu ceterarum omnium ecclesiarum quæ distinguntur ab ea. non debuit autem dicere quòd uniuersalis ecclesiæ est prælata prout uniuersalis ecclesia includit etiam romanam: quia tunc suiipsius esset prælata, nihilominus beatus Petrus qui prælatus est etiam ecclesiæ Romanæ dicitur prælatus uniuersalis ecclesiæ quæ ex omnibus particularibus ecclesiis consurgit.

Ad secundam

Ad secundam rationem in qua dicitur: Christus est caput ecclesiæ &c. respondetur negando consequentiam: & ad probationem supra est responsum dupliciter in c. 23. ad secundam rationem. Primo quòd licet hoc uerum sit de corpore naturali hominis quia tale non est pars alterius, non tamen de corpore per similitudinem dicto siue mystico quia unius & eiusdem possunt plura capita subordinata esse scilicet unum principale & aliud secundarium principali subordinatum. sicut in uno corpore ciuitatis est caput rector eiusdem, & cum hoc rex qui totius regni caput est. Secundo dicebatur quòd proprie loquendo non ponuntur duo capita distincta: quoniã papa non est omnino aliud caput distinctum a capite quod est Christus, sed est eius Vicarius & uicem eius & personam potestatem & auctoritatem re-

præsentans in terris, & eius iudicium, iudicium Dei reputatur, & sententia eius & consistorium eius consistorium Dei: & ideo non sunt proprie duo capita sed unum, ut declarat Bonifacius 8. in extrauaganti. Vnam sanctam quoniam ubi unum propter alterum,: utrobique tantum unum. Ad tertiam rationem cum dicitur quòd papa non est perfectior uniuersali ecclesia: respondetur negando totam illam minorem. dicimus enim quòd cum papa sit constitutus princeps super totam ecclesiam secundum illud quod dictum est a domino ipsi Petro. Super plebem meam principem te constitui, perfectior perfectione potestatis & superior ac dignior superioritate auctoritatis est toto residuo corpore ecclesiæ, licet in comparatione ad alia bona spiritualia quorum cum maior copia inueniatur in uniuersitate ecclesiæ, quàm in uno solo prælato, non est dubiũ quin ecclesia perfectior ac dignior sit plenitudine copiæ bonorum spiritualium papa quantumcunque sancto. Potest etiam quantum ad perfectionem interiorem, quæ attenditur penes charitatem quæ ab apostolo dicitur uinculum perfectionis illo modo uetula dici perfectior esse quàm papa. est etiam director ecclesiæ cum princeps & pastor illius sit, & hoc siue sit dispersa siue collecta. collectio enim ouium ad unum locum nihil auctoritatis minuit in pastore. Vnde canon in cap. ubi periculum maius extra de elec. in 6. Et qui factus est in concilio Lugdunen. nominat papam Vicarium Iesu Christi successorem Petri rectorem uniuersalis ecclesiæ gregis dominici directorem. Item Leo papa in quadam epistola ad palestinos in princip. sic dicit. Solicitudini meæ quam uniuersali ecclesiæ omnibusq; eius filiis debeo, &c. ecce quòd non solum filiorum, sed uniuersalis ecclesiæ dicit se curam regiminis habere. Ad quartam cum dicitur papa non est caput, &c. respondetur negando assumptum: dicimus enim quòd est caput uniuersalis ecclesiæ distributiue, quia omnium aliorum fidelium a se. sicut rex dicitur caput totius regni licet non sit caput suiipsius. Item dicimus quòd sit etiam caput uniuersalis ecclesiæ collectiue cum sit director illius sicut princeps populi sui. Et ad probationem cum aduersarii dicunt quòd papa non est caput uniuersalis ecclesiæ collectiue, quia per sacramenta non influit toti ecclesiæ collectiuæ, quia sic non habet animam nec indiget sacramentis licet membra indigeant, uidetur nobis quòd hæc probatio implicet tria quæ nobis uidentur erronea saluo semper meliori iudicio. Primum est quòd dicunt quòd ecclesia uniuersalis collectiue sumpta cuius caput esse Christum dicunt & non papam sit res non habens animam siue sit inanimata. Secundum est quòd ipsa ecclesia uniuersalis non indiget sacramentis licet membra eius indigeant. Tertium est quòd ipsa uniuersalis ecclesia sit aliud quàm ipsa eius membra indigentia sacramentis. Contra primum est quòd corpus Christi mysticum quod est ipsa uniuersalis ecclesia non potest esse nisi unum. quo modo enim caput Christus influere potest sensum & motum spiritualem in corpus non habens animam nec spiritum, cum solus spiritus susceptiuus sit huiusmodi influxus: quomodo ecclesia uniuersalis creditur sancta si non habet animã: quomodo uniuersalis ecclesia collectiuè sumpta potest dici sponsa Christi, si non habet animam. quomodo inter Christum & ecclesiã uniuersalem potest esse matrimonium si uniuersalis ecclesia animam non habet, & per consequens nec fidẽ nec charitatẽ quibus uniatur sponso suo: quomodo habet claues & potestatẽ directiuã omniũ ut aduersarii dicunt si non habet

Ad tertiã

Ad quartam

animam: quomodo Christus mortuus est pro ecclesia uniuersali, si illa caret anima & sensu. quomodo uniuersalis ecclesia militans coniungenda est in gloria triumphanti, si animam non habet, & per consequens nec capacitaté gloriæ? Videtur nobis quòd aduersarii delirét in cognitione ecclesiæ uniuersalis, & ideo non mirum si multis prouoluantur erroribus. Contra secundum errorem est apostolus ad Eph. 5. dicens. Christus dilexit ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, glo. i. quo datur uita. quo accedente ad elementum fit sacramentum. sequitur, ut exhiberet ipse sibi, glo. in futuro gloriosam ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid huiusmodi. quod uerbum beatus Aug. tractans in li. retract. de lib. de moribus ecclesiæ dicit sic. Sic accipiendum est quod ait apostolus Christus dilexit ecclesiam suam &c. hoc est enim lauacrum aquæ in uerbo quo mundatur ecclesia: sed cum tota dicat quamdiu hic est dimitte nobis debita nostra non utique hic est sine macula, & ruga aut aliquo huiusmodi. hæc August. Sane manifestum est quòd auctoritas illa Pauli apertissime ostendit opinionem aduersariorum esse erroneá quam habent de ecclesia uniuersali. Contra tertium errorem uidetur esse illud quod gl. habet super illud psalm. 127. Vxor tua sicut uitis abundans, &c. ubi gl. exponens illud ut sit sermo ad Christum caput dicit sic. Vxor Christi est ecclesia &c. & exponens sequentem uersum. Filii tui &c. dicit sic. Iidem sunt filii Christi qui & uxor id est ecclesia. ipsa enim est coniunx Christi, ipsa filii. hæc ibi. Item idem notatur Luc. 10. ubi dicitur. Fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam id est ecclesiam, ut det illis triticum, &c. Ecce idem dicit ecclesiam & illos quibus ministrandum erat triticum. Item beatus Bernar. in sermone de nuptiis ubi aqua in uinum est mutata, ita ait. Sponsa Christi nosipsi sumus & omnes simul una sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. hæc ille. Est ergo corpus ecclesiæ ipsi fideles ipsa membra eius, sed de hoc supra lib. i. ubi de ecclesia uniuersali quid sit plenius explicauimus. Ad quintam respondetur negando consequentiam quæ tanquam erronea condemnata legitur in concilio constantiensi inter errores Ioannis Hus, qui dicebat quòd si papa est malus non est caput ecclesiæ militantis. Nam concilium dicit quòd error est. consequentia ergo talis nulla est, uniuersalis ecclesia militans tota deficere non potest in fide aut in moribus. ergo homo qui deficere potest, non potest illius esse caput ministeriale.

Ad quintam

Cap. XXVII. Quòd papa aliquo modo dicendus sit sponsus ecclesiæ uniuersalis.

QVEMADMODVM Romanus pontifex caput ecclesiæ uniuersalis est, ita etiam sponsus illius dici potest. Sunt enim prælati sponsi ecclesiarum suarum, ut in c. Sicut alterius uxor 7. q. i. ubi dicit beatus Calixtus papa. Sponsa uxorq; episcopi dicitur eius ecclesia. unde in eius signum episcopus portat annulum. sicut enim in electione alterius prælati fit matrimonium inter unam ecclesiam particularem & episcopum, ita in electione summi pontificis per cardinales uice totius ecclesiæ fit matrimonium spirituale inter papam & uniuersalé ecclesiá, sicut aperte colligitur in c. Ecclesiæ

clesiæ meæ dist.97.hinc extra de immu. ecclesiæ in ca.Quoniam lib.7.dicit Papa. Nos iustitiam nostram & ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, &c.Quod autem Christus commune et aliis etiam nomen sponsi habet expresse glo.Esa.61.super illud. Dedit me quasi sponsum decoratum corona,& & sponsam ornatam monilibus suis, quæ dicit sic.Christus ecclesiæ sponsus sed tamen perfectos in ecclesia eodem nomine dignatur, secundum illud apostoli 1.Cor.3. Tanquam paruulis in Christo lac uobis potum dedi non escam,ipse ergo sponsus Christus sponsos suos facit & sponsas, tamen una est in capite, & in membris ecclesia, hæc glo. Præterea cum inter episcopũ & ecclesiam suam fœdus coniugii sit,quod ut ait Innocen.in ca. Licet. extra de transla.episcopi,in electione initiatur,ratificatur in confirmatione,& in consecratione intelligitur consummatum.Nulli debet in dubium uerti quin episcopus sponsus dici posset ecclesiæ, & per consequens papa sponsus uniuersalis ecclesiæ cui præest tanquam rector,& pastor.

Cap. XXVII. In quo obiicitur quòd Papa non possit dici sponsus uniuersalis ecclesiæ, & respondetur ad obiecta.

NOMINIS sponsi dignitatem aduersarii non patientes Romano pon. respectu uniuersalis ecclesiæ attribui, arguunt multipliciter contra dicta in præcedenti ca. Primo sic solus Christus uidetur esse sponsus ecclesiæ secundum illud Ioan.3.Qui habet sponsam sponsus est, illi ecclesia per fidem coniungitur secundum illud Oseæ 2.Sponsabo te mihi in fide.ergo sequitur quòd papa non sit dicendus sponsus ecclesiæ. Secundo sic.beatus Bernardus scribens Eugenio li.de consideratione paranymphum papam dicit & amicum sponsi, non autem sponsum.ergo &c. Tertio sic sponsus est qui de sponsa sua suo nomini filios generat,sed Papa non generat de ecclesia filios suo nomini. unde non dicuntur a Petro petrini sed a Christo Christiani,ergo papa non potest dici sponsus ecclesiæ. Quarto sic, unius sponsæ unus debet esse sponsus Gene.2.Erunt duo in carne una.ergo respectu ecclesiæ sanctæ Dei unus sponsus debet dari non duo, ut enim ait beatus Calixtus,& habetur in ca.sicut in unaquaque ecclesia 21.q.2.Ecclesia Christi uxor & sponsa debet esse non sanctorum, ergo &c. Nec ualet inquit aduersarius quòd dicatur quòd papa sit sponsus ministerialis:quia licet ex commissa plenitudine potestatis aliquis sit supremus uicarius aut minister alicuius regis,non audet tamen usurpare quomodolibet regium nomen nec se nominare sponsum uxoris domini sui. Quinto arguitur sic,sponsa siue uxor est subiecta sponso siue uiro sicut habetur ad Ephe.5.ubi inquit Apostolus. Sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus:sed ecclesia uniuersalis non est papæ subiecta, cum sit minister eius.ergo &c. Ad ista respondentes pro intelligentia eius quod dictum est quòd papa sit sponsus uniuersalis ecclesiæ, inducemus in primis quod sanctus Thom.in tractatu suo contra impugnantes religionem in hac materia dicit. ait enim sic. Sponsus ecclesiæ propriè loquendo Christus est,de quo dicitur Ioan.3. Qui habet sponsam sponsus est,ipse enim de ecclesia nomini suo filios generat. Alii autem dicuntur sponsi sicut ministri sponsi exterius cooperantes ad generationem spiritualium filiorum quos quidem non sibi sed

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Quartum

Quintum

Christo generant, qui quidem ministri intantum sponsi dicuntur inquantum uicem ueri sponsi obtinent. & ideo papa qui obtinet uicem ueri sponsi in tota ecclesia uniuersalis ecclesię sponsus dicitur, hæc sanctus Tho. Quo habito dicendum est ad rationes aduersariorum. Ad primam cum dicit ꝙ solus Christus &c. respondetur quòd uerum est quòd solus Christus propriè loquendo sit sponsus ecclesiæ sicut is quo sponsa fœcundatur, & cuius nomini ecclesia filios generat, nihilominus tamen prælati inquantum ut ministri Christo exterius cooperantur per dispensationem sacramentorum siue diuini uerbi ad generationem spiritualium filiorum Dei sponsi dici possunt, sicut parum ante diximus, in cap. 23. de capite loquendo, ꝙ quo ad influxum interiorem gratiæ ratio capitis soli Christo attribuenda erat: quo uero ad influxum exteriorem scilicet per modum dispensationis sacramentorum aut directionis in agendis ratio capitis etiam aliis conuenire poterat, scilicet prælatis ecclesiæ. Ad secundam rationem respondetur uno modo negando consequentiam istam. Bernardus non nominat eum sponsum, ergo nõ est aliquo modo sponsus, quia ab auctoritate negatiuę consequentia non ualet. Secundo respondetur, quòd dato ꝙ beatus Bern. diceret ꝙ non esset sponsus uerum diceret ꝙ papa non est propriè ut dictum est sponsus ecclesiæ sicut scilicet cuius uirtute fœcundetur ecclesia siue ecclesiæ sacramenta ad generationem spiritualium filiorum, & cuius nomini ecclesia filios generet, licet bene dicatur paranymphus, & custos ecclesiæ ac amicus sponsi, ut de Ioanne baptista dicitur Ioan. 3. Paranymphus enim dicitur a para quod est iuxta, & nympha quod est sponsa quasi sponsam coniungens siue desponsans uiro. Et hoc modo dicit sanctus Thom. in 4. dist. 38. quòd episcopus cui cura ecclesiæ committitur uirgines desponsat non sibi sed Christo quasi sponsi paranymphus: & amicus, nihilominus tamen ratione illius ministerii aliquo modo possunt dici prælati sponsi ecclesiæ ut dictum est. Ad tertiam cum dicitur sponsus est &c. responsio patet ex dictis, quoniam talis non est nisi Christus, nihilominus ministerio cooperationis prælatus bene potest dici sponsus aliquo modo etiam generans. unde Paulus inquit 1. Corin. 4. In Christo enim Iesu per euangelium uos genui. Ad quartam cum dicitur quod unius &c. respondetur quod ut inquit sanctus Tho. ubi supra, ꝙ etsi episcopus suæ diocesis sponsus sit & presbyter suæ ecclesiæ, unde & diocesis sponsus papa est & episcopus parrochiæ: non tamen propter hoc sequitur quòd sint plures sponsi unius ecclesiæ: quia sacerdos suo ministerio cooperatur episcopo tanquam principali, & similiter episcopi papæ, & papa ipsi Christo. unde Christus, & papa & episcopus ac sacerdos non computantur nisi unus sponsus ecclesiæ, hæc sanctus Thom. Ad illud autem quod dicit aduersarius ꝙ Papa etiam non posset dici sponsus ministerialis ex similitudine carnalium sponsorum: nihil ualet cum non sit simile. unde aduersarius ille in hoc multum decipitur, & in multis locis, quia ex similitudine carnalium minus sobrie iudicat de spiritualibus. Nõ est autem simile de ministro alicuius regis respectu uxoris suæ & de ministro Christi respectu sponsæ suæ ecclesiæ, quoniam minister respectu filiorum quos rex habet de uxore sua non cooperatur regi ad generationem filiorum illorum, & ideo nullo modo etiam ministerialiter potest habere nomen sponsi. sed quoniam ministri ecclesiæ cooperantur Christo ministerialiter ad generationem spiritualium filiorum qui de ecclesia sponsa generantur, ideo aliquo modo dici possunt etiam sponsi ecclesiæ

Ad primũ

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad replicam

ecclesiæ sponsæ Christi.uerum est tamen ut dictum est unus sponsus numerantur cum eo. Ad quintam rationem respondetur negando minorem, cum enim summus pontifex sit pastor rector,& caput uniuersalis ecclesiæ eo modo quo oues subiiciuntur pastori, & subditi rectori & corpus capiti ecclesia subiicitur summo pontifici. Et cum arguitur quòd papa est minister ecclesiæ,dicendum pro nunc quòd minister alicuius dicitur quis duobus modis. Vno modo qui alteri aliquid impendit auxilium subsidium aut opem salutarem,& hoc modo papa est minister ecclesiæ,& prælati ecclesiarum suarũ, quo etiam modo angeli dicuntur ministri hominum. Vnde apostolus dicit ad Heb.11.eos in ministerium missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Dicitur enim etiã Christus hoc modo minister.unde ipse ait Math, 22.Non ueni ministrari sed ministrare, & hoc modo capiendo nomen ministri non ualet ista consequentia,iste est minister illius: ergo est illi subiectus.immo potest esse superior,& dominus, sicut patet in exemplis inductis. Alio modo dicitur quis minister alterius sicut cuius uirtute operatur,& cuius uices gerit tanquam principalis.& de tali ministro alicuius bene uerum est quòd sit subiectus illi cuius est minister.sed hoc modo papa non est minister ecclesiæ sed Christi,cuius auctoritate, & uice regit, & gubernat ipsam uniuersalem ecclesiam.Vnde 1.ad Corin.4.dicit apostolus. Sic nos existimet homo ut ministros Christi &c. Item legatione fungimur pro Christo 2.Corint.6. Ad quintum

Cap. XXIX. De tempore quo pontificali auctoritate beatus Petrus a Christo sublimitatus ac consecratus sit.

POSTQVAM plenissimè monstrauimus ꝙ beatus Petrus a Christo primatum, & pontificatum in ecclesia habuerit,consequens est pro pleniori tractatus intelligentia enucleare quo tempore ipsius pontificatus fastigio sublimatus fuerit ac donatus. Pro quo in primis dicimus ꝙ beatus Petrus a Christo immediate potestatem, & dignitatem episcopalem habuit ab eodem factus & consecratus episcopus. Vnde Anacletus papa, & martyr.di.21.in c.in nouo dicit sic. Ipsi sancto Petro primo pontificatus in ecclesia Christi datus est dicente domino ad eum. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et ratio huius est,quia Dei perfecta sunt opera.Deut.31.unde sicut Deus in creatione homines perfectos fecit ex quibus propagatio naturaliter procedere potuit,sic Deus apostolos quos tanquã principia siue fundamenta ecclesiæ in recreatione fecit sic perficere debuit ut per eos ecclesia propagari posset,sed sine episcopo ecclesia nõ poterat proficere a quo solo omnia ecclesiastica sacramenta possunt ministrari.oportuit ergo ut Christus pontifex recedẽs corporaliter,& uisibiliter ab ecclesia aliquem loco sui relinqueret in ecclesia.sed si(pro quia)aliquem fecit loco sui uices suas agentem pontificali dignitate præditum, uerisimilius est de Petro qui ceteris dignior fuit ac sublimior ut ex superioribus patet.unde Chryso.super illud Luc.24. Apparuit Symoni dicit sic. Primo digniori, & fideliori omnibus apparuit. Et idem August. dicit super illud Ioan.13. Venit ergo ad Symonem Petrum,super quo ita dicit. Quis enim nesciat primum apostolorum esse beatissimum Petrũ. Præterea cũ ex diuinorum operũ perfectione apertissimè hoc intelligamus ꝙ cũ aliquid ab

cui committitur, per consequens commissum intelligatur, & illud sine quo commissum explicari non potest pascere autem gregem dominicum, quod commissum esse Petro ipsum sanctum euangelium, testatur, perfectè nullus posset nisi episcopus qui sacramentorum omnium habet dispensationem: manifestum est quòd cum Christus Petro gregis dominici pasturam commendauit officium pastorale episcopi simul imposuerit siue tradiderit. Siquidem Christus propter excellentiæ potestatem quam in sacramentis habuit rem sacramenti sine sacramento conferre potuit, unde solo uerbo Petrum episcopum fecit. Ceterum ad uidendum quo tempore Petrus apostolorum primus, episcopus a Christo factus sit considerandum est quod quia tempore quo saluator noster corporaliter inter homines uisibilis conuersabatur per seipsum rexit ecclesiam; nulla necessitas sed neque decentia neque utilitas fuit quòd ipse alium loco sui pastorem poneret sibi episcopum, sed solum quando post resurrectionem præsentiam suam corporalem uisibilem esset ab ecclesia subtracturus, quemadmodum prælati tunc demum quando se per longum tempus a suis ecclesiis absentare disponunt loco sui generales uicarios constituunt. Vnde beatus Petrus factus est a Christo pastor princeps, & episcopus ecclesiæ uniuersalis quando post resurrectionem ascensurus in cœlum nunquam inde ad conuersationem mortalitatis nostræ reuersurus inquit Symoni Petro. Symon Ioannis diligis me: pasce oues meas, id est potestatem accipe pascendi gregem meum, pastura, per omnium administrationem sacramentorum quibus ipsa pascenda, & nutrienda est, unde super illud Luc. 22. Facta est contentio inter eos quis eorum esset maior, dicit Greg. quòd contentio illa uidetur habuisse motiuum quòd cum dominus ab hominibus migraret, decebat aliquem eorum fieri aliorum principem, quasi domini uicem gerentem, quasi diceret, antequam transmigraret non erat necesse. Vnde beatus Petrus non est factus pastor & episcopus ante Christi resurrectionem. Quod multis sanctorum patrum auctoritatibus, & rationibus comprobatur. In primis est illustris testis beatus Hyero. super illud Math. 16. Tu es Petrus &c. dicens hanc potestatem & ecclesiæ edificationem super Petrum in futuro promissam non in præsenti datam esse. Secundo ad hoc est beatus Chrys. super illud Luc. 22. Facta est contentio inter eos, ubi sic ait. Credenda erat Petro populorum innumera multitudo. nota quòd dicit credenda quod est futuri temporis. Tertio confirmat hoc beatus Ambro. in c. fidelior di. 1. ita dicens. Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam inuenit quàm amisit. tanquam enim bonus pastor tuendum gregem accepit. Hoc autem cum post resurrectionem contigisse manifestum sit, nulli dubium quòd Petrus pastoralem curam atque dignitatem pontificalem post resurrectionem a Christo susceperit. Quarto hanc conclusionem roborat beatus Greg. in homelia dominicæ resurrectionis, & habetur in cap. considerandum di. 1. ita dicens. Considerandum nobis est cur omnipotens Deus eum quem cunctæ ecclesiæ præferre disposuerat ancillæ uocem pertimescere, & seipsum negare permisit. quod nimirum actum magnæ pietatis dispensatione cognoscimus, ut is qui futurus erat pastor ecclesiæ in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. ubi nota duo uerba futuri temporis. Primum ibi cum ait, quem cunctæ ecclesiæ præficere disposuerat, quasi diceret, quòd nondum præfecerat. Secundum ibi cum ait, qui futurus

Petrus post passioné primatú suscepit.

erat

erat pastor ecclesiæ, q.d. ꝙ non dum erat. Et ita uidetur ꝙ beatus Petrus ante Christi passionem neque præpositus neq; pastor erat actu ecclesiæ. Quinto hoc confirmat glo. in præfato c. considerandum, quæ ita dicit, hoc uerbo Pasce oues meas, factus est Petrus princeps ecclesiæ, extra de elec. c. significasti, non in illo. Tu es Petrus, quia illud fuit ei dictum ante passionem, hæc glo. Sexto ad hoc facit id quod habetur in c. solitè extra de ma. & obe. §. nobis. Item id quod habetur in extrauaganti domini Bonifacii 8. Ad idem Inno. & Hosti. in ca. licet de foro compe. & arch. in ca. ubi periculum, de elect. lib. 6. in glo. magna circa finem.

Cap. XXX. In quo ponuntur aliqua obiecta contra prædicta.

CONTRA conclusionem præfatam de tempore quo pontificatus datus sit Petro, aduersarii auctoritatibus, & rationibus insurgunt. In primis inducunt illud Anacleti in ca. in nouo distinct. 21. qui ait. Ipsi Petro primo pontificatus datus est dicente domino. Tu es Petrus &c. sed hoc fuit ante passionem. ergo ante passionem pontifex factus est. Secundo beatus Chryso. super illud Lu. 22. Facta est contentio inter eos dicit, quòd creditę erant Petro claues regni cœlorum, sed hoc fuit ante passionem. ergo &c. Tertio idem beatus Crys. super illud Math. 16. super hanc Petram &c. dicit. Hic erigit eius sensum & pastorem facit. Quarto est glo. Rabani super illud Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum di. quòd Petrus spiritualiter claues regni cœlorum, & principatum iudiciarię potestatis accepit, sed hoc manifeste insinuat eius pontificatum. ergo sequitur quòd ante passionem Petrus factus fuit a Christo pontifex siue episcopus. Ratione sic quinto. Aaron simul factus est sacerdos, & episcopus. ergo similiter & multo magis Petrus qui per Aaron fuit figuratus, sed Petrus in cœna factus est sacerdos, ergo etiam factus est episcopus. Sexto sic. Iudas factus fuit a Christo episcopus, sed non post passionem, & resurrectionem, ut patet. ergo ante. Ergo similiter & multo magis Petrus fuit factus episcopus ante passionem. consequentia patet, antecedens colligitur ex illo psalm. 108. & Actuum 1. ubi de Iuda dicitur. Episcopatum eius accipiet alter. Septimo sic, omnia sacramenta debuerunt institui ante passionem inter quæ confirmatio sacramenti ordinis est episcopatus. ergo ante passionem Petrus fuit episcopus, & alii siqui fuerunt a Christo facti, consequentia est manifesta. Octauo sic. Dei perfecta sunt opera. Deutero. 31. Vnde instituens sacramentum debuit perfectè ipsum instituere, & quantum ad materiam, & quantum ad ministrum. unde sicut instituens eucharistiam instituit ministrum faciens apostolos sacerdotes, ita instituens sacramentum ordinis debuit instituere ministrum qui est episcopus ordinans sacerdotes. Nono sic. Et arguitur quòd Petrus, & alii apostoli facti sint episcopi per illud Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis. super quo dicit beatus Greg. Principatum superni iudicii sortiti sunt ut uice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent, quorum nunc in ecclesia episcopi locum tenent ligandi, & soluendi auctoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur. ergo &c.

Arg. primum
Secundū
Tertium
Quartum
Quintum
Sextum
Septimū
Octauum
Nonum

Cap. XXXI. In quo respondetur ad obiectiones præfatas.

HIS autem difficile non est respondere ponderantibus bene dicta sanctorum patrum non ad corticem littere sed ad sanam intelligentiam. dicendum est ergo ad ea quæ inducta sunt in contrarium. Ad primam autem auctoritatem quæ sumitur in cap. in nouo dist. 21. respondetur per glo. eiusdem ca. quæ ita habet. uidetur ergo quòd per hæc uerba tu es Petrus, datus sit Petro pontificatus, & ita ante passionem, quia ante fuit ei dictum, cui uidetur contradicere ca. considerandum di. l. & c. fidelior. Nam ibi dicitur quòd post passionem, quia ante non fuit datus ecclesiæ pastor, hæc glo. Dicendum est ergo iuxta beatum Ambro. cuius sunt illa capitula: quòd post passionem Christi Petro pontificatus a Christo sit datus, & non quando dictum est sibi. Tu es Petrus &c. maximè quia cum tunc non fuerit sacerdos, episcopus esse non potuit. Quod ergo dicitur in auctoritate Anacle. quòd datus est, exponendum est, id est promissus. promisit enim Christus ei summum pontificatum tunc, quam promissionem adimpleuit post resurrectionem. Illud etiam quod dicitur dicente domino, exponendum uidetur, id est promittente domino. more sacræ scripturæ posuit futurum quasi præteritum, & fiendum quasi factum propter certitudinem promittentis qui ueraciter adimplet quod promittit dicente psal. Fidelis dominus in omnibus uerbis suis. Ad secundã auctoritatem quæ est Chrys. eadem responsio est, ut quod dicitur quòd claues creditę erant Petro, intelligatur promissione, non actuali donatione. Ad tertiam auctoritatem eiusdem Chryso. similis responsio est, ut quod dicitur quòd fecit eum pastorem, exponatur, id est disposuit eum facere pastorem, quod postea adimpleuit cum ad eum ait. Pasce oues meas. Ioan. ulti. Ad quartam auctoritatem quæ est Rabani eadem responsio est, ut quod dicitur quòd Petrus spiritualiter claues regni cœlorũ, & principatum iudiciarię potestatis accepit, intelligatur in promissione siue in spe, non autem in actuali possessione. Ad quintam cum arguitur de Aaron respondetur negando consequentiam quoniam non est simile de uno & de alio, ut dicit dominus Petrus de palude, quia iam erat populus Israel collectus cui Aaron præficiendus erat. Vnde Aaron debuit fieri episcopus ne oues errarent in deserto sine pastore, sed ante passionem Christi oues nõ erant redemptę adhuc. unde non conuenienter ouibus non redemptis pastor fuisset datus, & ita ratio non procedit. Ad sextam respondetur de Iuda negando antecedens, & ad probationem respondetur, quòd per episcopatum intelligitur apostolatus eius, ut exponit Nicolaus de Lyra tam super psal. 108. quam super Act. 1. Ad septimam respondetur secundum dominum Petrum de palude, quòd omnia sacramenta sunt instituta ante passionem Christi, sed non sunt omnia tunc executa. uerbi gratia. Sacramentum penitentiæ a Christo fuit institutum quando dixit. Agite penitentiam, appropinquabit regnum cœlorum. Math. 4. sicut sacramentum baptismi quando dixit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto &c. Ioan. 3. Vnde sicut Ioannes baptizando prædicauit baptismum, ita sic dicendo. Agite penitentiam. Math. 3. prædicauit penitentiam noui testamenti, uel quando Christus dixit leprosis. Ostendite uos sacerdotibus. Luc. 17. uel discipulis. Soluite eum Ioan. 11. tunc instituit sacramentum confessionis, & absolutionis non

[Margin notes: Ad primũ; Ad secundum; Ad tertiũ; Ad quartum; Ad quintum; Ad sextũ; Ad septimum]

tamen fuit executum ante passionem, quia nec erant ministri instituti nec claues adhuc datæ regni cœlorum, quæ etiam dari non debuerunt antequam esset apertum regnum cœlorum nisi implicite ex naturali concomitantia ad sacerdotium imminente passione, quia quod parum deest quasi nihil deesse uidetur. unde instituendo sacerdotium Christus ordinem episcopalem instituit, sed tamen tunc non dedit, quia non decuit. Ad octauum secundum eundem do. Petrum de palude de institutione sacramenti dicendum, quòd Dei perfecta sunt opera secundum tamen congruentiam, & decentiam operis operati, & modi operandi. Non decebat autem pro tunc episcopos facere sicut decebat facere sacerdotes, quia ex quo sacramentum cepit esse in usu ex tunc semper debuit esse in ecclesia uel formaliter uel uirtute, & maximè sacramentum de quo spiritualiter dictum est illud Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. subtractu rus igitur sui præsentiam palpabilem, & uisibilem, inuisibilem, & sacramentalem perpetuam nobis promisit. unde ex tunc eucharistia debuit esse in ecclesia formaliter uel uirtute, sed formaliter tunc de eucharistia nihil reseruatum fuit, sicut nec de agno paschali propter legis prohibitionem. Exodi. 12. ideo sacerdotes debuerũt fieri in quorum uirtute remaneret eucharistia conficienda. Sed sacramentum ordinis quo ad effectum suum indelebilem remanebat in apostolis. unde non erat necessitas instituendi eius ministrum scilicet episcopum, præsertim quia futurus erat Christus adhuc cum eis præsentia corporali licet impassibili, & sic non erat adhuc necessarius episcopus. Ad nonam respondetur negando assumptum, dicimus enim quòd per illa uerba nec Petrus nec alii apostoli facti sunt episcopi. Et ad dictum Greg. respondetur quòd non probatur propositum, quoniam per id quod est commune simplicibus sacerdotibus cuiusmodi est relaxare quibusdam peccata, & quibusdam retinere, non possunt apostoli dici facti episcopi ut de se patet: uel soluitur quòd quorum remiseritis, refertur ad tempus quo erant constituendi sacerdotes.

Ad octauum

Ad no[illegible]

Cap. XXXII. Quod solus Petrus inter apostolos a Christo immediate ordinatus, & factus fuerit episcopus.

SANE ex patrum sanctorum sententiis in superioribus cap. inductis, aperte satis colligere possumus quòd solus Petrus inter apostolos immediate a Christo factus, & ordinatus fuerit episcopus. cum enim teste beato Anacleto in c. in nouo distinct. 21. sancto Petro primo pontificatus in ecclesia datus fuit, & Felix Papa etiam dicat in decretis suis quòd per Petrum apostolatus, & episcopatus in Christo cœpit exordium. patet quòd ipse ante alios apostolos episcopus a Christo fuerit ordinatus, & consecratus. Cumque ut iam ostensum est parum ante Petrus non sit factus episcopus ante Christi resurrectionem sed post. & in ultimo recessu suo ab apostolis quando Petro inquit. Symon Ioannis diligis me, pasce oues meas, Ioã. ult. post quæ uerba cum nulla alia legantur per quæ alii apostoli a Christo immediate intelligantur episcopi, necessario uidetur dicendum quòd solus Petrus inter apostolos a Christo immediate episcopus sit ordinatus. Alii uero apostoli a Petro mediate uel immediate solo uel cũ alio uel cũ aliis sin c

episcopi facti uel ordinati, quod tam auctoritatibus quàm rationibus confirmatur. Primum quidem patet ex ca.porro.dist.67.ubi ita inquit Anacletus papa. Porro Hyerosolymitanorum primus archiepiscopus beatus Iacobus, scilicet Alphei filius a Petro & Iacobo zebedeo, & Ioanne apostolis ordinatus est. Ex quo manifeste apparet quòd iste apostolus non a Christo immediate sed a Petro cum aliis apostolis fuerit ordinatus, & per consequens uerũ est quòd non omnes apostoli immediate sunt ordinati episcopi. Quod uero de uera ordinatione episcopali intelligatur rex ille non obstantibus uariis modis loquendi glosatoris patet. Tum primo testimonio beati Remigii qui super Math.10.c.ubi apostolorum nomina recitantur ita de ipso Iacobo dicit. Cuius meriti beatus Iacobus fuerit testes sunt apostoli qui eum episcopum Hyerosolymitanorum ordinauerunt. Tum secundo, quia si non fuisset hæc uera ordinatio episcopi facta non conuenienter susciperetur ex ea forma ordinationis aliorum episcoporum in ecclesia, & tum dicit consequenter beatus Anacletus in dicto c.in nouo dist.21. quòd hic suis successoribus apostoli dederunt formam ut uidelicet nullus minus quàm a tribus episcopis in episcopum ordinetur. Aduerte ergo si non minus quàm a tribus & Petrus solus erat episcopus primo, quis ordinauit Ioannem, & Iacobum. Secundo sic, beatus Anacletus in c.in nouo dist.21.dicit, quòd in nouo testamento post Christum dominum a Petro sacerdotalis ordo incepit, id est pontificalis, sicut sacerdos exponitur, id est episcopus, de conse.dist.1.ca.solennitates. ergo uidetur quòd alii apostoli a Petro facti fuerunt episcopi. consequentia patet, quoniam cum alii facti fuerunt ita cito sacerdotes sicut Petrus, & non sub ipso, non potest dici ab ipso incepisse simplex ordo sacerdotalis. similiter si ipse factus fuisset a Christo episcopus etiam prius tempore, sed etiam alii a Christo facti essent immediate episcopi non diceretur uerè a Petro pontificalis ordo incepisse. ergo necessario uidetur ita fore intelligendum quòd à Petro ordo pontificalis cœpit, quia ab ipso omnes alii apostoli episcopi facti sunt uel immediate uel mediate, & ipse solus a Christo. Tertio arguitur sic, soli Petro a Christo commissa est cura pastoralis. ergo solum ipsum pontificem ecclesiæ siue pastorem constituit. consequentia nota est, antecedens uero per plura capitula superius ostensum est, & est spiritualiter beati Chryso. super illud Ioan. ult. Simon Ioannis pasce oues meas. ita dicentis. Præteriens alios, scilicet apostolos Petro de talibus loquitur, eximius enim apostolorum erat Petrus & os discipulorum, & uertex collegii. Ecce quòd dicit Præteriens alios &c.ergo soli Petro est hoc dictum, quod non esset si auctoritatem pastoralem assecuti fuissent alii apostoli immediate a Christo. Quarto sic Marcellus papa in epistola sua prima inquit. Ad sedem Romanam omnes subterfugere debent ut inde accipiant tuitionem unde acceperunt consecrationem. ergo uidetur quòd ceteri apostoli a Petro receperunt consecrationem. ergo uidetur quòd ceteri apostoli a Petro receperunt consecrationem, tenet consequentia, quoniam quòd omnes ceperunt consecrationem a sede Romana uerum esse non posset ut uidetur nisi alii apostoli qui in diuersis sedibus sederunt distributi per orbem a Petro qui sedit Romæ consecrationem habuissent. Quinto in epistola secunda Clementis, Petrus non solum dicitur princeps apostolorum sed etiã eorum ordinator, id est consecrator. ergo &c. consequentia uidetur nota antecedens est beati Clementis in secunda sua epistola. Petrus magister institutor

stitutor

stitutor, & princeps apostolorum atque eorum ordinator fuit. Sexto sic, Paulus, & Barnabas fuerunt ordinati a beato Petro. ergo & alii apostoli. consequentia patet cum isti non fuerint inferiores aliis. antecedens patet Actuum 13. Dixit eis spiritussanctus, segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. tunc ieiunantes, & orantes imponentesque eis manus dimiserunt eos, ubi gloss. super uerbo, imponentes eis manus dicit in modum ordinandorum. Quod uero tunc fuerint ordinati testatur Leo papa in ca. quod autem distinct. 75. Septimo sic, nihil est asserendum de diuinis nisi quod ex diuinarum scripturarum testimonio aut ratione probari potest ut dicit tam Hiero. quam August. sed alios apostolos a Petro nulla auctoritas nulla ratio conuincit fuisse a Christo immediate factos episcopos. ergo non est asserendum. Quod uero non auctoritate patet, quia in canone non inueniuntur nisi tria. Primo quidem illud Math. 17. Quæcuncunque alligaueritis. sed per illud non sunt ipsi facti episcopi propter tria. Primo quia Petrus per similia uerba, & etiam maiora. Math. 16. Quodcunque ligaueris, non fuit factus episcopus. Secundo, quia ipsi nondum erãt sacerdotes, nec per consequens poterant fieri episcopi. Tertio, quia illud fuit promissio, non alicuius potestatis nec episcopalis nec sacerdotalis collatio, ut dictum est. ergo &c. Secundo illud Luc. 22. Hoc facite in meá commemorationem. sed nec per hoc facti sunt episcopi, quia per uerba consecrationis non efficitur plus quam per illa uerba significetur nisi propter cõcomitantiam, & inseparabilem significationem uel accessoriam. sed potestas pontificalis non est accessoria nec concomitans ad sacerdotalem, & illa uerba non iudicant nisi nudum actum sacerdotalem quem potest facere quilibet simplex sacerdos, scilicet consecrare corpus Christi, & sanguinem Christi, quod importat cum dicit. Hoc facite, scilicet quod feci in eucharistia, uidelicet corpus & sanguinem esse sub speciebus. ergo per illa uerba non fecit eos nisi simplices sacerdotes. Tertio est illud quod dicitur Ioan. 20. Quorum remiseritis &c. sed nec per istud sunt ordinati episcopi, quia cum ordinatio episcopi sit distincta ab ordinatione simplicis sacerdotis, non est uerisimile quòd illud per quod propriè, & præcise facta est ordinatio primorum episcoporum dicatur communiter omni illi qui ordinatur in simplicem sacerdotem. unde cum in omni ordinatione simplicis sacerdotis dicatur ab episcopo cuilibet ordinando. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. non est uerisimile ꝙ per illa uerba propriè & præcise facta fuerit ordinatio episcoporum primorum qui fuerunt summi sacerdotes, quia etiam in lege erat alia ordinatio simplicium sacerdotum, alia summi. Et confirmatur, quia uerba sacramentalia prolata a ministro sunt eiusdem uirtutis in effectu sacramentali sicut prolata a Christo, sicut patet in forma sacramenti eucharistiæ in qua uerba illa, hoc est corpus meum, illud idem efficiunt quod effecerunt Christo ea dicente. Si ergo Christus dicente illa uerba. Accipite spiritumsanctum &c. fecisset apostolos episcopos qui iam erant facti sacerdotes in cœna quo ad characterem sacerdotalem per illa uerba, hoc facite &c. eis data in traditione panis, & calicis pari ratione episcopus dicens illa uerba, scilicet. Accipite spiritumsanctum, quorum remiseritis, &c. illi qui iam factus est sacerdos per uerba sibi dicta in traditione calicis cum pane, & uino accipite potestatem &c. faceret eum episcopum, quod est absurdum. Item Thomas qui præsens non erat illis uer-

bis non fuisset factus episcopus. Item quòd per neutra uerba, scilicet hoc facite, & quorum remiseritis sint facti episcopi, patet, quia sicut dicit Anacletus distinct. 21. in nouo. Petro primo pontificatus in ecclesia Christi datus est, sed illa uerba dicta sunt simul & semel apostolis, & per consequens habuerunt suum effectum unum & indiuisibilem, & sine ordine prioris, & posterioris. ergo tunc non est datus alicui pontificatus primo. Sic ergo patet quòd nulla auctoritas canonis cogit dicere alios apostolos a Petro episcopos a Christo factos esse. Item nec ratio cogit, immo magis oppositum, & maximè propter duo. Pro quo arguitur octauo loco sic. in creatione humani generis ut esset maior unitas Deus ex uno homine fecit omne hominum genus, ut dicit Paulus Act. 17. ergo similiter ad conseruandam ecclesiæ unitatem uidetur quòd Deus non fecerit simul plures episcopos a quibus alii deriuarentur, sed unum primum a quo ceteri herent. Nono sic, in ecclesia non debet esse minor unitas neque minus bonus ordo quàm fuerit in synagoga, sed in illa ad bonam ordinationem, & unitatem illius pertinuit, ut Moyses legislator non fecerit simul plures episcopos sed unum tantum scilicet Aaron a quo omnes alii immediate processerunt. Ergo nouę legis lator, & ecclesiæ ordinator Christus non debuit simul facere plures episcopos sed unum tantum scilicet Petrum, a quo omnes mediate uel immediate postmodum omnes fierent. Videtur ergo rationabile quòd iste fuerit processus in ordinatione episcopali apostolorum, scilicet quòd Petrus factus fuerit solus episcopus a Christo ante ascensionem. post spiritusancti autem missionẽ siue ipsa die prima dominica siue alia Petrus solus episcopus fecit Ioannem episcopum, deinde Petrus cõsecrato Ioanne fecit Iacobum zebedei. quibus tribus factis tunc ordinauit Petrus q deinceps non ordinaretur episcopus nisi a tribus episcopis, ut dicitur in præfato c. porro. Et ad ostendendũ formã huiusmodi, ipse cum duobus prædictis ordinauit Iacobum, ut dicitur in prædicto c. porro. licet propter paucitatem episcoporum quãdo apostoli fuerunt non potuerit hæc forma semper seruari. Ideo Paulus solus forte Timotheum & Titum ordinauit episcopos, qui separatus a Barnaba non habebat in societate sua episcopos nisi quos postea fecit. Nam Lucas Demas Sylas, & hi non fuerunt episcopi, sed quando potuerunt habere duos tunc cum eis ordinauerunt, non soli. Ratio autem quare filii zebedei credantur prius a Petro in episcopos ordinati est, quia illi post Petrum fuerunt maiores, fuerunt & honorabiliores, & hos cum Petro Christus præ ceteris prę ferebat, ut patuit in transfiguratione in suscitatione filiæ Archisynagogi, in oratione in horto, & similibus in quibus hos solos quasi familiares secretarios secum assumpsit. Math. 9. 17. & 27. Vnde super illud Luc. 6. Non permisit introire secum quenquam nisi Petrum, Ioannem & Iacobum. Vbi dicit Theophilus, solum hos intromisit tanquam discipulorum uertices. Item Math. 7. super illud. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum Ioannem, dicit Chryso. ideo hos sumpsit quia aliis potiores erant. Quod autem Ioannes fuerit maior licet minor fratre & ideo sibi prelatus, patet per illud Math. 10. Et Andreas frater ubi dicit gloss. Cryso. Marcus autem post duos uertices Petrum, & Ioannem Andream numerat. ubi innuit Petrum & Ioannem inter ceteros apostolos fuisse sublimiores. Item super illud ibidem. Iacobus zebedei, & Ioannes frater eius dicit Chryso. uide autem quia non secundum dignitatem ordinat, mihi autem uidetur Ioannes non aliis solum sed fratre etiam maior

esse.

esse. Ex prædictis apparet falsa gloss. super illud cap.66. di. porro. quæ dicit quòd in principio, & primitiua ecclesia omnes apostoli erant simplices sacerdotes, & tamen poterant consecrare episcopos . nam Moyses simplex sacerdos fuit, & tamen consecrauit Aaron in pontificem, neque tunc erat differentia inter episcopum, & simplicem sacerdotem 95. di. olim, quia sicut dicit August. In prima rerum creatione non quæritur quid Deus facere potuerit, sed quid decuerit, & quid ratio & natura rerum requireretur. Cum autem dicat apostolus, quòd minor sine ulla contradictione a maiore benedicitur Heb.8. & philosophi asserant quòd nihil agit ultra suam speciem, licet Christus per simplicem sacerdotem de potentia absoluta possit facere episcopum, non tamen decet nec congruit officiis quòd minor faciat maiorem dans alteri quod non habet, nec per consequens est uerisimile quòd Christus uoluerit per simplices sacerdotes qui sunt inferiores summos sacerdotes qui sunt episcopi consecrare. Vnde considerandum est quòd Moyses licet non esset sacerdos, & pontifex unctus uisibiliter cum Aaron quem fecit pontificem, & cum filiis eius quos fecit simplices sacerdotes, ut habetur Leuitici 7. & recitatur 21. di. ca.1. erat tamen dignior illis, & uirtute maior illis in omnibus: quia in illis ordinibus non erat character nec illi sacerdotes habebant claues sed tantum offerebant pro populo & erant mediatores, quod multo melius faciebat Moyses. Secundum ueritatem autem in ecclesia nulla maior est dignitas quàm sacerdotalis excepto pontificali . unde omnis non episcopus est inferior eo, et per consequens non decuit quòd non episcopus episcopum consecraret, nec est possibile apud homines etiam de potentia absoluta. Sed Christus uerus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & pontifex futurorum bonorum licet æquiuoce sacerdos, & episcopus ad alios in quo non fuit character nec consecratio uisibilis, tamen fuit dignior ceteris. Sicut ergo Moyses consecrauit Aaron in pontificem, & filios eius in simplices sacerdotes a quo quidem Aaron deriuatus est pontificatus ad omnes alios sicut ad filium suum Eleazarum indutum uestibus eius Nu.20. & post ad phinees, & sic de aliis. sic & Christus per se immediate fecit Petrum episcopum a quo postea in omnes pontificatus deriuatus est, & per se fecit alios apostolos simplices sacerdotes, ut 21. di. in nouo. dicit Anacle. In nouo testamento post Christum a Petro sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est . Et exponitur sacerdotalis, id est pontificalis sicut sacerdos exponitur pro episcopo de conse. distinct.1. c. solennitas . Sicut autem superius argumentati sumus cum alii apostoli fuerint ita cito facti sacerdotes sicut ipse Petrus, & non sub ipso non potest dici ab ipso cœpisse simplex sacerdotalis ordo. Similiter si ipse fuisset a Christo factus episcopus licet prius tempore & alii etiam tunc a Christo non ab ipso Petro cœpisset pontificalis ordo . ergo uidetur quòd propter hoc quòd ab ipso Petro facti sunt omnes alii episcopi mediate uel immediate, & ipse solus a Christo, ideo uerè dictum sit a sancto Anacleto quòd ab ipso Petro post Christum cœpit pontificalis ordo , quod etiam sicut supra induximus requirit unitas ecclesiæ habere scilicet unum caput a quo dona fluant. unde 19. di. in ca. ita dominus, beatus Leo sic de beato Petro loquitur ut ab ipso quasi quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet.

Cap. XXXIIII. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prædicta.

Arg. primum
ADVERSVS præfatam conclusionem aduersarii multipliciter instant. Et primo sic omnes apostoli a Christo simul facti sunt sacerdotes. ergo simul ab eo omnes debuerunt fieri episcopi. consequentia uidetur nota, quia nó uidetur maior ratio de uno quam de alio. ergo &c.
Secundũ
Tertium
Secundo dicit Augu. de quæstionibus noui & ueteris testamenti φ Christus omnes apostolos fecit episcopos. ergo habetur propositum. Tertio arguitur ex illo. extra de sum. tri. & fi. ca. c. 1. §. una ubi dicitur quòd sacramétum eucharistiæ non potest conficere nisi sacerdos qui rite fuerit ordinatus secundum claues quas ipse concessit apostolis, suisque successoribus. sed constat quòd sacerdos non ordinatur a claue sacerdotali sed episcopali. ergo uidetur quòd Christus apostolis tradidit claues pontificales a quibus soli presbyteri ordinátur, & ita uidetur quòd non solum Petrum sed etiam alios apostolos fecit episcopos.
Quartum
Quarto arguitur ex illo quod habetur dist. 21. in nouo, ubi dicitur quòd Petro primo pontificatus in ecclesia datus est, & post pauca dicit: ceteri uero apostoli pari consortio honorem & potestatem acceperunt, sed non habuissent honorem & potestatem pari consortio nisi fuissent pontifices sicut Petrus. ergo idem quod prius.
Quintum
Quinto glos. ubi supra dicit. episcopi successerunt in locum apostolorum 68. di. quorum. ergo & apostoli fuerunt episcopi.
Sextum
Sexto arguunt ex illo quod scriptum est in psal. 108. & Act. 1. de Iuda quòd episcopatum eius accipiat alter. si Iudas fuit episcopus ante resurrectionem multo magis, & alii apostoli, & pro tunc non possunt dici facti a Petro, ergo a Christo immediate.
Septimũ
Septimo dicitur ad Ephe. 4. Dedit quosdam apostolos, quosdam pastores, quosdam doctores, sed pastor nomen est & officium episcopi. ergo ipse fecit aliquos episcopos, sed non nisi apostolos. ergo &c.
Octauum
Octauo habetur, dist. 21. c. 1. ultra medium, quod Christus duodecim apostolos tanquam maiores sacerdotes instituit, septuaginta duos discipulos quasi minores sacerdotes instituit.
Nonum
Nono. Paulus etiam episcopus fuit qui & Timotheum episcopum ordinauit 1. Thim. 4. cum impositione manuum presbyteri glo. 1. episcopi, sed non uidetur nisi a Christo factus. ergo non solus Petrus a Christo episcopus immediate ordinatus est.
Decimũ
Decimo Isid. li. 2. de origine officiorum dicit. Episcopi sunt instituti per totum mundum in sedibus apostolorum, ex quo habetur quòd apostoli fuerunt episcopi, alias non habuissent sedes episcopales. ergo idé quod prius.
Vndecimum
Vndecimo. Diony. in ecclesiastica hierarchia dicit. Ipse Christus in sacerdotalem consummationem ducens discipulos subsistens in sanctissimum patrem suum retulit hierarchiæ perfectionem. Ex quo habetur quòd cum sacerdotalis consummatio, & hierarchica perfectio non sit nisi in episcopatu quòd Christus discipulos, id est apostolos per seipsum fecit episcopos, alias non duxisset eos in consummationem illam sed duci fecisset.
Confirmatio
Confirmatur per hoc quòd Maximus commentator dicit ibidem, quòd ipse Iesus discipulos suos in episcopos consecrauit.
Duodecimum
Duodecimo arguitur sic, sicut tradunt sancti, & specialiter Isido. de ortu, & obitu patrum: Mathias fuit unus ex lxxii. discipulis qui tamen non a Petro factus est apostolus sed a Christo. unde Dionysi. de ecclesiastica hierarchia

exponens

exponens illud Act.1. Ostende domine quem elegeris ex his &c. dicit de Petro sic. Ipse discipulorum uertex cum ordinata sibi hierarchia, deinde in duodenarii discipulorum ueniens, sanctificans consummationem, in diuinitatis electionem timidus reliquit, dicens ostende quem elegeris, & diuina sorte diuitus ostensum in sancti duodenarii apostolicij suscepit. Et sic uidetur quod a Christo immediate fuit Mathias electus, & per consequens alii apostoli non a Petro sed a Christo receperunt consecrationem immediate.

Cap. XXXIIII. In quo respondetur obiectionibus factis in superiori capitulo.

OBIECTIONIBVS prædictis non obstantibus uidetur dicendum sicut supra diximus, quòd beatus Petrus a Christo immediate & solus ipse dignitate pontificali fuerit sublimatus. Vnde dicendum est ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur negando consequentiam, quoniam non est simile de simplici sacerdotio, & episcopali dignitate: quia enim Petrus inquantum sacerdos non fuit maior ceteris apostolis, quia omnes sacerdotes sunt pares simpliciter, & ideo ad illam paritatem inter eos ostendendam simul, & semel fecit Christus eos sacerdotes in cœna, & dedit simul uel datam declarauit parem potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ in resurrectione quando dixit eis. Accipite spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata &c. Vnde Cyprianus in cap. loquitur 24. quæst. 1. dicit, quòd Christus apostolis post resurrectionem suã parem potestatem tribuit, & quia sacerdotio sic non debetur potestas iurisdictionis cum sint multi sacerdotes sine cura animarum, & subditis: sed episcopo qui dicitur superintendens præter potestatem ordinis debetur potestas iurisdictionis, & populus subditus. dicit enim sanctus Thom. in 4. sententiarum, distinct. 24. quòd potestas episcopalis est ordinis, & iurisdictionis. unde rationabiliter statutum est in concilio Viennen. quòd nullus de pastore prouideat ecclesiæ cathedrali sibi qualitercunque subiecte quę clero careat, & subditis Christianis de elect. in cap. plerisque, & quia episcopus sine subditis est quoddam opprobrium dignitatis. licet ergo omnes episcopi sint pares quo ad potestatem ordinis non tamen simpliciter, quia non quo ad potestatem iurisdictionis quæ per se debetur episcopo de congruitate. Ad significandum ergo quòd in episcopatu Petrus erat maior aliis non simul debuit fieri episcopus cum aliis, sed ipse a Christo solus, & alii ab eo postea ut dictum est. Petrus autem non fuit maior sacerdos aliis, sed fuit maior episcopus, non quia habuit maiorem potestatem sacramenta dispensandi sed quia habuit maiorem potestatem iudicandi utpote superintendens toti mundo. fuit enim antistes totius mundi factus ut dicit Theophilus. Ad secundam respondetur dupliciter. Primo negando consequentiam, quia licet concedatur quòd Christus omnes apostolos fecerit episcopos, non tamen eodem modo sed differenter, scilicet Petrum per se & immediate alios uero per Petrum immediate uel mediate sicut exponitur illud quod inquit propheta, & habetur Ioan. 6. Erunt omnes dociles Dei scilicet quidam mediate, & quidam immediate. Secundo respondetur, quòd August. cum dicit Christum omnes apostolos fecisse episcopos intelligendum est, id est sacerdotes, sæpe enim episcopus ponitur pro simplici

Ad primũ

Ad secundam

sacerdote sicut probat Hieron. per illud Act.20. posuit uos spiritussanctus episcopos, id est presbyteros. & hoc probat Beda per hoc quod loquitur ad seniores unius ciuitatis Ephesi in qua non erat nisi unus episcopus. unde August. in loco præallegato postquam dixerat quòd Christus apostolos ordinauerat episcopos, subiungit ita dicens. Hoc apostolus spiritui sancto deputat cum dicit. Attendite uobis, & uniuerso gregi in quo uos spiritussanctus posuit episcopos regere ecclesiam domini nostri Iesu Christi, hæc August. Et ita uidetur quòd beatus August. eodem modo capiat nomen episcopi sicut capitur in canone. Act.20. quod inductum est.

Ad tertiũ

Ad tertiam respondetur negando consequentiam, quia dato quòd loquatur de clauibus quæ dicantur pontificales, licet illæ concedantur datæ apostolis, & eorum successoribus a Christo, non tamen sequitur quòd immediate illis Christus dederit illas claues pontificales. nam constat quòd successoribus apostolorum quibus etiam dicitur dedisse non immediate per se eas illis dederit sed per episcopum consecrantem, & ita apostolis aliis a Petro per Petrum eos consecrantem tradidit claues illas.

Ad quartum

Ad quartam respondetur etiam negando consequentiam, & committitur fallacia figuræ dictionis, quoniam paritas illa non est intelligenda quo ad omnia: quoniam licet quo ad substantiam potestatis consecrationis intelligatur, quia omnes tandem fuerunt episcopi, non tamen quo ad ordinem temporis, quoniam non cum eo simul facti sunt, cum in principio illius capitis dicatur quòd primo Petro pontificatus in ecclesia datus sit. nec quo ad ordinem immediationis, quoniam nec a Christo immediate sed ab ipso Petro facti sunt pares quo ad consecrationis potestatem non obstante quòd fuerint ab ipso facti. sicut episcopus consecratus par est episcopo consecranti in potestate ordinis.

Ad quintum

Ad quintam respondetur negando consequentiam, quia licet apostoli fuerint episcopi, non tamen sequitur quod immediate quando fuerunt apostoli fuerunt etiam episcopi sicut manifestum est cum nec sacerdotes etiam tunc fuerint ut patet.

Ad sextũ

Ad sextam respondetur ut superius dictum est de Iuda, quia ipse non fuerat episcopus secundum ueritatem, sed solum fuit apostolus, & sacerdos. Et quando dicitur quòd episcopatum eius accipiat alter, exponendum est, id est locum apostolatus, ut exponit Nicolaus de Lyra ita dicens, apostolatus uero dicitur episcopatus. unde & ipsi sunt successores apostolorum secundum quòd dicitur in decre. distinct.21. ca. in nouo, & etiam eodem modo exponit super psalm.108.

Ad septimum

Ad septimam respondetur quòd Christus dedit pastores dando primum & uniuersalem pastorem immediate, dicendo Petro, pasce oues meas, & per illum alios particulares.

Ad octauum

Ad octauam respondetur quòd ly tanquam soluit ar. Christus enim non fecit omnes apostolos episcopos siue maiores sacerdotes sed in eis significabantur episcopi per officium prædicandi, & uisitandi ciuitates, & castella, & quia erant superiores omnibus aliis, & quia erant futuri episcopi. similiter fecit discipulos non quidem sacerdotes, sed tanquam minores sacerdotes, id est similes in hoc quòd sicut illi sub apostolis prædicabant, & curabant infirmos, sic & minores sacerdotes sub episcopis prædicant, & curant infirmos spirituales per administrationem sacramentorum, & ita ratio non procedit.

Ad nonũ

Ad nonam respondetur quod uerum est quòd Paulus episcopus fuerit sed non immediate per Christũ, sed ipse cum Barnaba ab apostolis cum oratione manum sibi imponentibus ut habetur Act.13. facti sunt episcopi.

Ad decimum

Ad decimam respondetur quòd non nega-

negatur quin omnes apostoli præter Iudam Scarioth fuerint ueri episcopi finaliter consecrati, sed dicitur quòd non omnes fuerint a Christo sine medio consecrati sed solus Petrus. Ad undecimam respondetur quòd Christus discipulos duxit ad episcopalem dignitatem per Petrum eos consecrando, sicut duxit populum suum per desertum in manu Moysi & Aaron. Et ad id quod inducitur in confirmatione, ex commento Maximi respondetur eodem modo. dicimus enim quòd uerum est quòd dominus 11. discipulos in episcopos consecrauit, non tamen sicut dictum est eodem modo, sed Petrũ immediate per se & alios per Petrum. sicut dicitur etiam consecrasse Aaron & eum induisse uestibus pontificalibus, quamuis hoc totum fecerit per Moysen. Ecclesi. 45. Excelsum fecit Aaron &c. dedit illi sacerdotium gentium, & circumcinxit illi zonam iustitiæ. Ad duodecimam respondetur, quòd licet Mathias fuerit consecratus in episcopum a Deo, non tamen sine ministro, scilicet beato Petro mediante, quia probabile est quòd fuerit ultimus de duodecim ordinatis sicut ultimus uocatus: sicut de Paulo dicimus qui non minus quàm Mathias electus est a Deo in apostolum, & nihilominus factus est episcopus ministerio aliorum. sic etiam Aaron dicitur uocatus a Deo, ad Heb. 5. Nihilominus tamen per hominem secundum ritum illius tẽporis consecratus. pariter etiam dicitur de beato Nicolao, & de beato Ambrosio qui fuerunt diuina reuelatione promoti, & electi, nihilominus ab hominibus fuerunt consecrati.

Ad undecimum

Ad cõfirmationẽ

Ad duodecimum

Cap. XXXV. Quòd beato Petro in apostolici principatus amplitudine aliquis succedere debuit in ecclesia usque ad consummationem seculi.

LICET omnes fere rationes quæ superius inductæ sunt ad probandum quòd unus in ecclesia Dei esse deberet supremus rector, & gubernator, sufficienter faciant ad ostendendum quòd clauium potestas & primatus auctoritas quibus beatus Petrus a Christo donatus est, & sublimatus in eius legitimos successores transierit transituraque sit usque in finem seculi; nihilominus hoc aliis rationibus comprobabimus. Et primo ratione sancti Thom. lib. 4. contra gentiles cap. 76. sic, manifestum est quòd Christus ecclesiam sic instituit ut esset usq; in seculum duratura, secundum illud. Esa. 9. ca. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia a modo & usque in sempiternum. Manifestum est igitur quòd ita illos qui tunc erant in ministerio constituit ut etiam eorum potestas deriuaretur ad posteros pro utilitate ecclesiæ usque ad seculi finem, præsertim cum ipse dicat. Math. ultimo. Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Constat autem quòd illis personis quæ cito post erant morituræ, non erat ipse futurus omnibus diebus seculi. ergo in personis illorum etiam suis successoribus est locutus cum quibus usque ad finem seculi esse poterat successiuè, pro quo facit capi. quodcunque uigesimaquarta quæst. prima ubi August. inquit, quòd quando Petrus claues accepit, ecclesiam sanctam significauit: quia scilicet non tantum pro se sed etiam pro omnibus successoribus usque ad finem seculi quo duratura est ecclesia. Vbi notandum, quòd sicut Adam quædam dona habuit personalia sicut omnium scientiam: quædam ue-

ro pro sua posteritate in statu innocentiæ sicut originalem iustitiam, sic Petrus aliqua dona habuit a Christo pro sua persona sicut miraculorum gratiam, ut quòd ad eius umbram sanarentur infirmi; quædam uero etiam pro successoribus suis in ecclesia, & hæc sunt illa sine quibus ecclesia non staret, sicut claues ligandi, & soluendi, aliter portę inferi præualerent aduersus eam. Vnde hanc amplitudinem potestatis, & eminentiam principatus per quem ecclesia resistit mundo & diabolo, Christus contulit Petro pro se & suis successoribus, & ita cum claues accepit ecclesiam dicitur significasse, quia per totam posteritatem ecclesiæ in successores Petri esset deriuanda. Secundo sic, certum est quòd potestas data apostolo Petro data est ad ecclesiæ ædificationem, ut apostolus Paulus 1. ad Corin. 10. dicit. Ergo oportuit hanc potestatem tandiu durare in ecclesia quandiu ecclesia ipsa ædificatione indigeret; sed ædificatione indiget usque ad finem seculi in quo electorum numerus complebitur. Vnde Hyeronimus super illud Psal. Hierusalem quæ ædificatur ut ciuitas inquit, in qua adhuc non est completum ædificium huius ciuitatis sed continuo ædificatur de lapidibus uiuis super fundamentum apostolorum, & prophetarum ab ipso summo angulari lapide Christo Iesu. ergo usque ad finem mundi Petri primatus siue principatus in suis successoribus erit duraturus. Tertio sic, si nullus beato Petro in principatu successisset pariter nullus cuiuscunque alterius apostoli dignitati successisset cum nulla sit maior ratio de uno quàm de aliis apostolis, & sic statim ordo apostolicus in suo exordio defecisset, quod nullus credens Christum sapientissimum affirmaret. Quarto arguitur ex illo psal. 44. ubi dicitur. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. ubi expresse dignitas, & auctoritas ordinis apostolici per successionem in ecclesia ostenditur duratura. unde glo. super illud. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii dicit. i. post apostolos, & pro apostolis episcopi & alii quos ecclesia genuit in sede patrum constituit. Si ergo dignitas apostolici ordinis per successionem in ecclesiam permansura erat usque in finem seculi, non dubium quin etiam primatus eiusdem qui in Petro erat successorem pariter habiturus esset. Quinto sic, non minor cura, & dilectio est Dei erga sponsam suam ecclesiam post tempus beati Petri quàm fuerit tempore eiusdem apostoli. ergo sicut tempore apostoli Petri ecclesiam suam gubernauit, & muniuit præsidente siue principe uno loco sui uidelicet beato Petro, ita etiam post beatum Petrum taliter gubernasse illam uoluisse creditur ut in illa unus in eadem potestatis amplitudine qua Petrus tanquã rector illius atque protector præsideret, maximè cum post beati Petri tempora ecclesia Christi in personis multiplicata multo amplius uno tali gubernatore indiguerit præsertim cum etiam temporibus futuris in ecclesia tribulationes maiores sperarentur futuræ. Sexto sic, in tempore ueteris legis Deus sic ecclesiam suam disposuit ut toto illo tempore unus esset pontifex cuius imperio si quis de populo illo contradiceret moriretur, sicut habetur Deutero. 17. ergo similiter est credendum quòd diuina prouidentia toto tempore legis nouę disposuerit, quòd unus summus pontifex in tota ecclesia præsideret. patet consequentia, cum eadem ratio potior sit de ecclesia quàm de synagogo, quanto sacerdotium nouę legis præstantius sit leuitico. sed hoc esse non potuit una persona semper manente. ergo per successionem. Ordinatione ergo diuina auctoritas, & primatus Petri in eadem

ampli-

amplitudine potestatis transitura erat in posteros usq; in finem seculi. quod uidetur per illud confirmari quod Apostolus dicit ad Heb.7.quòd Christus sempiternum habet sacerdotium. Septimo sic. naturalis ratio dictat & hoc ipsum tota philosophia testatur,quòd optimus modus regiminis cuiuscunq; communitatis sit ut unus sit princeps & rector sicut est in toto uniuerso quẽ admodum superius ostendimus. Vnde Aug. lib. de nuptiis & concupiscentia. Principatus magis naturalis est unius in plures quam in unum potest esse multorum. unde ut idem dicit Aug.natura principiorum amat singularitatem.Ergo absq; omni dubio tenendum est quòd Dei filius qui summa sapientia est, ecclesiam suam electorum suorum communitatem quam proprio sanguine sibi acquisiuit sub tali regiminis ordine disposuerit usque in finem seculi gubernandam,ut unus in ea præsideret uniuersalis omnium rector, & pastor.Cum autem sicut dictum est in una & eadem persona semper permanente fieri non possit: cum nulli detur uiuere per totum ecclesiæ decursum: necesse est confiteri quòd principatus Petri cum amplitudine potestatis suæ diriuetur in successores usque in finem seculi.Vnde Chrysog. tractans illud.Math.24.Cœlum & terra transibunt:uerba autem mea non transibunt. dicit,quòd uerba Christi in æternum mansura sunt illa quæ locutus est Petro dicens.Math.16.Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.Item idem Chrysog.Sicut Christus accepit a patre dux & sceptrum ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem,& super quodcunque ut ei genucuruentur: sic & Petro & eius successoribus plenissime commisit. Ecce quòd dicit successoribus. Ergo Petrus in amplitudine auctoritatis habet successores in ecclesia. Item Cyrillus Hierosolymitanus patriarcha dicit ex persona Christi loquens. Tu cum fine & ego sine fine cum omnibus quos loco tui ponam pleno & perfecto sacramento & auctoritate cum eis ero sicut sum tecum. Item extra de renũ. c.quanto dicit Innoc. Potestatem transferendi pontifices ita sibi retinuit Deus & magister, quòd eam soli Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus suis præbuit & concessit.Item patriarcha Ignatius in epistola ad papam Adrianum,sub quo celebrata est octaua synodus ita ad propositum post illa uerba dicta Petro apostolorum principi.Tu es Petrus,& super hanc, &c. ita scribit di.Tales enim beatas uoces non secundum quandam utiq; sortem apostolorum principi Petro solum circumscripsit & diffiniuit,sed per eum & omnes qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi pastores & diuinissimi sacriq; pontifices senioris Romæ. Item Adrianus papa scribens Constantino & Hyreneo Imperatoribus & toti concilio in ea decretali ubi inducit plures auctoritates pro ueneratione imaginum inter alia de beato Petro sic ait.Nam ipse princeps apostolorum beatus Petrus qui primitus apostolici sedi præsedit sui apostolatus principatum ac pastoralis curæ successoribus suis qui in sua sanctissima sede successuri sunt perenniter dereliquit quibus & auctoritatis potestatem quemadmodum a Saluatore nostro & domino Deo ei concessa est,ipseq; tradidit diuino iussu successoribus suis, quorum traditione Christi sacram imaginem sanctæq; genitricis eius apostolorumq; & omnium sanctorum uenerãtur imagines. hæc ille. Ex quibus uerbis manifeste habetur ꝙ Petro aliquis succedit in ecclesia & in eadem potestatis plenitudine.Ex his apertissime conuincitur error dicentium, ꝙ nullus in ecclesia Petri successerit in plenitudine dignitatis suæ.

Cap. XXXVI. Quòd beato Petro succedens in primatu & amplitudine apostolicæ dignitatis sit Romanus pontifex.

QVOD autem Romanus pontifex sit qui beato Petro in amplitudine principatus & prærogatiua dignitatis in ecclesia succedat, iam ostendamus. Pro quo aduertendum quòd sedes episcopi non ea prima dicitur in qua primo sedit: sed ultima in qua finaliter legitime translatus resedit. Petrus autem uniuersalis ecclesiæ factus episcopus a principio nullam determinatam sedem sibi appropriauit. Vnde sedem Hierosolymitanam Iacobo fratri domini dimisit, postea uero Antiochiæ primo sedit, & tandem illam dereliquit Ignatio discipulo beati Ioannis euangelistæ, & Romam ueniens illic suam transtulit sedem, ibi Deus usque ad mortem finaliter residens. Vnde beatus Marcellus papa & martyr Christi uniuersis scribens episcopis per Antiochiam constitutis ita ait in capit. rogamus uigesimaquarta quæst. prima. Licet prima sedes Petri fuerit apud Antiochiam, posterius iubente domino Romam translata est. Non ergo Antiochia quæ fuit prima, sed Roma ultima debet dici sedes Petri. Vnde qui in sede Romana legitime constituitur successor Petri efficitur, & per consequens plenus atque perfectus Christi Vicarius. Est autem hic consequenter notandum secundum dominum Petrum de palude, quòd aliud est de electione episcopi & aliud de electione archiepiscopi. quia electio episcopi solum pertinere debet ad omnes clericos dyocesis suæ, uel ad maiores, sicut ad cathedralem ecclesiam quæ præficitur solum dyoc. sed archiepiscopus præficitur suæ dyocesi specialiter, & toti prouinciæ communiter. Quod autem omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Vnde quantum est de iure primitiuo eligendi non ad solam ecclesiam cathedralem cuius specialiter interest, sed ad suffraganeos quibus præficitur spectat electio archiepiscopi & ita olim seruabatur. Propter quod in electione beati Nicholai in Metropolitanum myrreorum ecclesiæ conuenerunt episcopi suffraganei tanquam principales ad quos solos electio pertineret si archiepiscopus nullam sedem determinatam haberet. Sed quia difficile est semper suffraganeos conuocare, constitutum est de consensu omnium ad quos spectat quòd ad solam ecclesiam cathedralem spectet electio archiepiscopi sicut & episcopi. Sic igitur si Petrus mortuus fuisset antequam Romæ sedem elegisset ad apostolos solos quasi suffraganeos pertinuisset electio successoris Petri: sed postquam Romæ resedit de iure communi, & ad Patriarchas ratione uniuersalis ecclesiæ, & ad clerum Romanum ratione appropriationis spectabat electio ut uidetur. Sed quia difficile erat Patriarchas conuocare, nec erat tutum simplicibus canonicis tantum negotium committere: papa loco Patriarcharum, & canonicorum Romanorum Cardinales instituit qui papam eligerent ita tamen quòd duæ partes consentirent. Vnde qui sic in Romanum pontificem est electus, est uerus Petri successor & Christi Vicarius plenus. Vnde dicit canon concilii Calcedonen. Si quis episcopus prædicatur infamis, liberam habeat potestatem appellandi ad beatissimum episcopum antiquæ Romæ quem habemus Petrum petram refugii, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi episcopi

ſcopi infamiam ſecundum claues ſibi a Deo datas. Item patres in ſynodo Conſtantinopolitana, ut ſupra inductum eſt. Veneramur ſecundum ſcripturas & canonum diffinitiones ſanctiſſimum antiquæ Romæ epiſcopum primum eſſe & maximum epiſcoporum. Dicit autem antiquæ Romæ, ad differentiam Conſtantinopolitanæ, quam Conſtantinus illuc ſedem ſuam transferens & priuilegiis debitis Romæ extollens nouam Romam uoluit appellari. Item beatus Hieronym. ad Damaſum papam ſcribens in capi. quoniam uetus 24. q. 1. dicit. Cum ſucceſſore piſcatoris loquor. Item huius beatæ ſucceſſionis ueridicus teſtis eſt Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha qui in epiſtola ſua ad Adrianum papam quæ lecta & recepta fuit in octaua ſynodo uniuerſali ita loquitur. Solus & ex toto magiſter omnium Deus dicit Petro magno & ſummo apoſtolorum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi, &c. Et iterum. Tibi dabo claues, &c. Tales enim beatas uoces non ſecundum quandam utique ſortem apoſtolorum principi Petro ſolum circumſcripſit & diffiniuit, ſed per eum & ad omnes qui poſt illum ſecundum ipſum efficiendi erant ſummi paſtores & diuiniſſimi ſacriq; pontifices ſenioris Romæ tranſmittit. Hac ratione motus Innocen. 3. Romanus pont. ſcribens Imperatori Conſtantinopolitano, ut habetur in c. ſolitæ. extra de maio. & obedien. dicit ſic. Nobis enim in beato Petro ſunt oues Chriſti commiſſę dicente domino. paſce oueas meas, non diſtinguens inter has oues & illas ut alienum ſe demonſtret a ſuo ouili qui Petrum & ſucceſſores illius magiſtros non recognoſceret & paſtores. hæc ille. Item eadem ratione Innocen. 4. Romanus pon. in concilio generali Lugdunen. præſidens, ut habentur extra de homici. in c. pro humani. lib. 6. dicit ſic. Dei filius Ieſus Chriſtus ne gregem pretio ſui ſanguinis glorioſi redemptum aſcenſurus poſt reſurrectionem ad patrem abſque paſtore deſereret, ipſius curam beato Petro commiſit. Vnde nos eiuſdem apoſtoli effecti diſponente domino licet immeriti ſucceſſores & ipſius redemptoris locum in terris quanquam indigne tenentes, &c. Ex his uerbis clariſſime ſequitur quemadmodum dicit Iulius papa, quòd ſicut beatus Petrus apoſtolus primus fuit omnium apoſtolorum, ita eccleſia Romana ſuo nomine conſecrata domino inſtituente prima ſit & caput omnium eccleſiarum. uerba ſunt canonis in cap. dudum 3. q. 6. De quo etiam beatus Anacletus in c. ſacroſancta diſt. 22. ita inquit. Sacroſancta Romana eccleſia non ab apoſtolis, ſed ab ipſo domino Saluatore noſtro primatum obtinuit ſicut beato Petro apoſtolo dicitur. Tu es Petrus & ſuper hanc petram, & reliqua, uſque ſoluta & in cœlo, adhibita eſt ſocietas in eadem Romana urbe beatiſſimi Pauli apoſtoli uaſis electionis qui uno die, uno tempore cum Petro glorioſa morte coronatus eſt, & ambo ſanctam Romanam eccleſiam conſecrarunt, atque aliis omnibus urbibus in uniuerſo mundo tam ſui præſentia quàm ſuo uenerando triumpho prætulerunt. Et ſequitur infra. Prima ergo ſedes cœleſti beneficio eſt Romana eccleſia. Ex iſtis apertiſſime eliminantur duo errores. Primus eſt dicentium non eſſe de neceſſitate ſalutis Romanam eccleſiam credere ſupremam inter eccleſias. Iſti fuerunt condemnati in concilio Conſtantien. Secundus error eſt eorum qui dicunt beatum Petrum nunquam fuiſſe Romanum epiſcopum: (quia ut aiunt) ut refert Ocham in dialogo ſuo, in tota ſcriptura diuina non reperitur, ꝙ beatus Petrus fuerit Romæ. Contra quos primo eſt ſacra ſcriptura. inquit. n. beatus

Petrũ Romæ fuiſſe probat

Petrus in fine 5.c.primæ canonicæ suæ. Salutat uos ecclesia quæ est in babylone. Vbi iuxta gl. Bedæ Babylon nominat Romam propter cultum Idolatriæ. Ad idem est beatus Hieron. qui in libro suo de uiris illustribus ita dicit. Petrus in prima epistola sua sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans. Salutat uos inquit quæ est in Babylone ecclesia electa & Marcus filius meus. Secundo præfatum errorem, dato quòd expresse sacra scriptura non diceret Petrum Romæ extitisse, sufficienter condemnant testimonia sanctorum patrum. Inquit enim Hieron. super illud ad Roma. 1. Desidero uidere uos ut aliquid impartiar uobis gratiæ spiritualis ad confirmandū uos: sic. Romanos Petri prædicatione fidem tenentes confirmare se uelle apostolus Paulus dicit, non quo minus accepissent a Petro, sed ut duobus apostolis testantibus atque doctoribus eorum roboraretur fides. hæc ille. Itē Eusebius doctor egregius in ecclesiastica hystoria cap. 13. illustris testis est huius rei sic dicens. In ipsis Claudii temporibus clementia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium apostolorum & maximum fidei magnificentiæ uirtutis merito primorum principem Petrum ad urbem uelut aduersus humani generis communem perniciem deducit ducem quendam & magistrū militiæ suæ scientem domini prælia gerere & uirtutum castra tutare. iste ueniens ex orientis partibus, ut cœlestis quidam negociator mercimonia diuini luminis si quis sit comparaturus aduexit & salutaris prædicationis uerbo primus in urbe Roma in euangelii sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit. hæc ille. Item beatus Bernard. in epistola quadam ad Eugenium papam ita propositum confirmat dicit. Locus inquam in quo stans terra sancta est, locus Petri est locus principis apostolorum ubi steterunt pedes eius quem constituit dominus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Item contra hunc errorem est beatus Anacletus in c. sacrosancta dist 22. ut patet parum ante. Item beatus Ambrosius in epistola contra Anxentium de basilicis tradendis ita de beato Petro loquitur. Nocte muros egredi cœpit & uidens in porta Christum sibi occurrere urbemq; ingredi ait. Domine quò uadis? Respondit Christus. Venio romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. hæc Ambr. Hoc etiam confirmatur per eundem Ambro. in ca. beati 2.q.7. ubi Ambrosius ita loquitur. Petrus & Paulus martyriū pertulerunt in urbe Roma quæ principatum & caput obtinet nationum s. ut ubi erat caput superstitionis illic caput quiesceret sanctitatis. & ubi gētium principes habitabant illic etiam principes ecclesiarum morarentur. Hoc etiam confirmat beatus Marcellus papa in c. rogamus 24.q.1. quod supra inductum est. Hoc etiam Imperator Constantinus in epistola quam uniuersali ecclesiæ dirigit in c. Constantinus dist. 96. ita testatur di. Vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustū non est ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hoc etiam apostolica sedes confirmat in ca. per uenerabilem, extra qui fi. sint legi. & in c. fundamenta. extra de elect. in 6. Patet ergo tam sacræ scripturæ & sanctorum patrum quàm etiam apostolicæ sedis testimonio, quòd beatus Petrus Romæ fuerit ubi cathedram tenuerit episcopalem usque ad mortem. Ex quibus confunditur armenorum & græcorum præsumptio qui Romanum pontificem successorem Petri ac uniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscunt. Verum si quæratur quæ ecclesiarum urbis Romanæ habeat hanc superioritatis

perioritatis prærogatiuam super omnes alias orbis ecclesias? Ad hoc respondendum uidetur iuxta maiores nostros, quòd ecclesia beati Ioannis Lateranen. unde Melchiades papa in c.futuram 12.q. 1. loquens de Constantino Imperatore ita dicit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa contulit & fabricam primæ sedis beati Petri instituit i. Lateranen.patriarchii,ut exponit Hug.Secundo ad idem est Nicolaus papa scribens archiepiscopis & episcopis metropolitanæ sedis ac uniuerso clero Constantinorum ecclesiæ dicens sic.Collecta synodo in ecclesia Dei in qua beatus Petrus apostolorum princeps corpore redolet & uirtutibus emicat. unde propter frigidiorem locum in ecclesia Saluatoris quæ ab auctore appellatur Constantina & quæ sub anditu a Constantino prima in toto orbe terrarum constructa est. hæc ille.Tertio ad idem est Petrus de Rauenna in Sermone de beato Ioan.baptista qui incipit.Hodie dilectissimi. in quo sic ait. Decimus gradus est assertio matris ecclesiæ: illa enim magistra omnium ecclesiarum ecclesia Romana cui dictum est. Ego pro te rogaui ut non deficiat fides tua in honore beati Ioan. baptistæ post Saluatoris nomen consecrata est & signata. hæc ille. Quarto ad idem est Hug.in c.futuram 12.q.1.qui recitata opinione dicentium quòd prima sedes Petri sit ecclesia sancti Petri, ita subiungit. Ego tamen credo quòd ecclesia sancti Ioannis de Laterano sit prima sedes papalis,& non ecclesia sancti Petri. illam enim ædificauit Constantinus.Præterea ecclesia sancti Petri non est patriarchalis sedes uel episcopalis, sed de episcopatu portuensi. hæc ille.De hoc plenius diximus super cap. dudum iii.quæst.6.

Cap. XXXVII. Quòd Romanus pontifex sit Christi Vicarius & locum eius teneat in terris.

QVANQVAM ex supradictis in præcedenti c. clarissimè habeamus Romanum pontificem qui beatissimo Petro in primatu in orbe Christiano succedit Vicarium Iesu Christi potissimum esse ac uices siue locum eius tenere in terris, nihilominus ex aliis hoc ipsum ostendamus. Et primo ex illo Ioan.ult.ubi Petro Christus inquit. Pasce oues meas i.loco mei (ut exponit Chrysosto.) præpositus esto & caput fratrum tuorũ, ut ipsi loco meo te assumentes ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent & confiteantur.Item beatus Cyrillus Alexandrinus magnæ auctoritatis doctor in lib thesaurorum dicit quòd apostoli in euangeliis & epistolis firmarunt in omni doctrina Petrum esse loco domini in eius ecclesia ei dantes locum in omni capitulo, in omni electione & confirmatione. Et infra. Cui omnes obediunt iure diuino caput inclinare & primates mundi tanquam ipsi domino Iesu Christo obediunt. Item ad hoc est canon sacræ synodi Calcedonen.ita dicens.Si quis episcopus prædicatur infamis liberam habeat licentiam appellandi ad beatissimum episcopum antiquæ Romæ.quem habemus Petrum petram refugii,& ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi episcopi criminati infamiam secundum claues sibi a Deo datas.Item doctor Græcus super illo Luc. 22. Facta est contentio quis eorum uideretur esse maior.Ex hoc inquit contentionem istam habuisse motiuum,quia decebat aliquem eorum cum dominus ab hominibus migraret fieri aliorum principem quasi uicem gerentem domini. Qui autem

locum alterius aut uices gerit Vicarius illius est, ut in ca. si pro debilitate, extra de offi.deleg. Præterea hoc testantur multorum pontificum summorum scripta. Vnde Innoc.3.in ca.inter corporalia, extra de translat.episc.inquit. Non enim humana sed potius diuina potestate coniugiú spirituale dissoluitur: cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani pontificis quem constat esse Vicarium Iesu Christi episcopus ab ecclesia remouetur. Idem Innocentius quartus in ca.pro humani, extra de homici.lib.6.idem habetur extra de elect.ubi periculum maius in 6. ubi sic ait Gregorius decimus. Vbi agitur de creatione Vicarii Iesu Christi successoris Petri rectoris uniuersalis ecclesiæ gregis dominici directoris, &c. Hinc est quòd idem ostenditur esse consistorium Christi & papæ, ut dicit Ioan. Andr. super ca.quanto.de translat.episc. Quod manifeste testatur Origenes in gloss.super illud Math.16. Quodcunque ligaueris, &c. Vide quantam potestatem habet petra super quam ædificatur ecclesia, ut etiam iudicia eius maneant firma quasi Deo iudicante per eam. Aduertendum tamen q̧ licet omnes episcopi dicantur Christi Vicarii secundum illud 2.ad Corin. 6. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Et 1.Corin.4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Hoc enim dicebat Apostolus de Apostolis, & per consequens de eorum successoribus qui sunt episcopi, ut in cap.in nouo distinct. 21.dicit sanctus Anacletus. In præfatione etiam quæ in solennitate cantatur apostolorum habetur. Gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse pastores. Nihilominus papa præcipue & principalis Christi Vicarius est ab eo pro ecclesiæ unitate seruanda maxime constitutus. Vnde glo. super illud. Math.16. Tu es Petrus, &c. inquit. Specialiter potestatem ligandi & soluendi Petro Christus concessit ut ad unitatem nos inuitaret. ideo enim eum principem apostolorum constituit, ut ecclesia unum principalem Christi Vicarium haberet ad quem diuersa membra recurrerent si forte inter se dissentirent, quòd si diuersa capita essent in ecclesia unitatis uincula rumperentur. hæc ibi. Ex istis aperte excluditur error dicentium, q̧ papa non sit immediatus & proximus Christi Vicarius. ¶ Qui error inter errores Ioannis Vicleff in concilio Constantiensi fuit damnatus.

Cap. XXXVIII. Quòd Romanus pontifex primatum & amplitudinem dignitatis suæ a Christo immediate habeat.

QVOD autem a Christo immediate potestatem suam Romanus pontifex habeat facile ostenditur ex multis. Primo ex illo Math. 16. ubi Christus ait Petro & in eo successoribus. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. Super quo uerbo dicit Chrysog. Filius Dei ubiq; terrarum Petro concessit potestatem & homini mortali omnium quæ in cœlo sunt dedit auctoritatem, ut potestate clauium ecclesiam amplificaret. Secundum arguitur idem ex illo Ioan. ultim. ubi Christus loquens Petro inquit. Symon Ioannis pasce oues meas. Vbi manifeste cura totius ecclesiæ

clesiæ Petro commissa est & in eo suis successoribus a Christo immediate committitur. Super quo uerbo dicit beatus Chrysog. Pasce oues meas, i. loco mei præpositus & caput esto fratrum tuorum. Tertio ratione sic. In omni Hierarchia primum illius auctoritatem Hierarchizandi in sequentes in eodem ordine capit ab eo qui simpliciter & primo primæ prælidet toti Hierarchiæ. Patet ex dicto beati Dyon. dicentis 6. cœlestis Hierarchiæ. Proprium est angelis primæ Hierarchiæ esse circa Deum. Quod non est intelligendum quò ad beatitudinis participationem, quia sic omnes angeli boni & omnes sancti sunt circa Deum: sed quò ad receptionem illuminationum, quas recipere immediate a Deo est proprium illis. Ergo pariformiter primus qui est in ecclesiastica Hierarchia quæ a cœlesti est exemplata cuiusmodi est summus pontifex, dicendus est capere immediate a Christo potestatem, secundum quam uertex est & caput ecclesiasticæ Hierarchiæ. consequentia patet. Et hoc est quod dicit Leo papa, & habetur uigesimaquarta quæst. prima cum beatissimus Petrus apostolus a domino acceperit primatum. Quarto sic. Primam potestatem in unoquoque potestatiuo quæ necessario præsupponitur ab aliis potestatibus inferioribus illius ordinis, necesse est dependere immediate ab auctoritate illius ordinis: patet de se. Sed potestas papalis est prima in ordine ecclesiastico inter omnes potestates illius dicente beato Anacleto in cap. in nouo dist. uigesimaprima. Petrus a Christo ligandi & soluendi primus accepit potestatem, quæ potestas se habet ad reliquas sicut mater radix & origo, ut ex capi. loquitur uigesimaquarta quæst. prima habetur. Et nos infrà Deo dante manifestum faciemus. Ergo sequitur quòd papæ potestas immediate sit a Deo qui auctor & fundator est ordinis ecclesiastici. consequentia patet. Quinto omnis illa potestas, qua utitur quis in regimine alicuius communitatis, ut uicarius alterius deriuatur immediate ab illo cuius Vicarius dicitur: patet istud. Sed papalis potestas dicitur illa qua summus pontifex utitur in regimine communitatis ecclesiæ, ut Vicarius Christi. ergo talis potestas in summo pontifice est immediate a Christo. consequentia patet. Sexto sic. Papalis potestas non potest conferri ab homine. ergo a solo Christo immediate confertur. consequentia patet. antecedens probatur sic. Quia si conferretur ab homine, uel ab ipso homine papa: uel a tota communitate, uel uicem eius habente. Non autem confertur primo modo, nec secundo. ergo &c. Probatio minoris quòd non a papa, patet, quia nullus potest sibimet conferre potestatem iurisdictionis. Quod uero nec a communitate ecclesiæ posset conferri probatur sic. Nulla communitas potest conferre potestatem secundum quam regitur a suo superiori domino, cuiusmodi dominium non dependet a consensu communitatis. Sed potestas hæc est huiusmodi, quia potestas papalis est potestas secundum quam communitas Christiana debet regi a Christo mediante suo Vicario, cuius dominium non pendet a consensu communitatis Christianæ. ergo &c. Confirmatur hæc conclusio auctoritate. Primo Nicolai papæ qui scribens Mediolan. in capi. omnes 22. distinct. ita dicit. Romanam ecclesiam solus ipse scilicet Christus fundauit & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperii iura commisit. Non ergo quælibet terrena substantia, sed illud uerbũ quo constitutum est cœlum & terra per quod deniq;

omnia condita sunt elementa Romanam fundauit ecclesiam. hæc ille. Plures ad hoc sunt aliorum sanctorum patrum auctoritates apertissimæ, sicut in c. in nouo, & in cap. quamuis dist. 21. & in cap. sacrosancta, distin. 22. habetur. Ex quibus manifeste confutatur error dicentium Petrum principatum super alios apostolos habuisse non a Christo immediate sed humana institutione.

Cap. XXXIX. In quo ponuntur obiectiones contra prædicta.

ADVERSARII ueritatis multa & uaria obiiciunt contra conclusionem iam dictam & reperiuntur in quadruplici differentia. Quidam enim nituntur probare quòd pontificatus papalis dependeat ab apostolis. Quidam quòd a conciliis. Quidam quòd ab Imperatore Constantino. Quidam autem quòd a Cardinalibus. Quidam alii dicunt q̃ licet potestas papalis absolute considerata originaliter & immediate sit a Deo, nihilominus quòd papa exercitium & usum talis potestatis susceperit ab ecclesia. Primi arguunt sic. Nihil quod pendet ex pura electione & uoluntate ac ordinatione apostolorum uidetur a Christo immediate emanare, patet hoc. Sed quòd beatus Petrus habuerit primatum super apostolos alios & per consequens super omnes fideles fuit ex uoluntate & ordinatione apostolorum. Ergo uidetur quòd papalis principatus non sit immediate a Christo deriuatus. consequentia est bona, minor probatur per illud beati Anacleti papæ in c. in nouo dist. 21. ubi de beato Petro loquens ita ait. Ceteri uero apostoli cum eo pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; principem esse uoluerunt. Item idem colligitur ex c. dudum 3. q. 6. Ergo uidetur quòd uoluntate & ordinatione apostolorum beatus Petrus habuerit principatum. Secundo sic ad idem. Romanus pontifex dicitur Vicarius beati Petri ut in c. ego Ludouicus distin. 63. ergo uidetur quòd nõ a Christo immediate, sed a beato Petro potestatem acceperit. Tertio ad idem quòd ecclesia Romana non habuerit a Christo immediate primatum probatur. Quia si sic sequeretur quòd papa non posset sedem suã transferre de Roma & alibi constituere, quia seruus non potest tollere legem aut dispositionem domini sui. & tamen consequens uidetur falsum: quoniam in his quæ sunt iurisdictionis non minus potest nunc papa quàm beatus Petrus inquantum papa. Sed ille potuit de Antiochia transferre in Romam. ergo etiam nunc papa posset transferre in alium locum. Secundi arguunt sic. Nihil quod ex ordinatione sacerdotum ecclesiæ institutum est in ecclesia dicendum est a Christo immediate institutum: patet ex terminis, quia idem secundum idem non potest habere duas immediatas caussas. Sed distinctio superioritatis & inferioritatis inter sacerdotes ecclesiæ uidetur ex ordinatione ipsoruminet sacerdotum ortum habuisse. Ergo superioritas pontificalis dignitatis super omnes alios ecclesiæ prælatos non uidetur esse a Christo immediate. consequentia est bona, minor probatur auctoritate beati Hieronymi, qui super epistolam ad Tytum, ut habetur in ca. olim dist. 95. dicit sic. Olim idem presbyter qui & episcopus, & antequã diaboli instinctu studia in religione fierent id est dissensiones, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ communi pres-

Quadruplex opinio

Primũ argu. primæ opinionis

Secũdum

Tertium

Primũ argu. secũdę opinionis

byterorum

byterorum concilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam autem unusquisq; eorum quos baptizauerat suos esse putabat non Christi in toto terrarum orbe decretum est, ut unus de presbyteris supponeretur & scismatum semina tolerentur. Et Paulo post. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispensationis dominicæ ueritate præsbyteris esse maiores & in communi debere regere ecclesiam. Ex quibus uerbis manifeste uidetur haberi quòd ex institutione domini inter episcopos & presbyteros nulla est distinctio. Vnde olim quilibet episcopus erat presbyter & quilibet præsbyter episcopus, & ita ut uidetur tota distinctio inter papam, & Patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, & inter episcopos & presbyteros solummodo est ex ordinatione humana & non ex ordinatione Christi. Superioritas ergo pontificatus papalis non a Christo uidetur esse immediate, sed a conciliis uniuersalibus in quibus sacerdotes conueniunt. Ceterum secundo pro hac parte uidetur facere c. concilia distin. 17. ubi ita dicitur. Scientes quia eius scilicet Simachi sedi primum Petri apostoli meritum, deinde secuta iussione domini conciliorum uenerandorum auctoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem. Tertii arguunt sic. Papa quòd sit caput omnium ecclesiarum habeatq; primatum in spiritualibus in uniuerso orbe terrarum habet ex dono & institutione Constantini Imperatoris. ergo uidetur quòd papa principatum suum non habeat immediate a Christo. consequentia est bona, antecedens probatur ex illo quod habetur in c. Constantinus distinc. 96. & accipitur ex gestis beati Syluestri, ubi sic dicitur. Constantinus Imperator quarta die sui baptismatis priuilegium Romanæ ecclesiæ pontifici contulit ut in toto orbe Romanum pontifices, uel sacerdotes ita habeant caput sicut iudices regem. Et infra. Itaque decernentes sancimus ut principatum teneat tam super quattuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam quàm etiam super omnes in uniuerso orbe terrarum Dei ecclesias & pontifices qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ steterit excelsior & princeps cunctis sacerdotibus & totius mundi existat. hæc ibi. Ex quibus uerbis manifeste datur intelligi quòd tam Romanus pontifex quàm Romana ecclesia immediate a Constantino super alias ecclesias primatum habuerit & non a Christo. Quarti arguunt sic. Collegium dominorum Cardinalium uidetur dare electo papatum eligendo ipsum ad talem statum. ergo & auctoritatem papalem, & per consequens non habet immediate a Deo. Consequentia uidetur nota, quia quicquid est causa causæ, est causa causati: sed domini Cardinales eligentes talem, uel talem sunt causa quòd sit papa. ergo & causa potestatis & dignitatis illius. Secundo sic. Non solum ecclesia sed etiam Cardinales ante electionem in multis restringunt futuri pontificis exercitium. ergo uidetur quòd papalis auctoritas quò ad exercitium non dependeat immediate a Christo. Tertio sic. Canonica electio non tribuit immediate papæ omne potestatis exercitium nisi concomitetur unctio & coronatio, ut patet ex practica ecclesiæ. ergo &c. Quarto, si sic esset quòd papatus immediate esset a Deo non posset ecclesia dare ordinem suæ electionis, mandando quòd quicunque se pro summo pontifice gereret nisi a duabus partibus electus esset excommunicatus, ut extra de elect. capi. licet. Sed ecclesia

Secundũ

Argu. tertiæ opin.

Primũ argu. quartæ opinionis

Secundũ

Tertium

Quartum

Quintum dedit ordinem. ergo &c. Quinto: si sic esset tunc ecclesia non posset restringere potestatem papæ, sicut in collatione beneficiorum, & huiusmodi. Sed hoc uidetur falsum. ergo &c. Sexto: si sic esset sicut dictum est se Sextum queretur quòd papa non posset renunciare papatui, quod est contra determinationem ecclesiæ, extra de renunc. c.1.lib.6.nec deponi quod est contra cap.si papa,dist.40.ergo uidetur quòd papalis auctoritas non dependeat immediate a Christo.

Cap. XL. In quo respondetur ad rationes superius factas, quòd Romanus pontifex ex ordinatione apostolorum primatum habuerit.

PRAEFATIS aduersariorum obiectionibus non obstantibus incunctanter tenendum est, quòd primatus Romani pontificis & ecclesiæ Romanæ a solo Christo immediate processerit. Vnde non est dicendum quòd ab apostolis aut a conciliis generalibus siue ab ecclesia uniuersali aut a Constantino siue etiam a collegio Cardinalium dependeat. Respondendum est ergo ad rationes in oppositum. Ad primam rationem quæ est dicentium, quòd ab apostolis primatus Petri ortum habuerit, respondetur negando minorem. Falsum est enim quòd beatus Petrus uoluntate disponente aut ordinatione apostolorum primatum habuerit, sed habuit ab ipso Christo immediate a quo uertex & caput collegii apostolici constitutus est. Dicit enim Chrysog. super illud Ioan. ultim. Pasce oues meas. Præteriens autem dominus alios Petro loquitur. exmius enim apostolorum erat Petrus & os discipulorum & uertex collegii. unde & negatione deleta committit ei prælationem fratrum. hæc ille. Caput autem non habet a membris quibus præsidet quòd sit eorum caput, sed ab eo qui format totum corpus habet auctoritatem. Hinc dicit beatus Anacletus papa in cap. omnes distinct. 21. Sacrosancta Romana ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso domino & Saluatore nostro primatum obtinuit sicut beato Petro dixit. Tu es Petrus, &c. Præterea quòd uoluntate disponente ab apostolis Petrum primatum non habuerit ex illo manifeste colligitur. Math. 18. ubi discipuli interrogant dominum dicentes. Quisputas est maior in regno cœlorum? Quod ideo quærunt ut glo. inquit Hierony. quia discipuli uidentes in tributi redditione quòd Petrus domino fuerat comparatus ex equalitate pretii, arbitrati sunt omnibus apostolis Petrum esse prælatum. Et Chrysog. ad idem, ut deducit sanctus Thom. in glo. conti. super Math. dicit sic. Vnde passi sunt aliquid humanum, quod euangelista designat dicens. In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Quisputas maior in regno cœlorum? uerecundati si quidem passionem quam passi sunt: non dicunt manifeste, cur Petrum præhonorasti nobis? sed indeterminatè interrogant quis maior est. Quando autem tres præhonoratos uiderunt scilicet Petrum, Iacobum, & Ioannem, in transfiguratione nihil tale passi sunt, quando uero in unum contulit honorem, tunc doluerunt. hæc ille. Ex quibus manifestissime datur intelligi quòd primatus a solo Christo immediate Petro datus sit nulla ad hoc dispositione, aut uoluntate præuia interueniente apostolorum. Quando ergo dicitur in ca-

Ad primũ primę opinionis

in capitulis inductis per aduersarios quòd apostoli Petrum principem eorum esse uoluerunt, intelligendum est de uoluntate consequente siue acceptante dispositionem Christi non autem de uoluntate antecedente & causante. Et hoc est quod dicit beatus Anacletus in capit. sacrosancta dist. uigesimasecunda cum ait. Inter apostolos quædam fuit discretio potestatis. Et post. licet omnes essent apostoli: Petro tamen concessum est a domino, & ipsi uoluerunt inter se idipsum, ut reliquis omnibus præesset apostolis, & cephas id est caput & principatum teneret apostolatus. hæc ille. Patet ergo quòd uoluntas apostolorum non præcessit postulando Petrum, aut eligendo, aut disponendo quoquomodo ad eius primatum: sed tantum subsecuta est acceptando gratam habendo dispositionem factam per Christum. Et ita percutitur error quorundam aduersariorum dicentium Petrum ex electione apostolorum fuisse a Christo principem constitutum & prælatum aliorum. Ad secundam dicendum quòd impropria locutio est cum dicitur quòd Romanus pontifex sit Vicarius beati Petri: cum solius Dei cuius uices gerit in terris Vicarius sit. Petrus autem apostolus cum Vicarius esset Christi non poterat facere alium Vicarium, ut in cap. clericus. extra de offi. uica. Exponenda est ergo illa littera sic. Vicarius id est successor illius: uel Vicarius id est Vicariam potestatem quam ipse Petrus gessit tenens siue exercens. Ad tertiam uidetur respondendum iuxta opinionem Petri de palude, quòd dominus papa non potest transferre sedem suam de Roma in alium locum sine speciali reuelatione Christi, cuiusmodi speciali iussione translata est in Romam. Et cum dicitur quòd hoc sit falsum, negatur. & ad probationem respondetur, quòd papa non possit mutare sedem suam non est quòd minoris sit auctoritatis quàm Petrus, sed quia hic interuenit specialis iussio Christi contra quam seruus uenire non potest.

Ad secundum

Ad tertiũ

Cap. XLI. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum quòd Romanus pontifex ordinatione, & dispositione sacerdotum, siue conciliorum primatum habuit.

IAM dicendum est ad rationes dicentium quòd ab ordinatione uniuersalis ecclesiæ siue sacrorum conciliorum sacerdotum causaliter penderet principatus Romani pontificis. Respondetur in primis quòd hoc falsum est, quod ratione & auctoritate probatur. Ratione sic. Impossibile est spiritualem potestatem qua quis ligatur, uel absoluitur in anima respectu cœli dependere immediate ab illo, uel ab illis qui eadem potestate absoluuntur uel ligantur. Sed papalis potestas Petro, & successoribus suis collata extendit se ad ligandum & soluendum omnes & singulos de ecclesia militante. ergo impossibile est quòd ab aliquo, uel aliquibus de ecclesia collectiue siue disiunctim acceptis, immo nec ab ipsa tota ecclesia potestatem clauium ecclesiæ Petro, collatam causaliter dependeret. consequentia patet. antecedens, pro maiori parte patet etiam de spirituali potestate, de qua loquimur intelligendo quicquid sit de temporali, quæ ex consensu populi alicui subiicientis

Improbatur secunda opinio

se consurgit. Vnde licet consensus populi possit facere iudicem in temporalibus non tamen in spiritualibus. Nullus enim populi consensus potest sibi constituere confessorem, aut iudicem potentem excommunicare qui ante nullius iurisdictionis potestatem habuerit. Minor patet ex sæpe supra repetitis, maxime ex illo Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et sequitur. Quodcunque ligaueris super terram, &c. Auctoritate uero idem probatur papæ Pelagii, qui in ca. quamuis, distinct. 21. ita dicit. Sancta Romana ecclesia catholica & apostolica nullis synodicis statutis ceteris ecclesiis prælata est: sed euangelica uoce domini Saluatoris nostri primatum obtinuit. Quo habito respondendum est ad rationem negando minorem. Et ad probationem dicimus quòd dictum beati Hierony. non facit contra conclusionem positam propter duo. Primo: quia Hieronymus ibidem loquitur de episcopis & presbyteris quorum distinctio tam in nomine quàm in aliis quibusdam circunstantibus ministeria siue officia eorum non erat in principio tanta sicut post, ut ibidem innuit gl. non autem loquitur de primatu Romani pontificis, ut stultè aduersarii interpretantur, dicendo quòd aut non fuerit a principio ecclesiæ post ascensionem Christi aut quòd a Christo non fuerit institutus: cùm beatus Hieronymus opposita manifeste docuerit. Ipse enim super illud Math. 16. Tu es Petrus & super hác &c. dicit. Sicut Christus lumen apostolis donauit, ut lumen mundi appellentur & cetera quæ ex domino sortiti sint uocabula, ita Symoni qui credebat in petram Christum Petri largitus est nomen ac secundum Metaphoram petræ recte dicitur ei. Ædificabo ecclesiam meam super te. In quo manifeste primatus Petri super totam ecclesiam designatur, cum super eũ ædificata dicatur. Et in c. quoniam uetus oriens 24. q. 1. scribens Damaso papæ ita dicit. Ego nullum præmium nisi Christum sequẽs beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communionem consortior, super illam petram fundatam ecclesiam scio. Item in lib. de ortu siue obitu sanctorum de nouo testamento ita de Petro loquitur. Petrus in Christi ecclesiæ firmamentum est cephas corporis Christi principatus & caput est. Patet ergo quòd beatus Hieron. apertissimè credidit beatum Petrum primatum habuisse in ecclesia a Christo & ita per consequens successorem eius. Secundo inducta auctoritas Hiero. per aduersarium non militat contra propositum quia sicut superius lib. 1 cap. 70. plenissime explicauimus. Hieronymus non uult quòd realis non fuerit distinctio inter episcopum & presbyterum cum oppositum dicat beatus Dyon. qui fuit discipulus Pauli 5. ecclesiasticæ Hierarchiæ, & beatus Aug. dicat, quòd hæc fuerit una de hæresibus Arrii, sed uult dicere quòd differentia nominis semper non fuerit, quia qui dicebatur episcopus dicebatur presbyter, & econuerso. quæ differentia nominum ad uitandum scismatis scandalum consilio sacerdotum, id est patrum ablata est, & constitutum, ut quemadmodum differebant re, ita & uocabulis differrent. Et ista est responsio beati Thom. Ista etiam est sententia Archidyaconi super cap. legimus distinct. nonagesimatertia qui ita dicit. Ego credo quòd ab initio differentia fuit inter episcopos, & presbyteros simplices sacerdotes, sicut modo est in administratione, & prælatione & officiis & in sacramentis: sed quò ad appellationem non erat differentia, quia indifferenter, & communiter hi & illi dicebantur episcopi, & presbyteri. sed quia scismata cœperunt esse in ecclesia, ex ipsa parilitate appellationis

Ad primũ arg. secundæ opinionis

pellationis est facta differentia in appellatione, ut simplices sacerdotes non dicerentur episcopi 80.distin.in illis, secundum Hug.hæc Archydiaconus. Ad rationem secundam fundatam in c.concilia dist. 17. respondet gl. quòd Ro.ecclesia principaliter primatum habuit a Christo secundario a cõciliis. Sed ne hoc male intelligatur: quoniam male intelligeretur si concilia uniuersalia quorum robur uigor ac firmitas pendet ab apostolica sede, ut dist.17.per totum, & extra de elec.in c.significasti, intelligerentur effectiue siue causaliter dare aliquam auctoritatem sedi apostolicæ, cum ut probatum est nec ipsa uniuersalis ecclesia aliquid auctoritatis illi conferat. Quod manifeste attestatur papa Nicolaus scribens Imperatori Michaeli & loquens de priuilegiis apostolicæ sedis ita subiungit. Ista ergo priuilegia huic sanctæ ecclesiæ a Christo sunt donata: a synodis non sunt donata, sed solummodo celebrata & uenerata per quæ non tam honor quam onus nobis incumbit. Item in eadem epistola. Proinde animaduertendum est quod non Nicena non denique ulla synodus quodquam Romanæ ecclesiæ contulit priuilegium, quæ in Petro nouerat eam totius iura potestatis plenius meruisse & cunctarum Christi ouium regimen accepisse, sicut beatus præsul Bonifacius attestatur uniuersis episcopis per Thessaliam cõstitutis scribẽs. hæc ille. Dicimus ergo quòd hoc quod dicitur: cõcilia tradiderunt potestatem secundario apostolicæ sedi: est intelligendum executiue & declaratiue. Executiue quidem obediendo diuinæ ordinationi sedem illam honorando ut caput & matrem omnium aliarum ecclesiarum, adimplentes illud quod ex persona Christi beatus Chrysog. dicit super illud Ioan. ultim. Pasce oues meas. i. loco mei præpositus & caput esto fratrum ut ipsi te in loco meo assumentes te in throno tuo sedentem prædicent & confirment. Plane hoc obseruauerunt semper sacra concilia uniuersalia. Vnde Agatho papa in suggestione quam sextę synodo misit ita scribit. Apostolicæ sedis auctoritatem utpote apostolorũ omnium principis semper omnis catholica Christi ecclesia & uniuersales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt. Ecce quomodo executiue dicuntur tradidisse potestatem apostolicæ sedi. Declaratiue etiam uniuersalia concilia dicuntur tradidisse potestatem apostolicæ sedi: quoniam maxime per uniuersalia concilia declarata est Christiano populo quanta sit eminentia apostolicæ sedis. Vnde in concilio Constantinopolitano ita scribitur, ut deducit sanctus Thom. in quarta distinct. 24. Veneramur secundum scripturas & canonum diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse, & maximum episcoporum. hæc ibi. Et ad hunc intellectum dominus Archydiaconus in præfato cap. concilia, exponit uerbum illud tradidit id est traditum esse ostendit.

Ad secundum

Cap. XLII. In quo dantur responsa ad obiecta aduersariorum dicentium, quòd dispositione & dono Constantini Romanus pontifex habeat primatum super alios.

CONSEQVENTER est respondendum ad rationes dicẽtium quòd eminentia papalis auctoritatis super alios uenit ex constitutione & dono Constantini. Dicimus enim quòd in hoc grauiter er-

Ad argu. tertiæ opinionis

rant aduersarii: quoniam sicut non est possibile, ut spiritus quò ad eius essentiam & dignitatem dependeat a corpore, aut Sol a Luna: ita nec est possibile quòd potestas spiritualis, aut primatus papalis dignitatis pendeat dependentia causalitatis ab Imperio aut a Constantino. Quanto enim ut inquit Hugo de sancto Victo. lib. de sacramentis parte secunda lib. 2. c. 4. uita spiritualis dignior est quàm terrena & spiritus quàm corpus, tanto spiritualis potestas terrenam potestatem, siue secularem honore & dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam & instituere habet ut sit, & iudicare si bona non fuerit. Ipsa uero primo instituta est, & cum deuiat a solo Deo iudicari potest. Ad rationem ergo in se respondetur negando minorem, & ad probationem dicimus, quòd Constantinus non instituit legem illam de præeminentia apostolicæ sedis, & obedientia ei ab omnibus danda, quasi ius ex auctoritate de nouo condendo: quoniam antequam Constantinus esset Romanus pontifex primatum habuit in ecclesia Dei ex collatione Christi facta beato Petro, sicut superius est ostensum. Sed bene Constantinus fidei feruore & ecclesiæ Romanæ amore reuerentiali incensus diuinam ordinationem de primatu Roman. pontif. & de obedientia ab omnibus fidelibus illi præstanda executus est promulgando illam ut nullus per ignorantiã se excusaret & præcipiendo illam obseruari, ut nullus malitia se Romani ponti. obedientiæ subiicere recusaret: ita quòd magis fuit promulgator siue executor diuinæ ordinationis quàm conditor nouæ legis. Hinc rationabiliter condemnatus est error dicentium, quòd papalis dignitas a Cæsare inoleuit, & papæ præfectio, & institutio a Cæsare emanauit. Qui error primo fuit Marsilii de Padua, & fuit condemnatus in extrauaganti Ioan. uigesimosecundo, & post renouatus per Ioan. Hus, & condemnatus in concilio Constantiensi.

Cap. XLIII. In quo respondetur rationibus aduersariorum dicentium, quòd a Cardinalibus pendeat primatus Romani pontificis.

CONSEQVENTER respondendum est ad rationes dicentium quòd papalis dignitas siue pontificatus apostolicus a collegio dominorum Cardinalium pendeat. dicimus enim in primis quòd hoc sit falsum. Pro solutione tamen argumentorum est notandum, quòd in papatu duo est considerare, scilicet formale, & hoc est officium ipsum siue auctoritas pontificatus papalis: & est considerare materiale, quod est determinatio personæ talis uel talis, uidelicet Petri uel Nicolai. Qua distinctione habita respondetur ad rationes. Ad primam cum dicunt quòd Cardinales dant electo papatum, dicimus quòd loquendo de papatu quò ad id quod est formale in eo antecedens est falsum. quoniam papatus a solo Deo est sicut probatum est: ita negandum est antecedens. Si uero loquimur de materiali papatus, quod est determinatio personæ, respondetur quòd antecedens potest concedi, & negatur tunc consequentia: domini enim Cardinales eligendo bene determinant personam non tamen dant ipsi dignitatem, siue potestatem papalem. Aliud enim est conferre potestatem determinatæ personæ, & aliud est determinare personam quæ ex col-

Ad primũ quartæ opinionis

ex collatione iam facta assequatur talem potestatem. Ad secundam respondetur negando antecedens. Cardinales enim nec tota ecclesia posset restringere, nec ampliare, quæ a Deo immediate est instituta. Ad tertiam respondetur negando antecedens. Dicimus enim quòd cum aliquis est electus in papam immediate habet omnem plenitudinem potestatis iurisdictionis, ut patet ex cap. in nomine domini distinct. uigesimatertia, licet non ordinis quousque consecretur. Ad quartam respondetur negando consequentiam: quoniam sicut diximus parum supra in papatu est duo considerare, scilicet principatum ipsum, & determinationem personæ. Quanquam autem ecclesia nihil posset facere circa ipsam potestatem augendo uel diminuendo, potest tamen circa determinationem personæ aliquid facere ordinando de modo electionis, sicut factum est per Nicolaum papam in ca. in nomine domini uigesimatertia distinct. & per eundem, si quis apostolici sedi, distinct. septuagesimanona, & extra de elect. ubi periculum lib. 6. & in cle. ne Romani. Ad quintam dicitur sicut iam dictum est, quòd ecclesia non potest restringere potestatem papæ sicut nec ampliare, aut instituere illam potest. Ad sextam respondetur negando consequentiam: multa enim a Deo infunduntur, sicut anima rationalis quæ opere humano tolli possunt. De istis autem inferius erit plenior tractatus.

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

Cap. XLIIII. Quòd potestas papalis a nullo alio quàm a Deo restringi possit nec ampliari.

DEMONSTRATO quòd potestas siue pontificatus papalis a solo Deo sit institutus, facile est intelligere quòd a nullo puro homine nec a toto mũdo possit restringi aut ampliari, sed a solo Deo. Primo. ad illum enim pertinet potestatem aliquam restringere, aut ampliare ad quem pertinet eam instituere: cum ad instituentes potestatem aliquam pertineat determinare potestatem, quanta & qualis sit. Sed potestas papalis, ut superius plene ostendimus a solo Deo est instituta, & habetur in cap. quamuis distinct. 21. Ergo per nullam aliam potestatem a diuina potest restringi, aut ampliari. Secundo. potestas papalis est superior omni alia potestate ecclesiastica. ergo a nulla alia potestate ecclesiastica potest restringi aut ampliari. consequentia est bona, ut enim habetur in cap. inferior, distinct. uigesimaprima. Inferior sedes potiorem absoluere, aut ligare non potest. antecedens est notum ex superioribus, immo est articulus iam fidei diffinitus in concilio Constantiensi, quòd potestas papæ sit suprema potestas in ecclesia. Tertio sic, nullus potest mutationem facere restringendo, siue diminuendo, siue destruendo in potestate super quam fundata est uniuersalis ecclesia nisi solus Christus qui eum fundauit, alias non esset uera illa Christi promissio, quòd aduersus eam portæ inferi non præualerent. Sed potestas papalis est huiusmodi. ergo nullus hominum potest nec etiam totus mundus potestatem papalem tollere restringere aut diminuere. consequentia est bona. maior patet. minor probatur per illud Math. 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, quod ut in capit. decimoseptimo superius ostendimus. non solum per sanctos patres refertur dictum esse ratione confessionis fidei Petri, sed ratione potestatis sibi datæ. Vnde sanctus Thomas in fi-

ne 2.ſententiarum dicit, quòd poteſtas papæ fundamentum quoddam eſt eccleſiæ. Vnde etiam Origen. dicit ſuper illud Math. 16. Quodcunque &c. Vide quantam poteſtatem habet petra ſuper quam fundatur eccleſia, ut etiam eius iudicia maneant firma quaſi Deo iudicante per ipſam. Item beatus Anacletus in quodam decreto ſuo ait. Apoſtoli ſtatuerunt iuſſione Saluatoris, ut maiores & difficiliores quæſtiones ſemper ad ſedem referantur apoſtolicam ſuper quam Chriſtus uniuerſam conſtruxit eccleſiam dicente domino ad principem apoſtolorum. Tu es Petrus, &c. Et Vigilius papa ſcribens dilectiſſimo fratri Eleutherio dicit. Nulli uel tenuiter ſcienti, uel pleniter ſapienti dubium eſt quòd eccleſia Romana fundamentum ſit & forma eccleſiarum a qua omnis eccleſia principium ſumpſiſſe nemo recte credentium ignorat. Quarto ſic. non licet ſine periculo hæreſis detrahere priuilegio apoſtolicæ ſedis dato ſibi a Chriſto. Sed diminuere, aut reſtringere poteſtatem apoſtolicæ ſedis eſt detrahere priuilegiis ſuis honori & dignitati datis apoſtolicæ ſedi a Chriſto. ergo hoc nulli licet. conſequentia eſt bona, maior patet ex cap. omnes diſtinct. 22. ubi dicitur ſic. Qui autem Romanæ eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium eccleſiarum capite conatur auferre, hic proculdubio in hæreſim labitur. Minor uero patet: quoniam præcipuum priuilegium a Chriſto apoſtolicæ ſedi datum eſt ipſa plenitudo poteſtatis & eius potiſſima dignitas. Dicit enim Leo papa in epiſtola ad Martionem Imperatorem. Magnus honor eſt unicuique dignitas ſua. Quo circa Nicolaus papa in epiſtola quadam ad Michaelem Imperatorem ita ait. Priuilegia apoſtolicæ ſedis nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari: quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non ualet amouere conatus, & quod dominus ſtatuit firmum ualidumq; conſiſtit, illeq; potiſſimum peccat qui Dei ordinationi reſiſtere tentat. Priuilegia inquam huius ſedis perpetua ſunt diuinitus radicata atque plantata. impingi poſſunt, transferri non poſſunt. trahi poſſunt, euelli non poſſunt. hæc ille. Non poteſt autem dici quòd hæc apoſtolicæ ſedis priuilegia aliqua præſulum indignitas minuere poſſet atteſtante eodem beatiſſimo Leone qui ait. Nonnunquam diuerſa ſunt merita præſulum, iura tamen permanent ſedium quibus poſſunt emuli perturbationem aliquam inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem. Non eſt autem hic prætereundum quòd ait Grego. 9. contra præſumptionem Michaelis Conſtantinopolitani. Quiſquis Romanæ eccleſiæ auctoritatem uel priuilegia euacuare, uel diminuere nititur, non hic unius eccleſiæ, ſed totius Chriſtianitatis ſubuerſionem, & interitum machinatur. cuius compaſſione, uel ſuſtentatione ulterius reſpirabunt filiæ a quouis oppreſſę, unica illa ſuffocata matre? ad cuius refugium appellabunt, ad quam refugium habebunt. ipſa enim Athanaſium, ipſa omnes catholicos ſuſcipit fouet defendit & propriis ſedibus pulſos reſtituit. hæc ille. Quinto poteſtatem cuiuſcunque Vicarii nemo poteſt reſtringere, aut ampliare niſi principalis cuius eſt Vicarius. Sed papa eſt Vicarius Ieſu Chriſti eius uices gerens in terris. ergo huiuſmodi Vicarii poteſtatem nemo niſi Chriſtus cuius Vicarius eſt poteſt reſtringere diminuere mutare aut etiam ampliare. conſequentia eſt bona, & præmiſſę patent. Sed ſi quis aduerſariorum uellet dicere ad iſta, ſicut multos ſequentes doctrinam, cuiuſdam Iarſon audiuimus dicere

re cum Basileæ essemus, quòd etsi potestas papæ per nullos homines tolli possit aut diminui: possent tamen patres in concilio congregati executionem potestatis illius impedire aut restringere aut sic regulare ut non ualeat exire in actum, nisi ut ei per concilium generale fuerit dictatum. Taliter respondens iudicio nostro male respondet, immo uidetur insipienter loqui, cum uideatur aut oppositionem in obiecto aut uocis ignorantiam implicare. Quod sic patet. Est enim iurisdictio ut alias in 1. lib. diximus potestas dicendi siue iudicandi, & exequendi. similiter plena, & totalis iurisdictio est tota plena & perfecta potestas iudicandi, & iudicatum exequendi, alias non est plena & perfecta. Vnde dicere quòd aliquis habeat iurisdictionem, ita tamen quòd non possit iudicare, & exequi etiam si uellet, est dicere quòd habeat potestatem iudicandi, & non possit iudicare, quod est habere potestatem, & non habere. Similiter habere totam plenam, & perfectã potestatem iurisdictionis, & non habere totum plenum & perfectum exercitium ita quòd non esset ualidum omne quod iuxta potestatem sibi datam facere uellet, est dicere habere plenam potestatem, & perfectam iudicandi uel alia faciendi, & tamen non posse illa facere nec perfectè nec totaliter, quòd est habere plenam, & non plenam, quod est manifeste contradictio. Præterea quòd præfata responsio nullius sit roboris, & ualoris patet, quia sicut tollere potestatem aliquam non potest nisi potestas superior, ita nec restringere aut impedire de iure exercitium illius potest nisi superior potestas. Cum ergo fide tenendum sit ut diximus, quòd potestas papæ sit suprema in ecclesia, nulli dubium quòd sicut nulla quorumcunque potestas ecclesiastica potest tollere potestatem papæ, ita non possit impedire aut restringere exercitium eius. Sed de his in 3. lib. ubi de conciliis uniuersalibus, & eorum auctoritate agendum est plenius domino adiuuante dicemus.

Cap. XLV. De errore quorundam aduersariorum dicentium papam non habere iurisdictionem coactiuam super fideles, & rationibus eorum.

FVERVNT quidam hæretici homines perditissimi qui in tantum ueritati apostolici principatus, & ecclesiæ sanctæ honori detrahere præsumpserunt ut affirmare non uererentur Romanum pontificem aliosque ecclesiæ prælatos nullam coactiuam iurisdictionem super alios habere fideles nisi imperator concederet, dicentes prælatorum ecclesiæ principatum ex institutione Christi in administratione & seruitio consistere aliorum & non in coactiua iurisdictione. Quem errorem damnatissimum multipliciter confirmare nituntur, quorum motiua, ut deducit Ocham in dialogo suo sunt quæ sequuntur. Primo sic. Dicitur Math. 20. Scitis quia principes gentium dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos non ita erit inter nos, sed quicunque uoluerit inter uos esse maior erit uester seruus. Ex quibus uerbis dicunt dari intelligi quòd maioritas, & primitas illius qui est maior, & primus inter omnes fideles in ministrando, & seruiẽdo consistit. Cum ergo Papa sit maior & primus inter omnes Christianos sua maioritas in ministrando, & seruiendo tantum consistit, & per

Argu. primũ quod cũ sequẽtibus soluetur. capi. 47.

consequens nullam iurisdictionem coactiuã super alios habet, cum illa omnibus ecclesiæ prælatis uideatur interdicta. Secundo sic, papa non habet maiorem iurisdictionem coactiuam quàm habuit Christus cuius est uicarius, sed Christus inquantum homo mortalis non habuit iurisdictionem coactiuam. Tum quia iurisdictio coactiua sine diuitiis aut sine adiutorio diuitias habentium exerceri non potest, quas Christus non habuit. Tum quia ipso teste ministrare uenit non ministrari. ergo non uenit coactiuam iurisdictionem exercere. ergo eam non habuit. ergo nec per consequens eius uicarius habet. Tertio sic auctoritate Origen. qui super illud Math. 20. Reges gentium &c. sic ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum. i. non contenti tantum regere suos subditos uiolenter eis dominari nituntur: inter uos autem qui estis mei non erunt hæc: quoniam omnia carnalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in uoluntate. Sic & qui principes sunt spirituales, id est prælati, principatus eorum in dilectione penitus debet esse non in timore. Ex quibus uerbis datur intelligi (inquit) quòd totus principatus prælatorum ecclesiæ, & per consequens summi pontificis in uoluntate, & dilectione & non in timore debet consistere. ergo diligi debent non timeri. Qui autem iurisdictione coactiua utuntur a malis timentur, teste Apostolo ad Roma. 13. qui ait. Si autem male feceritis timete, scilicet potestatem prælati. ergo prælati ecclesiarum iurisdictione coactiua uti non debent. Quarto ad idem inducunt Crysostomum qui ita super eundem locum ait. Principes mundi ideo sunt, ut dominentur minoribus suis & eos seruituti subiiciant, & expolient & usque ad mortem eis utantur ad suam utilitatem, & gloriam. Principes autem ecclesiæ fiunt ut seruiant minoribus, & ministrent eis quæcunque acceperint a Christo, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent. Ex quibus uerbis (inquiunt) patet distinctio inter principes seculares, & ecclesiarum, quia principes seculares suis subditis dominantur, principes autem ecclesiæ minoribus suis seruiunt, & ministrant. ergo in eis iurisdictionem coactiuam exercere non ualent. Quinto inducunt ad idem beatum Ambro. qui ut recitatur 23. quæst. 8. c. conuenior, ait sic. Dolere potero, gemere potero aduersus arma milites cohortesque lachrymę meæ sunt mea arma, talia enim sunt instrumenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere. Ex quibus uerbis inquiunt habetur quòd sacerdos orationibus, & lachrymis debet malis resistere, & non per potentiam temporalem, & per consequens non habet iurisdictionem coactiuam. Sexto inducunt beatum Chrysost. qui in libro suo dialogorum qui de dignitate sacerdotali intitulatur lib. 2. cap. 3. super id apostoli 2. Corinth. 1. Non dominantur fidei uestræ, ita dicit. Hi qui foris sunt iudices malignos cum subdiderint ostendunt in eis plurimam potestatem, & inuitos eos a priorum prauitate morum compescunt: in ecclesia uero non coactum sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti, quia nec nobis a legibus data est talis potestas quòd auctoritate sententiæ homines cohibeamus a delictis. Clarius (inquiunt) dici non posset quòd ecclesia non habeat iurisdictionem coactiuam, cum in ecclesia nullus ad meliora debeat cogi nec aliquis debeat cohiberi per iudicialem sententiam a delictis. Septimo sic, ad habentem iurisdictionem coactiuam spectat negociis secularibus implicari, quia ad ipsum pertinet contentiones, & lites dirimere. Contentiones autem & lites & rixę inter negocia secularia computantur, extra necle.

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintũ

Sextum

Septimũ

uel mo.secu.nego.se immis.cap.1. Sed ad summum pontificem non pertinet secularibus negocijs implicari, teste Apostolo 2. ad Thimo. 2. qui ait. Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus. Ergo ad summum pontificem non pertinet iurisdictio coactiua. Octauo sic. Papa non habet iurisdictionem maiorem quàm beatus Petrus, sed beatus Petrus, & alij apostoli iurisdictionem coactiuam a Christo, minimè receperunt. ergo nec Papa habet iurisdictionem coactiuam ex ordinatione Christi. maior est manifesta. minor probatur auctoritate beati Bernardi, qui in lib. ad Eugenium papam inquit. Non monstrabunt puto qui hoc dicerent, ubinam quispiam apostolorum iudex sederit hominum. Et parum post. Stetisse namque legos apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego, etiam illud non fuit. Ex quibus uerbis datur intelligi quòd apostoli iudices hominum non fuerunt. ergo beatus Petrus iurisdictionem coactiuam non habuit. Nono hoc quòd apostoli hominum iudices non fuerunt, beatus Grego. sentire uidetur, qui tractans illa uerba. Secularia iudicia si habueritis, in moralibus ita dicit. Hi terrenas causas examinent qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt. Qui autem spiritualibus dotati sunt terrenis non debent negocijs implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere ualeant bonis superioribus deseruire. Cum ergo apostoli maximis bonis spiritualibus fuerint dotati, ipsi non fuerunt circa causas hominum & lites aliqualiter occupati. Decimo hoc etiam gloss. super illud ad Corinth. Secularia igitur iudicia, aperte sentire uidetur. ait enim contemptibiles enim, id est aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti constituite ad iudicandum, apostoli enim circumeuntes talibus non uacabant. Sapientes ergo qui in locis consistebant fideles, & sancti, non qui hac atque illac propter euangelium discurrebant negociorum examinatores esse uoluit. Quibus uerbis (inquiunt) ostenditur quòd apostoli causis hominum terminandis minimè insistebant. Ex quo infertur quòd non acceperant iurisdictionem a Christo coactiuam, quia omne officium iniunctum eis a Christo diligentissimè perfecerunt.

Octauum

Nonum

Decimũ

Cap. XLVI. In quo improbatur error præfatus.

QVAM damnatissimè errent præfati aduersarij dicentes tam Romanum pontificem quàm alios ecclesiæ prælatos nullam ex Christi ordinatione habere iurisdictionem coactiuam, sed ex concessione imperatoris, facile ostendimus. Ostendimus autem imprimis falsitatem, & errorem primæ partis in qua dicunt, prælatos ex Christi ordinatione non habere super fideles iurisdictionem coactiuam. Secundo errorem secundæ partis in qua dicunt quòd huiusmodi iurisdictionem coactiuam prælati habuerunt ab imperatore siue a seculari potestate. Prima autem pars ostēditur erronea multipliciter. Primo auctoritate sacræ scripturæ. Secundo auctoritate sacrorum conciliorũ. Tertio diffinitione apostolicæ sedis. Quarto sanctorum doctorum testimonio. Quinto rationibus. Imprimis autem sacræ scripturæ auctoritate erronea pars illa ostenditur. Primo ex illo quod

Ostendit duo principaliter.

Primum

Christus Petro & in Petro successoribus suis cunctisque ecclesiæ prælatis ait Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Claues dicit in plurali, quia scilicet ut est doctrina communis sanctorum tam clauem in foro conscientiæ quàm in foro exterioris iudicii. Vnde ait glo. interli. i. præsentis iudicii potestatem. Et sequitur. Quodcunque ligaueris super terram siue in foro conscientiæ siue exterioris iudicii, ligatum erit & in cœlis. Cum autem non tantum uoluntarii ligentur sed etiam inuiti, manifestum est quòd in clauibus datis Petro & in eo suis successoribus intelligatur data iurisdictio coactiua. Secundo improbatur præfatus error ex illo Mar. 18. ubi habetur. Si autem peccauerit in te frater tuus, uade, & corripe eum inter te & ipsum. Et infra. Si autem te non audierit, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. amen dico uobis quæcunque alligaueritis, glo. uinculo anathematis, super terram erunt ligata & in cœlo &c. ubi Hiero. in gl. ait. Potestatem tribuit apostolis ut sciant qui a talibus damnantur humanam sententiam diuina sententia roborari. Ceterum apostolus 1. Corinth. 6. reprehendens corinthios quòd contemptis fidelibus coram infidelibus iudicibus litigassent, ad probandum quòd de rebus secularibus, & terrenis iudicandi potestas esset apud ecclesiam inquit. Nescitis quoniam angelos iudicabimus quanto magis secularia glo. i. de rebus seculi. Non est autem dubium quin talis damnatio pertineat ad iurisdictionem coactiuam. ergo apostoli & eorum successores ex Christi ordinatione coactiuam iurisdictionem habuerunt. Tertio idem ostendi potest ex illo Math. 26. ubi de Petro dicitur quod exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum amputauit auriculam eius. Per quod designatur apud Petrum futuram esse potestatem coactiuam ad correctionem. Vnde beatus Greg. ut habetur in c. si Petrus 24. q. 1. inquit. Tollit ergo Petrus aurem, quare Petrus? quia ipse est qui accepit claues regni cœlorum. ille enim condemnat qui & absoluit, quoniam ligandi, & soluendi idem adeptus est potestatem. tollit autem aurem male audientis. tollit autem gladio spirituali aurem interiorem male intelligentis. Quarto idem colligitur ex illo Luc. 22. ubi apostolis dicentibus. Ecce duo gladii hic, respondit dominus, satis est. Vbi cum per gladios duos mystice intelligantur duæ potestates, spiritualis, scilicet & temporalis, ut beatus Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium papam exponit, quas apud Romanum pontificem aliquo modo residere dicit: manifeste datur intelligi Romanum pontificem ex Christi ordinatione iurisdictionem coactiuam quæ per gladios designatur habere. Quinto erroris præfati ostenditur stultitia ex illo quod dominus ait Petro Ioan. ult. Pasce oues meas, ubi officium pastoris committit beato Petro, quod officium planissimum est non posse bene agi sine iurisdictione coactiua, cum glosſ. in eo loco dicat. Pascere oues est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est subditus prouidere, exempla uirtutum præbere, aduersariis obsistere, peccantes corrigere. Sexto idem ostenditur ex apostolica doctrina. unde 1. ad Cor. 4. Paulus inquit. In uirga ueniam ad uos, in charitate, & spiritu mansuetudinis, ubi apertissimè se demonstrat habere iurisdictionem coactiuam. unde in sequenti c. habetur quòd Paulus fornicatorem quendam tradidit Sathanæ in interitum carnis ut spiritus eius saluus fiat. Ex quo manifeste apparet quòd apostolus iurisdictionem coactiuam habebat, & patet quòd non ab imperatore qui infidelis erat. ergo a

Deo

Deo. Consequenter secundo confutatur error præfatus ex gestis quasi omnium conciliorum uniuersalium, & maximè illorum quattuor principalium in quibus damnati excommunicati & a suis dignitatibus depositi leguntur plures hæretici, sicut in Niceno Arrius, in Costantinopolitano Macedonius, in tertio, scilicet ephesino Nestorius, in quarto scilicet Calcedonen. Eutices ut in ca. canones, dist. 15. Et simili modo in aliis conciliis. Hoc autem sancti patres minimè facere potuissent nisi habuissent ex Christi ordinatione iurisdictionem coactiuam. Præterea totus quintus liber decretalium qui de pœnis intitulatur manifeste ostendit stultitiam erroris præfati. Tertio erroris præfati temeritas ostenditur ex apostolicæ sedis quæ fidei magistra est determinatione quæ in Extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit. Licet secundum doctrinam apostoli, ubi Marsilium de Padua & Ioan. de Iandudo præfati erroris, & aliorum quorundam auctores reprobat, & condemnat. Quarto præfatus error damnabilis ostenditur etiam ratione. Potestas spiritualis est maior & Deo coniunctior quàm secularis, ut superius circa finem primi libri multipliciter ostendimus. Sed secularis potestas ad exercitium officii sui habet iurisdictionem annexam coactiuam est enim Dei minister ad Roma. 13. Ergo etiam potestas spiritualis cum eius minister sit etiam uices eius gerens pariter ad exercitium eorum quæ ad officium ei iniunctum pertinent necessario habet modo sibi conuenienti annexam iurisdictionem coactiuam. unde Ecclesiastici 10. dicitur. Iudex sapiens iudicabit populum suũ. ergo etiam potestas spiritualis, consequentia est manifesta. Secundo sic. De ratione cuiuscunque perfecti principatus est habere iurisdictionem coactiuam. Sed principatus ecclesiasticus est maximè perfectus, unde comparatur. Soli iuxta ca. solitæ. extra de ma. & ob. Ergo principatus ecclesiasticus habet iurisdictionem coactiuam, consequentia est bona. maior est Aristo. 4. Ethi. Cum enim sermones persuasiui qualicunque ratione fulciti non sint semper potentes mouere subditos ad bonum, quod est principalis intentio boni principis, necessarium est ut apud principem sit iurisdictio coactiua qua per pœnas faciat quod persuasionibus non potuit. Hinc est quòd legis, ut dicit Isido. li. Ethy. & habetur in decreto di. 3. omnis autem lex, non solũ est imperare uetare permittere, sed etiam punire. Et hoc sufficiat de improbatione primæ partis præfati erroris. Secunda uero pars in qua præfati pestiferi aut damnatissimi aduersarii dicunt quòd iurisdictio coactiua quæ apud ecclesiam est ex concessione imperatoris sit. patet luce clarius erroneum esse. Primo ex dictis iam supra in reprobatione primæ partis erroris præfati. Constat enim beatum Petrum pro se & suis successoribus a primo principatum suscepisse. ergo ab eo, scilicet Christo iurisdictionem habuit, & habent eius successores & non ab aliquo alio. consequentia est manifesta, antecedens non modo ex dictis patet, sed etiam supra ex cap. 31. Secundo idem ostenditur ex antiquitate ecclesiastici principatus sic arguendo. Principatus ecclesiasticus etiam cum iurisdictione coactiua præcessit multo tempore imperatores catholicos. ergo sequitur quòd ipse in iurisdictione coactiua quam habet non dependet ab imperatoribus. consequentia est manifesta, cum prius non dependeat a posteriori, nisi aduersarius tanta caligaret cecitate ut ab imperatoribus etiam infidelibus quales omnes fuerunt enim duo Philippi pater & filius, sed non a parte Christiani ut dicit Eutropius, usque ad Constantinum magnum diceret Romanum pontificem suscepisse,

Secundũ principale.

principatum. Tertio ostenditur sic. Nobilius, & perfectius non recipit a minus nobili, & minus perfecto perfectionem potestatis, & uirtutis suæ, ut enim ait Aristo. 2. de anima & August. super Gene. agens nobilius est & præstantius passo. Sed principatus ecclesiasticus est multo nobilior ac perfectior quam secularis, quanto scilicet anima corpore ut dicit Hugo de sancto Vict. quanto sol luna ut dicit Innocentius in proximè allegato ca. solite, quanto aurum plumbo, ut ait Ambro. in c. duo quippe distinct. 96. Ergo nullo modo est dicendum sed tanquam falsum, & erroneum abiiciendum est quòd iurisdictio coactiua papæ & prælatorum ecclesiæ dependeat ab imperatore. Quarto sic. Ab illo a quo alicui committitur aliquod officium committuntur ea sine quibus officium agi non potest. Sed a Christo & non ab imperatore commissum est Petro, & eius successoribus pastorale officium, & cura totius populi Christiani ac regimen ut supra ostensum est. Ergo necesse est dicere quòd a Christo & non ab imperatore terreno aut ab aliqua terrena potestate habet iurisdictionem Romanus pontifex coactiuam. Quinto sic. Imperatores leguntur puniti utpote excommunicati, & priuati dignitate a Romanis pontificibus, immo etiam ab aliis minoribus ecclesiæ prælatis. Ergo iurisdictio coactiua Romani pontificis, & aliorum prælatorum ecclesiæ non dependet ab imperatoribus siue ab aliqua alia terrena potestate. consequentia est clarissima, antecedens licet pateat ex multis historiis quæ notæ sunt, nihilominus probatur per illud quod Gelasius Papa in ca. duo quippe dist. 96. dicit, ubi ad imperatorem Anastasium scribens ita inquit. Duo quippe sunt imperator Auguste quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra pontificum & regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum quanto & pro ipsius regibus in ultimo reddituri sunt examine rationem. Et post pauca. Nosti itaque inter hæc & illorum te pendere iudicio non illos ad tuam redigi uoluntatem. talibus igitur institutis talibusque fulti auctoritatibus pluresque pontificum, alii reges, alii imperatores excommunicarunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Archadium imperatorem quia consensit, ut sanctus Chrysostomus a sua sede pelleretur, excommunicauit. Beatus Ambrosius licet sanctus, non tamen uniuersalis ecclesiæ episcopus pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo grauis uidebatur Theodosium magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit. Manifeste ergo patet stultitia præfati erroris in utraque sui parte.

Cap. XLVII. In quo respondetur ad obiectiones aduersariorum suprapositas.

IMPROBATO errore præfatorum hominum perditorum iam respondendum restat eorum obiectionibus. Ad primam quæ sumitur ex illo Math. 20. Scitis quia principes &c. respondetur, quòd auctoritas illa nihil facit pro aduersariis. Non enim bene ac recte intelligunt illam, sed deficiunt in duobus. Primo quidem in hoc, quia non est uerum ut prætendunt quòd in uerbis præfatis dominus omnem dominatum siue principatum interdixerit apostolis, nec per consequens simpliciter omnem iurisdictionem coactiuam, cum Christus legatur dixisse Petro. Super plebem meam principem

Ad primũ arg. c. 45.

cipem

cipem te constitui. & de apostolis dicatur psalm.44. Constitues eos principes super omnem terram, sed tantum dominatum, & iurisdictionem qua gentiles, & homines mundani utuntur in subditos suos in seruitutem eos redigendo, & eorum uita abutendo ad suas utilitates, & gloriam, sicut plenius explanauimus in superioribus, cap.duodecimo respondendo ad hanc obiectionem. Secundo deficiunt aduersarii in hoc, quia administratio illa ad quam ecclesiæ maiores deputantur non est ut ipsi prætendunt administratio qua seruus administrat domino suo, aut frater fratri suo, sed qua dominus, & præsidens intendit commoditatibus subditorum, qua medicus intendit saluti infirmantium, pater correctioni filiorum, pastor curę gregis, rector regimini populi, & gubernator nauis directioni. Huiusmodi autem administratio non excludit iurisdictionem coactiuam in ministris supra eos quibus administratur, ut præfati hæretici fatue imaginantur sed potius includit. Vnde patet quòd auctoritas illa catholice intellecta non facit pro aduersariis. Ad secundam respondetur negando minorem tanquam falsam: immo hæreticam cum de Christo dicatur Esa.33. Ipse dominus noster iudex noster legifer noster & rex noster, quæ absque iurisdictione coactiua non uidentur posse prædicari de Christo. Ceterum ipse Christus ait Math.ulti. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Præterea quomodo iurisdictionem coactiuam dedisset apostolis. Math. xviii. dicit. Quæcunque alligaueritis, &c. nisi ipse habuisset? Et ad probationem cum primo dicitur, quòd iurisdictio coactiua sine diuitiis exerceri non potest, respondetur quòd hoc sit falsum & stulte dictum, sicut manifestum est de iurisdictione coactiua spirituali quæ exercetur conuenientissimè a quolibet prælato quantumcunque diuitiis careat, quicquid sit de iurisdictione seculari coactiua quæ armorum potentia quandoque executioni mandatur. Ad id autem quod secundo dicitur quòd Christus uenit ministrare non ministrari, iam in prima responsione respondimus hoc insipienter esse dictum, quoniam huiusmodi ministratio Christi non euacuabat iurisdictionem coactiuam in Christo, sicut nec ut dictum est in apostolis, quoniam huiusmodi administratio erat sicut maioris & domini & magistri erga discipulos & seruos eius, secundum illud Ioan.13. Vos uocatis me magister & domine & bene dicitis, sum etenim. Et iterum. Quemadmodum bene feci & uos faciatis, non est seruus maior domino suo, nec apostolus maior est eo qui misit eum. Quod uero tertio inducitur quòd Christus iurisdictioně coactiuam nequaquam exercuit, falsum est. Quod patet ex multis. Primo in eo quòd Christus non modo consilia sed præcepta dedit tam circa sacramenta quàm circa conuersationem uitæ. Circa sacramenta inquit Ioan.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei. De sacramento eucharistię Ioan.6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguině, non habebitis uitam in uobis. De sacramento penitentiæ ait Math.4. Penitentiam agite appropinquabit regnum cœlorum. Circa conuersationem uitæ ait Ioan.15. Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem sicut dilexi uos, & similia. Præcipere autem non est nisi habentis iurisdictionem coactiuam, quoniam ut inquit Grego. & habetur in ca. quod præcipitur 14.quæstio.2. Quod præcipitur imperatur, quod imperatur necesse est fieri: si uero non fiat, pœnam habet: ubi consilium datur offerentis arbitrium est, ubi præceptum necessitas seruientis. Et Augustinus in ser-

Ad secundum

mone domini in monte. Quisquis præceptis non obtemperat reus est & debitor pœnæ. Tum secundo iurisdictionem coactiuam exercuit cum adiecit pœnas æternæ damnationis non obedientibus præceptis, & institutis suis, sicut patet superius, quod maximè spectat ad iurisdictionem coactiuam. Tum tertio etiam iurisdictionem coactiuam exercuit, cum Christus uendentes de templo, & ementes uiolenter eiecit, ut legitur Math. 21. & Ioan. 2. Super quo uerbo beatus Greg. 25. moral. ita loquitur, quod plurimum percutit stultum intellectum aduersariorum. Nec frustra per semetipsum Deus æs nummulariorum fudit, & cathedras uendentium columbas euertit, quia nimirum signans per magistros quidem iudicat uitam plebium sed per seipsum examinat magistrum.

Ad tertiũ

Ad tertiam obiectionem quæ sumitur ex auctoritate Origen. respondetur quòd Origen. non uult secludere iurisdictionem coactiuam a prælatis ecclesiæ, sed per hoc tantum uult quod etiam alii dicunt doctores sancti, ut August. Isidorus & Bernardus, quòd prælati spirituales debent uelle plus diligi quàm timeri. Hoc autem patet quoniam per solam mansuetudinem, & beneuolentiam sine correctione disciplinæ nulla respublica in hac mortali uita perfectè gubernari possit. Nam ut inquit Greg. in moral. & habetur in c. disciplina dist. 45. disciplina uel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed circa subditos inesse debet rectoribus, & iustè consulens misericordia, & piè seuiens disciplina, & multa ibi ad propositum.

Ad quartum

Ad quartam obiectionem patet responsio ex prima responsione. Dicimus enim quòd non sit uerum quod beatus Crysosto. secludat omnem iurisdictionem coactiuam a prælatis ecclesiæ, cum ipse dicat super Math. Ita se debet exhibere prælatus ut possit ridens timeri, & iratus amari. sed excludit quemadmodum Christus iurisdictionem illam coactiuam tyrannicam quo principes gentium utuntur in subditos quia ut superius diximus talis non decet prælatos ecclesiæ. Vnde differentia inter principes ecclesiasticos, & seculares non est penes habere & non habere iurisdictionem coactiuam ut falsè aduersarii somniantur, sed penes habere, & non habere iurisdictionem coactiuam tyrannicam, sicut supra explanauimus.

Ad quintum

Ad quintam quæ est beati Ambrosii in ca. conuenior. 23. quæst. 8. respondetur quàm bene intellecta conformiter ad alia dicta eiusdem doctoris parum facit ad propositum aduersariorum, quoniam licet potentia armorum, & in propria persona non congruat sacerdotibus resistere inuadentibus bona ecclesiastica, cum ecclesia corporalia nesciat arma, ut in capi. porro. 16. quæst. 3. dicit Ioan. Papa, non tamen propter hoc excluditur a sacerdotibus potentia siue iurisdictio coactiua spiritualis, cum ipse beatus Ambrosius legatur, ut supra induximus excommunicasse Theodosium magnum imperatorem, ut in cap. duo quippe distinct. 96. quod facere non potuisset si iurisdictionem coactiuam nullam habuisset.

Ad sextũ

Ad sextam quæ sumitur ex auctoritate beati Chrysostomi in libro dialogorum suorum, respondetur quòd non facit ad propositum aduersariorum, quoniam Chrysostomus loquitur de his qui foris sunt, id est qui nunquam fidem Christi perceperunt. talibus enim nõ est uis inferenda sed sunt cum charitate inuitandi ad fidem & morum correctionem: non autem loquitur de his qui iam fidem perceperunt, quoniam tales cogendi sunt retinere fidem, & religionem quam semel receperunt uotisque firmauerunt. Vnde in concilio quarto Toletano de Iudæis ita diffinitum legitur, ut habetur in cap. de Iudæis distinct. 45. De

Iudæis

Iudæis autem præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum uim inferre, cui enim uult Deus miseretur, & quem uult indurat. non enim tales inuiti saluandi sunt sed uolentes, ut integra sit forma iustitiæ, sicut enim homo propria arbitrii uoluntate serpenti obediens periit, sic uocante se gratia Dei propria mentis conuersione quisque credendo saluatur. ergo non ui sed libera arbitrii uoluntate, & facultate ut conuertantur suadendi sunt non potius impellendi: qui autem iam pridem fide semel imbuti sunt quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos, oportet ut fidem quam susceperunt tenere cogantur, hæc ibi. Illa est sententia apostoli primi Corinthios quinto. cum ait. Quid enim mihi est de his qui foris sunt, id est extra ecclesiam, iudicare. His enim ut dicit glo. potius blandiendum est. Nonne de his qui intus sunt uos iudicatis, ubi gloss. sic habet. Intus, id est in ecclesia professione, & nomine, in his enim putredo secanda est, hæc glo. Manifestum est autem quòd hoc sine iurisdictione fieri non potest. ergo apostolus præsupponit in ecclesia esse iurisdictionem coactiuam. Ad septimam quæ assumitur ex illo secundo Thimo. secundo. Nemo militans &c. respondetur negando maiorem in qua dicitur quòd ad habentem iurisdictionem coactiuam spectet implicari negociis secularibus. Et ad probationem cum dicitur, quia ad ipsum pertinet contentiones, & lites dirimere, respondetur quòd probatio ista nihil ualet, quoniam dirimere contentiones, & lites inter aliquos maximè ecclesiasticos, & de ecclesiasticis rebus non est implicari negociis secularibus. Et cum dicitur quòd contentiones & lites, & rixę inter negocia secularia computantur, extra ne cleri. uel mona. secu. nego. se immis. capi. 1. respondetur quòd in præfato capi. bene computantur inter negocia secularia amare contentiones uel lites, non autem lites dirimere: magna certe est differentia inter amare lites, & contentiones quod uitii carnalitatis est, & dirimere lites quod charitatis est ut de se patet. Ad octauam quæ accipitur de Bernardo respondetur, quòd nihil facit ad propositum, quoniam beatus Bernardus loquitur de terrenis, & secularibus causis atque tumultuosis litibus: istis enim apostoli non intendebant, non quia omni potestate iurisdictionis carerent, sed quia maioribus scilicet prædicationi, & orationi essent intenti. Præterea si huiusmodi secularibus iudiciis apostoli non intenderent, sed relinquerent huiusmodi curam hominibus inferioribus iuxta consilium Apostoli primi ad Corinthios sexto. Secularia iudicia si habueritis contemptibiles, id est sapientes minoris meriti qui sunt in ecclesia constituite ad iudicandum, non propter hoc sequitur quòd non fuerunt in aliis causis spiritualibus hominum iudices. Ad nonam obiectionem quæ sumitur ex dicto beati Gregorii respondetur quòd in nullo fauet proposito aduersariorum, quoniam licet Grego. dicat quòd qui spiritualibus donis dotati sunt non debeant negociis secularibus implicari, sed maximè superioribus intendere, non tamen propter hoc negat tales habere iurisdictionem coactiuam simpliciter. Quod clarissimè apparet si auctoritas beati Gregorii ex integro ponatur. ait enim sic, ut habetur in glo. 1. ad Corint. 6. Hi terrenas causas examinent qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt: qui autem spiritualibus bonis ditati sunt terrenis non debent negociis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere ualeant bonis superioribus deseruire. sed tamen magnopere cauendum est ut hi qui bonis spiritualibus emicant nequaquam

Ad septimum

Ad octauum

Ad nonū

proximorum infirmantium negocia funditus deserant, sed hæc aliis quibus dignum est tractanda committant uel per se gerant. Hæc ille. Ex quibus manifeste patet quòd aduersarii contra se habent Gregorium, & non pro se. Ad ultimam obiectionem quæ sumitur ex gloss. 1. Corinth. 6. respondetur quòd illa glo. in nullo fauet aduersariis sicut supra diximus de dicto beati Grego. licet enim dicat gloss. illa iuxta Apostolum quòd ad iudicium causarum secularium, & negociorum terrenorum non maiores qui maioribus & spiritualibus intendere debebant, sed alii inferioris meriti instituendi sunt, non tamen excludit a prælatis ecclesiæ iurisdictionem coactiuam quod est propositum aduersariorum ut patet manifeste. Ex quibus clarissimè confutatur error Marsilii de Padua damnatissimus dicentis quòd nec papa nec etiam tota ecclesia simul iuncta potest aliquem hominem punire punitione coactiua nisi concedat imperator.

Ad decimum

Cap. XLVIII. Quòd Romano pontifici ab omnibus Christi fidelibus parendum sit & obediendum.

EX his quæ de superioritate auctoritatis, & uniuersalitate apostolici principatus super uniuersam Christi ecclesiam exposuimus: manifestum habemus quòd Romanus pontifex cunctis de orbe terrarum fidelibus siue magnis siue paruis cuiuscunque gradus aut conditionis existant, iure diuino præcipere possit ac quòd uniuersitas fidelium eodem iure illi in omnibus licitis, & honestis ac iustis parendi habeat necessitatem. Sicut enim actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana uoluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus, ut superiora mouerent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis uirtutis collatę diuinitus. unde etiam oportet in rebus humanis quòd superiores moueant inferiores per suam uoluntatem ex ui auctoritatis diuinitus ordinatę. Mouere autem per rationem, & uoluntatem est præcipere, & ideo sicut ex ipso ordine naturali diuinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subdi motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis ex ordine iuris naturalis, & diuini tenentur inferiores suis superioribus obedire. Vnde apostolus ad Heb. ulti. inquit. Obedite præpositis uestris, & subiacete illis. Cum autem Romanus pontifex sit pater patrum, & præpositus & caput omnium fidelium, sequitur quòd ab omnibus qui Christiano nomine gloriantur cuiuscunque conditionis aut status existant, diuino iure obedientia ei debetur. Sicut enim in maioribus est regendi, & iubendi potestas, ita in minoribus obsequendi necessitas, ut in ca. cum inferius distinct. 21. Debetur autem hæc obedientia summo pontifici maximè in tribus in quibus consistit obedientia iuxta notata in cap. 1. distinct. 93. uidelicet in exhibitione reuerentiæ in mandatorum susceptione, & subiectione iudicii. Vnde beatus Cyrillus li. thesaurorum dicit, quòd Romano pontifici omnes iure diuino caput inclinant, & primates mundi tanquā ipsi domino Iesu Christo obediunt. Quocirca beatus Thom. in tractatu quem contra errores græcorum edidit dicit subesse Romano pontifici esse de necessitate salutis. Quod sequentibus auctoritatibus probat. Dicit enim Cyrillus lib. thesaurorum. Itaque fratres mei si Christum imitamur ut ipsius oues uocem audiamus manentes

in ecclesia Petri non inflemur uento superbiæ ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos deiiciat ut Euam olim de paradiso. Et Maximus in epistola orientalibus directa dicit. Coadunatam,& fundatam supra petram confessionis Petri dicimus uniuersalem ecclesiam secundú diffinitionem saluatoris in qua necessario salutis animarum nostrarum est manere & ei est obedire suam seruantes fidem,& confessionem. Hanc sententiam secutus papa Bonifacius in decretali sua, unam sanctam in fine dicit. Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus,& diffinimus esse de necessitate salutis. Diffinitio plane catholica utpote de diuina auctoritate ueniens, tantus nempe honor legitur de diuina dignitione summo pontifici esse concessus, ut quisquis ei non obtemperaret,statim necaretur.unde Deutero.17.ita loquitur dominus. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo decreto iudicis morietur homo ille & auferetur malú de Israel, cunctusque populus audiens timebit ut nullus deinceps intumescat superbia,ubi gl.ordinaria ita dicit.Christus qui est sacerdos secundum ordiné Melchisedech uicarios sibi instituit quibus ait.Qui uos audit me audit, & qui uos spernit me spernit.Iure ergo damnationis sustinet sententiam qui contemnit diuinitatis potentiam,hæc glo. Quantum autem detestandum sit ac damnandú non obedire Romano pon.ex illo colligitur 1.Reg.15.ubi dicitur.Quoniam quasi peccatú ariolandi est repugnare,& quasi scelus Idolatriæ nolle acquiescere,ubi gl.inquit.Sola obedientia est quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis esse conuincitur.Et beatus Greg.in ca.si qui distinct.81.ad idem sic ait.Peccatum paganitatis incurrit quisquis dum Christianú se esse asserit sedi apostolicæ obedire contemnit. Quocirca dicitur in c.obedientiá dist.93.Obedientiam inferiores ex ordine superioribus debét,summo enim pontifici ea debetur ab omnibus obedientia ut nulli liceat ei communicare cui pro actibus suis ipse inimicus extiterit, nec in ecclesia esse pôt qui eius cathedrá deserit,hæc ibi. Ex quibus excluditur ut inquit sanctus Tho.in 4. lib.contra gentiles,error quorundam scilicet græcorú præsumptuosus qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri,successorem eius Romanum pontificem uniuersalis ecclesiæ pastorem non recognoscentes. Ex quibus etiam confunditur stultitia quorundam aduersariorum Basiliensium,qui uerbo opere & factis practicare non sunt ueriti, quòd prælati, & clerici in synodo congregati non tenerentur Romano pontifici parere aut obedire.Mira certe iudicio nostro & a seculis inaudita fantasia quòd oues eo quòd in unum locum cóuenerint desinant subiectæ esse pastori, & pastor ipse & nomen pascendi,& regendi perdiderit auctoritatem, & ꝙ Romanus pontifex congregatis in synodo prælatis subditis suis ipse minus habeat in eo auctoritatis. Quis audiuit unquam tale, quòd dum filii siue subditi aut discipuli simul conueniunt,pater prælatus atque magister omnium paternitatis prælationis,& magisterii perdiderit dignitatem,filius, subditus,atque discipulus filiorum subditorum aut discipulorum omnium factus. Ceterum confutatur tertio fallitas imaginationis qui imaginatur licitum esse suspendere aut subtrahere obedientiá quandoque a uero, & indubitato Romano pont.qui uidentur esse similes illis,de quibus saluator inquit Mat.15. Cæci sunt,& duces cæcorum. Plane huiusmodi suspensio obedientiæ nullo modo uidetur esse licita. Tum primo quoniam aperte est contra naturalem

& diuinam legem, ut ostendimus in c. superiori, in qua per hominem dispensatio fieri non potest. Præcipit autem legislator Christus Iesus Math. 23. de sedentibus super cathedram etiam malis. Omnia quæcunque dixerint uobis, facite. Item ad Heb. ulti. dicit apostolus. Obedite præpositis uestris, & subiacete illis. Secundo talis obedientiæ subtractio est illicita, cum uideatur esse sacrilega. Est enim diuinæ maiestatis offensiua siue lesiua, cum enim saluator rex regum dicat de uicariis suis. Qui uos audit me audit, & qui uos spernit me spernit. Luc. 10. Profecto qui obedientiam subtrahit a uero & indubitato uicario Christi lesor uidetur maiestatis diuinæ. Tertio talis suspensio, & subtractio est illicita cum sit contra iustitiam, cuius est reddere unicuique quod suum est. Debent autem inferiores obedientiam suis superioribus ut est manifestum, & habetur in principio distinct. 93. ubi dicit. Obedientiam autem inferiores ex ordine superioribus debent. Quarto est illicita cum sapiat scisma, separant enim se tales ab apostolica sede siue a Romano pontifice, a quo quisque diuisus ab ecclesia est separatus iuxta beatum Cyprianum in ca. scire debes 7. quæst. 1. & iuxta beatum Hierony. in ca. hæc est fides 24. quæst. 1. & iuxta papam Pelagium in cap. scisma. 24. q. prima. Quinto talis subtractio uel suspensio est illicita, cum sit scandalosa, & mali exempli ceteris fidelibus. De cuius grauitate peccati ait dominus. Math. 18. Qui scandalizauerit unum de pusillis istis minimis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Sexto est illicita talis obedientiæ subtractio, quoniam est damnosa, & periculosa. Incurrunt enim tales subtrahentes obedientiam pœnas non solum spiritualem maledictionem quam non obedientes patribus eorum, & subtrahentes illis honorem, & reuerentiam debitam incidunt, sed etiam pœnas, & censuras iuris quæ per sacros canones a sanctis patribus huiusmodi obedientiam subtrahentibus siue suspendentibus inferuntur. De quibus in cap. non uos 23. quæst. quinta, & est canon Calcedonen. concilii, qui a communione seipsum suspendit, & collectam facit, & altare constituit, & noluit uocanti episcopo consentire, & noluit eidem acquiescere atque obedire habet omnino damnari, nec unquam uel communione mereri nec recipere eum posse honorem, hæc ibi. Item in cap. si inimicus in ca. miratus in ca. qui cathedram, distinct. 94. Item in ca. nulli fas distinct. 19. ubi multa de huiusmodi. Vnde uidetur quod sicut solum propter hæresim papa accusari posset, ita propter solam hæresim aut fautoriam aut partitionem prohibitam possit ab eo obedientia subtrahi, ut est casus in ca. Anastasius, distinct. 19. & confirmatur per cap. sacerdotes secunda quæst. 8. in quo Clemens ita dicit. Sacerdotes, & reliqui ecclesiæ ministri omnesque plebes episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire etiam si episcopi aliter (quod absit) agant nisi in fide catholica errauerint, hæc ibi.

Cap. XLIX. In quo ponuntur obiectiones contra prædicta de obedientia debita Romano pontifici, & respondetur eisdem.

ADVERSARII obiiciunt contra hoc quod dictum est quòd ab omnibus Christi fidelibus cuiuscunque status aut conditionis existant

existant obediendum sit Romano pontifici. Primo sic. Quilibet qui tenetur alteri obedire debet necessario habere uoluntatem præcipientis tanquã regulam suæ actionis. Sed sola Dei uoluntas quæ semper est recta, est regula humanæ actionis. Ergo nullus tenetur obedire nisi Deo. Secundo. Papa potest errare,& deficere, iuxta ca. si papa distinct. 40. Ergo non uidetur quòd ei sit ab omnibus obediendum, sed solum ei qui errare,& deficere non posset. Tertio sic. Sicut lex uetus fuit figura nouæ legis, ita sacerdotium uetus figura sacerdotii euangelici, sed sacerdotium uetus erat subiectum regiæ dignitati, ita quòd sacerdotes erant subiecti regibus, non autem econuerso. In cuius signum dicitur. Exod 19. sacerdotibus, quòd sunt regnum sacerdotale, ubi datur intelligi quòd potestas regalis erat principalior, & sacerdotalis minor. Ergo uidetur quòd summo pontifici qui summus sacerdos dicitur non teneantur obedire reges Christiani. Quarto sic. Videtur quòd sit magis obediendum prælatis inferioribus quàm papæ. Probatur sic. Potestas immediata magis influit quàm mediata. Sed potestas inferior magis est immediata quàm superior. ergo uidetur quòd magis obediendum sit potestati inferiori quàm superiori, & ita plus episcopo aut abbati quàm papæ. Sed istis non obstantibus dicendum est sicut dictum est in præcedenti ca. quòd omnes Christiani cuiuscunque conditionis aut status existant, tenentur obedire summo pontifici & in his in quibus obedire tenentur prius & magis quàm cuicunque alteri humanę potestati quod ex superioribus notum est, & ex responsionibus ad obiecta dandis luculentius fiet. Ad rationes ergo in oppositum est respondendum. Ad primam respondetur negando minorem, uidelicet quòd sola diuina uoluntas sit regula humanæ actionis, dicimus enim quòd diuina uoluntas est bene prima regula qua regulantur omnes rationales uoluntates. sunt tamen aliæ regulæ secundariæ secundum quòd sunt causæ secundariæ mouentes inferiora, & hoc modo uoluntas unius hominis præcipientis potest esse quasi secunda regula uoluntatis alterius obedientis. Vnde ad Heb. ulti. dicit apostolus. Obedite præpositis uestris, & subiacete illis, quia dominus dicit de illis, qui uos audit me audit. Sicut autem inter secundas causas mouentes est gradus, ita inter istas regulas secundarias inquantum una magis primæ appropinquat quàm alia secundum ordinem diuinitus institutum, cuiusmodi est uoluntas summi pontificis qui est uicarius principalis, & rector omnium fidelium. unde ei sicut supremę regulæ post diuinam parendum est ab omnibus. Ad secundam respondetur negando consequentiam, quoniam licet ex hoc quòd papa possit aliquando errare, & præcipere non facienda, bene sequatur quòd ei in omnibus simpliciter obediendum non sit. non tamen ex hoc arguitur aut sequitur quòd cum bene præcipit, non sit ei ab omnibus obediendum. Verum ad sciendum in quibus obediendum sit & in quibus non, quia ut dicit August. & habetur in cap. non semper undecima quæst. tertia non semper malum est non obedire prælato, est notandum iuxta sanctum Thom. in secunda secundæ quæstionis 104. ar. 5. quòd dupliciter potest contingere, quòd subditus suo superiori obedire non teneatur. Vno modo propter præceptum maioris potestatis. Vnde August & habetur in c. qui resistit undecima quæst. tertia, & in glo. ad Rom. 13. dicit sic ad propositum. Qui resistit potestati Dei ordinationi resistit. Sed quid si ille iubeat quod non debet facere, hic sane contemne potestatem ipsos humanarum legum gradus

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Quartum

Ad primũ

Ad secundum

aduertere si aliquid iusserit curator: si tamen contra proconsul iubeat non utique contemnis potestatem sed eligis maiori seruire. nec hinc debet minor irasci si maior prælatus est. Rursus si aliquid proconsul iubeat & aliud imperator nunquam dubitatur illo contempto illi esse seruiendum. Ergo si aliud imperator aliud Deus iubeat quid iudicatis maior potestas Deus contempto illo obtemperandum est Deo. Idem habetur in ca. si Deus iubet, & in ca. Iulianus. Et hoc est quod habetur Act. 5. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. ubi ergo papa iuberet aliquid contrarium sacræ scripturę siue articulis fidei aut ueritati sanctorum aut mandatis iuris naturalis siue diuini, ei obediendum non esset sed talia præcipiens despiciendus est. unde Isido. & habetur in ca. si quis undecima quæst. tertia. Si quis prohibeat nobis quod a domino præceptum est, uel rursum imperat fieri quod dominus fieri prohibet execrabilis sit omnibus qui diligunt Deum. Et iterum idem in sequenti ca. is qui præest. Si præter uoluntatem Dei uel præter quod in sacris scripturis euidenter præcipitur uel dicit uęl aliquid uobis imperat tanquã falsus testis aut sacrilegus habeatur, hæc ille. Alio modo quis non tenetur suo superiori obedire si aliquid ei præcipiat in quo ei non subdatur. Dicit enim Seneca in 3. lib. de beneficiis. Errat si quis existimat seruitutem in totũ hominem descendere. pars eius melior excepta est, corpora obnoxia sunt & ascripta sunt dominis, mens quidem est sui iuris. & ideo quæ pertinent ad interiorem motum uoluntatis homo non tenetur homini obedire, sed Deo solum. Tenetur autem homo homini obedire in his quæ exterius per corpus sunt agenda, in quibusdam tamen secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo: quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem. unde non tenentur serui dominis nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo uel uirginitate seruanda aut aliquo alio huiusmodi: sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis, sicut miles duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum, seruus domino in his quæ pertinent ad seruilia opera exequenda, filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam uitæ & curam domesticam. omnes uero Christiani papæ in his quæ ad religionem Christianam, & ad cathedram pertinent consona iuri diuino & naturali. Ad tertiam rationem respondetur, quòd non est simile de sacerdotio ueteris legis & nouæ. Cuius ratio est tam secundum san. Tho. in lib. quem fecit de rege, & regno ad regem Cypri. 15. c. quàm secundum Bonauenturam in 4. c. in fine dist. 24. quæ differentia est inter nouum, & uetus testamentum, & inter comparationem sacerdotis & regni. Quia enim uetus testamentum erat adhuc carnalium & carnaliter uiuentium, ideo potestas secularis erat principalior & sacerdotalis potestas erat minor. Et ideo signanter dicebatur in ueteri lege, regnum sacerdotale, quia sacerdotium pendebat ex regno. Sed econtra in noua dicitur 1. Petri 2. Regale sacerdotium, quia principalius est nunc sacerdotium quàm regnum, & potestas spiritualis quàm temporalis siue carnalis. sic enim competebat statui gratiæ. Hæc dominus Bonauentura. Ad quartam rationem respondetur quòd sanctus Tho. & dominus Bonauentura notant in fine secundi sententiarum, quòd potestas superior & inferior dupliciter se possunt habere. Aut ita quod inferior potestas ex toto oriatur

Ad tertiũ

Ad quartum

a su-

a superiori,& tunc cum uirtus tota inferioris fundetur in uirtute superioris simpliciter in omnibus est magis obediendum superiori quam inferiori. sicut etiam in naturalibus, causa prima plus influit super causatum causæ secundæ quàm etiam ipsa causa secunda, ut in l. de causis dicitur, & sic se habet potestas Dei ad omnem creatam potestatem, sic etiam se habet potestas imperatoris ad potestatem proconsulis, sic etiam se habet potestas papæ ad omnem spiritualem potestatem in ecclesia, quia ab ipso papa gradus dignitatum diuersi in ecclesia, & disponuntur, & ordinãtur. unde eius potestas est quoddam ecclesiæ fundamentum ut patet Math. 16. & ideo in omnibus magis tenemur obedire papæ quàm episcopis uel archiepiscopis uel etiam monachis abbati absque ulla distinctione. Potest iterum potestas superior, & inferior ita se habere quòd ambę oriantur ex una quadam suprema potestate, quæ unam alteri subdit secundum quòd uult, & tunc una non est superior altera nisi in illis in quibus una supponitur alteri a suprema potestate, & in illis est tantum magis obediendum superiori quàm inferiori. Et hoc modo se habent potestas episcopi, & archiepiscopi descendentes a papæ potestate. Et ita patet responsio ad rationem quòd etiam dicebatur quòd potestas inferior esset magis immediata, falsum est, immo potestas papæ cum sit causa potestatis inferioris cum ab ea emanet, & descendat magis est immediata quàm inferiori, ut patet ex dictis. Vnde ut sanctus Thomas dicit in tractatu contra impugnantes religionem, papa habet immediatam iurisdictionem in omnes Christianos quia Romana ecclesia nullis synodicis constitutionibus ceteris prælata est ecclesiis, sed euangelica uoce domini, & saluatoris sui primatum obtinuit, ut habetur in decretis dist. 22. cap. quamuis colligitur etiam in c. per principalem 9. q. ultima.

Cap. L. De errore dicentium quòd non sit obediendum statutis papalibus.

SATIS facile intelligere ex iam dictis est quàm longe a ueritate, & a statu salutis oberrent, qui dicunt non esse obediendum statutis papalibus. Contra quod præter ea quæ in superioribus dicta sunt est Leo papa, qui ita in ca. hoc distinct. 11. ait. Hoc uestræ indicimus charitati ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia multum post hoc esse non poterit si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. Item est beatus Grego. in cap. præceptis, distinct. 12. ita dicens. Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur, sed quia obedientiam quæ a sancta Romana ecclesia, & apostolica auctoritate iussa sunt salubriter impleantur, si eiusdem sanctæ Dei ecclesiæ quæ est caput nostrum communionem habere desideratis. Item Pius Papa omnibus ecclesiis scribens sic inquit. Instruimus uos apostolica auctoritate omnes eadem seruare debere quæ & nos seruamus, nec debetis a capite quoquo modo dissidere. Christus enim hanc apostolicam sedem omnium ecclesiarum caput esse præcipit, ipso dicente principi apostolorum Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam &c. hæc ille. Item ad idem est beatus Calixtus papa, qui omnibus episcopis scribens ita ait in ca. non decet distin. duodecima. Non decet a capite membra dissidere, sed

iuxta sacræ scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli enim dubium est quòd apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, a cuius regulis nullatenus conuenit deuiare, hæc ille. Item in cap.si quis dogmata 22.quæst.2. Nicolaus papa uniuersali synodo præsidens ita ait. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones uel decreta pro catholica fide & ecclesiastica disciplina pro correctione imminentium uel futurorum malorum a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit. Præterea dicere quòd fideles non teneantur apostolicæ sedis mandatis siue constitutis obedire, sit erroneum siue hæreticum patet, quia hoc ipso negant Romanum pontificem esse caput ac rectorem siue pastorem ecclesiæ, quod ut in superioribus monstratum est euangelio contradicit, & per consequens hæreticum. Vnde sanctus Thom. in probatione huius in tractatu contra impugnantes religionem ait sic. Dicitur in decretis, dist.22.in c.omnes. Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur. Et infra. Fidem quidem uiolat qui aduersus illam agit quæ est mater fidei. Hoc autem priuilegium Christus Romanæ ecclesiæ contulit, ut omnes illi sicut Christo obediant. Vnde Cyrillus lib.thesaurorum. Vt membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum pontificum, a quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum uenerantes, ipsum rogantes pro omnibus, quoniam ipsius solum est reprehendere corrigere statuere disponere soluere & loco eius ligare qui ipsum ædificauit, & nulli alii quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit cui omnes iure diuino caput inclinant & primates mundi tanquam ipsi domino Iesu Christo obediunt. Vnde patet quòd quicunque dicit non esse obediendum in his quæ per papam instituuntur in hæresim labitur. Hæc sanctus Thom. Ex his manifeste patet quàm rationabiliter in concilio Constantiensi damnatus fuit error ille Ioan.hus dicentis, quòd obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum ecclesiæ præter expressam auctoritatem scripturæ.

Cap. LI. De rationibus propter quas successores Petri Romani pontificis magis per electionem quàm per carnis successionem aut institutionem prædecessoris ad pontificatum assumuntur.

QVAM conuenientissimum fuerit ut hi qui beato Petro in pontificatu in ecclesia successuri erant per electionem, & non per carnis successionem aut institutionem prædecessoris assumerentur ex multiplici capite colligere possumus. Primo hoc conuenientissimum fuit, quoniam sicut ait Apostolus ad Heb.8. translato sacerdotio necesse est, ut etiam legis translatio fiat, ita necesse fuit ut etiam forma determinationis personæ in summo sacerdotii pontificatu transmutaretur. In sacerdotio autem legali determinato personæ assumendæ ad pontificatum fiebat per successionem originis siue carnis, quoniam soli de stirpe Aaron descendentes succedebant Aaron in pontificatu, sicut habetur Exod.xxviii.

Decuit

Decuit ergo ut huiusmodi forma translato sacerdotio transferretur in aliam, ut iam non per carnis originem, sed per electionem assumptio fieret personæ ad pontificatum. Hinc est quòd dominus & Saluator noster Iesus Christus sacerdos & pontifex summus non ex leui cui debebatur sacerdotium, sed ex Iuda cui de sacerdotio nihil pertinebat carnem assumpsit. Et hoc est quod Paulus apostolus ad Hebr. 7. designat di. In quo enim hæc dicuntur scilicet Christo Iesu de alia tribu est de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quòd de Iuda ortus sit dominus noster in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Secundo conuenientissime fuit scilicet propter spiritualitatem euangelici sacerdotii, cuius sane principatus qui summus est non carni, sed uitæ merito debetur. Hanc rationem uidetur tangere beatus Hieronym. in cap. Moyses 8. q. 1. Moyses amicus Dei cui facie ad faciem locutus est dominus potuit utique successores principatus filios suos facere & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus ex alia tribu eligitur Iesus scilicet Iosue, ut sciremus principatum in populum non deferendum esse sanguini sed uitæ. Tertio huiusmodi conuenientia colligitur ex uniuersalitate euangelici sacerdotii. In hoc enim cum nulla sit differentia tribuum aut nationum, sed ut dicit Apostolus ad Galat. 3. Quicunque baptizati estis Christum induistis, non est iudæus nec græcus, non est seruus nec liber. Et ad Colo. 3. Vbi non Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium: Barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus. Si autẽ per successionem carnis assumeretur pontifex nunquam posset indifferenter assumi de omni natione aliquis ad pontificatum sacerdotalem euangelicum, sed de una natione aut tribu quod uniuersalitati euangelici sacerdotii minime conueniret. Quarto conuenientia huius colligitur ex qualitate uitæ & sanctimoniæ quæ requiruntur in assumendo ad summum pontificatum. Oportet enim principem esse optimum & perfectum uirtute, ut dicitur 2. ethic. & ut Hierony. habet super Leuit. & habetur in ca. licet 8. q. 1. quòd qui præstantior est ex omni populo qui doctior, qui sanctior qui in omni uirtute eminentior eligendus est. Per illam ergo uiam melius est assumi uniuersalis ecclesiæ principem per quam conuenit meliorem inueniri. Sed huiusmodi uia est electio quæ sequitur rationis maturam deliberationem: cum sit conclusio concilii, ut dicitur 3. ethic. Ergo melius est assumi principem & rectorem in ecclesia per electionem quàm per originis successionem. Quinto sic, quoniam periculosum ualde est rem maximã fortunæ committere igitur principatum & potissime ecclesiasticum cum maximus sit, committere fortunæ periculosum esse nemo ambigit. Sed hoc contingere uidetur cum princeps assumitur per successionem generis: cum non sit necessarium quòd bono bonus succedat: immo quandoq; stultos sapientibus & sceleratissimos uirtuosis succedere uideamus. Sexto conuenientia ista colligitur ex utilitate Christiani populi cui præficitur cuius sanitas multum pendet ex bonitate capitis & rectoris iuxta c. si papa dist. 40. Sed certius prouidetur populo de utili pastore & accommodo per uiam electionis quàm successionis carnis, ut manifestum est. Ergo conuenienter per electionem prouidetur de Romano pontifice. Septimo hoc arguitur conuenientissimum: quoniam rationi naturali consonum uidetur, quia nullus uidetur iuste præesse alicui multitudini nisi de eius consensu aut

super ioris ordinatione, aut prouisione. De primo dicit Leo papa. Nulla ratio sinit, ut illi inter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi a plebibus expetiti distinct. 23. in nomine domini. De secundo patet, quia ex quo aliquis ordinariè præsidet alicui multitudini iure suo potest ponere super eam quem uult in adiutorium sui & uice in loco sui quamdiu præest. Christus autem ecclesiæ suæ, immediate non prouidit nisi de Petro. unde per consequens quia non prouidit de persona nominatim successori Petri ecclesiæ electionem dimisit: prout uidetur haberi in capit. electionem distinct. 79. ubi sic Anacletus papa inquit. Electionem uero summorum pontificum, uel sacerdotum sibi dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus & spiritualibus populis concessisset. Vnde de iure naturali & quasi diuino uidetur esse quòd papa non faciat sibi successorem, nec post mortem nec post resignationem quando nō præest, licet quandiu uiuit papa possit loco sui ponere legatos, & Vicarios ubi uult & sicut uult. Sic ergo patet quòd tam iuri diuino quàm naturali consonum esse uidetur quòd ex electione uniuersalis ecclesiæ, uel illorum ad quorum de consensu uniuersalis ecclesiæ translatum est ius eligendi: sicut hodie sunt Cardinales ut in c. in nomine domini distinct. 23. & 79. ca. 1. fiat papa siue assumatur summus pontifex. Quia uero contingere posset discordia inter Cardinales, ideo ut non omnes simul concurrerent ad aliquem unum eligendum, ordinatum est in concilio uniuersalis ecclesiæ, ubi præfuit Alexander tertius, quòd a duabus partibus concorditer electus haberetur pro Romano pontifice, ut in c. licet, de elect. Ex quibus manifeste apparet stultitia erroris Ioan. Vicleff dicentis, quòd electio papæ a Cardinalibus per diabolum sit introducta. Ceterum quòd nec conueniat assumi aliquem ad pontificatum per institutionem prædecessoris potest colligi ex aliquibus. Primo ex fallibilitate humani iudicii. periculosum enim ualde est, ut ex unius hominis iudicio qui errare potest & falli & fallere, summi pontificis institutio penderet. Christus autem qui Deus & homo est cum in suo iudicio falli non possit nec fallere: bene congruit ut ipse nō concurrente aliorum iudicio pontificem in ecclesia per seipsum instituearet atque ordinaret: quemadmodum beatum Petrum fecit. Quia uero alii homines falli & fallere possunt nisi a Deo spiritusancto sint confirmati, ut errare non permittantur, ad omnem errorem euitandum conueniens fuit ut post Petri mortem quicunque promouendus esset in ecclesiæ pastorem, aut principem plurimorum discretorum maturo iudicio concurrente per electionem assumeretur. Nec obuiat huic quòd beatus Petrus successorem legatur instituisse s. Clementem ut in cap. Petrus 8. quæst. 1. habetur. Tum quia Petrus ita plenus erat spiritusancto, ut in iudicio de aptitudine beati Clementis ad pontificatum inter omnes alios non falleretur. Tum secundo, quia cum ut ait historia, & habetur in cap. præfato Petrus in auribus totius ecclesiæ Clementem instituerit, & ita omnium consensu interueniente uidetur quòd ipsa Clementis institutio fuerit etiam per modum electionis. nam ad consensum cleri & populi consueuit antiquitus fieri electio distinct. 63. cap. quanto, & cap. plures. Verum quia non omnes successores Petri futuri erant tales qualis Petrus fuit, forma ista prouidendi de successore poterat esse futuris exemplo perniciosa, sancti patres ordinarunt ut nulli liceret successorem sibi constituere. Hinc beatus Clemens

mens intelligens hoc posteris futurum fore perniciosum exemplo, quòd aliquis successorem eligeret, renunciasse dicitur papatui & electus fuit Linus, ut habetur in glo.c.si Petrus 8.quæst.1.in.6.his omnibus, ubi ut dicitur illud beati Petri apostoli ab illis ualeat in argumentum sumi, qui talem sibi substituerunt qualem sibi successorem beatus Petrus quæsiuit, uerum quia officium non uitæ, sed sanguini cœpit deferri ad episcopum tales quisque successores quærere cœpit, qui uel odiosi populis uel a plebe docendi inuenirentur. Idcirco in sacris canonibus constitutum est ne quisquam sui officii quærat sibi successorem, sed populi electione quæratur qui eorum utilitati digne deseruiat, qui illorum utilitatem non sua lucra quærat, qui Christo uellet semen suscitare non sibi diuitias congregare, quod qui facere contempserit ab ecclesia repudiatur. hæc ibi. Tertio conueniens fuit, ut per electionis uiam assumeretur Petri successor ad pontificatum propter populi testimonium, quod in pastore eligendo conuenientissimè præexigitur apostolo Paulo dicente 1. Thymot.3. Oportet pastorem testimonium bonum habere ab his qui foris sunt. Super quo uerbo dicit August. Non solum oportet pastorem habere testimonium a domesticis, uerumetiam ab alienis iudæis gentilibus, & hæreticis, ut qui detrahunt religioni salutem uitæ eius detrahere non audeant. Hoc autem cum melius inquiratur, & inueniatur hominum electione quàm alia uia: uidelicet aut successione carnis, aut institutione prædecessoris, consequens est ut conuenientissimè Petri successores assumantur per uiam electionis, quàm aut successionis carnis, aut institutionis prædecessoris.

Cap. LII. Quòd Romanus pontifex habeat plenitudinem potestatis in ecclesia Dei, & explicantur 15 in quibus maxime illa ostenditur.

CETERVM considerata bene principatus amplitudine ad quem Romanus pontifex assumptus est, & multitudine ac uarietate rerum in quibus per eum uniuersitati fidelium prouidere occurrit, necesse habemus confiteri quòd Romanus ponti. cui uniuersalis ecclesiæ cura commissa est in plenitudinem potestatis sit a Christo euocatus. In omni enim communitate bene recta oportet apud supremum residere plenam potestatem se extendentem ad omnia necessaria, & euidenter expedientia bono reipublicæ illius communitatis. cum ergo papa sit supremus in communitate totius Christianitatis, utpote caput & rector omnium fidelium, sequitur quòd apud illum plenitudo resideat potestatis extendens se ad omnia necessaria, & expedientia saluti reipublicæ Christianæ. Quod etiam sanctorum patrum testimoniis clarissime ostenditur. Dicit enim beatus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in libr. thesaurorum. Sicut Christus accepit a patre dux sceptrum ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem & super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curuentur, sic & Petro & eius successoribus plenissime commisit. Item beatus Chrysogon. ad consulta uulgatorum in persona Christi loquens ita ait. Ter interrogo an me diligis, quia ter me trepidus, & timidus negasti. nunc autem reductus ne credant te fratres gratiam, & clauium auctoritatem amisisse quia amas

me coram ipsis iam tibi confirmo quod meum est plenum. Item Innocent. tertius in concilio generali præsidens, ut in capi. cum ex eo. extra de pœni. & remiss. dicit. Cum Romanus pont. qui plenitudinem obtinet potestatis, &c. Vbi considerandum quòd plenitudo ista potestatis quam in Romano pon. esse dicimus non est ita simpliciter intelligenda sicut est illa supremæ auctoritatis, quæ Deo omnipotenti attribuitur, apud quem non est impossibile omne uerbum Lucæ 1. ut patet, nec est illa plenitudo potestatis excellentiæ quam prædicamus in Christo, ut etiam patet. Pro quo notandũ, ꝙ ut inquit sanctus Thom.4.sent.dist.15.q.3.arg.1. ꝙ ministri ecclesiæ instituũtur in ecclesia diuinitus fundata. & ideo institutio ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis ad opus naturæ. Quæ institutio ecclesiæ consistit in fide & sacramentis, & ideo ad ministros ecclesiæ consistit in fide & sacramentis, & ideo ad ministros ecclesiæ nec nouos articulos fidei edere, nec editos remouere, nec noua sacramenta instituere nec instituta remouere pertinet, sed hæc est potestatis excellentia quæ soli debetur Christo qui est ecclesiæ fundamentum. Et ideo sicut papa non potest dispensare, ut aliquis sine baptismo saluetur, ita nec quòd saluetur sine confessione secundum quòd obligat ex ui sacramenti. Hæc sanctus Thom. Sed plenitudo potestatis quæ ponitur in papa est plenitudo potestatis ministerialis, quanta scilicet necessaria est ad regimen uniuersalis ecclesiæ ad salutem fidelium procurandam, sicut dicimus quòd plenitudo scientiæ, siue omnis notitia ueritatis est a Christo ecclesiæ promissa Ioan. 16. ubi dicitur. Cum uenerit spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem, quod non est accipiendum ita uniuersaliter, quòd quicquid sciri posset ab homine reuelandum foret apostolis, sed omne illud quod nobis ad salutem erat necessarium. unde glo. super uerbo. Omnem ueritatem dicit, saluti necessariam. Amplius considerandum est ꝙ plenitudo potestatis in Romano pont. ostenditur in multis, de quibus inducemus 15. tantum ad præsens. Primo quidem ostenditur plenitudo potestatis Romani pon. ex his ex quibus excellentia papalis dignitatis, siue principatus nobis figuraliter describitur. Beatus autem Bernard. describens nobis excellentiam dignitatis papalis lib. 2. de consideratione ad Eugenium ita inquit. Tu quis es tu sacerdos magnus, pontifex summus, princeps episcoporum, hæres apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. hæc ille. Ex qua admiranda descriptione luce clarius patet Romanum pontificem in plenitudinem potestatis, de qua diximus esse uocatum.
Secundo ostenditur plenitudo potestatis in Romano pontifice in extensione principatus sui. extenditur enim in totum orbem terrarum, nullus enim fidelis in toto orbe Christiano eximitur ab eius principatu. Quod manifeste ex superioribus patet: maxime ex illo Ioan. ultimo. Symon Ioannis pasce oues meas, inter oues illas & istas non distinguens, sed uniuersas oues illi commendans, ut exponit Chrysog. de qua principatus uniuersalitate beatus Chrysog. super Act. apostolorum ita inquit. Petrus a filio super omne quod est filii potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in uniuerso orbe. Tertio plenitudo potestatis in Romano pontifice ostenditur in potestate clauium in foro conscientiæ. Extenditur enim

pote-

potestas clauium in eo ad omnia loca ad omnes personas ad omnes casus. unde glo: super illud Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c. dicit. Quia Christum Petrus præ ceteris maiori deuotione confessus est merito præ ceteris ipse collatis clauibus donatus est. Sequitur infra in gloss. Quodcunque ligaueris super terram id est quemcunque indignum remissione iudicaueris dum uiuit indignus apud Deum iudicabitur, & quodcunque solueris id est quemcunque soluendum iudicaueris dum uiuit remissionem peccatorum consequetur a Deo. hæc gloss. quæ dicitur Rabani siue Bedæ. Quarto plenitudo potestatis ostenditur in clauibus iudiciariæ potestatis in foro exteriori. ualet enim de omnibus personis orbis Christiani cuiuscunque status aut conditionis existentem iudicare. est enim iudex totius ecclesiæ. Vnde in cap. episcopo 9.q.3. dicitur. Ecclesia Romana sua auctoritate ualet iudicare de omnibus. Item Pelagius in cap. cuncta inquit. Apostolica sedes de omni ecclesia habet phas iudicandi, & per consequens mala quibus homines a Deo auertuntur correctionis disciplina de medio tollere, & eradicare. Vnde in figuram Romani pontificis uidetur esse dictum illud Hieron. 1. ut testatur Innocentius tertius in cap. Solite, extra de ma. & obed. qui cum fuerit de sacerdotibus Anatoch, & interpretatur excelsus domini, significat summum pontificem qui in ecclesia Dei est celsior ceteris, ut puta generalis Vicarius Christi. Ecce constitui te super gentes & regna ut euellas glo. scilicet mala, & destruas & disperdas glo. interli. regna diaboli, ædifices gloss. s. ecclesiam & plantes s. bona. Cum enim Romanus pontifex caput totius Christianæ communitatis & princeps existat, eius non tantum est promouere ea & ordinare quæ ad bonum reipublicę & consecutionem supernæ beatitudinis quæ finis ultimus Christianorum est conferunt: sed ea tollere & submouere prohibendo & corrigendo quæ ad motionem ad talem finem fideles impediunt. unde Alexander tertius in cap. Cum plantare. extra de priuil. ita inquit. Cum plantare sacram religionem & plantatam fouere modis omnibus debeamus: nunquam hoc melius exequimur quam si nutrire ea quæ sunt recta & corrigere quæ perfectum uirtutis impediunt, commissa nobis auctoritate curamus. hæc ille. Quocirca Innocentius tertius in cap. Nouit. extra de iudicis dicit. Nullus qui sit sanę mentis ignorat: quoniam ad officium nostrum expectet de quocunq; mortali crimine corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit per districtionem ecclesiasticam coercere. hæc ille. Quinto plenitudo potestatis Romani pontificis ostenditur in depositione episcoporum. unde beatus Bernar. in epistola quadam ad Eugenium papam pro episcopo eboracensi intruso dicit. Peremptoriam sententiam dare ad depositionem episcoporum solius Romani pontificis noscitur esse. Pro eo nimirum quia etsi alii uocati sunt in partem solicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis. De hoc etiam idem Bernard. in lib. de consideratione inquit quod supra diximus in ca. 17. Sexto plenitudo potestatis Romani pontificis ostenditur in hoc quòd eius potestas a nulla potestate humana exceditur uel superatur, sed ipsa omnem aliam excedit & superat. De ecclesiastica potestate patet: quoniam ut ait Iulius papa in ca. Nolite errare distin. 11. In sede Petri dominus totius ecclesiæ principatum posuit. De potestate terrena siue seculari patet etiam & diffuse ex dictis in primo lib. cap. 92.

Ait enim ad propositum Grego. Nazanzenus scribens Imperatoribus Constantinopolitan. ut in cap. Suscipitis dist. 10. habetur. Lex Christi sacerdotali uos subiicit potestati atque istis tribunalibus uos subdit. dedit enim nobis potestatem dedit principatum multo perfectiorem principatibus uestris. an nunquid iustum uobis uidetur si cedat spiritus carni, si a terrenis cœlestia superentur & diuinis præferantur humana, quasi dicat non. Septimo plenitudo potestatis ostenditur in hoc quòd non arctatur eius potestas ad hoc, ut semper seruato ordine inferiorum potestatum operetur, sed potest mediantibus illis, uel illis intermissis immediate in quemcunque Christianum operari, ut immediatus ordinarius pastor & prælatus quando uiderit expedire, ut ex illo ult. cap. extra de foro compe. aperte colligitur. Vnde sanctus Thom. in tractatu contra impugnantes religionem inquit. Papa habet iurisdictionem immediatam in omnes Christianos, quia Romana ecclesia nullis synodicis institutis prælata est sed euangelica uoce domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, in ca. Quamuis distinct. 21. In hac autem parte similitudinem quandam habet omnipotentis Dei, qui mediantibus secundis causis operatur multa quæ per seipsum facere potest & aliquando prætermisso secundarum causarum ordine operatur. Propter quod Innocen. tertius in ca. Antiqua extra de priuil. dicit, Romana ecclesia disponente domino super omnes alias ecclesias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater uniuersorum fidelium & magistra. Octauo plenitudo potestatis Romani pontificis ostenditur in exemptione inferiorum prælatorum a superiori, ut abbatum ab episcopo, uel episcopi ab archiepiscopo, uel subditorum a suo superiori, sicut monasteria & capitula ab episcopis, quæ exemptio fit a Romano pontifice. De quo Bern. 3. lib. de consideratione. Subtrahuntur abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis, siue primatibus, bona ne species hæc est. Nimirum si excusari queat uel opus sit faciendo, probatis uos habere plenitudinem potestatis sed iustitiæ forte non ita facitis hæc quia potestis, sed utrum debeatis quæstio est. hæc ille. Nono plenitudo potestatis Romani pontificis ostenditur in hoc quòd non ligatur legibus a se factis aut etiam sacrorum conciliorum canonibus, sed potest ex plenitudine potestatis supra ius & leges positas facere, & in canonibus conciliorum iuxta temporum oportunitatem aut locorum, & personarum conditiones dispensare. Vnde & dicitur in §. is autem 24. q. 5: Romana ecclesia ius & auctoritatem sacris canonibus impartitur, sed non eis ligatur. Idem in ca. Significasti. extra de elec. Propter quod Innocen. 3. extra de concess. præben. in cap. Proposuit, dicit. Nos secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare. Cui sententiæ beatus Thom. in quolibeto arg. 13. alludens ita dicit. Papa habet plenitudinem potestatis in ecclesia, & ita quæcunque sunt constituta per ecclesiam, uel ecclesiæ prælatos sunt dispensabilia a papa. hæc enim sunt quæ dicuntur esse iuris humani siue positiui. Circa uero ea quæ sunt iuris diuini, uel naturalis dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione diuina. Decimo plenitudo potestatis Romani pontificis ostenditur in dispensatione actionum humanarũ, puta uotorum & iuramentorum. Vnde sanctus Tho. in 4. distin. 38. q. 4. quærens, utrum quilibet prælatus in uotis possit dispensare. dicit sic. Plenitudo potestatis in dispensando residet penes summum pontificem, alii autem par-

ticipant

ticipant de hac potestate quantum eis concessum est, & in 2.2.q.88.arg.ult. dicit, quòd quia summus pontifex gerit plenarie uicem Christi in tota ecclesia ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus uotis. Vndecimo plenitudo potestatis in Roma. pont. ostenditur in administratione & dispensatione rerum ecclesiasticarum, alii autem prælati & collegia habent potestatem coarctatam in administrando, & dispensando res suas & transferendo dominium ipsarum obligando, & alienando, quia non nisi ex certis causis & cum certis solennitatibus iure possunt res ecclesiæ alienare, sicut patet ex de reb. eccl. non alienan. Papa uero in istis solus sine consensu etiam cuiuscunque & sine solennitatibus potest res quascunque cuiuslibet ecclesiæ alienare & alienando dominium transferre, dū tamen hoc faciat ex iusta causa. Vnde Adrianus papa omnes ecclesias etiam Romanam submisit Carolo & eius successoribus quò ad temporalia, de quibus per Imperatorem deberent inuestiri. Et hoc confirmat Leo papa Othoni & eius successoribus, ut habetur in cap. Adrianus distinct. 63. ubi dominus Archydiaconus narrando uarios modos dicendi ita inquit. Alii dicunt quòd hoc fecerint apostolici ex plenitudine potestatis, sicut decimas aliquibus regibus concesserunt quod alius concedere non posset. hæc ille. Duodecimo plenitudo potestatis Romani pontifi. ostenditur in hoc quòd ut dicit sanctus Thom. in tertia parte 02.q.arg. 11. quòd quædam sunt superiorum ordinum, quæ potest papa committere inferioribus quibusdam sicut presbyteris, sicut concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem. Ex qua etiam plenitudine potestatis ut idem sanctus Thom. ibidem dicit, beatus Grego. concessit quòd simplices sacerdotes conferrent sacramentum confirmationis, ut in cap. peruenit habetur dist. 95. Tertiodecimo plenitudo potestatis Romani pon. ostenditur in dispensatione thesauri ecclesiæ: quoniam ipse solus utpote Christi principalis Vicarius & dispensator dat plenariam indulgentiam, & omni homini fideli de toto mundo. Vnde sanctus Thom. in quarta dist. 20. dicit sic. Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis quasi rex in regno, sed episcopi assumuntur in partem solicitudinis quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi. Et ideo potest facere indulgentias prout uult causa tamen existente legitima. sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papæ. Quartodecimo plenitudo potestatis Romani pontifi. ostenditur in hoc quòd dispositio totius ecclesiastici ordinis quò ad dignitates ecclesiasticas tanquam ad principalem architectorem in templo domini. & dispensatio beneficiorum tanquam ad seruum quem constituit dominus super familiam, ut det illis tritici mensuram pertinent ad Romanum pontificem. Nam extra de præben. lib. 6. ca. Licet, dicitur quòd dispositio ecclesiarum & omnium beneficiorum mundi ad sedem apostolicam noscitur pertinere & in cap. Si duobus, extra ut lit. penden. in clem. dicitur & est diffinitio Viennen. concilii, quòd ad Romani pontificis potestatem pertinet ecclesiarum personarum dignitatum aliorumq; beneficiorum plena & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine. Decimoquinto plenitudo Romani pontificis ostenditur in canonizatione sanctorum, quæ ad solum Romanum pontificem, ut ad iudicem, & principem uniuersæ ecclesiæ cum plenitudine potestatis præsidentem pertinet, ut dicunt doctores, & colligitur extra de relig. & uene. san. cap. 1. & 2. & hæc de illis in quibus

amplitudo principatus summi pontificis ac plenitudo potestatis apostolicæ sedis attendatur ad præsens dixisse sufficiat. Quorum autem debitor existit Romanus pontifex ex tanta amplitudine dignitatis & potestatis declarat deuotus Bern. in lib. 4. de consideratione ad Eugenium ita dicens. Decetero te esse oportere considera formam iustitiæ, sanctimoniæ specimen pietatis exemplar, assertorem ueritatis; fidei defensorem, doctorem gentium; Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsę paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, ministrorum spem, tutorem pupillorũ, iudicem uiduarum; oculum cœcorum, linguam mutorum, baculum senũ, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, uirgam potestatum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, Christi Vicarium, Christum domini, postremo Deum pharaonis. hæc ille. Quæ omnia recte etiam plenissimam, & amplissimam insinuant in Romano pontifice potestatem. Ex his clarissime confunditur error dicentium Romanum pontificen non habere in ecclesia plenitudinem potestatis qui ut sanctus Thomas ponit in tractatu contra græcos, contra unitatem ecclesiæ errant.

Cap. LIII. Quòd solus Romanus pontifex in ecclesia Dei habeat plenitudinem potestatis.

OSTENSO quòd Romanus pontifex plenitudinem habeat potestatis, iam quòd ipse solus in ecclesia Dei huiusmodi potestatis habeat plenitudinem delucidandum est. quod licet satis aperte ex superioribus posset intelligi ex quibus primatum eius demonstrauimus: nihilominus hoc pro ampliori notitia auctoritatibus & rationibus comprobabimus. Et primo quidem colligitur ex illo quod dominus ad solum Petrũ ait Luc. 5. Duc in altum & laxate retia uestra. ubi glo. ita dicit. Aliis imperatur, ut laxent retia, soli Petro dicitur, duc in altũ id est in profundum disputationum. Secundo ex illo quòd Math. 17. dominus soli Petro iubet hamo piscari. Super quo beatus Amb. dicit, & habetur in c. est aliud 24. q. 1. Est aliud piscandi genus quo genere solum Petro piscari dominus iubet dicens. Mitte hamum, &c. ubi gl. dicit. Per hamum intellige iurisdictionem qua Petrus præfuit aliis, hoc genere piscandi solus Petrus piscatur quia habet potestatem ligandi, & soluendi præ aliis. Hæc glo. Tertio idem testatur beatus Cyrillus in lib. thesaurorum ita dicens. Sicut Christus a patre accepit ducatum & sceptrum ecclesiæ gentium super omnem principatum & potestatem & super omne quodcunque est, ut ei genua cũcta curuentur plenissimã potestatem, sic & Petro & successoribus eius plenissime commisit. Et infra. Nulli alii quàm Petro quod suum est plenum sed ipsi soli dedit. hæc Cyrillus. Quarto huius rei testis illustris est beatus Chrysog. super illud Math. 16. Tibi dabo claues, &c. ita dicens. Sicut filius a patre ueniens ad salutem omnium mittitur cum potestate plena super omnes, sic a Christo Petrus & eius ecclesia ad salutem omnium mittitur cum potestate omni super omnes quod nulli hominum credimus esse concessum. Quinto hoc idem attestatur beatus Leo papa in c. multum 3. q. 6. & beatus

c. & beatus Grego. in cap. decreto, & Iulius papa in cap. qui se scit 2. q. 6. Sexto ad idem est beatus Bern. qui ut in superiori cap. inductum est, in quadam epistola ad Eugenium papam apertissime profitetur, quòd solus Romanus pont. habet plenitudinem potestatis. Septimo ad idem est beatus Thom. qui sæpe hoc repetit, ut in superioribus patet. Consequenter hoc idem rationibus ostendamus. Primo sic. Solus Romanus pont. in toto corpore uniuersalis ecclesiæ post Christum est caput uniuersale mysteriale ad regimen & gubernationem totius uniuersitatis fidelium. ergo solus ipse in corpore uniuersalis ecclesiæ habet plenitudinem potestatis. Consequentia patet: quoniam solum caput in corpore hominis ad cuius similitudinem de corpore ecclesiæ iuxta Apostolum ad Rom. 12. loquimur: habet plenitudinem sensus & regitiue ac gubernatiue uirtutis. Antecedens uero patet ex illo Ioan. 1. Tu uocaberis cephas, quod iuxta Anacletum & Isi. interpretatur caput. Secundo sic. Solus Petrus & eius successor est generalis Vicarius Christi in ecclesia Dei locum eius tenens. ergo solus ipse habet plenitudinem potestatis. consequentia patet: antecedens etiam ostensum est supra in ca. 37. Tertio sic. Romanus pont. est supremus Hierarcha immediatus totius ecclesiasticæ Hierarchiæ. patet: ipse enim est princeps in quo totius ecclesiæ dominus posuit principatum, ut in cap. Nolite errare dicit Iulius papa dist. 11. ergo in solo ipso ponenda est plenitudo potestatis. consequentia uidetur manifesta: quoniam in omni Hierarchia in solo Hierarcha ponitur plenitudo potestatis. Vnde Dyon. 3. eccl. Hierar. postquam unamquanq; Hierarchiam in suum Hierarcham docuit terminari de proprietate Hierarcharum ita subiungit. Hierarchici autem ordinis uirtus in omnibus capit sanctis totalitatibus & per consequés ordines operatur propric Hierarchiæ mysteria. Et infra. Est ergo Hierarchicus ordo perfectiua naturæ uirtute adimpletus. Quarto sic. Ecclesiasticus principatus est Monarchicus ergo in solo summo pontifice est potestatis plenitudo. antecedens patet supra ex multis in ca. 2. Vnde Ioan. 10. dicitur Erit unum ouile & unus pastor, & loquitur de ecclesia. Super quo Theophilus in gl. inquit. Attendant Manichei: quoniam unum ouile & unus pastor est noui testamenti. consequentia patet: quia in principatu regali siue Monarchico suprema potestas in solo principe collocatur, ut est Arist. sententia. 9. ethic. & 3. poly. Quinto sic. Romanus pontifex habet plenitudinem potestatis in ecclesia, & nullus alius a Romano pontifice habet plenitudinem potestatis in ecclesia. solus ergo Romanus pontifex habet plenitudinem potestatis in ecclesia. consequentia est manifesta per regulam ab exponentibus ad expositam. maior patet ex præcedenti cap. minor etiam patet. Tum auctoritatibus sanctorum in principio huius cap. inductis s. beati Cyrilli beati Chriso. beati Grego. beati Leonis papæ, beati Bernardi, beati Thom. dicentium, quòd solus Romanus pontifex sit uocatus in plenitudinem potestatis, alii autem in partem solicitudinis. Tum etiam ratione, quia si alii utputa apostoli recepissent a Christo sicut Petrus plenitudinem potestatis, iam Petrus neque maior, neque superior, neque caput, neque princeps fuisset apostolorum: sed omnes fuissent in potestate pares quod est hæreticum, & sæpenumero ab ecclesia condemnatum ut supra inductum est. Sexto sic. Dicit apostolus ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et subiungit. Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. ergo oportet quòd

prælatio attendatur secundum ascensum & descensum, non secundum æqualitatem. Quare necesse erit secundum ordinem rectum ecclesiæ quòd suprema potestas regiminis & plenitudo iurisdictionis stet in uno primo & supremo in quo solo sicut in primo & in simplicissimo in illo genere est status omnis prælationis ecclesiasticæ. Vltimo sic. Principatus est quoddam totum potestatiuum cuius hæc est natura, quòd secundum completam rationem perfectionis sit in uno solo s. in principe: in alijs uero in quos distributum est per gradus diuersarum dignitatum ac officiorum est aliqua participatio ipsius, sicut principatus regni est in uno uidelicet rege, in alijs uero secundum participationem quandam, uidelicet secundum potestatem præsidis & tribuni & millenarii & centurionis & quinquagenarii & decani siue decurionis. Exemplum etiam huius totius potestatiui apparet in sacramēto ordinis, cuius tota plenitudo est in uno ordine scilicet sacerdotio. in alijs uero est quædam participatio ordinis, ut dicit sanctus Thom. in 4. dist. 24. Et hoc figuratum est in hoc quod dominus dicit nume. 11. Moysi. Auferam de spiritu tuo & tradam eis, ut sustentent tecum onus populi. ergo in principatu ecclesiastico ita dicendum est quòd plenitudo potestatis illius in uno solo sit, puta in principe supremo uniuersalis ecclesiæ, puta in Romano pon. Vnde in c. basilicas, de consec. dist. 1. & in c. nolite errare, dist. 11. habetur, quòd in apostolica sede dominus totius ecclesiæ posuit principatum, & beatus Aug. contra donatistas, & in epistola ad Glorium & Eleusium dicit, quòd in Romana ecclesia semper apostolicæ cathedræ uiguit principatus. Ex quibus manifeste confunditur error & stultitia Marsilij de Padua dicentis papam non habere aliquam plenitudinem potestatis absque determinatione. i. concessione Imperatoris.

Cap. LIIII. Quòd potestas iurisdictionis omnium prælatorum ecclesiæ deriuetur a papa siue apostolica sede mediate uel immediate. Arguitur prima uia scilicet ex ordine aliorum apostolorum ad Petrum.

POSTQVAM pro modulo paruitatis nostræ superius explicauimus quòd tam ad fidei Christianæ conseruandam unitatem, quàm ad optimum ecclesiæ regimen necessario unus in ecclesia erat dandus rector & caput totius reipublicæ Christianæ cum plenitudine potestatis, & quòd huiusmodi sit Romanus pontif. restat nunc uidendum de habitudine quam habet ad alios ecclesiæ inferiores prælatos in origine potestatis, utrum scilicet alii ecclesiarum prælati potestatem iurisdictionis quam habent immediate suscipiant ab apostolica sede, an sicut papa ita & episcopi immediate suscipiant a Christo. Dicimus cum sancto Thom. tam in 2. sententiarum & in 4. sententiarum quam in 4. contra gentiles, qui sanctus Thomas inter doctores de hac materia loquentes magis rationabiliter & magis conformiter ad dicta sanctorum patrum, & per consequens magis consonanter ad pietatem fidei loqui uidetur, quòd tota iurisdictionis potestas aliorum prælatorum de lege communi deriuatur a papa. Quam conclusionem triplici uia probare intendimus. Primo ex ordine aliorum apostolorum ad Petrum in potestate iurisdictionis. Secundo rationibus. Tertio ex inconuenientibus

conuenientibus quæ ſequuntur ex oppoſito modo dicendi. Prima uia ſic arguitur. Apoſtoli alii a Petro non ſuſceperunt poteſtatem iuriſdictionis immediate a Chriſto, ſed mediante Petro: ergo ſequitur quòd etiam nunc prælati qui ſunt in eccleſia iuriſdictionis poteſtatem ſuſcipiant immediate a papa & non a Chriſto. conſequentia eſt optima. antecedens uero auctoritatibus & rationibus multipliciter probatur & declaratur. Auctoritate primo beati Anacleti qui ut habetur in cap. Sacroſancta diſt. 22. dicit. Inter apoſtolos quædam fuit diſcretio, & licet omnes apoſtoli eſſent, Petro tamen a domino conceſſum eſt ut reliquis omnibus præeſſet apoſtolis, & cephas. i. caput & principium teneret apoſtolatus. Cum autē nomine capitis & principii origo deſignetur poteſtatis non uidetur poſſe dici beatus Petrus caput & principium tenere apoſtolatus niſi ab eo poteſtas iuriſdictionis deriuaretur in apoſtolos ceteros. Secunda auctoritas eſt beati Cypriani in epiſtola quæ de unitate eccleſiæ inſcribitur ad nouatianum, & habetur in cap. Loquitur dominus ad Petrum 24. q. 1. Ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. ſuper unum ædificat eccleſiam & quamuis apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem. i. communem poteſtatem tribuat & dicat. Sicut me miſit pater & ego mitto uos, accipite ſpiritumſanctum: tamen ut unitatem manifeſtaret unitatis eiuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. hoc utique erant ceteri apoſtoli quod Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis (gl. in ordine & dignitate conſecrationis non adminiſtrationis plenitudine) ſed exordium ab unitate proficiſcitur ut eccleſia Chriſti una eſſe mōſtretur. hæc Cyprianus. Vbi cum ait ꝙ Chriſtus ut eccleſiæ unitatem manifeſtaret poteſtatis originem ab uno incipientē diſpoſuerit, manifeſte dat intelligi ꝙ ſolus unus ſcilicet Petrus ſuper quem unum fundatam dicit eccleſiam a Chriſto immediate poteſtatem ſuſceperit iuriſdictionis alii uero apoſtoli mediātē ipſo Petro. Plane ut uidetur ſi immediate omnes apoſtoli poteſtatem iuriſdictionis recepiſſent a Chriſto, origo poteſtatis non incepiſſet in eccleſia ab uno apoſtolorum cum data fuiſſet ſimul & immediate omnibus. Tertia auctoritas eſt Aug. qui ſuper Ioan. homel. 124. dicit ſic. Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate eccleſiæ perſonam, quod enim ad ipſum proprie pertinet natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus abundantiore gratia unus idemq́; primus apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris &c. uniuerſam ſignificabat eccleſiā. Et infra. Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro. i. poteſtatem ſoluendi & ligandi peccata. Sed uidetur quòd hoc quod ſoli Petro attribuitur ratione primatus non eſſet uerum ſi alii apoſtoli cum eo immediate iuriſdictionem recepiſſent a Chriſto quia dato illo eccleſia non in ſolo Petro, ſed etiam in aliis apoſtolis claues recepiſſe diceretur. Quarta auctoritas eſt beatiſſimi Leonis, qui ut habetur in c. dominus diſt in. 19. ita dicit. Huius muneris ſacramentum ita dominus ad omnium apoſtolorum officium pertinere uoluit, ut in beatiſſimo Petro omnium apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua uelut in corpus omne diffunderet, ut extorrem ſe miniſterii intelligeret eſſe diuini qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere. Quinta auctoritas eſt eiuſdem in ſermone 3. ordinationis ſuæ ita dicentis. Multo dignius eſt ad beatiſſimi Pe-

tri gloriam contemplandam aciem mentis attollere, & hunc diem in illius potissimum ueneratione celebrare qui ab ipso omnium charismatum fonte ita copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acceperit nihil in quemquam sine eius participatione transierit. Et intra. De toto mundo unus Petrus eligitur qui & uniuersarum gentium uocationi & omnibus apostolis cunctisq; ecclesiæ partibus præponatur, ut quamuis in populo Dei multi sint sacerdotes multiq; pastores: omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile dilectissimi huic uiro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, ut siquid cum eo commune ceteris uoluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit. Ecce quam clara luce Leo iste beatissimus irretragabilis auctoritatis inter patres ecclesiæ, dicit, quòd quicquid commune Christus cum Petro ceteris uoluit esse principibus, uidelicet apostolis non nisi per Petrum dedit, quicquid scilicet quod donabile esset per hominem aliis non negauit. Et ita manifeste habetur quòd ceteri apostoli non immediate a Christo iurisdictionem acceperint, sed mediante Petro apostolo eorum principe. Sexta auctoritas est Alexandri papæ in c. audiuimus 24.q.1. sic dicentis. Vnde cum dominus daret omnibus discipulis parem ligandi ac soluendi potestatem, Petro præ omnibus claues regni cœlorum se daturum promisit dic. Tibi dabo claues regni cœlorum. Quicunque ergo ab unitate ecclesiæ quæ per Petrum intelligitur fuerit alienus, execrare potest, consecrare non ualet: excommunicationis uel reconciliationis potestatem non habet. In qua auctoritate duo sunt præcipue notanda. Primo quòd beato Petro præ omnibus datæ sunt claues. In quo datur intelligi quòd beatus Petrus in potestate iurisdictionis superior, & maior fuerit omnibus aliis apostolis etiam simul coniunctis, & per consequens successor Petri uidelicet Romanus pontifex superior maiorq; sit omnibus prælatis etiam simul coniunctis. Secundo notandum est id quod dicitur quòd beatus Petrus apostolus pro omnibus suscepit claues ecclesiæ in quo manifeste denotatur quòd alii Christi discipuli & eorum successores potestatem iurisdictionis non acceperunt nisi per Petrum, & ita non mediate a Christo. Vbi considerandum est quòd cum dicitur Petrus suscepisse pro omnibus & præ omnibus potestatem, non est intelligendum ipsum pro omnibus accepisse ad modum quo unus procurator nomine aliquorum aliquod donum sicut castrum, aut principatum accipit a principe: sed intelligendum est ad modum quo dicimus Solem recepisse lumē a Deo præ omnibus stellis & pro omnibus. Præ omnibus: quoniam in maiori plenitudine quàm ceteræ stellæ. Pro omnibus quoniam in eo ordine, ut ab ipso sicut a fonte in ceteras stellas lumen descendat. Et simile est de capite quod præ omnibus, & pro omnibus membris uirtutem recepit. præ omnibus quidem, quia in solo capite est plenitudo sensuum, pro omnibus quidem, quia ab ipso cetera membra sensum motus & regiminis suscipiunt. Ita est de Petro qui non tantum auctoritate præ omnibus aliis donatus est: sed etiam caput & princeps aliis influens in toto corpore ecclesiæ constitutus est, ut apertissime superius ostensum est ex doctrina sanctorum. Vnde Innocen. in epistola quam scribit ad patres episcopos in concilio Carthagin. dicit, ꝙ a beato Petro episcopatus & tota auctoritas nominis huius emersit. Consequenter hoc idem ratione probatur, & primo sic. Ab eo a quo quis

non

non habet subditum ab illo non habet aliquam potestatem iurisdictionis, sed alii apostoli non habuerunt immediate subditos a Christo: ergo ipsi non habuerunt potestatem iurisdictionis immediate a Christo. consequentia patet, maior etiam: cum nullus ligare, aut absoluere possit nisi subditum: cum a non suo iudice ligari nullus ualeat nec absolui, de pœni. & remis.cap. Omnis. Nam potestas iurisdictionis qua aliquis potest absoluere, & ligare dicitur relatiue ad subditum, relatiua autem ut habet doctrina Aristo.in prædicamentis, posita se ponunt & perempta se perimunt. unde si non est seruus non est dominus. Propter quod secundum August.lib.de tri. Deus non fuit dominus quousque habuit creaturam suam. Ita si non est subditus non est prælatus, nec iudex qui possit eum iudicare, ad Roma. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum: suo domino stat aut cadit. Minor uero probatur, quia si Christus dedisset aliis a Petro subditos, aut omnes dedisset aut aliquem. Non est dicendum primum quòd dedisset omnes, quia ut dictum est pluralitas principatuum non est bona, ut dicitur 12.metaphisicæ, & ideo ibi concluditur, unus ergo princeps. Tum secundo, quia tunc ouile Christi non esset unum, nec unus ouium pastor sed plures, contra illud Ioan.10. Erit unum ouile & unus pastor. Præterea secundum non est dicendum, cum nullibi legatur Christus apostolis populos immediate diuisisse, nec facile est fingere quos quibus subiecerit. Item secunda ratione arguitur sic. Si Christus dedisset apostolis immediate potestatem iurisdictionis, aut dedisset plenam & omnimodam sicut Petro, aut particulariter limitatam & coarctatam: sed neutram. ergo nullam. consequentia est bona, maior patet a sufficienti diuisione, minor quò ad primam partem patet. Primo, quia dicit beatus Cyrillus in libr. thesaurorum, nulli alii quam Petro Christus quod suum est plenum commisit, sed ipsi soli dedit. Secundo quoniam si aliis apostolis data fuisset potestas in ea plenitudine qua Petro data est, Petrus nec maior nec superior, nec princeps, nec caput fuisset apostolorum, sed omnes in iurisdictionis auctoritate pares fuissent, quod est erroneum, ut enim sanctus Anacletus inquit in ca.Sacrosancta, distinct.22. inter apostolos quædam fuit discretio, licet enim omnes apostoli essent, Petro tamen a domino concessum est, ut reliquis omnibus præesset apostolis & cephas id est caput & principatũ teneret apostolatus. Secunda uero pars minoris quæ dicit quòd etiam Christus non dedit apostolis potestatem aliquam limitatam patet. unde nec possibile est fingere certitudinem talis limitationis. De talibus autem quæ facta esse dicuntur maxime circa apostolos de clauibus ecclesiæ nihil uidetur asserendum quod de scripturis sanctis non habeat testimonium explicite, uel implicite quod in hac parte non datur. Et hæc de primo puncto breuitatis causa sufficiant.

Cap. LV. In quo probatur eadem conclusio secunda uia scilicet per rationes.

CONSEQVENTER eadem conclusio uidelicet quòd potestas iurisdictionis prælatorum deriuetur a papa probanda est secunda uia uidelicet per rationes. Primo sic. In omni principatu potestas iurisdictionis deriuatur ad quamcunque personam illius principatus a

Monarcha siue principe illius principatus, sed papa est princeps siue Monarcha in sacro ecclesiæ principatu: ergo sequitur quòd potestas iurisdictionis omnium inferiorum prælatorum deriuetur a papa. consequentia est bona minor patet ex sententia Diony. qui tam in de ecclesiastica quam cœlesti Hierarchia docet ab ipso Hierarcha in omnes Hierarchiæ personas lumen irradiationis perfluere. Minor uero quòd scilicet papa sit princeps, & Monarcha totius ecclesiastici principatus ex superius inductis auctoritatibus ostensum est, in quibus sancti patres ipsum & ecclesiæ totius principem & caput prædicant & attestantur. Dicit etiam Chrisosto. super Act. apostolorum, quod Petrus a filio super omnes qui filii sunt accepit potestatem, non ut Moyses in gente una, sed in uniuerso orbe. Et Theophylus super illud Luc. 22. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. dicit, quòd Petrus obtinuit quòd esset antistes mundi. Item in ecclesiastico officio legitur ei Christus dixisse. Super plebem meam principem te constitui. Præterea sic confirmatur ista ratio. In unoquoque ordine ab eo in quo maxime residet plenitudo uirtutis siue potestatis originaliter dependet uirtus omnium sequentium in illo ordine: sed romanus pontifex est primus in ordine prælatorū ecclesiæ & in quo solo residet plenitudo ecclesiasticæ potestatis: ergo sequitur quòd potestas omnium sequentium prælatorum ecclesiæ dependeat & deriuetur ab ipso Romano pontifice. consequentia est bona, maior colligitur ex sententia Aristo. 2. metaphy. minor est canon concilio Constantinopolitani dicentis. Veneramur secundum scripturas & canonum diffinitiones sanctissimum antiquæ Romæ episcopum primum esse & maximum omnium episcoporum. Item in concilio Calcedonen. acclamatum legitur a tota synodo papæ Leoni. Leo sanctissimus apostolicus & ycomenicus id est uniuersalis Patriarcha per multos annos uiuat. Confirmatur hoc argumentum per illud beati Anacleti, qui ut dicitur in cap. In nouo dist. 21. ita dicit. In nouo testamento post Christum dominum a Petro incepit sacerdotalis ordo. Et causam subiungens ait. Quia ipsi primo pontificatus in ecclesia datus est dicente domino ad eum. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Tertio sic. Inter habentia ordinem secundum influentiam omnia quæ aliis influunt uirtutem influendi recipiunt a primo illius ordinis, sed ordo qui est inter Romanam ecclesiam & alias ecclesias siue inter Romanum pontificem, & alios prælatos, est secundum influentiam prout unus mouet alium ad actus Hierarchicos. ergo potestas iurisdictionis omnium prælatorum ecclesiæ deriuatur a Romano pontifice. consequentia est bona, maior patet ex commento primæ propositionis de causis. causa enim secunda uirtutem causandi habet a prima. Minor uero patet auctoritate beatissimi Cypriani, qui ut in cap. Loquitur 24. q. 1. ecclesias particulares ad ecclesiam Romanam comparat sicut radios ad Solem, fluuios ad fontem, sicut ramos ad radicem. Patet etiam per illud quod Iustinianus Imperator Christianissimus in auc. ut Romana ecclesia, col. 3. ait. quòd legum originem antiqua Roma sortita est & summi pontificatus apicem, & sacerdotii fontem apud eam esse nemo est qui dubitet. Si ergo Romana ecclesia fons est & a fonte deriuentur riuuli, sequitur quòd aliarum ecclesiarum iurisdictio deriuetur ab ea. Quarto sic. Omnia membra a capite recipiunt immediate deriuationem uirtutis sensus & motus siue regiminis, sed Romana ecclesia est caput ceterarum ecclesiarum: ergo ceteræ ecclesiæ & earum

earum prælati potestatis suæ originem suscipiunt a Romana ecclesia siue a Romano pontifice. consequentia est bona, maior patet: quoniam ut superius habitum est ex sententia Isido. ex eo datum est capiti hoc nomen quòd sensus omnes & nerui inde initium capiant atque ex eo omnis uigendi causa oriatur. Minor uero ponitur in c. Sacrosancta dist. 22. ubi sanctus Anacletus dicit, quod apostolica sedes caput & cardo s. omnium ecclesiarum est a domino & non ab alio constituta. & sicut cardine ostium regitur, sic huiusmodi sanctæ apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ domino disponente reguntur. Hoc autem quod ait quod apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ reguntur, non uidetur habere ueritatem nisi prælati inferiores qui regunt ecclesias regendi & gubernandi illas ab apostolica sede accipiant potestaté. Quinto sic. In omnibus causis agentibus ordinatis semper causæ sequétes agunt in uirtute causæ primæ: sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in uirtute corporum cœlestium, & in rebus uoluntariis omnes artifices operantur secúdum imperium summi architectoris. in ordine autem politicum regimen administrantium omnes particulares potestates auctoritatem iurisdictionis suscipiunt a suprema potestate. sed in regimine ecclesiastico in ordine prælatorum ecclesiæ habentium iurisdictionem & potestatem actus diuinos exercendi circa fideles primus & summus pon. est. ergo. Sexto sic. Perfectior est princeps ecclesiæ quàm legalis, papa quàm Moyses sed a summo præsidente synagogę omnis alia potestas inferiorum deriuabatur. ergo similiter est in ecclesia quòd omnis iurisdictionis auctoritas inferiorum prælatorum deriuatur a summo pon. s. papa. cósequentia patet, quia synagoga figura fuit ecclesiæ secundum quod dicit beatus Aug. & beatus Dio. Minor uero patet Exod. 18. & expresse nume. 11. ubi dominus ad petitioné Moysi qui in multitudine regiminis grauabatur, uoluit quòd idem Moyses eligeret sibi aliquos in adiutorium ad populi gubernationem. Et dicit tex. quòd dedit Deus de spiritu qui erat in Moyse illis septuaginta electis, & hoc ut uidetur ad significandum omnem potestatem iurisdictionis, & regiminis a summo ecclesiæ præsidente in alios deriuari. Septimo sic. Hierarchia ecclesiastica est exemplata a cœlesti, sicut ait beatus Diony. & supra in cap. 2. induximus, sed in cœlesti Hierarchia sic est, quòd radius diuinæ illuminationis descendens in inferiores tali ordine descendit, ut primo in superiores recipiatur deinde per illos in inferiores profluendo descendat. hæc autem est lex diuinitatis inquit Diony. 3. cœle. Hierar. per prima media & per media ultima illuminari. ergo sic erit in Hierarchia ecclesiastica quòd potestas iurisdictionis secundum quam attenditur ordo superioritatis & inferioritatis inter prælatos ecclesiæ quòd primum à Deo immediate in papam descendat & per eum in sequentes deriuetur. Octauo teste eodé beato Dion. 10. cœlestis Hierarchiæ. Omnes Hierarchiæ sunt connexę, & ordines ipsi cuiuslibet Hierarchiæ sunt etiam connexi. hæc autem connexio secundum eiusdem diuini doctoris doctrinam, ut sanctus Tho. & Albertus declarant non tantum attenditur per relationem ad unum ultimum finem secundum quem omnis Hierarchiæ finis est similitudo & unitas ad Deum, sed secundum ea quæ sunt de essentia Hierarchiæ scilicet secundum ordinem scientiam, & actionem. Secundum ordinem quidem inquantum in omnibus Hierarchiis inuenitur distinctio per primum mediú & ultimum. Secundum scientiam uere inquantum irradiatio attenditur procedendo a prima

usque ad ultimos. Secundum actionem autem inquantum primi habent actionem Hierarchicam in medios & per medium in ultimos, sed ecclesia nostra est ad instar Hierarchiæ disposita & formata: ergo necesse est nisi Hierarchiam nostram inconuenientissime alterere inconnexam uellemus potestatem ecclesiasticam a primo nostrę Hierarchiæ qui est Romanus pontifex in omnes inferiores procedere & deriuari, processus patet. huius autẽ connexionis Hierarchiæ nostræ duo sunt euidentissima testimonia. Primũ est ꝙ qui a beati Petri societate & connexione apostolicæ sedis segregatur non potest absolui a peccatis. Secundum est quòd talis existens sic prælatus ipsa potestate ecclesiastica denudatur. De primo habetur in gl. Math. 16. quòd Petrus ideo specialiter claues regni cœlorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant ꝙ quicunq; ab unitate fidei & societate Petri quouismodo seipsos segregant nec uinculis peccatorum absolui, nec ianuam regni cœlestis ingredi possunt. De secundo habetur in cap. Factus, & in cap. Nouatianus 7. q. 1. quæ omnia sunt beatissimi Cypriani testimonia. Nono sic. Potestas quæ data est uni in sua fontali plenitudine non est in aliis nisi deriuata & limitata, etiam pro illius uoluntate & ordinatione, sed potestas iurisdictionis ecclesiasticæ tota in sua fontali plenitudine data est Petro soli & in eo suis successoribus: quoniam cura totius ecclesiæ sibi commissa est domino dicente. Pasce oues meas Ioan. ult. Hoc enim teste Chriso. nulli alio apostolo dictum est neque tunc neq; ante neq; post: ergo talem potestatem perfectam ac plenam solus Petrus habuit habetq; solus successor Petri qui ob hoc papa. i. pater patrum nominatur: ergo omnes alii ecclesiæ prælati non habent potestatem iurisdictionis nisi prout papa limitat & disponit. Decimo confirmando rationem prædictam arguitur sic. Ecclesiæ particulares ad ecclesiam Romanam comparantur sicut radii ad Solem, sicut riuuli ad fontem, sicut rami ad radicem: ergo sequitur ꝙ quicquid potestatis habent iurisdictionis habent a Romana ecclesia. consequentia est bona. antecedens patet tam auctoritate Cypriani in ca. Loquitur 24. q. 1. quàm concilii Ephesini quam etiam Petri Rauẽnatis, qui dicit quod stipiti rami, quod capiti mẽbra, quod soli radii, quod fonti riuuli, hoc apostolicæ sedis reuerentiæ, debent omnes ecclesiæ quas ubique terrarum religio Christiana fundauit. Confirmatur hæc ratio ex illo quod Vigilius papa scribens Eleutherio episcopo dicit. Nulli uel tenuiter scienti, uel pleniter sapienti, dubium est ꝙ ecclesia Romana fundamentũ & forma sit ecclesiarum a quo omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentiũ ignorat. hæc ille. Vndecimo sic. Omnis iurisdictio & potestas cuiuslibet ecclesiæ, & personarũ in ea uidetur ab eo deriuari & procedere qui illam ecclesiam sic fundauit in auctoritate & iurisdictione, patet cũ fundamentũ sit origo & principium totius ædificii, sed omnes aliæ ecclesiæ per orbẽ diffusę sunt a Romana ecclesia institutæ & fundatæ: ergo omnis iurisdictionis ecclesiasticæ auctoritas aliorũ prælatorum deriuatur a papa siue a Romano pont. consequentia est bona & antecedens pro minori habetur in c. Omnes dist. 22. ubi Nicolaus papa ita inquit. Oẽs siue Patriarchæ cuiuslibet apicem siue Metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, uel ecclesiarum siue cuiuscunq; ordinis dignitatẽ instituit Romana ecclesia, illã uero solus ipse Christus fundauit &c. Itẽ in c. In illis di. 80. dicit Clemens papa, ꝙ illis ciuitatibus in quib. olim apud Ethnicos primi flamines eorũ atq;

primi

primi legis doctores erāt episcoporū primates atq; patriarchas beatus Petrus poni precepit, in illis uero in quibus erāt eorū archiflamines archiepiscopos institui præcepit, in singulis uero ceteris ciuitatibus singulos & non plures episcopos constitui præcepit qui episcoporum tantum uocabula sortirentur, quoniam nec inter ipsos apostolos par fuit institutio, sed unus præfuit omnibus. hæc ille. Item ad idem facit cap. Quis nesciat distinct. 11. Duodecimo. Omnis ille cuius committuntur uices alicuius superioris habet iurisdictionem suam a committente non autem a se nec ab alio, sed Papa cui a Christo omnium fidelium cura commissa est omnibus aliis committit uices suas, & impartitur partem solicitudinis suæ in his quæ exequuntur pertinentia ad regimen ecclesiæ: ergo uidetur quòd omnes alii prælati a papa immediate habeant quicquid iurisdictionis uoluntariæ uel contentiosæ habeant, maior patet, quoniam is qui mandata iurisdictione utitur nihil proprium habet, sed utitur solum iurisdictione eius qui mandauit minor uero patet auctoritate beati Grego. & habetur in ca. Decreto 2. quæst. 6. ubi sic ait. Sancta Romana ecclesia ita uices suas aliis impartiuit ecclesiis ut in partem sint uocati solicitudinis non in plenitudinem potestatis, & in cap. sequenti Iulius papa ita dicit. Ipsa namque ecclesia quæ prima est ita reliquis ecclesiis uices suas credidit largiendas ut in partem sint uocatę solicitudinis non in plenitudinem potestatis. Et Leo papa in epistola ad Anastasium episcopum thessalonicen. inquit. Vices enim nostras ita tuæ credimus charitati ut in partem sis uocatus solicitudinis non in plenitudinem potestatis. Vnde magister in historia ecclesiastica tractans illud Exo. 18. Moyses omnia quæ ietro &c. dicit sic. Sicut Moyses concilio Ietro constituit tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, sic Romana ecclesia plurimos uocauit in partem solicitudinis, scilicet primates episcopos archiepiscopos archipresbyteros, & minores sacerdotes. Si ergo hos uocauit sancta Romana ecclesia impartiendo eis partem administrationis suæ uidetur quòd ipsi non sunt instituti a Christo immediate sed a Petro uel successoribus eius. Tertiodecimo sic. Quilibet fidelis tenetur credere unam esse sanctam ecclesiam catholicam, sed ad unitatem ecclesiæ requiritur quod omnium prælatorum potestas iurisdictionis deriuetur a Romano pontifice: ergo necesse est quòd quilibet fidelis hoc credat, & teneat, consequentia est bona maior patet cum sit articulus fidei, & dicatur Canti. 6. Vna est columba mea, una est perfecta, dicit glo. 1. ecclesia minor probatur: quoniam unitas ecclesiæ, ut habetur a beato Cypriano in epistola de unitate ecclesiæ, & habetur in ca. Loquitur 24. quæst. 1. necessario attenditur in ordine ad unam fontalem originem totius potestatis ecclesiasticæ, quam esse dicit apostolicam sedem siue Romanum pontificem super quem fundatam dicit ecclesiam esse. Vnde ait ecclesia Dei luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen est quod ubique diffunditur nec unitas corporis separatur, radios suos super uniuersam terram copia ubertatis extendit profluentes largitur riuos latius pandit unum tamen capùt est & una origo, & una mater fecunditas copiosa. hæc ille. Item sanctus Thom. contra gentiles lib. 4. ca. 76. dicit. Soli Petro promisit. Tibi dabo claues regni cœlorum, ut ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda ad conseruandam ecclesiæ unitatem. Ex quibus manifeste colligitur pertinere ad unitatem ecclesiæ, quòd a Romano pontifice omnium

aliorum prælatorum deriuetur auctoritas quæ erat minor probanda. Ex quibus uidetur quòd negare potestatem iurisdictionis inferiorum prælatorum in ecclesia a Romano pontifice immediate non dependere, non solum præiudicet primatui apostolicæ sedis sed etiam unitati uniuersalis ecclesiæ.

Cap. LVI. In quo probatur eadem conclusio tertia uia scilicet ex inconuenientibus quæ ex contrario modo dicendi sequuntur.

ILLVSTRATA præfatæ conclusionis ueritate duabus uiis, iam tertia uia quæ sumitur ex inconuenientibus quæ ex opposito modo dicendi sequuntur restat declaranda. Primo sic. Nullus potest licite immutare illud quod est ex institutione uel ordinatione Christi, sed si potestates inferiores essent immediate a Christo, sequeretur quòd Papa non posset circa eas facere mutationes quas facit diuidendo episcopatus, & ampliando territoria, & restringendo casus uel extendendo. ipse enim erigit siue de nouo ordinat ecclesias cathedrales 16.quæst.1.felix & ca. Præcipimus. Itẽ ipse subiicit unam ecclesiam cathedralem alteri, extra de offi. dele. quod translationem. Item unit duos episcopatus in unũ & unum diuidit in duos 16.quæst.1. & temporis. Item mutat sedes episcopales de uno loco ad aliũ, extra de transla.præla.cap.1.& ita sedes apostolica hoc faciendo sicut frequenter facit de facto erraret in his quæ sunt iuris diuini extendendo potestatem ultra mensuram debitam, quod est inconueniens. in apostolica enim sede ut habetur in c. In sede 24.quæst.1.semper immaculata permansit religio Christiana. Secundo sic. Nullus potest licite augere uel diminuere ea quę sunt iuris diuini nisi ipse institutor: sed si potestates inferiorũ prælatorum essent immediate a Christo iure diuino sequeretur quòd papa non posset curam parochialem aut abbatialem augere in episcopalem: sed hoc est inconueniens. & contra usum ecclesiæ Romanæ, quæ de nouo sæpe erigit ecclesias cathedrales 16.quæst.1.felix.ergo &c. Tertio sic. Si potestas iurisdictionis inferiorum prælatorum est immediate a Christo & nullo modo collatiue a papa falsum diceret papa cum de ecclesiis prouidens ait. Prouidemus ecclesiæ tali de tali persona, & præficimus eum in patrem & pastorem ac episcopum eiusdem ecclesiæ committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus in nomine patris &c. sed quòd erret apostolica sedes in his est inconuenientissimum dicere, ergo & illud ex quo sequitur. Quarto simili modo arguitur ex communi modo loquendi quo utuntur tam summi pontifices quàm episcopi in institutione alicuius curati in aliqua parochia, dicunt enim. Ego confero tibi curam talis parochiæ: cura autem nihil aliud est nisi potestas ipsa spiritualis iurisdictionis, sed si potestas iurisdictionis esset immediate a Christo falsum dicerent omnes ecclesiæ prælati sic loquentes. sed hoc est inconuenientissimum asserere, ergo illud ex quo sequitur. Quinto sic. Si potestas iurisdictionis inferiorum quorumcunque prælatorum esset immediate a Christo sicut est potestas ordinis, tunc papa non posset solo uerbo conferre uel auferre potestatem ordinis ab aliquo inferiori prælato per quamcunque depositionem aut degradationem, quia non potest tollere quod non dedit. Item nõ posset papa

solo

solo uerbo dare uel auferre potestatem iurisdictionis cuicunque inferiori prælato nec ipsum deponere uel degradare quod est inconuenientissimum cum sit negare tam plenitudinem potestatis apostolicæ sedis quam iura communia. Nec ualet si dicatur quòd non sit simile de potestate ordinis, & iurisdictionis, quia super potestatem ordinis non habet papa plenitudinem potestatis, habet autem super potestatem iurisdictionis, & ideo potest hanc tollere & non primam. Istud non ualet, quia si potestas inferiorum prælatorum est a Deo immediate sicut potestas papæ, papa non habet super illam plenitudinem potestatis, immo nihil habet potestatis super illam cum sit immediate a Deo & per consequens sicut nec unam tollere potest ita nec aliam, seruus enim nec tollere nec mutare potest legem domini sui, iuxta cap. Sunt quidam 25. quæst. 1. sed hoc est aperte falsum, & inconueniens. ergo & illud ex quo sequitur. Sexto sic. Si potestas inferiorum prælatorum esset immediate a Christo sicut potestas papæ, sequeretur quòd inferiores prælati electi non indigerent ab homine confirmari, nec curati per patronos pręsentati indigerent institutione episcopi, nec oporteret quòd ab alio eis cura committeretur, sicut nec papa indiget qui electus canonice a solo Christo confirmatur & instituitur: sed hoc est inconuenientissimum, cũ hoc sit ecclesiasticum ordinem perturbare: quia curati ab episcopis instituuntur qui ecclesias eis committunt & curam animarum. unde mirum est dicere quòd ille cui ab aliquo cura animarum committitur non habeat illam curam immediate ab illo. Episcopus etiam ab archiepiscopo & ille a papa confirmatur, & qui confirmat, ius dat & confirmatus a confirmante habet illam potestatem quam acquirit per ipsam confirmationem. Et sic patet quòd cum archiepiscopus siue patriarcha recipiat a papa suam immediate potestatem & ab illo episcopus & ab episcopo curatus, quòd omnis potestas ecclesiasticæ iurisdictionis deriuatur a papa mediate uel immediate. Septimo ad idem sic. Si ita esset potestas iurisdictionis inferiorum prælatorum immediate a Christo, tunc papa non posset ea quæ ad inferiorum prælatorum iurisdictionem pertinent ad se aduocare uel aliis committere ad iudicandum: sed hoc est falsum & inconueniens & contra plenitudinem potestatis papalis. est enim iudex uniuersalis ecclesiæ, & habet potestatem de omnibus iudicare. ergo inconuenientissimum est illud ex quo sequitur. Octauo sic. Si potestas iurisdictionis inferiorum prælatorum in utroque foro esset immediate a Deo & non a papa, cum potestas diuina non possit impediri ab homine, sicut nec potestas naturæ: sicut potestas papæ non potest facere quin ignis comburat stuppam si eam habet proximatam, ita papa non poterit facere per quamcunque excommunicationem quin episcopus possit excommunicare, & curatus a peccatis absoluere. consequens est falsum & inconueniens, ergo & antecedens. consequentia uidetur esse bona & tamen falsitas consequentis patet, quia excommunicatus non habet usum clauium nec etiam executionem in aliquo foro. unde sententia ab eo lata non tenet ipso iure de sen. & re iudi. cap. ad probandam. Si uero dicatur quòd papa potest excommunicato populum subtrahere, & ideo non ualet sententia lata in non subditum, licet iurisdictio sit de iure diuino: sicut potest de facto subtrahere materiam eucharistiæ sacerdoti tunc non poterit celebrare, non est simile, quia cum potestas iurisdictionis, & prælationis non sit aliud quàm relatio ad subditos, & relatiua posita se ponunt, & per-

empta se perimunt, ut si est pater est filius, & si est pater iure diuino habet & filium iure diuino: si prælati & episcopi habent potestatem prælationis, & curam animarum de iure diuino per consequens habent subditos de iure diuino, nisi eis subtrahatur de facto sicut panis potest subtrahi sacerdoti uolenti conficere, & tunc non poterit conficere, non quia panis desinit esse materia consecrationis, sed quia desinit esse materia præsens, & consecratio requirit materiam debitam, & præsentem, sed subtrahens non potest facere quin panis de iure sit materia sacramenti, & quin præsens de iure possit confici. Ita absolutioni sacramentali quæ requirit præsentem potest materia de facto subtrahi & sic absolutio impediri, sed si de facto non subtrahatur non potest de iure subtrahi si subiectio est de iure diuino & per consequens non poterit papa impedire episcopum, & curatum quin uerè absoluat sibi præsentialiter confitentem sicut nec quin consecret panem præsentem sed excommunicatio, & absolutio non requirunt materiam præsentem in prospectu sed solum in districtu: quia extra territorium ius dicenti impune non paretur. unde si episcopus, & curatus habent populum subditum in foro exteriori de iure diuino si de facto expellantur de parochia & dioceesi per nullam excommunicationem desinunt esse materia sua quin possint ab eis absolui, & ligari, quia ius diuinum per hominem non potest solui. Si dicatur quòd absolutio penitentialis facta ab excommunicato non ualet quia scienter ei confitendo penitens nouum peccatum committit ideo non est absolutionis capax, non ualet, quia possibile est quod ei confitens nescit curatum excommunicatum, & sic non ponit obicem. Item in foro exteriori cessat instantia in quo indistinctæ non tenet absolutio facta ab excommunicato. Nono sic. Si inferiores prælati haberent immediate a Christo & non a papa potestatem iurisdictionis tunc papa non posset iudices dare nec legatos mittere ad dioces. episcoporum etiam propter eorum negligentiam, & defectum, nec episcopi confessores & prædicatores per diocesim, consequens est falsum, & absurdum ergo, & antecedens. consequentia patet per simile, quia papa non mittit inquisitores per terram regum & principum ad puniendum, & corrigendum, quia non habent ab eo suas iurisdictiones, & iustitias. ergo similiter si episcopi non habent iurisdictionem suam ab eo non potest eis mittere legatos nec pari ratione episcopus prædicatores nec confessores per parochias, falsitas autem consequentis apparet de offi. lega. per totum de offi. ordi. c. Inter cetera, ubi episcopi mittunt per diocesim prædicatores. & confessores.

Cap. LVII. In quo obiicitur contra antedictam conclusionem per aduersarios ex ordine apostolorum ad Petrum.

Arg. primum primæ uiæ quod cũ sequentibus soluetur c. 61.

ADVERSVS conclusionem præfatam aduersarii plurima obiicere perlegimus quorum obiectiones ad eam triplicem formam reduci possunt qua processum est ad confirmandam conclusionem præfatam. Inchoantes ergo ab ordine aliorum apostolorum ad Petrum arguunt sic. Apostoli & Christi discipuli potestatem iurisdictionis quam habuerunt non receperunt immediate a Petro sed a Christo, ergo sequitur quod prælati in ecclesia non recipiunt immediate potestatem iurisdictionis a

papa sed a Christo.consequentia uidetur bona, quoniam prælati maiores ut pote episcopi succedunt apostolis,& prælati minores succedunt 72.discipulis,ut in cap.In nouo dist.21.ait Anacletus, & habetur in glo.Luc.10. Ergo uidetur quòd sicut Papa dicitur suscipere immediate potestatem a Christo quia succedit Petro, ita alii inferiores prælati dicuntur suscipere potestatem a Christo immediate quia succedunt aliis apostolis, & discipulis Christi.antecedens uero probant auctoritatibus,& rationibus. Primo auctoritate illa Math.18.Quodcunque alligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis.Quod uero hoc intelligatur de potestate iurisdictionis in foro exteriori per censuram ecclesiasticam, patet, tum ex gloss.interli. quæ super uerbo,alligaueritis,dicit,uinculo anathematis, tum ex glo.beati Hiero.ibidem quæ dicit. Potestatem tribuit apostolis ut sciant cum a talibus condemnantur humanam sententiam diuina sententia roborari. Secundo auctoritate illa Ioan.20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Quod uerbum pertractans Leo Papa in sermone penthecostes ita ait. Reducendorum peccatorum etiam tunc apostoli receperunt potestatem,cum post resurrectionem insufflauit & dixit.Accipite spiritumsanctum &c. Ioan.20.Item Greg.super eodem ita inquit.Principatum superni iudicii sortiuntur ut uice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent,quorum in ecclesia episcopi locum tenent. Non potest autem dici quòd intelligatur de potestate characteris qua ordinati sunt sacerdotes, quia talis fuit eis collata in cœna quando dictum est. Hoc facite in meam commemorationem. ergo necesse est dicere quòd aliam potestatem quàm ordinis receperunt tunc apostoli a Christo,& non est alia nisi iurisdictionis, cum tantum duplex distinguatur potestas, scilicet ordinis, & iurisdictionis: ergo &c. Tertio probant auctoritate illa Math.16.Tibi dabo claues regni cœlorum. Super quo uerbo Leo papa ita inquit. Transiuit in alios apostolos ius ipsius potestatis, & ad omnes ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit,sed hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Item Rabanus ibidem in gloss.ita inquit. Ligandi, & soluendi potestas quamuis soli Petro uideatur data a domino:tamen & ceteris apostolis data est necnon nunc in episcopis, & presbyteris omni ecclesiæ. Quarto auctoritate illa Luc.6.Vocauit discipulos suos & elegit 12.ex ipsis quos apostolos nominauit. Super quo uerbo dicit beatus Ambrosi.quòd cum ad propagandum auxilium salutis humanæ per terrarum orbem satores fidei destinaret &c.ergo uidetur quòd immediate apostoli sunt a Christo destinati, & per consequens immediate ab eo potestatem iurisdictionis acceperunt. Quinto auctoritate illa Luc.9. Conuocatis duodecim apostolis dedit illis potestatem super omnia dæmonia,& ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei,& sanare infirmos, & ita uidetur idem quod prius. Sexto probatur illa auctoritate Luc.10.Postquam designauit dominus,& alios septuaginta duos misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum &c.Super quo beatus Cyrillus ita dicit. Postquam dixit rogate dominum messis,hoc fecit per seipsum ita quòd per seipsum misit eos: sed ipsa missio ut uidetur fuit collatio potestatis. ergo &c. Septimo auctoritate illa Anacleti, & habetur in c.in nouo dist.21.ubi dicitur.Ceteri apostoli cum eodem scilicet Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt. Ecce quòd dicit

Probatio a fili.

Probatio prima ab auctoritate.

Secund

Tertia

Quarta

Quinta

Sexta

Septima

ab eo ergo uidetur quòd omnes alii apostoli acceperunt a Christo immediate potestatem sicut & Petrus. Octauo auctoritate illa Cypriani qua ait in cap. loquitur 24. quæst. 1. quòd dominus post resurrectionem parem potestatem omnibus apostolis tribuit. Nono sic. Petrus non uidetur contulisse potestatem iurisdictionis Mathiæ, sed eam immediate habuit a Christo. ergo similiter & alii apostoli, & per consequens alii ecclesiæ prælati quæ eorum loca in ecclesia tenent. consequentia est bona, quia non magis uidetur de Mathia quàm de aliis apostolis. antecedens patet, quia electus fuit immediate a Christo non autem a beato Petro. Vnde super illud Act. 1. Ostende quem elegeris, dicit beatus Diony. in l. de ecclesiastica hierarchia, quòd Petrus recepit Mathiam ad numerum apostolorum diuina electione ostensum. Decimo arguitur idem de Paulo qui potestatem iurisdictionis immediate uidetur a Christo recepisse. unde ipse ait 2. Corin. 10. Et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis dominus, non alius in ædificationem &c. uidetur quòd si non alius quàm dominus ergo non Petrus. Item ipse ait ad Gal. 2. Mihi enim qui aliquid esse uidebantur, scilicet Iacobus cephas, & Ioannes nihil mihi contulerunt. ergo maior ratione alii apostoli receperunt a Christo quos ipse Christus immediate uocauit.

Octaua

Nona

Decima

Cap. LVIII. In quo contra conclusionem præfatam per aduersarios obiicitur uia rationum.

Arg. primum secũdæ uiæ quod cũ sequentibus soluetur c. 62.

SECVNDA uia scilicet per rationes aduersarii sic argunt. Primo dicit Bernar. scribens ad Eugenium. Erras si ut summam ita & solam institutam a Deo æstimas tuam apostolicam potestatem. ait enim Paulus ad Roma. 13. Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus, non ait sublimiori tanquam in uno sed sublimioribus tanquam in multis non tua ergo potestas sola a Christo instituta, sunt & mediocres sunt & inferiores. Ecce quòd ponit alias potestates inferiores institutas a Christo. Secundo sic. Episcopi sunt sponsi ecclesiæ, sed hoc non nisi immediate gerendo uicem Christi ueri sponsi, ergo &c. Tertio Act. 15. super quæstione mota de legalibus ueteris testamenti obseruandis uel non, cum fide Christi scribitur secundum quòd dicit magister in historiis quo modo Petrus surgens primus ratiocinando dicit non esse imponendum fidelibus iugum legis facto autem silentio Iacobus Hierosolymitanorum episcopus adhærens uerbis Petri auctoritate pontificali protulit diffinitiuam sententiam dicens. Viri fratres audite me. Symon narrauit, &c. propter quod ego iudico &c. q. d. meum est proferre sententiam quia est in diocesi mea. Hoc autem non faceret post iudicium Petri, & in præsentia eius si iurisdictionem haberet ab ipso Petro, quare nec episcopi qui sunt successores apostolorum iurisdictionem habent a papa qui est successor Petri. Quarto sic. Quod competit sacerdotibus ex ui sacramenti sui ordinis habent immediate a Christo sed potestas iurisdictionis quo ad forum conscientiæ est huiusmodi, ergo &c. Maior supponitur. minor probatur, quia quilibet sacerdos accipit potestatem ligandi, & soluendi in susceptione ordinis, sed posse ligare, & soluere pertinet ad potestatem iurisdictionis, ergo &c. Quinto sic. Nobilior & firmior uidetur esse principatus cuius potestas iurisdictio-

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintũ

risdictionis in singulis gubernantibus deriuatur a Deo quàm si ab aliquo homine puro deriuetur cum talis potestas sic nobiliorem habeat originem sed id quod maioris nobilitatis est tribuendum est principatui ecclesiastico:ergo &c. Sexto sic. Dionysius 6.cœlestis hierarchiæ postquam posuit quòd ordo pontificalis esset primus, & diuinissimus omnium ordinationū dicit. Videmus enim omnem hierarchiam in Iesu consummatam. Ex quo habetur quòd omnis hierarchia immediate reducitur ad Christum, quod non esset nisi omnis potestas in hierarchia ecclesiastica esset immediate a Christo. ubi commentator ait, quòd ordo episcopalis præ ceteris ordinibus ecclesiasticis proximus est Deo ultimus, id est cōsummatiuus aliorum: quia in ordine episcopali impletur omnis hierarchiæ dispositio. Septimo sic. Ab illo quis dicitur in ecclesia habere potestatem immediate iurisdictionis a quo ponuntur rectores ecclesiæ.a quo enim habet causa secunda quòd sit habet quòd causa sit:sed a spiritu sancto ponuntur qui rectores, & prælati ecclesiæ sunt,secundum illud Act.20. Attendite uobis in uniuerso gregi in quo posuit uos spiritussanctus episcopos regere ecclesiam Dei. Ex quo uidetur siue loquatur ad episcopos propriè siue ad presbyteros large dictos episcopos siue ad utrosque simul,quòd illi de quibus loquitur ponantur in regimine ecclesiæ a spiritu sancto sicut successores Petri in loco eius,& per consequens quòd potestatem regiminis non habeant ab homine sed a Christo:processus uidetur notus. Octauo sic. Ab illo quis dicitur habere iurisdictionis potestatem in aliqua communitate cuius dicitur esse uicarius in communitate illa:sed sic est quòd alii prælati in ecclesia siue episcopi siue etiam curati non dicantur papæ sed Dei uicarii. ergo immediate habent a Deo potestatem suam.consequentia patet,& antecedens pro maiori parte. minor uero patet ex glo.super epistolam 2.ad Corin.6. & habetur 34.quæst.4.mulier. De curatis uero patet per illud de peni. dist.3.§.inter hæc,ubi dicitur sic.Eum quem sacerdos iudicat Deus iudicat cuius personam in ecclesia gerit. Nono sic. Sicut se habent principes ad regem,ita uidentur episcopi se habere ad papam, sed principes non semper habent iurisdictionem suam a rege:ergo nec episcopi a papa.maior uidetur patere. Vnde de apostolis dicitur psal. 44.Constitues eos principes super omnem terram.minor uero probatur, quia sæpe contingit quòd a principibus habentibus iurisdictionem eligitur rex:sed iurisdictio quæ habetur ante iurisdictionem regis non habetur a rege. Decimo illud quod habetur per electionem populi non habetur a papa, sed iurisdictio episcoporum habetur per electionem populi:ergo &c. Si dicatur quòd non:quia requirit confirmationem.Contra quia illa confirmatio non semper fit a Papa: sed ab archiepiscopo:ergo non oportet quòd potestas episcoporum sit a Papa. Vndecimo sic. Papa non habet rationem capitis principalis in ecclesia sed ministerialis.ergo influentia eius respectu ecclesiæ non attenditur quantum ad donationem siue collationem potestatis sed tantum quo ad dispositionem subiecti recipientis, sicut instrumentum non attingit per se principalem effectum sed disponit materiam ad dispositionem effectus quam causa imprimere intendit.& ita ergo dato quòd papæ utpote capitis sit influere in membra ecclesiastica,non sequitur propter hoc quòd eius influentia attendenda sit quantum ad collationem cuiuscunque potestatis, sed tantum quantum ad dispositionem recipientis quia scilicet nominatio papæ siue in-

Sextum
Septimū
Octauū
Nonum
Decimū
Vndecimum

ſtitutio ſiue confirmatio diſponit perſonam ſic inſtitutam ut aſſequatur poteſtatem ex antiqua collatione, proceſſus uidetur bonus. Duodecimo ſic. Alii apoſtoli dicuntur fundamenta eccleſiæ ſicut & Petrus. Vnde ad Ephe.4.ſcribitur. Superædificati ſuper fundamentum apoſtolorum. Et Apocal.21.dicitur. Fundamenta ciuitatis 12.in quibus ſcripta erant nomina 12. Apoſtolorum, ſed illi ſuper quos fundatur eccleſia uidentur immediate adhærere Chriſto per acceptationem poteſtatis: ergo omnes apoſtoli receperunt immediate a Chriſto poteſtatem.

Duodecimum

Cap. LIX. In quo obiicitur contra præfatam concluſionem in ſpeciali de presbyteris curatis.

QVIDAM aduerſariorum de ordine presbyterorum curatorum, pluſquam oportet ut uidetur, ſapere uolentes, ita ſtatum presbyterorum curatorum extollere præſumpſerunt ut illorum ſtatum, & illos a Chriſto immediate inſtitutos eſſe aſſererent, ita ut illorum iuriſdictionis auctoritas nec a Papa nec ab epiſcopis in aliquo dependeret. Pro qua parte Ioannes de Poliacho quodlibeto 5.quæſt.14.ita arguit. Sacra ſcriptura ſtatum curatorum dicit eſſe inſtitutum, & ipſos a Chriſto quia accipio tanquam manifeſtum quòd Status in quo eſt poteſtas, & iuriſdictio continuatur in diuerſis temporibus ab illo a quo fuit inſtitutus a principio eſt inſtitutus fuit, & conſeruatur in omnibus temporibus ſequentibus. Et quòd ſucceſſor eius in aliqua dignitate officio aut ſtatu ab illo eodem inſtituitur in illo in quo anteceſſor inſtitutus eſt cum in eodem ſtatu ſuccedat quaſi eadem perſona, ſicut patet per iuriſdictionem in omnibus baliuis præpoſitis prioribus, & magiſtris ordinum & ſic de aliis alias ſucceſſor nullo modo cenſeretur quaſi eadem perſona cum anteceſſore: ſed ſtatus, & poteſtas, & iuriſdictio ſeptuaginta duos diſcipulorum continuatur in ſacerdotibus curatis ſicut ſtatus apoſtolorum & poteſtas & iuriſdictio in epiſcopis, & ſuccedunt ſacerdotes curati diſcipulis ſeptuagintaduo, ſicut epiſcopi ſuccedunt apoſtolis dicente glo. Luc.10. Sicut in apoſtolis forma eſt epiſcoporũ ſic in 72.forma presbyterorum ſecundi ordinis. Ergo ſequitur quòd ab ipſo eodem a quo ſtatus diſcipulorum fuit inſtitutus a principio modo eſt inſtitutus ſtatus curatorum. Et a quo fuerunt inſtituti diſcipuli ſunt inſtituti curati habentes auctoritatem, & iuriſdictionem ab illo eodem a quo & 72.diſcipuli. Sed ſtatus diſcipulorum a Chriſto eſt inſtitutus, & ipſi ab eo inſtituti, & miſſi poteſtatem immediate ab ipſo Chriſto accipientis non ab aliquo apoſtolorum ſicut nec alii apoſtoli. Diſcipulis enim ſimul & plurimis poteſtatem prædicandi, & poteſtatem in clauium contulit utriſque quando dixit. Sicut miſit me pater & ego mitto uos, ſcilicet ad prædicandum. Et poſtea. Quæcunque remiſeritis &c. quo ad poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Item Math.ult.in fine dicit dominus in monte galileæ parum ante aſcenſionem. Euntes igitur docete omnes gentes. Ecce quòd eis dat officium prædicandi. Baptizantes eos in nomine patris, & filii & ſpiritusſancti. Ecce poteſtatem baptizandi dat eis. Item Marc.ult. Euntes in mundum uniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ. Sequitur poſtea. Illi autem profecti prædicauerunt ubique domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Fortè dices quòd ibi non fuerunt 72.diſcipuli quando

Argumentatio hæc continet 20. pũcta de quib. ca.63.
Primum punctum
Secundũ
Tertium
Quartum
Quintum
Sextum
Septimũ
Octauũ
Nonũ & decimum
Vndecimum
Duodecimum
Decimũ tertium

quando hoc dixit apostolis, immo fuerunt & negare hoc uidetur manifeste hæreticum, & contra sacram scripturam quæ alias saluari non potest. Vnde Act. 1. quando reuersi fuerunt de monte oliueti, unde Christus ascendit dixit Petrus. Oportet ex his uiris qui nobiscum sunt congregati omni tempore quo Christus intrauit, & exiuit dominus Iesus inter nos incipiens a baptismate Ioannis usquequo assumptus est a nobis testem resurrectionis eius fieri unum ex istis: & statuerunt duos Ioseph, & Mathiam, qui fuerunt de. 72. discipulis. ergo ipsi & alii discipuli fuerunt in ascensione Christi cum interato misit eos ad prædicandum, & baptizandum: immo si debeat illa scriptura uerificari oportet eos 72. discipulos fuisse semper cum Christo sicut & 12. ergo apostoli & discipuli sunt immediate instituti a Christo & ab ipso receperunt sine medio potestatem. ergo & status curatorum & ipsi sunt immediate a Christo instituti, & ab ipso immediate potestatem habent. Status enim istorum non est alius & alius, sicut status isti non sunt alii quam erant ante centum annos, sed est unus status continuatus a Christo semper, & potestas data illis a Christo est continuata in istis. Quare enim potestas collata Petro continuata est in Romano pontifice, & potestas collata aliis apostolis non est continuata in aliis episcopis, & potestas collata in discipulis non est continuata in curatis non potest ratio dari. Et ideo curati sunt ueri ordinarii habentes iurisdictionem ordinariam non iure humano sibi datam sed a Christo immediate in prima institutione ecclesiæ in qua hos duos ordines, & solum illos instituit, & etiam non sunt uicarii episcoporum sed Iesu Christi ab ipso instituti. inferiores tamen & minores episcopis, nec ab ipsis possunt destitui nisi ex rationabili causa sicut nec episcopi a papa, cum non sint eorum Vicarii sed Iesu Christi. Item episcopi habent inferiorem potestatem a Deo immediate sub papa sed non a Papa, quia tunc sede papali uacante potestas in prælatis inferioribus periret, sicut sensus abscisso capite deficiunt in ceteris membris. Et si ita esset adhuc manifestius constat quòd episcopus ordinarius tempore uacationis nullam haberet potestatem: & cum illa uacatio posset durare in multis annis, sequeretur quòd potestas ecclesiæ totaliter deperiret quod nephariũ est dicere. Consimiliter potest argui quòd curati suam potestatem non habent nec a papa nec ab episcopis, ergo &c. Ex quo patet quòd nec papa a prælatis potest potestatem datam a Christo eis auferre & aliis non prælatis dare, nec statum ecclesiæ a Christo institutum destruere, & mutare cum sit ei data potestas in ædificationem non in destructionem, sicut ait apostolus 2. Corinth. 10. Et hoc pulchrè dicit Vrbanus Papa 25. quæst. 1. sunt quidam, ubi sic dicit. Inde nouas leges condere potest Romanus pontifex ubi euangelistæ aliquid nequaquam dixerunt. ubi uero dominus uel eius apostoli, & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid diffinierunt ibi nec nouam legem Romanus pontifex dare potest sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sanguinem confirmare debet &c.

Decimũ quartum. Decimũ quintum. Decimũ sextum & decimum septimũ. Decimũ octauum. Decimũ nonum.

Cap. LX. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones sumptæ ex inconuenientibus quæ dicuntur sequi ex conclusione præfata.

PRÆTEREA aduersarii conclusionem præfatam labefactare nituntur ex inconuenientibus quibusdam quæ uidentur eis ex præfata conclusione sequi. Arguunt enim sic. Potestas quæ est ab aliquo deficit illo deficiente, cum uirtus sequentium pendeat ex eo. unde siccata radice ramorum deficit uirtus, & extincto fonte riuuoluorum aqua siccatur. si ergo potestas iurisdictionis aliorum prælatorum ecclesiæ deriuatur a papa, sequitur quòd eo expirante siue moriente deficeret ceterorum prælatorum auctoritas, sed hoc est falsum, & inconuenientissimum: ergo illud ex quo sequitur. consequentia est bona, & antecedens patere uidetur, cum deficiente causa deficit eius effectus. Secundo sic. Si inferiores prælati iurisdictionem suam acceperunt immediate non a Christo sed a papa, tunc uidetur quòd potestas papæ se haberet ad potestates episcoporum, sicut potestas regis ad potestatem iudicum institutorum per eum & non sicut ad potestates principum: sed hoc est inconueniens, quia sequeretur quòd episcopi non essent ordinarii aut curati, sicut iudices non sunt ordinarii, ut uidetur consequentia uidetur bona & totum assumptum. Tertio sic. Si potestas episcoporum & curatorum non differt a potestate iudicum qui instituuntur a principibus ita scilicet quòd tota potestas eorum est a potestate papæ & quòd pro libito talem potestatem confert papa secundum quòd sibi placet: tunc potestas eorum non differt a potestate commissariorum: quia utrobique quilibet habet tantum de potestate quantum placet instituenti, sed hoc est falsum & inconueniens, quia tunc episcopus non posset committere, cum commissarii non possunt committere. Quarto sic. Si prælati alii potestatem iurisdictionis quam habent haberent non immediate a Christo sed a Papa, tunc Papa possit ad libitum deponere etiam sine culpa & sine causa episcopos, sed hoc est falsum & inconueniens: ergo & illud ex quo sequitur. consequentia uidetur nota satis: maior patet, quia quilibet superior: a quo totaliter pendet potestas inferiorum pro libito uoluntatis potest amouere & potestatem subtrahere a suis inferioribus sicut rex balliuum & papa legatum suum mutare potest ad libitum sine peccato: minor patet quia dicit ibi apostolus 2. Corinth. 10. Potestatem quam dedit mihi dominus in ædificationem non in destructionem, non est dubium quin utens potestate ad oppositum eius ad quod est ordinata, peccet.

Arg. primum tertiæ uiæ quod cũ sequentibus soluetur c. 64.

Secundũ

Tertium

Quartũ

Cap. LXI. In quo respondetur ad obiecta aduersariorum primo sumpta ex parte apostolorum.

TANTA firmitate ueritatis stabilita uidetur conclusio præfata dicens, quòd omnium aliorum prælatorum ecclesiæ iurisdictionis auctoritas non modo quo ad executionem, & usum ut uolunt aliqui dicere sicut Gofridus de fontanis, & Henricus de gandauo in suis quodlibetis, & alii eorum sequaces, sed etiam quo ad substantiam potestatis a Romano pontifice mediate uel immediate regulariter sit deriuata ut saluo meliori iudicio, in nullo ei uideatur per aduersariorum rationes præiudicatum. Quod nos maximè faciemus manifestum cum ad singulas aduersariorum rationes adiungemus responsa. Habet autem inter alia fundamenta

præ-

præfata nostra conclusio fundamentum irrefragabile, diffinitionem scilicet apostolicæ sedis, quæ cum supra petram Christum fundata sit in ea semper fides illibata permansit permanebitque. Diffiniuisse autem uidetur apostolica sedes hoc per plures summos pontifices. Primo quidem per Vigilium papam qui in decretis suis scribens Eleutherio episcopo ita dicit. Nulli uel tenuiter scienti uel pleniter sapienti dubium est quòd ecclesia Romana fundamentum sit & forma ecclesiarum a qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat, hæc ille. Nota bene uerba, quia si nullus credentium ignorat, id est ignorare debet quin omnes ecclesiæ a Romana sumpserunt initium, nullus etiam ignorare debet quin etiam sumpserint, & auctoritatem. Secundo hoc idem diffinitur per Nicolaum papam primum qui scribens Mediolanensibus, ut habetur in ca. Omnes dist. 22. ita dicit. Omnes siue patriarchæ (id est patriarchatus) cuiuslibet apicem siue metropoleon primatus aut episcopatuum cathedras uel ecclesiarum siue cuiuscunque ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia, illam uero solus ipse fundauit &c. Nota uerba quòd ecclesia Romana instituit cuiuscunque ordinis dignitatem: ergo quòd cuiuscunque ordinis iurisdictionis potestas ab ecclesia Romana dependeat nullus debet dubitare fidelis. Tertio diffiniuit apostolica sedes per Innocentium papam primum, qui ut habetur in ca. Quis nesciat dist. 11. ita episcopo Decentio scribens dicit. Quis nesciat aut quis non aduertat id quod a Petro apostolorum principe Romanæ ecclesiæ traditum est ac nunc hucusque custoditur ab omnibus debere seruari, nec superintroduci aliquid quod auctoritatem debeat generalem aliunde accipere uel exemplum, præsertim cũ sit manifestum in omnem Italiam Galliam Hispaniam Aphricam atque Siciliam insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias nisi eos quos uenerabilis Petrus aut successores eius constituerunt sacerdotes. & ita oportet eos hoc sequi quod ecclesia Romana custodit a qua principium eos accepisse non dubium est, hæc ille. Nota uerba, principium accepisse non dubium est: ergo & auctoritatis substantiam. Quarto diffiniunt siue testatur apostolica sedes per beatum Gregorium papam qui scribens episcopis per uniuersas prouincias ut habetur in cap. Decreto secunda quæstione sexta ita de Romana ecclesia ait, quòd ita aliis uices suas impertiuit ecclesiis, ut in partem sint uocatæ solicitudinis non in plenitudinem potestatis. Quinto hoc idem attestatur apostolica sedes per Iulium papam qui ut in capit. Qui se scit. causa. & quæst. supradictis ita dicit. Ipsa namque ecclesia quæ prima est ita reliquis ecclesiis uices suas credidit largiendas, ut in parte sint uocatę solicitudinis non in plenitudinem potestatis. Nota uerba, impertiuit & largitus est uices suas aliis ecclesiis. Cui iam dubium est quin omnes aliæ ecclesiæ auctoritatem suam habeant ab ipsa Romana ecclesia sicut impartiente, & largiente illam. Nec potest dici quòd ista partitio, & largitio uicũ suarum intelligatur de particulari speciali accidentali commissione quam papa facit quibusdam ecclesiis quo ad primatum & dignitatem legationis aut quotidianis commissionibus quas facit ecclesiasticis personis. Tum primo, quia hoc non conuenit nisi certis, & paucis ac determinatis ecclesiis, & personis: auctoritates autem omnes loquuntur de omnibus aliis ecclesiis in communi sicut apparet ex forma dicendi. Tum secundo quia huiusmodi commissio, quæ fit certis personis aut ecclesiis est accidenta-

lis, illa enim quæ sunt per accidens non cadunt sub arte 2. Metaphi. unde auctoritates sunt intelligendæ de potestate quam habent ceteræ ecclesiæ communiter, & non accidentaliter quòd scilicet talis procedat ab ecclesia Romana. Roborata i. m sic conclusione nostra apostolicæ sedis auctoritate cui fas non est contradicere, respondendum est ad obiecta. Pro quorum tamen solutione, & materiæ præsentis notitia clariori præmittemus imprimis hoc notabile quod tam ex beato Tho. 1. senten. distinct. 12. quàm ex communi aliorum doctorum doctrina colligitur, quòd cum dicitur aliquid habere potestatem immediate ab aliquo alio potest intelligi dupliciter, uel quantum ad immediationem uirtutis uel quantum ad immediationem suppositorum agentium a quibus habetur talis potestas. Si sermo currat de primo modo immediationis, tunc dicimus quòd omnis uirtus auctoritas potestas, & iurisdictio quæ est in papa siue in aliquo quocunque prælato, est a Christo immediate. Hoc patet quoniam a nullo alio potest talis potestas conferri nisi per potestatem existentem in Christo siue collatam a Christo, sicut nulla alia causa a prima potest agere nisi per uirtutem causæ primæ. Et de hoc modo immediationis non loquimur hic: quoniam hoc modo immediationis omnis potestas quorumcunque de ecclesia est immediate a Christo, sed loquimur de secundo modo immediationis quæ est ex parte suppositorum agentium siue potestatem conferentium: quo modo tunc quis dicitur a Christo immediate potestatem aliquam suscipere quando inter accipientem potestatem, & ipsum Christum conferentem non est aliquod medium, scilicet suppositum suscipiens a Christo & conferens ipsam potestatem alteri. Et de isto modo immediationis loquentes hic dicimus quòd solus Petrus immediate a Christo potestatem iurisdictionis accepit: cui soli dictum est. Pasce oues meas, & tibi dabo claues regni cœlorum. Omnes uero alii apostoli a Christo mediante Petro potestatem susceperunt dicente beatissimo Leone Papa ut supra inductum est, quòd Christus si quid aliis ecclesiæ principibus uoluit cum Petro esse commune: nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit. His habitis dicendum est ad rationes in oppositum. Ad primam respondetur dupliciter. Primo negando consequentiam, ista enim consequentia non est bona. Apostoli & discipuli habuerunt potestatem iurisdictionis a Christo immediate: ergo & nunc ecclesiæ prælati potestatem iurisdictionis habent immediate a Christo. Quod duobus exemplis facimus manifestum. Primum est de constitutione mundi, manifestum est quod licet in principio mundi prima indiuidua specierum sint immediate facta a Deo, tamen de nouo non fiunt immediate a Deo quantum ad ordinem suppositorum agentium: immo fiunt mediante uirtute cœlesti, & mediantibus aliis causis secundis. unde Arist. 2. phisicorum ait, quòd sol & homo generant hominem, sicut ergo non ualet ista consequentia. In institutione mundi cœli, & elementa ac aliæ principales partes mundi fuerunt immediate a Deo factæ: ergo etiam in propagatione rerum institutarum omnia quæ fiunt, fiunt immediate a Deo. ita etiam ista consequentia non est bona Christus in prima constitutione & fundatione ecclesiæ immediate constituit apostolos episcopos & curatos quantum ad potestatem iurisdictionis. ergo similiter in progressu ecclesiæ fundatæ alii quæ sequūtur post institutos a Christo sunt immediate a Christo instituti. Hoc etiam similiter patet in secundo

Ad primum primæ uiæ inductum supra c. 57.

dò exemplo quod consideratur in regimine ordinis politici. licet enim Christus princeps, & pastor principalis ecclesiæ dū præsens esset in regno militantis ecclesiæ secundum conuersationem humanam instituisset per se apostolos, & discipulos in diuersis iurisdictionibus: non sequitur propter hoc quòd ipso absente secundum conuersationem humanam alii qui in regno ecclesiæ succedunt primis per eum institutis sint ab ipso immediate instituti. poterunt enim esse instituti a suo uicario generali cui totius regni sui curam & regimen committit, sicut contingit in politiis secularibus, & etiam spiritualibus, quod cum principalis dominus longo tempore disponit absentare se, committit suo generali uicario ut si interim uacare contingat officia aut loca aliqua prouideat de idoneis ministris. Quod ita credendum est factum esse cum Christus alta cœlorum peteret ab ecclesia militante præsentiam suam corporalem uisibilemque subtracturus beato Petro tanquam eius generali uicario curam & regimen totius ecclesiæ suæ plenissimè commendaret. Vnde in huiusmodi figura legitur i. Esdræ. 7. Artaxerxes rex regum Esdrę &c. uicario suo generali dat potestatem constituendi omnes iudices in prouincia suæ uicariæ dicens. Tu autem Esdra &c. constitue præsides qui iudicent omni populo. Quod maximè hic ita factum esse creditur, quoniam hoc & ad firmius unitatem ecclesiæ conseruandam & ad obedientiam pleniorem inferiorum prælatorum ad suum generalem uicarium plurimum conferret. Et ita patet quòd consequentia illa aduersariorum nulla sit. Et ad probationem cum dicitur quòd episcopi succedunt apostolis, & presbyteri 72. discipulis. ergo &c. respondetur quòd consequentia ista non est necessaria. Iste succedit illi in aliqua iurisdictionis potestate: ergo habet eam immediate ab eo a quo prædecessor habuit, clarissimum enim est quòd multi prælati succedunt aliis in similitudine officii aut potestatis, & non in modo accipiendi, sicut patet exemplariter de duobus episcopis eiusdem loci sibi succedentibus: quòd licet habeant similem potestatem episcopalem non oportet quòd illam habeant eodem modo, quia unus potest habere eam per institutionem papæ, alius per electionem. Et simile exemplum est de curato qui potest poni a papa immediate uel per confirmationem episcopi. Et ita dato quòd apostoli receperit a Christo immediate potestatem, non sequitur propter hoc quòd episcopi, & curati eodem modo, scilicet immediate suscipiāt a Christo potestatem, Quod etiam manifeste uidetur patere ex gl. August. & Cassiodori super illud psal. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, ubi dicit. Post prophetas apostoli, & pro apostolis episcopi & alii quos ecclesia genuit, & in sede patrum constituit, hæc glo. Ecce quòd manifeste facit quòd ecclesia episcopos genuit & in sede patrum constituit. ergo per consequens illis ecclesia immediate potestatem contulit, & per consequens non habuerunt illam immediate a Christo, non ergo ualet ista consequentia. Episcopi succedunt apostolis in similitudine officii aut potestatis, ergo in modo recipiendi, ita ꝙ immediate habeant illam a Christo sicut apostoli. Quod uero consequenter dicitur ad probationem cum inducitur similitudo de papa ꝙ ipse dicatur ideo immediate accipere potestatem a Christo ꝙ succedit Petro qui a Christo habuit immediate: respondetur ꝙ non est simile de papa qui est uniuersalis uicarius Christi in tota uniuersali ecclesia & de aliis prælatis qui sunt particulares uicarii, quoniam uicarii particulares constitui possunt ab alio quā

Ad probationem a simili.

a principali domino, quoniam possunt institui a generali uicario: non sic autẽ de generali uicario, quoniã pro amplitudine, & uniuersalitate potestatis, & auctoritatis suę non pōt nisi a principali domino immediate cōstitui, & ideo non est simile. Verũ de hoc plenius dicemus in c. sequenti, & uidebitur plane ꝙ rationes aduersariorum sunt parui precii. Et hæc sint dicta quo ad primã rōem. Secundo respondetur ad præfatã obiectionẽ negando antecedẽs siue assumptũ, ualet ꝙ apostoli, & discipuli receperint a Christo immediate potestatem iurisdictionis quam habuerunt, quoniam hoc non uidetur bene probabile iuxta auctoritates, & decreta sanctorum patrum ac rationes supra inductas per diuersa capitula. Quare respondendum est ad auctoritates, & rationes inductas ad probandum antecedens prædictum.

Ad primã ab auctoritate.

Ad primam quæ inducitur Math. 18. Quodcunque alligaueritis super terram &c. respondetur quòd auctoritas nihil facit pro aduersariis, quoniam per illa uerba non est tunc data actu aliqua potestas iurisdictionis apostolis, bene tamen promissa uel insinuata dari in futurum eis, & successoribus eorũ. non enim uidetur quòd ante passionem suam Christus alicui apostolorum dederit aliquam potestatem iurisdictionis. Quod ex multis colligi uidetur Tum ex eo quòd illo tempore conuenit alicui habere potestatem iurisdictionis pro quo competit exercere actum iurisdictionis in foro conscientiæ uel contentioso, sed ex dictis euangeliorum non apparet quòd aliquis apostolorum exercuisset aliquem actum iurisdictionis ante passionẽ Christi, maximè cum illo tempore non dum facti essent sacerdotes. ergo &c. Tũ secundo: quia Christus ante passionem per se regebat ecclesiam suam non per officiales, aut uicarios. ergo non uidetur quòd tunc aliquis apostolorũ habuerit potestatem iurisdictionis alicuius, maximè cum nulli apostolorum Christus assignasset subditos aliquos in quos iurisdictionem sibi datam exequi ualuissent. Tum tertio quia si data dicatur potestas iurisdictionis apostolis a Christo actu regente ecclesiam aut plena, & illimitata super omnes fideles sicut ipse Christus habebat, aut data est eis potestas limitata super aliquos, & super aliquos non: sed nullum horum uidetur dicendum, non primum patet. non secundum: quia non est fingere limitationem talem: ergo &c. Tum quarto, quia si tunc data fuisset apostolis potestas iurisdictionis tunc uideretur quòd omnes alii apostoli ęqualem potestatem iurisdictionis recepissent cum Petro, quod non est dicendum, quia solus ille uocatus est in plenitudinem potestatis. qui etiam ipsorum apostolorum princeps erat a Christo ordinatus. Dicendum ergo uidetur quòd per illa uerba dicta apostolis ante passionem, scilicet. Quodcunque alligaueritis &c. nulla auctoritas iurisdictionis data sit apostolis sed solum promissa, & insinuata dari in futurum sicut prædiximus sicut nec Petro per uerba illa. Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum & quodcunque solueris &c. Et ad uerba Hierony. dicentis in gloss. quòd potestatem tribuit apostolis, dicimus quòd ly tribuit exponendum est, id est tribui promisit: quoniam enim Dei promissio certissima est. ideo Hierony. de potestate promissa loquens more scripturæ loquitur ac si iam data fuisset.

Ad secundum

Ad secundam auctoritatem quæ habetur Ioan. 20. Quorum remiseritis &c. respondetur quòd ista auctoritas non loquitur de aliqua auctoritate iurisdictionis, sed tantum de potestate ordinis. Vnde sanctus Thom. respondens ad hanc auctoritatem in 4. dist. 19. dicit sic. Ad absolutionem peccatorum requiritur duplex potestas, scilicet ordinis,

& po-

& potestas iurisdictionis, prima quidem potestas est æqualiter in omnibus sacerdotibus non autem secunda, & ideo ubi Ioan.20. Christus dedit apostolis communiter potestatem dimittendi peccata, intelligitur de potestate quę consequitur ordinem. unde & sacerdotibus quando ordinantur illa uerba dicuntur, hæc sanctus Tho. Hæc autem potestas quæ consequitur ordinē est ille principatus superni iudicii. de quo dicit Greg. quam apostoli tunc a Christo susceperunt. Cum autem arguitur ex aduerso quòd non possit intelligi de potestate ordinis: quia illam habuerunt in cœna domini cum facti sunt sacerdotes. Respondemus cum eodem sancto Thoma. in 4. dist. 23. sicut superius lib. 1. ca. 92. notauimus, quòd dominus dedit discipulis suis sacerdotalem potestatem quantum ad principalem actum ante passionem quando dixit. Accipite, & manducate. unde subiungit. Hoc facite in meam commemorationem: sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem quantum ad actum secundarium qui est ligare, & soluere. Et ita patet ꝙ per illam auctoritatem non probatur intentum aduersariorum. Præterea quòd prædicta auctoritas non faciat ad aduersariorum propositum, sed magis confirmet propositum nostrū: patet ex ordine temporis quo Christus uerba illa dixit apostolis, quoniam ut inquit sanctus Thomas in 4. dist. 22. Quamuis omnibus apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi: tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est ut ostēdatur ꝙ ab eo in alios debeat descendere, propter quod ei singulariter dixit Christus, confirma fratres tuos & pasce oues meas. i. loco mei (ut dicit Chryso.) præpositus, & caput esto fratrum tuorum ut ipsi te in loco mei assumentes ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment. Ad tertiam auctoritatem quæ ponitur Math.16. Tibi dabo claues &c. Super qua dicit Leo papa: ꝙ transiuerit in alios apostolos ius illius potestatis, respondetur ꝙ beatus Leo papa uerū dicit: nec dubium est aliquod an apostoli habuerint potestatem ligandi, & soluendi, sed an habuerint immediate a Christo uel non: loquendo de immediatione suppositorum agentium. Dicimus ergo ꝙ ius potestatis transiuit, & commeauit in alios apostolos, & principes ecclesiæ sed per Petrum. Nam ut idē Leo inquit in 3. sermone ordinationis suę. Quicquid ceteris cum Petro uoluit esse commune non nisi per Petrum dedit quicquid aliis non negauit. Et hoc sonat uerbū transitus qui de extremo ad extremum non fit nisi per medium: & ꝙ ita etiā ueniat intelligendum nō modo patet ex supradictis, sed ex eo quod dicitur in fine eiusdem auctoritatis ubi sic dicitur: ꝙ Petro hoc singulariter creditur, scilicet aliis dispensandum, secundum illud 1. Cor. 9. Dispensatio mihi credita est: fuit enim Petrus dispensator ille fidelis quē constituit dominus super familiam suam. gl. i. ecclesiam. Luc.22. Eodem modo respondetur ad auctoritatem Rabani in gl. Dicimus enim ꝙ potestas data Petro sit data aliis apostolis: nihilominus tamen differenter. sicut exemplariter possumus dicere ꝙ Deus dedit lumen soli & stellis sed differenter, quia soli immediate, & in plenitudine: stellis uero per medium solis, & in minori quantitate. Sic Christus dedit Petro immediate, & in plenitudine: aliis uero mediante Petro uicario suo generali, & gubernatore totius orbis Christiani, & in quantitate siue mensura per Petrum limitanda secundum partem solicitudinis ad quā essent euocandi. Ad quartam auctoritatem quæ habetur Luc.6. respondetur negando consequentiam, quoniam ex illa auctoritate nec ex dicto

Ad tertiā

Ad quartam

Ambrosii habetur ꝙ Christus tunc côtulerit potestaté aliquam iurisdictionis apostolis aut discipulis, sed bene potestatem prædicandi. Huiusmodi autem potestas prædicãdi distincta est a potestate iurisdictionis, quemadmodũ multæ aliæ potestates quæ in euangelijs legũtur datæ apostolis, sicut est potestas miracula faciendi, sicut est potestas baptizãdi, sicut est potestas sacerdotalis siue conficiendi, sicut est potestas téporalia pro spiritualibus metédi, sicut est potestas ligandi, & soluendi in foro côscientiæ. Vnde ex collatione taliũ potestatum facta apostolis aut discipulis nõ arguitur ꝙ data fuerit eis potestas iurisdictionis aliqua tunc a Christo. Ad quintam & sextam auctoritates per idem patet responsio. Quod uero dicebatur quod missio sit collatio potestatis iurisdictionis falsum est, licet enim sit collatio potestatis prædicandi non tamen potestatis alicuius iurisdictionis. Quocirca ex hoc quòd Christus immediate miserit apostolos, & discipulos ad prædicandum non habetur quòd Christus immediate dederit eis aliquam potestaté iurisdictionis. Ad septimam auctoritatem quæ est Anacleti respondetur iuxta glo. decreti quòd loquitur de potestate ordinis siue consecrationis nõ autem de potestate iurisdictionis de qua est præsens sermo. & ideo textus ille non fauet in aliquo aduersariis. Ad octauam auctoritatem quæ est Cypriani in cap. Loquitur 24. quæst. prima, facilis est responsio per gloss. eiusdem cap. quæ ait, quod paritas illa accipienda sit in ordine, & dignitate consecrationis non in administrationis plenitudine. in hoc enim Petrus superior fuit & maior utpote apostolorum princeps. ait enim beatus Clemens & habetur in ca. In illis distinct. 80. quòd inter apostolos non fuit par institutio sed unus præfuit omnibus. Et ita uidetur quòd textus ille non de potestate iurisdictionis loquitur sed de potestate ordinis, & ita non est ad propositum. Ad nonam in qua obiicitur de electione Mathiæ, respondetur negando assumptum, & ad probationem dicimus quòd non sufficienter probat negatum, quoniam licet dicatur quòd a Christo immediate fuerit electus ad dignitatem apostolatus & ascriptus sacro numero duodenario apostolorum, non habetur ex hoc quòd fuerit aut episcopus immediate a Christo consecratus aut donatus aliqua iurisdictionis auctoritate. ista enim non habent adinuicem connexionem essentialem sicut manifestum est. multo enim tempore apostoli fuerunt apostoli, & non episcopi nec aliquam habentes potestatem iurisdictionis, plures etiam in primitiua ecclesia fuerunt episcopi qui non fuerunt apostoli. Ad decimam obiectionem de Paulo respondetur multipliciter. Primo quòd argumentum hoc non uidetur facere ad propositum, quoniam cum dictum est quòd omnes prælati ecclesiæ a Romano pontifice susciperent immediate potestaté iurisdictionis, additum est regulariter non uolumus denegare quin aliqui potuissent recepisse a Christo immediate. Licet enim lege communi nullus mundetur ab originali sine baptismo, secundum illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritusancto non potest intrare in regnum Dei: quod nullus ingreditur nisi mundus, quia nihil inquinatum currit in illam gloriam. Nihilominus Deus qui nullis restringitur legibus qui nec sacramentis suam ligauit potentiam potest quemcunque mundare sine baptismo aut aliquo sacramento per sanctificationis munus in utero uel alio modo sicut sibi placet. Ita in proposito dicimus quòd Deus Petrum instituens pastorem principem ac caput ecclesiæ, uoluit de communi lege

[Margin notes: Ad quintam & sextam — Ad septimam — Ad octauam — Ad nonã — Ad decimam]

lege ad unitatem ecclesiæ seruandam, ut ab ipso suo uniuersali Vicario, & consequenter a suis successoribus omnes alii inferiores prælati, & rectores ecclesiæ uniuersam iurisdictionis potestatem ac regiminis auctoritatem susciperent & recognoscerent nihilominus Paulo aut alteri apostolorum siue etiam non apostolo sicut sibi placet dare potest, & potuit illam potestatem & etiam maiorem quam alii susceperunt mediante Petro. Sicut ergo non ualet ista consequentia. A. est mundatus ab originali peccato a Christo immediate sine baptismo. ergo & alii, ita nec illa. Secundo respondetur quòd inducta de Paulo non procedunt: quoniam in illis non fit mentio de potestate iurisdictionis: sed de auctoritate prædicationis siue euangelizandi uerbum Dei, & ad hoc ipse immediate electus est a Christo secundum illud Act.9. Vas electionis est mihi iste, &c. Vnde gl. secundum illud 2. Cor 10. quod inducitur ex aduerso. De potest ite nostra quã dedit dominus dicit gl. De potestate apostolatus quam dominus dedit nobis non illis. Tertio respondetur quòd licet in principio apostolatus Paulus a Christo immediate auctoritatem prædicationis habuerit, nihilominus tamen post etiam a Petro recepit quando auctoritate Petri Paulus & barnabas per inspirationem spiritussancti missi sunt ad prædicandum Act.13. sicut tangit gl. decreti c. quis nesciat dist.11.

Cap. LXII. In quo respondetur ad secunda obiecta aduersariorum s. per rationes.

RESPONSIONE data ad obiecta aduersariorum sumpta ex ordine apostolorum ad Petrum, iam restat respondendum aliis rationibus illorum. Et ad primam sumptam ex auctoritate beati Bernar. respondetur quod beatus Bernar. dicens non solum papalem, sed etiam alias potestates ecclesię esse a Christo, uerum dicit & oppositum asserere est erroneum: quoniam ut Apostolus ait ad Rom.13. omnis potestas a Deo est, sed hoc non obuiat proposito nostro: quoniam non dicimus quòd potestas iurisdictionis prælatorum ecclesiæ non sit a Christo, absit hoc ab ore Christiano: sed quòd non sit immediate a Christo immediatione suppositorum agentium, sed sit hoc modo a Roma. pon. qui in regimine ecclesiæ & immediate dispositione eius uices gerit Iesu Christi sicut eius generalis Vicarius, non dicit autem Bernar. quòd omnes potestates aliæ prælatorum sint immediate a Christo. unde non est ad propositum. Ad secundam rationem quã fecit Henricus de gandauo quòd episcopi sunt sponsi ecclesiæ &c. respondetur. Primo quòd ut inquit sanctus Thom. in tractatu contra impugnantes religionem. & nos in superioribus tetigimus in cap. 27. sponsus ecclesiæ proprie est Christus, de quo dicitur Ioan.3. Qui habet sponsam sponsus est. ipse enim de ecclesia suo nomini filios generat. Alii autem qui spõsi dicuntur sunt ministri sponsi exterius cooperantes ad generationem spiritualium filiorum, quos tamen non sibi sed Christo generant. Qui quidem ministri in tantum sponsi dicuntur inquantum uicem ueri sponsi obtinent, & ideo papa qui uicem sponsi obtinet in tota ecclesia uniuersalis sponsus ecclesiæ dicitur episcopus autem suæ diocesis. Secundo respondetur negando istam consequentiam. Episcopi in hoc gerunt uicem Christi: ergo per potestatem quam immediate receperint a Christo. Ista consequentia non

Ad primũ secundæ uię positũ supra ca. 58.

Ad secundum

ualet, quia uicem Christi gerunt per potestatem quam immediate receperunt a Romano pontifice qui immediate uocat eos in partem solicitudinis suæ. Ad tertiam de beato Iacobo qui dixit. Ego iudico, &c. dicunt quidam sicut Henricus de gandauo ubi supra in responsione cuiusdam argumenti, quòd licet Petrus potuisset ferre sententiam nihilominus quia congruum fuit & decens ut quilibet superior permittat gaudere inferiorem sua potestate ordinaria ubi eam habet exercere. & ideo Petrus permisit Iacobo in sententia illa ferenda uti iure suo: sicut papa cum est in ciuitate aliqua non aufert propter hoc officialem: nec curiam episcopo illius ciuitatis: sed de his quæ ibi emergunt ei iudicium dicitur. Sed ista responsio non uidetur nobis rationabilis: quoniam hic est specialis causa propter quam hoc non debuit Petrus permittere: licet enim communiter fiat & decenter sicut dictum est in particularibus negotiis ad tribunal episcopi deductis, non tamen decenter & conuenienter hoc fit cum fidei uniuersalis est quæstio uentilanda & declaranda non ad tribunal episcopi deducitur sed ad tribunal papæ siue concilii uniuersalis ubi papa uniuersaliter præsideat, sicut de ista quæstione legalium super qua uenit Paulus, & Barnabas ad Petrum & ad alios apostolos & presbyteros qui erant Hierusalem, ut dicitur Act. 15. quoniam tunc non ad loci episcopum, sed ad papam ad quem maiores causæ pertinent & qui in omni loco est ordinarius cum approbatione patrum concilii pertinet præfatæ quæstionis diffinitio & ita factum est hic: quoniam non Iacobus sed Petrus tanquam omnium princeps diffiniuit. Vnde beatus Hieronym. in epistola 22. ad August. Petrum principem dicit huiusmodi decreti id est institutorem. beatus uero Iacobus non diffiniens, sed diffinitionem factam per Petrum promulgans siue pronuncians, quia specialis illius loci erat episcopus ait. Ego iudico. Vnde magister Nicolaus de lyra super hunc locum Act. 15. ita dicit. Licet Petrus esset principalis inter apostolos tamen detulit Iacobo in sua diœcesi, ut determinationem dubii proferret. Nota quòd non dicit diffiniret aut determinaret: sed determinationem s. iam factam per Petrum proferret coram concilio. Ad quartam cum dicitur. Quod competit sacerdotibus, &c. respondetur negando minorem, & ad probationem respondetur quòd licet posse ligare & soluere ad exeundum in actum necessario requirat potestatem iurisdictionis: nihilominus tamen secundum se ad potestatem ordinis pertinet. Ad quintam cum dicitur. Quod nobilior & firmior &c. respondetur dupliciter. Primo quòd non facit ad propositum: quoniam nos concedimus ꝙ in omnibus gubernantibus siue regimen habentibus in ecclesię principatu iurisdictionis potestas sit a Christo: licet in aliquibus inferioribus mediantibus superioribus suis usq; ad primæ sedis pontificem a quo uelut omnium capite omnibus inferioribus profluit iuxta sententiam sanctissimi Leonis papæ in c. ita dominus dist. 19. quemadmodum in Hierarchia cœlesti a qua exemplata est ecclesiastica, licet lumen reuelationis in quemcunque angelum descendat, a Deo patre luminum descendat: nihilominus lex diuinitatis ita habet ut inferiores per medios & medii per superiores illud recipiant. Secundo respondetur quòd si aduersarii ita dicere uellent quòd nobilior sit principatus cuius potestas iurisdictionis in singulis gubernantibus deriuatur immediate immediatione suppositorum a Deo, quàm sit mediante aliquo alio. Dicimus quòd uidetur nobis hoc esse falsum: quoniam

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

non

non facere magis uidetur ad nobilitatem principatus ꝙ rectores eiusdem habeant immediate immediatione suppositorum agentium potestaté a Deo quam si mediate: dum tamen habeant immediate immediatione uirtutis. unde non uidetur quòd nobilior esset principatus uniuersi in quo præsidet Deus si ipse immediate ageret omnia nullo interueniente ordine causarum secundarum quam nunc sit, nec facer principatus Hierarchiæ cœlestis. uidetur quòd esset nobilior si lumen reuelationis quod a superioribus per medios descendit in infimos immediate a Deo in singulos descenderet, immo uidetur econtra, quia per hunc modum Deus magis nobilitat angelos superiores & medios quos non tantum lumine suo replet, sed etiam participatione potestatis suæ cooperatores efficit, dum ipsi a Deo illuminati alios illuminant & illustrant. Vnde beatus Diony. in fine 3. cap. cœlestis Hierarchiæ de hoc ita dicit. Vnusquisque Hierarchicæ dispositionis ordo secundum propriam Analogiam reducitur ad diuinam cooperationem illa perficiens gratia & a Deo data uirtute quæ diuinitati, & naturaliter & supernaturaliter insunt & ab ea superessentialiter in inferiores actu sunt ad possibilem Deum diligentium animorum imitationem. Sensus est ut dicit Albertus magnus in secunda parte, quòd illuminati a Deo reducuntur ad Dei cooperationem in hoc quòd sicut sunt illuminati a Deo ita alios illuminant & perficiunt per gratiam & uirtutem datam eis a Deo. Item beatus Thom. in 1. parte. q. 103. arg. 6. hoc probat sic. Cum per gubernationé res quæ gubernantur sint ad perfectionem deducendæ, tanto erit melior gubernatio quanto maior perfectio a gubernante rebus gubernatis communicatur: maior autem perfectio est quòd aliquid in se sit bonum & etiam sit aliis causa bonitatis quàm si esset solum modo in se bonum. & ideo Deus sic gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat in quibus etiam est ordo deriuationis potestatis superiorum ad inferiores: quoniam ut dicit sanctus Thom. ibidem ex ordine ministrorum potestas regia præclarior redditur. Ad sextam rationem quæ sumitur ex Dony. respondetur quòd parum facit ad propositum aduersariorum aut nihil. Concedimus enim in primis quòd ordo episcoporum sit primus atque sublimissimus scilicet ordinis dignitate, in qua omnes episcopi sunt æquales: neque in ea papa alios episcopos excellit. hoc autem dicimus non facere ad propositũ, quia nos impræsentiarũ non loquimur de potestate ordinis, sed iurisdictionis in qua dicere quemlibet episcopum esse summum & sublimissimũ esset hæreticum, quia licet quilibet episcopus posset dici summus sacerdos, ut in c. uidentes 12. q. 1. & 2. q. 7. accusatio. unus solus tamen est summus pontifex s. Rom. episcopus. Quod auté consequenter dicitur in Christo Iesu omnem Hierarchiã consummatã, conceditur ut tandé in Iesum utpote in ultimũ consummatoré & perfectoré omniũ omnis Hierarchia perficitur & cõsummatur, ordine tamen quodã ꝙ infima Hierarchia per mediã & media per supremã reducatur in Iesum consummatoré omniũ, quæ reductio intelligenda est nõ quò ad diuinæ essentiæ uisioné quam oẽs angeli habent sine medio aliquo: sed quò ad reuelationé mysteriorũ gratię. quod uero ulterius dicitur ꝙ hoc nõ esset nisi omnis potestas in ecclesiastica Hierarchia esset immediate a Christo & non a Petro. respondetur ꝙ hoc est falsum de p̃tate iurisdictionis loquendo sicut patet ex dictis & faciliter potest exemplariter ostendi in Hierarchia cœlesti. Ad septimam rationem quæ sumitur ex illo

Ad sextũ

Ad septimum

Act.10. Attendite, &c. respondetur quòd maior illius rationis est uera de eo a quo sicut instituente immediate sunt in ecclesia positi rectores, sic autem non omnes rectores ecclesiarum sunt positi a spiritusancto. Et ad auctoritatem quæ inducta est respondetur, quòd positio illa qua spiritusanctus dicitur posuisse ministros illos ad regendum ecclesiam Dei, intelligenda est nõ per modum immediate institutionis siue immediate collationis potestatis iurisdictionis, sed per modum inspirationis, quemadmodum qui canonica institutione positi sunt in ecclesia prælati siue rectores a Deo siue a spiritusancto dicuntur uocati ad regimen ecclesiæ suæ, licet tamen non sint immediate a Deo instituti, sed mediante superiori prælato. unde gl. super illud apostoli ad Heb.5. Ne quis sibi honorem assumat, sed qui uocatur a Deo, dicit. Qui recte eligitur a Deo uocatur.

Ad octauum

Ad octauam rationem in qua dicitur quòd episcopi sunt Vicarii Christi respondetur. Primo negando maiorem uniuersaliter illius argumentationis dicentes, solum habere ueritatem de Vicario generali a principe constituto non autem de particularibus & secundum quid Vicariis qui a generali Vicario constitui possunt sicut est manifestum. unde & episcopi dicuntur Vicarii apostolorum cum eorum uices gerant in ecclesia, ut in c. quorum uices dist.68. & nihilominus uolũt aduersarii concedere quòd ipsi receperint potestatem immediate ab apostolis, illa ergo maior propositio non est uniuersaliter uera. unde bene stat quòd tales particulares Vicarii a Vicario generali immediate constituantur & nihilominus aliquo modo dicantur domini principalis Vicarii inquantum ministerialiter sibi cooperantur dispensando sacramenta fidelibus sicut patet de sacerdote curato qui licet sit institutus immediate a papa siue ab episcopo pastor, uel confessor unius populi nihilominus dicitur Vicarius Christi de pœn. dist.4. §. inter hæc. Secundo respondetur quòd falsum est, quòd episcopi non sint Vicarii papæ. nam ecclesia Ro. ut habetur in c. decreto, & in c. sequenti 2.q.6. dicitur impartiri & largiri aliis ecclesiis uices suas. Item curatis quibusdam in sua ordinatione dicit episcopus. Quanto fragiliores sumus tanto amplius necessariis auxiliis indigemus. Illius ergo uices gerunt ad cuius auxilium assumuntur. Nec obstat quòd sunt ordinarii, quia etiam legatus a latere est ordinarius & tamen est papæ Vicarius.

Ad nonũ

Ad nonam rationem respondebitur infra ca.64. in solutione quæ dabitur ad secundam rationem.

Ad decimum

Ad decimam autem facilis est responsio, quia electio episcopi quæ fit a populo non fit auctoritate populi sed papæ, quod patet quia nulla esset populi electio nisi per papam confirmetur. Et cum instatur ꝙ interdum per archiepiscopum confirmatur. Non obstat, quia hoc quoque fit de auctoritate summi pontificis, qui & ipsum archiepiscopum confirmare habet. Vnde ab ipso omnis alia potestas dependet.

Ad undecimum

Ad undecimam rationem cum dicitur quòd papa sit caput ministeriale, &c. respondetur concedendo antecedens & negando consequentiam. Pro quo notandum quòd sicut superius in ca.22. commemorauimus, iuxta sanctum Thomam caput in alia membra dupliciter influit. Vno modo quodam intrinseco influxu prout uirtus motiua, & sensitiua a capite deriuatur in cetera membra. Alio modo secundum exteriorem quandam gubernationem prout scilicet secundum uisum, & alios sensus qui in capite radicantur dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus non est ab aliquo nisi a solo Christo cuius humanitas ex hoc quòd est diuinitati coniuncta h[illegible] et uir-

tutem iustificandi,& per consequens papa & alii ministri ecclesiæ quantum ad hunc influxum non uidetur habere ministerium nisi quantum ad dispositionem subiecti per dispensationem sacramentorum. Sed secundus influxus in membra ecclesiȩ quantum scilicet ad exteriorem gubernationem potest alii competere, & secundum hoc papa dicitur caput ecclesiæ inquantũ est gubernator & rector ecclesiæ dicente domino beato Petro cuius Romanus pontifex successor est. Pasce oues meas. Ioan. ult. Et secundum hunc influxum exteriorem influentia papæ respectu ecclesiæ attenditur etiã quantum ad collationem potestatis in eos quos uocat in partẽ solicitudinis suæ, quemadmodum in regimine regni uidemus quòd a rege qui caput regni dicitur. secundum illud Oseæ 6. Optimates capita populorum, omnis potestas regiminis & gubernationis inferiorum ministrorum deriuatur. Quod uero inducitur quòd instrumentum non attingit ad principalem effectum, sed disponit materiam, non est ad propositum: quoniam potestas regiminis non est principalis effectus quem Christus principalis agens intendit inducere in animabus fidelium, ut omnibus notum est, sed sit quasi instrumentum quo mediante populus per ecclesiȩ ministros gubernatur & disponitur ad susceptionem hic diuinæ gratiæ & gloriæ in futuro. Ad ultimam rationem in qua arguitur quòd apostoli fuerunt fundamenta ecclesiæ sicut Petrus. respondetur negandum assumptum, si intelligatur quòd alii apostoli fuerunt fundamenta ecclesiæ sicut Petrus.i.in omni ratione siue modo quo Petrus: quoniam hoc est falsum. quoniam sicut superius in ca.17.explicauimus: beatus Petrus non solum dictus est fundamentum ecclesiæ ratione illa communi qua ceteri apostoli, uidelicet quia in fide & Christi doctrina ecclesiam fundauerunt: sed speciali quadam ratione scilicet ratione principatus & auctoritatis summæ sibi datæ. principatus enim eius quasi basis quædam est totius ecclesiæ. unde sibi soli dictum est Math. 16. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et ideo licet commune fuerit apostolis quòd immediate per fidem adhærerẽt Christo suscipientes ab eo illustrationem doctrinæ siue fidei: nihilominus hoc proprium fuit Petro adhærere Christo per immediatam susceptionem potestatis & auctoritatis iurisdictionis ab eo, alii uero mediante Petro receperunt a Christo. Et ideo hoc modo super alios apostolos non dicitur fundata ecclesia, quia tota potestas ecclesiæ fuit Petro collata, nec habet ecclesia aliam potestatem iurisdictionis nisi quam Deus Petro concessit. Et ideo dicit Augu. in c. quodcunq; 24.q.1.quòd in Petro ecclesia claues accepit.

Ad duodecimum

Cap. LXIII. In quo respondetur obiectis quæ inducta sunt pro curatis supra cap. 59.

IAM reliquum est respondere obiectionibus quibus aduersarii nisi sunt ostendere in speciali quòd curati non a papa nec ab episcopis suæ iurisdictionis potestatem accipiant, sed immediate a Christo. Vbi tamen admirandum uenit quòd præfati aduersarii uoluerunt curatos non solum eximere a dependentia potestatis a papa & episcopis: sed etiam ȩquiparare eos episcopis in iure quod in parochia habent cum tamen ipsi non sint proprie prælati, sed adiutores episcoporum quibus principaliter immo totaliter cura plebis commissa est. unde in eorum ordinatione dicunt episcopi.

Quanto fragiliores sumus tanto magis his adiutoriis indigemus . unde eos apostolus 1.Cor.13.cum dicit . Alii sunt gubernantes alii opitulantes . per opitulantes secundum glo.intelligit qui maioribus opem feret , cuiusmodi sunt archydiaconi & curati . Propter quod dicit sanctus Thom.in li.de perfectione uitæ spiritualis,quòd si quis recte consideret hoc modo in regimine ecclesiæ comparantur archydiaconi, & plebani ad episcopum sicut in regno temporali præpositi & baliui ad regem . Quod etiam ex hoc uidetur, quia cum plebs principaliter episcopo committatur isti nō possunt aliquid nisi quantum eis ab episcopis committitur.unde in c.quæcunque 10.q.1.ex concilio Antiocheno sic habetur . Quæcunque res ecclesiasticæ sunt conuenit cum omni diligentia gubernari & dispensari cum iudicio & potestate episcopi cui totius plebis animæ uidentur esse commissę,& in c.cunctis 16. q.1.Clemens papa ita dicit.Cunctis uero fidelibus & summopere omnibus presbyteris & dyaconibus,& reliquis clericis attendendū est ut nihil absq; proprii episcopi licentia agant,non utique missas sine eius iussu quisquam presbyterorum in sua parochia agat non baptizet nec quicquam absque eius permissu faciat . hæc ibi . Plane si presbyteri curati haberent potestatem immediate a Christo & non a papa aut episcopis suis, non possent ligari ab aliquo inferiori , ut sine licentia speciali uel saltem generali episcoporum non possint agere ea quæ competunt eis iure diuino . Respondendū est ergo ad rationes eorum quibus,ut apertius & plenius respondeatur resoluemus omnem argumentationis illorum processum ad 20 . puncta. Dicunt autem in primo quòd scriptura sancta dicit statum curatorum institutum esse immediate a Christo & etiam ipsos curatos , hoc uidetur esse falsum,ut dicit dominus Petrus de palude,quia Christus per se non fecit nisi unum curatum s.Petrum,quando ei dixit soli . Pasce oues meas , & prius ei promiserat dicens. Tibi dabo claues regni cœlorum. Math. 16. & confirma fratres tuos. Luc.22.& si peccauerit in te frater tuus corripe &c. Math . 18. quæ omnia pertinent ad curatum & soli Petro data sunt . unde sibi soli legitur cura animarum Christus commisisse , sed quia impossibile erat quòd per se solum perfecte totius gregis curam ageret , ideo per consequens commisit illi facere alios curatos quotquot ipse pro adiutorio suo & populi salute opus esse cognosceret , nec Christus per se instituit nisi unam solam curam totius ecclesiæ suæ. non enim diuisit pastores suos dicens Petro. Pasce oues circuncisionis,& Paulo.Pasce oues gentium &c.sed unam curam totius ouilis instituit quam Petro commisit ut fiat unum ouile & unus pastor. sed Petrus postmodum per se & per alios diuisit prouincias & dioceses & parochias,ut ex ca.In illis dist.80.colligitur.unde status curatorum ut distinguitur a statu episcoporum & statu papæ non fuit a Christo institutus immediate : cum nullas parochias aut casuum & potestatis limitationes sub episcopis distinxit nec ipsi curati sunt a Christo instituti in suis parochiis , sed solus Petrus ut dictum est . Quod consequenter secundo loco dicunt ad probationem primi quòd status in quo est iurisdictio continuatur in diuersis temporibus ab illo a quo fuit institutus & conseruatus. Dicendum quòd uerum est secundum intentionem instituentis & non contra eam & mediate & immediate . Quod autem dicunt tertio loco quod successor alicuius in aliqua dignitate aut officio ab illo instituitur a quo antecessor . Dicimus quòd uerum est quando instituens antecessorem retinet sibi institutionem successoris,

Responsio rationis factę c.69 quantum ad primū punctum

Ad secundum

Ad tertiū

successoris, & potest hoc facere, secus autem si non sibi retineret, sed alteri committeret. Vnde quando papa exigit de nouo sedem cathedralem ipse primo ibi præsulem instituit, successores autem non sibi instituendos semper reseruat: sed electionem illis quos facit canonicos committit & confirmationem, & per consequens institutionem Metropolitano cui eam subiecit, sicut in baliuis & præpositis idem & unus est institutor prædecessorum, & successorum quando rex instituens sibi hocipsum reseruat aliter non. In prioribus etiam & abbatibus communiter consueuit primus institui ab aliquo saltem immediatius quàm successores sicut beatus Bernardus præfectus est in abbate clareuallis ab abbate Cistertien. dante subditos & simul utrosque mittente successores autem facti sunt per electionem, quo etiam modo utuntur omnes religiones in conuentibus nouis formandis: nihilominus tamen secundum ueritatem semper institutor primi prælati in statu est etiam institutor successorum immediate uel mediate inquantum eius uirtute fit institutio ab alio cui ipse commisit, sicut archiepiscopus cui papa submittit episcopum quem instituit ab ipso papa ius instituendi accepit. Quod autem dicunt quarto loco ad probandum id quod dixerant s. quòd non censeretur eadem persona successor cum prædecessore nisi ab eodem institueretur, non est uerum: quoniam a quocunque instituatur, dum tamen in idem succedat quantum ad id reputatur idem, sicut patet in exemplis positis parum ante de prælatis qui nouiter in religionibus instituuntur & eorum successoribus, qui successores eadem persona reputantur cum prædecessoribus licet a diuersis sint instituti. De quo etiam exemplum ponere possumus, quòd fiscus succedens non habenti alias hæredem iure suo licet non instituatur a quo institutus fuerat defunctus, tamen in hæreditate in qua succedit reputatur eadem persona cum defuncto & dicitur uerus successor. Quod autem dicunt quinto loco quòd status & potestas discipulorum continuatus est in curatis sicut status & iurisdictio & potestas apostolorum in episcopis & quòd succedunt curati discipulis sicut episcopi apostolis, non uidetur uerum intelligendo quòd status sacerdotum curatorum præcesserit explicite in discipulis Christi ante Christi ascensionem & sit continuatus semper in sacerdotibus curatis. & hoc patet; quia discipuli pro tempore discipulatus Christi id est usque ad passionem, uel ascensionem: non fuerunt sacerdotes nec fuerunt curati, licet post penthecostem quidam ex eis fuerunt sacerdotes, quidam episcopi, & quidam dyaconi, & quidam nec sacerdotes nec curati. unde non habuerunt ex quo uocati sunt discipuli statum curatorum, nec quantum ad ordinem, nec quantum ad curam determinatæ parochiæ, & ita status eorum non est continuatus in curatis. sed uerum est quòd status illorum fuit figura status curatorum quò ad statum prædicandi, & temporalia metendi, & quantum ad hoc succedunt eis, id est hanc habent potestatem sicut illi, & ita intelliguntur omnes auctoritates, quæ hoc sonant. Et similiter dicendum est de apostolis quòd ante passionem non habuerunt ipsi statum episcoporum & ordinum sicut supra in capit. 61. ostendimus. Quod ergo dicunt quòd status apostolorum continuatur in episcopis uerum est quò ad statum primum, & quò ad potestatem, & auctoritatem prædicandi, si tamen illa in eis non fuerit interrupta, & quò ad dignitatem super alios & quò ad statum ultimum, quia finali,

Ad quartum

Ad quintum

ter omnes apostoli fuerunt episcopi. Et similiter quod dicit de discipulis q̃ status continuatus est in curatis in parte, uerum dicit scilicet quantum ad aliquid: quoniam aliquo modo status eorum continuatur in curatis, quia sicut illi sub apostolis habuerunt potestatem prædicandi sic & curati & isti post illos. unde ista successio qua episcopi succedere dicuntur apostolis & curati discipulis: licet habeat bene aliquam similitudinem successionis quò ad aliqua quæ dicta sunt, non tamen habet ueritatem successionis, sicut nunc episcopus succedit alteri episcopo qui præcessit in episcopatu, aut curatus qui nunc est alteri curato in parochia qui ante fuit, ut patet ex dictis. Quod autem concludunt sexto loco ex prædictis, uidelicet quòd ab eodem a quo fuit institutus status discipulorum sit institutus status curatorum non sequitur, quia curati non sunt ueri & proprii successores eorum, ut dictum est immo inquantum sacerdotes curati differunt totaliter ab eis, quia nec illi erãt sacerdotes. Vnde beatus Marcus qui fuit de præstantioribus discipulis, ut dicit Hieron. in prologo super Marcum, pollicem sibi post amputauit ut indignus sacerdotio reputaretur. Nec illi erant curati, quia non habebant aliquam plebem determinatam sibi commissam sicut curati, nec poterant aliquem absoluere uel ligare. unde est totaliter alius status licet in aliquibus sit similitudo s. in potestate prædicandi & temporalia metendi & in inferioritate ad apostolos. Hac ratione dicitur in gl. Luc. 10. quòd discipuli figuram siue formam gerebant sacerdotum secundi ordinis. Quod ulterius septimo loco dicunt quòd ab eodem instituuntur curati a quo & discipuli. Dicendum quòd non sequitur etiam si esset idem status iste & ille, quia dominus qui discipulos primo instituit dato quòd fuissent primi curati sequentes curatos non sibi reseruauit instituendos, sed commisit Vicario suo generali cui curam omnium ouium commisit dicens. Pasce oues meas Ioan. ult. Illas autem oues Petrus pascit quas pascendas ipse committit, quia qui per alium facit per seipsum uidetur facere, sed illas Petrus non uidetur pascere quas aliquis pascit non nomine Petri nec a Petro institutus, sed ab alio. Vnde quicunque dicit quòd aliqui pastores, uel curati in ouili Christi instituuntur non a Petro, sed immediate a Christo falsificare uidetur uerbum domini dicentis Petro. Pasce oues meas, sed debuit dicere. pasce oues meas una cum pastoribus quos tibi adiungo uel adiungam. Et est bene mirum si Christus erat immediate instituturus omnes alios pastores per mundum particulariter sicut successorem Petri uniuersaliter, quare non ita dicit de aliis apostolis pro episcopis & discipulis pro curatis, pascite oues meas, & uos cum Petro, sicut paterfamilias omnibus operariis quos immediate conduxit dicit. Ite & uos in uineam meam, &c. Math. 20. Præterea si eis erat daturus æque immediate sicut Petro claues iurisdictionis sicut successori Petri: mirum est quare non ita dixit eis. aliquando dabo uobis claues regni cœlorum cum Petro sicut hoc dixit Petro. nam de aliis quæ dedit eis sicut Petro, puta intellectum scripturarum & gratiam prædicandi dixit communiter dabo uobis os & sapientiam cui non poterunt resistere. Et de potestate miraculorum inquit. Dedi uobis uirtutem & potestatem, &c. Luc. 10. Vnde cum non legatur Christus apostolis dedisse claues iurisdictionis, nec curam animarum aliis apostolis nec discipulis sicut Petro, dato quòd episcopi succedant apostolis & curati discipulis sicut papa Petro, non sequitur quòd habeant curam nec potestatem, sicut Petrus & papa a Christo immediate

Ad sextũ

Ad septimum

diate

diate. Quod autem octauo loco dicuntur quòd sicut apostoli non habuerunt potestatem suam a Petro nec discipuli ab apostolis nec etiam a Petro sed omnes immediate a Christo, sic episcopi & curati non a papa sed a Christo in duobus peccant: sicut diximus supra in cap. 61. Primo quia sicut supra dictum est omnes apostoli & discipuli omnem potestatem iurisdictionis acceperunt a Petro. Secundo peccant, quia dato quòd ita esset quòd omnes illi quasi primi episcopi, & primi curati accepissent immediate a Christo, non propter hoc sequitur quòd alii successores accipiunt immediate ab eo sed magis a successore suo, quia Christus hoc non sibi retinuit, sed suo Vicario generali commisit. Quod consequenter dicunt nono loco quòd Christus immediate dedit potestatem prædicandi, & baptizandi etiã post resurrectionem & in die ascensionis parum ualet, quia ex hoc non habetur ꝙ dedit eis potestatem iurisdictionis, ut superius habitum est in præcedenti ca. Ceterum etiam non sequitur quòd si Christus adhuc præsens corpore & per se ecclesiam suam regens per seipsum dedit apostolis potestatẽ prædicandi & baptizandi uel aliam quamcunque potestatem quòd propter hoc det eorum successoribus, sed magis quòd successor Petri det successoribus illorum, maxime quia facta paucorum communem legem non faciũt. Vnde si illi propter suam sanctitatem hoc habuissent qui confirmati non poterant abuti: non oportet quod ita sit de aliis, sed debuit seruari communis causa utilitatis quòd ab uno capite omnes acciperent suam potestatem limitatam. Quod autem decimo loco dicunt quòd data sit discipulis in resurrectione potestas ligandi & soluendi simul cum apostolis, manifeste uidetur falsum ex prædictis, maxime quia ipsi non erant sacerdotes. Illud autem dictum in resurrectione. Quorum remiseritis peccata, &c. non nisi de potestate soluendi & ligandi in foro conscientiæ loquitur. Et cum dicunt undecimo loco ad probationem iam dictorum quòd quando Christus dixit. Sicut misit me pater, & ego mitto uos, quòd tunc dedit potestatem prædicandi discipulis sicut apostolis, dicendum uidetur quòd non ita sit, quia ex quo sacramentum ordinis fuit institutum quod fuit in cœna: cum ordo doctorum in ecclesia sit præcipuus: extunc non licuit nisi ordinato saltem in diaconum prædicare. Vnde etiam post spiritussancti missionem cũ erant sanctiores sancti & doctiores facti nullus nisi diaconus legitur prædicasse. unde cum tunc non essent discipuli diaconi. sed postmodum fuerunt ordinati: non est uerisimile quòd eis Christus dederit potestatem prædicandi & quòd potestas prædicandi quam prius habuerunt expirauit: quando scilicet uentum est ad illud tempus quando soli ordinati debebant prædicare, quod fuit postquam sacramentum ordinis fuit institutum. Quod autem consequenter duodecimo loco dicunt quòd discipuli receperunt potestatem prædicandi in monte galileæ & in ascensione cum apostolis, non est uerum. dato etiam quòd fuissent præsentes, quia scilicet non erant capaces illius potestatis de congruitate & decentia. & quod dictum est de prædicatione appropriata ordini sacro, etiam dicendum est de baptismo, uidelicet quòd post institutionem ordinis ipse baptismus cum sit ianua sacramentorum debetur sacerdotibus qui habent claues, uel eorum immediate ministris, sicut diaconibus. hi enim soli in primitiua ecclesia baptizabant: tunc enim in baptizando iuuabant leuitæ sacerdotes, sicut Philippus diaconus baptizauit Eunuchum & plures alios in Samaria Act. 8. unde actus actiuo-

Ad octauum

Ad nonũ

Ad decimum

Ad undecimum

Ad duodecimum

rum sint in patiente & dispofito. Cum ergo discipuli nondum essent diaconi & per consequens non essent apti,nec dispositi secundum exigentiam legis nouæ ad prædicandum, nec ad baptizandum per consequens Christus pro tunc nullam eis potestatem dedit dato quòd essent præsentes. Vnde etiam Matheus & Marcus ubi hoc referunt scilicet ult.ca.solum de 11.discipulis qui intelliguntur apostoli faciunt mentionem de aliis discipulis tacentes, quod non est, nisi aut quia non erant præsentes aut si erant præsentes ad solos apostolos dirigebatur sermo Christi & illis solis dabatur potestas modo supradicto. Magister etiam Nicolaus de lyra supra ultim. cap. Math. & Marc. solùm de apostolis intelligendo explanauit litteram illam. Et si quæratur quid est de potestate quam prius ante passionem habuerunt. Respondet dominus Petrus de palude in tractatu suo de potestate ecclesiastica, quòd illa uidetur defecisse in passione, quia non miserat eos simpliciter ad prædicandum in omnem locum, sed in omnem ciuitatem,& locum quo ipse erat uenturus. Vnde postquam cessauit uia Christi cessauit eorum potestas, sicut cessat uirtus legalium adueniente ueritate usque ad cuius aduentum erant imposita, ut ait apostolus ad Gal. 4. & ad Heb. 11. Et eadem ratio inquit uidetur de apostolis specialiter, quia in passione omnes deuiauerunt a fide præter beatam Virginem, ut uidetur dicere beatus Anselmus potestatem, & auctoritatem quam habuerunt perdiderunt. Vnde post resurrectionem de nouo modo supra exposito potestatem receperunt, & quasi contraria continentem: quia prius dictum est. In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Postea uerum dictum est Math. ultim. Docete omnes gentes, & Marci ultim. Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Act. primo. Eritis mihi testes in iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Quod autem consequenter aduersarii dicunt terciodecimo loco quòd sit hæreticum dicere quòd septuaginta duo discipuli sicut & undecim apostoli non fuerunt semper cum Christo, periculose dictum est quoniam oppositum dicere manifeste contradicit euangelio in pluribus passibus. Nam Ioan. 4. habetur quòd discipuli abierunt in ciuitatem, ut cibos emerent quando inuentus est solus cum muliere. Vnde apostoli mirabantur quòd cum muliere loquebatur, alias non fuissent mirati, quia aliis præsentibus sæpe cum mulieribus etiam extraneis loquebatur, sicut chananeæ. Math. 15. Magdalenæ. Luc. 7. & sic de aliis. unde tunc non fuerunt discipuli, nec apostoli cum eo. Vnde magister Nicolaus de lyra super illo uerbo. Da mihi bibere: dicit sic. Causa autem quare petiit a muliere subditur. discipuli autem eius abierunt in ciuitatem, & ideo non erant præsentes ad dandum sibi potum. hæc ille. Similiter quando pernoctabat solus in oratione discipulis in mari laborantibus. Math. decimoquarto. Item in transfiguratione, & suscitatione puellæ non fuerunt secum nisi tres. Math. septimo, & Lucæ nono, nec in cœna nisi duodecim. Math. decimosexto,& Marci decimoquarto, & Luc. uigesimosecundo alias frustra illi soli nominarentur. Vnde etiam hoc ecclesia testatur in officio corporis Christi cum sic cantat. In supræme noctis cœnæ recumbens cum fratribus, obseruata lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus. Item in resurrectione quando ostendit eis manus, & pedes, & latus. Thomas

Ad decimũtertiũ

unus ex discipulis non erat cum eis, quando uenit Iesus. Non ergo omnes apostoli, & multominus omnes discipuli semper fuerunt cum Christo. Quod ergo dicit Petrus. Oportet ex his unis qui nobiscum sunt congregati omni tempore quo intrauit & exiuit dominus Iesus incipiens a baptismate Ioannis usque in diem qua assumptus est, &c. non est intentionis suæ quòd septuagintaduo ex quibus unus erat eligendus in apostolum semper actu fuerunt cum apostolis & cum Christo in omni loco, quia hoc sicut ostensum est repugnat euangelio in multis locis, maxime Math. uigesimo, ubi dicitur. Ascendens Iesus Hyerosolimam assumpsit duodecim discipulos secreto, ubi ait magister Nicolaus de lyra assignans rationem, quia secreta mysteria sunt tantum maioribus reuelanda & detegenda cuiusmodi erant apostoli. sed intentionis suæ fuit dicere quòd semper fuerunt de eorum congregatione familiari cum Christo non abeuntes retro sicut quidam ex toto: nec sicut turba discipulorum omnium qui ibant & redibant quasi dicat Petrus non de communibus discipulis nec de turba, sed de illis qui erant de familia Christi qui erant ab ipsomet Christo iam electi, & informati ad prædicandum sicut apostoli in modo uiuendi consimiles ipsis apostolis, de illis inquam non de aliis erat merito eligendus apostolus. unde sensus est. Qui nobiscum sunt congregati omni tempore id est communiter, qui ut exponit Nicolaus de lyra per experientiam nouerunt conuersationem Christi & opera eius. Quod autem consequenter decimoquarto loco dicunt quòd status curatorum, & status discipulorum sunt unus status sicut status episcoporum & apostolorum: sicut status isti non sunt alii quàm ante centum annos. Licet concedatur ita esse quodam modo: non tamen necessario sequitur sicut superius sæpe commemoratum est quòd successores immediate habeant potestatem ab eodem a quo prædecessores: quoniam ad unitatem status hoc non requiritur, sed sufficit quòd habeant a Vicario illius cui ius suum plenum commisit. Præterea falsum est quod dicunt quòd Christus fecerit discipulos curatos in locis illis. Vnde nunquam in nouo testamento legitur quòd discipuli a Christo facti sint curati: similiter nec apostoli sint facti episcopi nisi Petrus: sed immediate uel mediate a Petro facti sunt finaliter omnes alii episcopi. Quod uero 15. loco dicunt quòd non potest dari ratio quare potestas Petro data sit continuata in summo pontifice a Christo, & data apostolis & discipulis non sit continuata in episcopis & curatis. Non est uerũ immo ad hoc datur multiplex ratio & assignatur multiplex differentia inter papam, & alios ecclesiæ prælatos. Prima quidem quia summus pontifex in eadem sede materiali succedit Petro in ecclesia Romana in qua Petrus sedit & ultimo resedit. non est autem dare aliquem episcopum alium qui in eadem succedat alicui alteri apostolo nisi forte patriarcha Hierosolymitanus qui succedit Iacobo alphei unde non est simile. Secunda ratio quia potestas data Petro non potest dari ab homine puro. unde oportet quòd ab illo a quo data est Petro potestas id est Christo continuetur cuilibet successori, sed potestas data aliis apostolis & discipulis cum sit limitata & coarctata dari potest ab homine, sicut fit saltem quando papa dat alicui episcopatum, uel curam uel de nouo instituendo nouũ episcopatum uel curam nouam: quia tunc dat illi quem promouet tantam potestatem quantam habet alius episcopus, uel curatus etiam si a Christo

Ad decimũquartũ

Ad decimũquintũ

esset immediate institutus. Tertia ratio, quia Vicarii particulares possunt institui ab alio quam a principali scilicet a Vicario generali. Vicarius autem generalis non potest institui nisi a principali domino, & ideo necessarium non est quòd Vicaria particularis instituatur, uel conferatur, aut continuetur immediatè a principali domino sicut de Vicaria generali. Quarta ratio: quia statui episcoporum & sacerdotum non est annexa potestas iurisdictionis sicut est statui papatus. Cuius probatio est: quia illa quæ sunt annexa iure diuino homo non habet abinuicem separare. secundum illud Math. 18. Quos Deus coniunxit homo non separet, sed papa potest facere uerum episcopum, & uerum sacerdotem qui nullum habet subditum nec aliquam iurisdictionem in aliquo foro nec ex hoc quòd aliquis est sacerdos maior sicut episcopus, uel sacerdos minor habeat aliquã potestatem iurisdictionis nisi cum hoc aliunde sibi detur: nec econuerso ut patet: sed papatui licet similiter potestas ordinis non sit annexa quasi ex debito: nihilominus potestatis plenitudo est ei annexa. Papatus enim dicit statum prælationis super totam ecclesiam cum plenitudine potestatis. unde annexa est hæc potestas sibi inseparabiliter a Deo, & ideo potestas papalis continuatur ad successores quod non fit de aliis. Quinta ratio, & differentia est propter determinationem communitatis ex una parte, & indeterminationem ex alia. nam communitas ad quam pertinet electio papæ est certa & determinata scilicet communitas uniuersalis ecclesiæ communitas ad quam pertinet electio episcoporũ non sic est determinata: quia expedit aliquando diuidere episcopatus, uel multiplicare. acquiruntur etiam sæpe nouæ gentes, ubi oportet fundare nouas sedes ad quas pertineat eligere prælatos suos propter quod oportuit committere hoc Vicario generali ordinare de talibus. Sexta ratio & differentia dissimilitudinis est, quia non sic succedunt episcopi apostolis aut curati discipulis sicut papa Petro: quia Petro succedit papa in determinata potestate & certa & quantum ad territorium & quantum ad casus siue extensionem potestatis, non sic episcopi apostolis nec curati discipulis prout est manifestum. Septima ratio potest dari: quia magis pertinet siue facit ad unitatem ecclesiæ seruandam quòd potestates aliorum prælatorum immediate deriuentur a generali Vicario immediato quam si immediate essent a Christo, sicut est potestas papæ sicut supra ostensum est. Quod autem consequenter dicunt decimosexto loco quòd curati sunt ueri ordinarii habẽtes iurisdictionem ordinariam concedendum est quòd ita sit in foro conscientiæ, nec tamen propter hoc sequitur quin status eorum & iurisdictio sit a papa qui potest dare ordinariã iurisdictionem non solum personæ sicut legato: sed etiam ecclesiis sicut monasteriis etiam monialium quarundam quæ habent officialem suum quibus solus papa potest dare claues iurisdictionis quamuis non claues ordinis. Quod uero dicunt decimoseptimo loco quòd curati habent iurisdictionem ordinariam non iure humano sibi datam, sed a Christo immediate a prima institutione ecclesiæ, non uidetur uerum. quia si loquamur de iurisdictione in foro exteriori certum est quòd hanc non habent curati nisi iure humano, quia nec nisi de consuetudine de qua in paucis casibus excommunicant etiam iuris ordine non seruato de offic. ordin. cap. secundo nec illa potestas fuit eis data in prima institutione in qua nec discipulis data fuit, ut supradictum est. Eodem modo de iurisdictione

[Margin: Ad decimũsextũ]

[Margin: Ad decimumseptimum]

ordinaria in foro conscientiæ non potest dici quòd eam habeant a Christo in prima institutione id est in discipulis: quia nec illam discipuli habuerunt cum non essent sacerdotes. Quod autem dicunt decimooctauo loco quòd Christus hos solos ordines instituit, in parte uidetur uerum & in parte falsum. Verùm quidem si referatur ad potestatem ordinis: quoniã Christus ordinem simplicium sacerdotum instituit in cœna quando per seipsum omnes apostolos sacerdotes fecit. similiter ordinem episcoporum instituit quando Petrum consecrauit qui in hoc omnibus episcopis par fuit: non autem instituit ordinem episcoporum in apostolis aliis sicut in primis episcopis a se factis, quia non sunt ab eo facti episcopi ut dictum est. nec instituit ordinem sacerdotum in discipulis: quia nusquam fecit eos sacerdotes. Si autem considerentur isti duo ordines quantum ad potestatem iurisdictionis sibi propriam, sicut quòd curatus in una parochia sub episcopo habeat populum subditum ad forum conscientiæ: episcopus sub papa super suam diœcesim habet potestatem in utroque foro, sic isti duo ordines non sunt instituti in prima institutione ecclesiæ: quando scilicet elegit 12. apostolos & duo de septuaginta discipulos quasi dederit apostolis pro se & futuris episcopis potestatem iurisdictionis in utroque foro, & discipulis pro se & pro omnibus futuris curatis sicut dedit Petro pro se & suis successoribus, sicut intendunt illi qui sunt contrariæ opinionis, & quòd ita non fuerit apparet ex præcedentibus: quia nihil iurisdictionis eis contulit sed Petro soli pro se & suis successoribus totam potestatem iurisdictionis ecclesiæ distribuendam episcopis & curatis & aliis sicut expediens iudicaret. Potest tamen dici status episcoporum & curatorum institutus a Deo dupliciter. Vno modo a Christo in generali & implicite & in uirtute in Petro, quia Petrus fuit uerus curatus cuiuslibet parochiæ & diœcesis. Vnde sicut in quaternario continetur binarius & ternarius materialiter et si non formaliter, ita in Petro utrunque statum Christus instituit materialiter. Item uirtualiter, quia in ipso fuit potestas diœceses & parochias episcopis & presbyteris assignandi. Secundo modo a spiritusancto a quo inspirati apostoli in primitiua ecclesia per diœceses episcopos, per parochias presbyteros posuerunt & ab illis primis uere & proprie episcopatus & rectorie continuatæ fuerunt ad succedentes in illis. Quod ergo dicebatur de ordinibus illis duobus quòd essent instituti a Christo, quòd si intelligantur instituti præfiguratiue, uel præordinatiue, & in generali, & implicite modo quo supra expositum est, conceditur. sed ex hoc non sequitur quòd papa in speciali & expresse non instituerit tales potestates, sed solum sequitur quòd hæc habeat ex commissione siue ordinatione Christi. Si autem intelligatur quòd sint instituti explicite & quantum ad propria secundum tales potestates determinatas & quantum ad casus & quantum ad territoria falsum uidetur, ut uisum est supra. Quod autem 19. loco dicunt quòd si ita esset quòd omnes aliæ potestates penderent a papa tunc uacante sede potestates illę perirent, non est uerum, nec hoc sequitur: quoniam duratio statutorum & officiorum in republica non mensuratur secundum mensuram uitæ statuentis, siue statuat aliqua pertinentia ad mores siue statuat aliqua pertinentia ad iurisdictionem: alioquin principe uel prælato quocunque moriente omnia statuta sua perirent, quod falsum est. sed duratio talium habet mensurari secundum quòd uult instituens manente illa auctoritate.

Ad decimum octauum.

Ad decimũ nonũ

in republica: ſicut etiam patet in principibus qui fiunt per electionem: quoniam non eſt dubium quòd talibus principibus morientibus adhuc manent ſtatuta eorum in uigore ſuo & quantum ad mores & quantum ad officia & quantum ad gradus officiorum, ut per multa capitula patet. q 2. cauſa 25. ubi inter alia dicit Anacletus in cap. priuilegia. Priuilegia eccleſiarũ & ſacerdotum intemerata & inuiolata cunctis decernimus manere temporibus. Et idem dicit Leo papa in cap. ſequenti. Quod autem dicunt 20. loco quòd papa non poſſit auferre a prælatis inferioribus poteſtatem eis datam & eam aliis non prælatis conferre & ſtatum a Chriſto inſtitutum mutare, uerum eſt: ſed quò ad poteſtatem quam epiſcopi receperunt immediate a Chriſto quæ eſt ordinis non autem iuriſdictionis, ſicut ſæpe ſuperius repetitum eſt.

Ad uigeſimum

Cap. LXIIII. In quo reſpondetur obiectionibus aduerſariorum ſumptis ex parte inconuenientium quæ dicuntur ſequi ex concluſione præfata.

VLTIMO argutum eſt contra præfatam concluſionem per aduerſarios ex parte inconuenientium quæ affirmant ſequi ex illa concluſione: quibus reſpondendum iam eſt. Ad primam ergo cum dicitur quòd ſi ſic eſſet tunc deficiente papa aut uacante ſede deficeret poteſtas aliorum prælatorum. reſpondetur dicendo hoc quòd non ſequitur ſicut ſuperius iam diximus ad ſimile argumentum: quia ceſſante cauſa in fieri tantum non oportet quòd ceſſet effectus iam factus: ſed ſolum ceſſante cauſa in eſſe. non dicitur autem papa ratione perſonæ quæ corruptibilis eſt quòd ſit cauſa in eſſe poteſtatis eccleſiæ: quia tunc bene ſequeretur quod aduerſarii dicunt: ſed iſto modo ſcilicet ſicut cauſa in eſſe ſedes papalis quæ non moritur extra de reſcrip. cap. Si gratioſe lib. 6. & quæ fundata eſt a Deo non poteſt deſtrui & eſt cauſa omnium iſtorum in eſſe. perſona autem non eſt cauſa niſi in fieri quando ipſe facit aliquem epiſcopum uel curatum. Et ſatis apparet conſequentia illa aduerſariorum deriſoria quia iſto modo probaretur quòd conſtitutiones factæ per papam non haberent uigorem ſiue auctoritatem a papa cum non perdant uigorem ſede uacante. Vnde argumentum concludit quòd poteſtas epiſcoporum, aut curatorum non ſit a papa ſicut a cauſa in eſſe conſiderata perſona ſua. A ſede autem papali ſit ſicut a cauſa communi quæ ſemper permanet fundata ſuper firmam petram. Vnde & hoc argumentum bene probat, quòd poteſtas curatorum non ſit ab epiſcopis nec ab eorum ſedibus ſicut a cauſa in eſſe, quia deſtructa etiam ſede epiſcopali in aliqua ciuitate adhuc remanet poteſtas curatis. Simili modo probatur quòd poteſtas epiſcoporum non eſt a Metropolitanis nec Patriarchis, nec ab eorum ſedibus ſicut a cauſa conſeruante, quia manet etiam illis deſtructis, propter quod oportet omnem aliam poteſtatem eccleſiæ inſtitutam eſſe a ſede immortali, & immobili ſcilicet Romana. Ad ſecundam cum dicitur quòd poteſtas papæ ſe haberet &c. reſpondetur quòd poteſtas papæ ſe habet ad poteſtates epiſcoporum, & curatorum non ſicut poteſtas regis ad poteſtates principum habentium poteſtatem iure hæreditario: nec etiam ſicut poteſtas regis ad poteſtates iudicum habentium poteſtatem delegatam uel commiſſariam: ſed ſicut poteſtas imperatoris

Ad primũ tertiæ uiç factum ſupra ca. 60.

Ad ſecundum

peratoris, uel regis se habet ad potestates iudicum in aliquo gradu regiminis regni uel Imperii simpliciter institutorum ad regendum populum per se, uel per alium. Ista est sententia sancti Thom. unde in 4. distinct. 19. dicit quòd potestas papæ se habet ad potestates episcoporum sicut potestas regis ad potestates iudicum constitutorum per singulas ciuitates. Et in fine secundi sententiarum dicit, quòd ita se habet potestas papæ ad potestates inferiorum, sicut potestas Imperatoris se habet ad potestatem proconsulis. Item in libr. de perfectione uitæ spiritualis dicit idem sanctus Thomas quòd si quis recte consideret hoc modo in regimine ecclesiæ comparantur archydiaconi, & plebani ad episcopum sicut in regimine temporali præpositi & balini ad regem. Et cum arguitur ex aduerso quòd hoc sit inconueniens negatur hoc, & ad probationem respondetur negando consequentiam. ratio patet ex dictis: quia isti iudices non sunt commissarii, sed ordinarii ponuntur. Pro quo notandum quòd ordinarium dicitur ab ordine. unde ordinarium uidetur importare id quod secundum communem ordinem in republica fit semper. propter quod illud quod competit diuersis gradibus & statibus in republica ordinatis ordinarium dicitur. unde potestates competentes statibus huiusmodi institutis in ecclesia scilicet patriarchali archiepiscopali episcopali & parochiali dicuntur ordinariæ, & illi qui simpliciter in talibus statibus & gradibus statuuntur, ut regant populum per se, uel per alium secundum statum & gradum in quibus statuuntur dicuntur ordinarii. Potestas autem commissarii proprie loquendo uidetur dici quando alicui ab aliquo sic instituto committitur eadem potestas, quæ est sua ordinaria secundum quam uicem eius aliquid agat. unde collatio talis potestatis non dicit nouum gradum potestatis, uel institutionem simpliciter in aliquo gradu nouæ potestatis. sed dicit commissionem eiusdem potestatis ab instituto in ipsa potestate: ita quòd potestas commissaria est commissa ab instituto in gradu potestatis simpliciter. Et ita patet quòd prælati isti a papa positi non sunt commissarii, sed uere ordinarii. Ad tertium obiectum cum dicitur quòd si sic esset tunc iudices siue prælati non differrent a commissariis. respondetur iuxta dicta quòd hoc sit falsum. Argumentum autem procederet si potestas prælatorum esset sicut potestas iudicum non simpliciter positorum in aliquo situ & gradu regiminis constitutorum ad regendum populum per se uel per alios. tunc enim non possent committere: nunc autem quia non ponimus eos tales, sed sicut diximus licet potestas eorum sit a papa immediate, possunt tamen committere. Ad quartum cum dicitur quòd si ita esset tunc papa, &c. respondetur negando consequentiam. & ad probationem negatur uniuersaliter assumptum. Et cum arguitur de legato non est ad propositum sicut patet ex dictis.

Ad tertiũ — *Ad quartum*

Cap. LXV. Quòd papa est immediatus prælatus & iudex omnium fidelium ac in toto terrarum orbe facere possit quicquid inferiores prælati facere possunt.

SANE clarissime colligere possumus ex præmissis quòd Roman. pontifex immediatus prælatus & iudex sit omnium Christianorũ possitq; facere in toto orbe terrarũ quicquid inferiores prælati agere possunt.

Quòd licet tam ex traditionibus patrum quàm ex rationibus in superioribus articulis satis apertum sit: nihilominus ut ueritas clarius elucescat illud auctoritatibus & rationibus remunire curabimus. Primo sic. In quocunque ordine quando tota potestas inferiorum dependet & originatur a potestate superioris, ad quæcunque se potest extendere potestas inferiorũ ad omnia illa se potest extendere immediate potestas superioris: sed potestas iurisdictionis (de qua sermo) omnium aliorum prælatorum in ecclesia a potestate papæ deriuatur. ergo sequitur quòd summus pontifex potest in toto orbe omnia facere immediate quæcunque possunt alii prælati: consequentia patet. maior propositio est per se nota: quoniam secunda causa siue potestas non sustentificatur nisi ex prima nec uirtutem influendi accipit nisi a prima a qua secundum totum esse suum potestatiuum dependet, ut ex commento primæ propositionis de causis habetur. minor uero demonstrata est supra in cap. 60. Secundo sic. Pro quo supponitur, ut dicit sanctus Thomas 2. sententiarum distinct. 9. quòd diuisio Hierarchiæ in ordines est totius potestatiui in partes potentiales, cuius totius conditio est quòd secundum completam uirtutem est in parte suprema, & quòd talis potentia siue potestas superior habet in se completius ea quæ sunt inferioris ordinis, tunc sic. In ordine Hierarchico quicquid potest inferior uirtus siue potestas potest superior: sed uirtutes siue potestates inferiorum prælatorum in Hierarchia ecclesiastica sunt inferiores potestate summi pontificis: ergo quicquid potest uirtus siue potestas cuiuscunque prælati inferioris in sua diœcesi, uel plebe commissa potest ipse papa. consequentia patet: maior uero est Boethi dicentis. Quicquid potest inferior uirtus, potest superior & non econuerso. Item est Dionysii 5. cœlestis Hierarchiæ, ubi dicit. Diuiniores uirtutes cum propriis habent subiectas id est subiectorum siue inferiorum operationes. minor uero notissima est. Tertio sic. Potestas papæ in ecclesiastica Hierarchia est potestas uniuersalis: potestas uero aliorum prælatorum est potestas particularis: sed potestas & uirtus uniuersalis efficacius agit in id quod subiicitur uirtuti particulari quàm ipsa particularis uirtus. ergo papa sua uniuersali potestate potest in toto & in omni plebe quicquid possunt prælati inferiores & amplius & perfectius. consequentia patet: antecedens pro maiori parte patet: quoniam totius orbis cura commissa est papæ domino dicente sibi. Pasce oues meas. In cuius signum synodus calcedonensis acclamauit Leoni papæ. Leo sanctissimus apostolicus uniuersalis patriarcha per multos annos uiuat. alii uero prælati uocati sunt in partem solicitudinis non in plenitudinem potestatis. Minor uero patet: quoniam ut dicitur in prima propositione libri causarum, causa primaria uniuersalis plus influit in causatum suum immo secundæ causæ quàm causa secundaria. Et dicitur uniuersalis hic non per prædicationem, sed extensionem influentis uirtutis quæ influit uniuersaliter omnibus sub se existentibus. Quarto sic. Non minoris auctoritatis, & amplitudinis potestatis est papa summi regis Vicarius in regno ecclesiæ, quantum ad immediatam executionem auctoritatis suæ, & extensionem suæ potestatis quàm reges temporales in regnis temporalibus in executione potestatis suæ: patet. sed quilibet rex potest immediate in regno suo facere quicquid inferiores potestates possunt etiam eis irrequisitis, ut patet. ergo multo fortius papa ratione amplitudinis suæ potestatis potest in regno

ecclesiæ ubicunque, & quandocunque sibi bonum uidebitur facere quicquid inferiores prælati possunt facere. consequentia patet cum toto antecedente. Quinto sic episcopi dantur papæ in adiutores, & uocantur in partem solicitudinis sicut septuaginta senes in adiutorium Moysi. Nume. undecimo. unde papa ordinando episcopos dicit. Mandata cœlestia efficacius gerimus si nostra cum fratribus onera partiamur. sed ille qui assumit aliquem in adiutorem non ex hoc amittit potestatem operandi cum sibi uacauerit aut uoluerit, immo ipse est principalis operans, & adiutor secundarius. ergo papa potest omnia agere circa plebes totius orbis quæ inferiores prælati quicunque possint etiam ipsis irrequisitis. consequentia patet cum toto antecedente. Sexto. Quicunque facit aliquid per alium hoc etiam per seipsum facere potest: sed dum inferiores prælati actus hierarchicos exercent circa subditas plebes hoc agere dicitur summus pontifex per eos. ergo sequitur quòd papa in tota hierarchia ecclesiastica potest per seipsum facere quemcunque actum hierarchicum quem inferior prælatus facere potest. consequentia est nota: maior etiam est nota, cum agens secundarium siue ministeriale dependeat a principali in uirtute agendi, minor uero est Dionysii dicentis 3. ca. Cœlestis hierarchiæ. Is qui secundum nos est summus sacerdos per suos ministros aut sacerdotes purgans aut illuminans ipse dicitur purgare aut illuminare aliis in ipsum reponentibus proprias sacras operationes. Septimo. Ordo ecclesiasticus tunc optimè ordinatur cum regimen diuinum imitatur: sed sic se habet regimen diuinum quòd Deus sic agit res mediantibus secundis causis quòd eas potest agere immediate, sicut quandoque facit cum suæ uoluntati placet: ergo similiter papa actum regiminis ecclesiarum quem mediantibus inferioribus prælatis exequitur potest cùm sibi uidebitur expedire per seipsum exequi. consequentia patet, & antecedens pro utraque parte. Nec potest allegari non esse simile: quia Deus non potest errare: papa uero sic & abuti potestate: quoniam licet illud sit uerum: tamen cum æque inferiores prælati errare possint & errent & abutantur sua potestate sicut & papa, argumentum manet in suo robore. Octauo. Cuicunque committitur aliqua iurisdictio, illi uidentur commissa omnia sine quibus iurisdictio explicari nõ põt, patet. frustra enim alias esset cõmissio: sed papæ est commissa iurisdictio totius orbis omnium ouiũ Christi. hæc aũt iurisdictio executari nõ põt per eum in toto orbe nisi per se ipsum ualeat exercere omnem actum pastorali dignitati debitum: ergo idem quod prius. consequentia patet: maior probatur. Tum quia alias frustra esset commissio quod in operibus Dei non est ponendum. Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Tum secundo quia qui uult uoluntate perfecta, & ultimata aliquid, per consequens uult omne illud sine quo scit illud non posse uel non esse. Minor uero patet ex illo Ioan. ulti. Pasce oues meas, & ex dictis allegatis supra. Nono. Papa instituens prælatos in ecclesiis uocans eos in partem solicitudinis non expoliat se potestatis plenitudine nec iurisdictio per commissionem, ita propria ordinario fit quòd papa amplius ibidem non habeat potestatem ad tanta sicut ante commissionem. ergo sequitur quòd papa semper potest immediate exercere, & exequi in toto terrarum orbe quicquid alii inferiores prælati possunt. consequentia uidetur clarissima, antecedens etiam patet. Tum auctoritate, & exemplo. Auctoritate quidem, quoniam Num. 11.

Moysi in constitutione seniorum iudicum in adiutorium eiusdem dicit dominus. Auferam de spiritu tuo, ubi glosa Origenis dicit, non tamen quòd Moyses minus haberet. Exemplum uero est de potestate terrena regia: ubi rex constituens pretorem in una causa non expoliat se iure aut potestate sua nec iniuriam pretori facere est dicendus si de quocunque alteri commisso immediate proferat sententiam. Decimo sic papa tenet in ecclesia locum domini nostri Iesu Christi, ceteri uero prælati aut apostolorum locum ut episcopi aut discipulorum sicut minores presbyteri: sed ridiculum esset & blasphemium quòd Christus præsens ecclesiæ suæ corporali præsentia non posset per orbem totum immediate quicquid apostoli, & discipuli eius poterant in ecclesia. ergo similiter uidetur blasphemiæ uicinum quòd Christi uicarius non possit immediate exercere in toto orbe quicquid alii prælati possunt uel quòd eorum licentia esset expetenda. consequentia est manifesta: qualis enim est ordo dependentiæ superioris in aliqua communitate ad alias inferiores potestates talis uidetur esse locumtenentis eius cum plenitudine potestatis ad easdem. maior est manifesta quo ad papam: cum papa sit uicarius Christi in terris. Et Chryso. dicat super illud Ioan. ulti. Pasce oues meas, id est loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Secunda pars patet per gloss. Luc. 4. minor uero est clara. Ex istis manifeste confutantur plures errores. Primus est dicentium quòd parochianos non possunt reduci in Deum per penitentiam nisi mediante parochialibus sacerdotibus. Secundus est quòd licet papa & episcopi sint principaliores parochianorum non sunt immediate aliorum curati siue quòd non immediate eorum curam habent. Tertius est quòd nec papa nec episcopus possunt audire confessiones parochianorum quin teneantur eadem peccata confiteri parochialibus sacerdotibus. Quartus error est, quòd nec papa nec episcopus possunt dare generalem potestatem audiendi confessiones aliquibus: quoniam confessi talibus eadem peccata cõfiteri parochialibus sacerdotibus teneantur. De errore istorum manifeste patet & etiam colligitur ex extrauaganti Ioan. 22. quæ incipit Vas electionis, in qua præfati articuli qui fuerunt Ioan. de Poliaco fuerunt condemnati.

Cap. LXVI. In quo obiicitur contra prædicta.

Arg. primum

OBIICIVNT autem aduersarii contra conclusionem iam positam, licet clarior sole esse uideatur. Et primo sic. Vnius & eiusdem non possunt esse duo iudices uel prælati ordinarii immediate: ut uidetur, sed episcopi sunt ordiinarii in episcopatu & curati in parochia. ergo uidetur non posse papa concurrere cum episcopo in episcopatu ut ordinarius, & episcopus cum curato in parochia, ut sic.

Secundũ.

Secundo sic. Ex similitudine hierarchiæ ecclesiæ militantis ad triumphantem. Sicut in hierarchia angelica siue ecclesiæ triumphantis est ita in hierarchia ecclesiæ militantis esse debet quia una est exemplata ab alia: sed in hierarchia angelica diuersi ordines uel illi qui pertinent ad diuersos ordines non possunt immediate se habere ad unum & eundem ordinem. ergo in hierarchia ecclesiæ militantis papa episcopi, & curati non possunt se habere immediate ad infimos, scilicet parochianos: sed constat quòd curati immediate

diate

diate se habent ad eos: ergo non papa nec etiam episcopi. Tertio ex similitudine ordinis qui est inter membra corporis naturalis sic. Sicut est in ordine membrorum corporis quòd est impossibile unum membrum pluribus coniungi immediate membris: sic similiter in ecclesia quæ imitar corporis naturalis corpus quoddam dicitur Roman. duodecim illos qui sunt unius gradus impossibile est coniungi pluribus gradibus immediate: sed parochiani qui sunt infimi constituunt unum gradum: ergo impossibile quòd immediate subdantur curato episcopo, & papæ quæ sunt diuersorum graduum. Quarto sic. Potestas papæ aut se habet ad potestates episcoporum, & curatorum sicut potestas regis ad potestates principum: aut sicut potestas regis ad potestates iudicum institutorum per eum. Si primo modo sequitur quòd potestas episcoporum, & curatorum non sit a potestate papæ, sicut potestas principum non est a potestate regis. Si secundo modo sequitur quòd episcopi non sunt ordinarii sicut iudices non sunt ordinarii: ut uidetur. Quinto arguunt sic. In capit. Omnis utriusque sexus, extra de penitentia, & remissione præcipitur quòd omnis utriusque sexus fidelis cum ad annos discretionis uenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti: ergo sequitur quòd papa non sit immediatus singulorum pastor. consequentia uidetur nota: quia si alius est proprius per consequens non papa, & ideo non immediatus.

Tertium

Quartũ

Quintum

Cap. LXVII. In quo respondetur obiectis aduersariorum iam factis.

HIS facile est respondere bene intelligentibus quæ iam diximus. Ad rationem ergo primam cum dicitur quòd unius, & eiusdem &c. respondetur quòd maior illa non habet ueritatem quando una potestas est ab alia totaliter: tunc enim duæ potestates ordinariæ immediate possunt esse respectu eiusdem & personæ & casus, ita scilicet quòd tam ista quàm illa potestas possit exercere iurisdictionem immediate in personam istam, & in tali casu: sed quòd duæ potestates ordinariæ sint quarum una non sit sub alia nec subsit ei totaliter immediate respectu eiusdem est impossibile: quia cum una non refrenat aliam nec ei imponeret legem impossibile esset eundem subditum utrique satisfacere. sed quando una potestas subest alteri bene potest subditus satisfacere: quia potestas superior potest suspendere inferiorem quo ad executionem. Vel dicendum ut dicit sanctus Thomas in 4. distinctio. 17. quòd inconueniens esset quòd duo æqualiter super eandem plebem constituerentur: sed quòd duo quorum unus est principalior alio super eandem plebem constituantur non est inconueniens, & secundum hoc super eandem plebem immediate sunt sacerdos parochialis episcopus, & papa & quilibet horum potest omittere ea quæ sunt iurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri. Ad secundam quæ sumitur ex similitudine hierarchiæ cœlestis respondetur. Primo sic negando minorem. Dicimus enim quòd potest ordo ille mutari: quia ordo ille non est necessarius sed uoluntarius quantũ ad caput totius ordinis, scilicet Deum qui omnia potest agere immediate per seipsum. angeli etiam superiores quantum est de potestate absoluta possunt illuminare ordinem remo-

Ad primũ

Ad secundum

rum omisso ordine medio: quia probabile est quòd quicquid potest inferior angelus per uirtutem datam sibi a superiori instruendo alios possit superior per seipsum, de facto etiam tenetur a multis doctoribus quòd aliqui de superioribus ordinibus missi fuerunt ad aliquos homines qui sunt sub ordine angelorum. si ergo secundum eos simile est de ordine hierarchiæ cœlestis, & ecclesiasticæ. ergo ordo ecclesiasticæ hierarchiæ non est necessarius sed uoluntarius, & per consequens potest mutari prout placet capiti totius ordinis scilicet summo pontifici. Secundo respondetur iuxta sanctum Thom. quòd ecclesiastica hierarchia imitatur cœleste aliqualiter sed non perfecte assequitur similitudinem eius: quia non in omnibus, & maximè in hoc, quoniam ut ipse inquit in libro contra impugnantes religionem, in cœlesti hierarchia distinctio donorum gratuitorum secundum quæ ordines distinguuntur sequitur distinctionem naturæ non autem in hominibus, & ideo cum angelorum natura sit immutabilis ordo inter eos habet immutabilitatem aliquam quæ in hierarchia ecclesiastica non est, & ideo ratio non procedit. Ad tertiam rationem sumptam ex ordine membrorum corporis naturalis respondetur eodem modo sicut ad præcedentem: quia non est simile per omnia de corpore naturali, & corpore mystico: quoniam licet in utroque sit ordo non tamen æque necessarius: sicut nec ordo quo quis mouet lapidem mediante baculo est æque necessarius sicut ordo quo homo mouet manum mediante brachio. & ideo sicut homo potest mouere lapidem mediante baculo & sine baculo mediante, & hoc absque monstruositate: ita potest papa uel episcopus exercere actum potestatis suæ siue hierarchizare quemcunque infimum parochianum per se uel per alium siue curatum siue commissarium institutum ab eo absque monstruositate aliqua aut confusione corporis mystici quod est ecclesia. Ad quartam patet responsio ex responsione data ad secundum obiectum ca. 64. Ad quintam respondetur quòd ut dicit sanctus Thomas, & dominus Albertus & dominus Bonauentura exponentes illam decretalem dicunt quòd proprius sacerdos non solus est parochialis sed etiam episcopus uel papa ad quos etiã magis pertinet cura populi quàm ad sacerdotem parochialem, ut multipliciter est ostensum supra. Vnde in decretali illa proprium non accipitur secundum quòd diuiditur contra commune, sed secundum quòd diuiditur contra alienum. unde qui confessus est episcopo suo uel alicui habenti uicẽ eius aut papæ aut commissariis sicut penitentiariis aut priuilegium habentibus ab eo audiendi confessiones confessus est proprio sacerdoti, & ita ratio non procedit.

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Cap. LXVIII. Quod præter Romanum pontificem sunt in ecclesia necessarii alii prælati.

QVONIAM fortassis ex hoc quòd diximus Romanum pontificem immediatum pastorem ac iudicem omnium fidelium omniaque posse quæ singuli alii prælati apud fideles sibi subiectos perficere possunt: uideretur aliquibus sequi quòd alii prælati in ecclesia aut superflui forent aut non necessarii: oportunum duximus declarare quòd nõ obstante tanta amplitudine potestatis Romani pontificis quantam nos esse diximus

adhuc

adhuc præter eum qui uniuersalis pastor est necessarii sunt in ecclesia alii prælati, & hoc ratione multiplici. Primo iuxta sanctum Thom. in 4. dist. 19. sic. Ea quæ circa singularia oportet operari non eodem modo omnibus competunt. Vnde sicut præter generalia medicinalia præcepta oportet adhibere medicos quibus præcepta uniuersalis medicinæ singulis infirmis secundum quòd debent aptentur: ita in quolibet principatu præter illum qui uniuersaliter præcepta legis tradit, oportet esse aliquos qui ea singulis secundum quòd debent adaptent:& propterea etiam in cœlesti hierarchia sub potestatibus qui indistincte præsunt ponuntur principatus qui singulis prouinciis distribuunt & sub his angeli qui singulis hominibus in custodiam deputantur. Vnde & ita debet esse in prælatione militantis ecclesiæ ut apud aliquem esset prælatio indistincte in omnes & sub hoc essent aliqui qui super diuersos distinctam potestatem acciperent. Secundo hoc idem necessarium ostenditur ex eo quòd impossibile erat totum populum Christianum per unum solum hominem immediate regi atque gubernari. Quocirca manifeste apparet pro bono ecclesiæ reigmine fuisse necessarium ut præter summum ac uniuersalem prælatum Romanum pontificem alios in ecclesia instituantur prælati. Tertio hoc etiam luce clarius apparet ex ipsa diuersitate actionum necessariarum in ecclesia Dei ad quas cum unus simul, & semel sufficere sit impossibile:necesse fuit diuersos ministros in ecclesia deputari ad hoc quòd expedientius, & sine confusione omnia peragantur rectè. Qua ratione beatus Grego. Papa inquit in capit. Singula, distinct. 89. Singula ecclesiastici iuris officia a singulis quibuscunque personis sigillatim committi iubemus: sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita in ecclesiæ spirituali corpore conferendum est hoc officiū uni: alii committendum est aliud:nec enim quantumlibet exercitatę uni personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt. quòd si totum corpus oculus ubi auditus, hæc ille. Quarto hæc conuenientia arguitur ex decentia: decens enim est ut sicut in uniuerso inueniuntur diuersæ causæ mediæ præter causam primam: licet ipsa per se posset immediate in effectū cuiuscunque causæ efficientis: ita in uniuersali ecclesia præter potestatem papalem institui debuerunt diuersi gradus aliarum potestatum. Quinto huiusmodi conuenientia arguitur: quia sic nobilior redditur principatus ecclesiasticus dum plures in eo diuinæ cooperationis participes fiunt dispensatores diuinorum mysteriorum. Sexto hoc idem arguitur, quia ex tali uarietate potestatum, & graduum sponsa Christi ecclesia pulchrior, & ornatior consurgit. Hanc rationem assignat beatus Grego. in cap. Singula. dist. 89. ita dicens. Sicut uarietas membrorum per diuersa officia & robur corporis seruat & pulchritudinem repræsentat: ita uarietas personarum per diuersa nihilominus officia distributa, & fortitudinem & uenustatem sanctæ Dei manifestat ecclesiæ. Septimo hoc factum est propter utilitatem ecclesiæ: cuius uniuersitati satisfieri non posset, nisi præter summum pastorem papam forent aliqui alii.

Cap. LXIX. Quòd omnes in ecclesia Dei aliæ a papali potestates ecclesiasticæ subiiciuntur potestati Romani pontificis quantum ad obedientiam præceptorum, quantum ad correctionem, & quantú ad subuentionem in necessitatibus.

APERTE satis ex superius iam explicatis tam de summitate apostolici principatus quam de dependentia, & deriuatione omnium potestatum aliarum ecclesiasticarum ab apostolica sede colligitur quòd omnes ecclesię prælati tam maiores quàm minores subiiciantur Romano pontifici: tam quo ad obedientiam præceptorum & quo ad correctionem abusus, quam quo ad subsidiorum adminiculationem in casibus necessariis. Quo ad obedientiam præceptorum patet. Tum ex his quæ dicta sunt supra in c. 48. & 1. Tum ex illo quod sanctus Calixtus papa scribens omnibus episcopis dicit in ca. Non decet. dist. 12. Non decet membra a capite discedere sed iuxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli uero dubium est quòd apostolica ecclesia mater sit omniú ecclesiarum a cuius uos regulis nullatenus conuenit deuiare, hæc ibi. Quá obedientiam debitam esse Romano pontifici imperator Iustinianus intelligens ait in epistola scribens papæ Ioan. quæ habetur C. de sum. tri. & fi. ca. inter claras. Omnes sacerdotes orientalis tractus, & subiicere & unire sedi uestræ sanctitatis properamus eo quòd caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Et subdit. Per omnia properamus, ut dictum est honorem, & auctoritatem crescere uestræ sedis, hæc ille. Quocirca papa Ioan. ubi supra Iustiniano scribens in epistola inter claras: ita ait. Inter claras sapientiæ & mansuetudinis uestræ laudes Christianissime principum puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat quòd amore æternæ fidei quòd charitatis studio edocti ecclesiasticis disciplinis Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis unitatem ad cuius auctorem principem: hoc est apostolorum primum domino loquente præceptum est, pasce oues meas, quem esse uerè omnium ecclesiarum caput, & patrum regulæ, & principum statuta declarant & pietatis uestræ reuerendissimi testantur affatus, hæc ille. Quo uero ad correctionem abusus patet quidem. Primo quoniam ad supremum iudicem apud quem suprema potestas residet & maximè a qua omnium inferiorum iudicum auctoritas omnis pendet spectat correctio abusus commissi per inferiores potestates: patet hoc. sed: papa est supremus iudex in ecclesia a cuius potestate tanquam a radice singulæ aliæ potestates originem sumunt: sicut in superioribus notum fecimus. ergo omnes potestates inferiores quo ad correctionem abusus potestatis subiectæ sunt Romano pontifici, consequentia bona. Hinc in c. Sola 9. q. 3. dicit textus. Romana ecclesia sua auctoritate ualet iudicare de omnibus, & in ca. Cuncta, ea. causa, & q. dicit textus. Cuncta per mundum nouit ecclesia quòd Romana ecclesia de omnibus phas habet iudicare. Vnde beatus Bernardus ad Eugenium scribens hoc confirmans ita dicit. Iuxta canones tuos alii in partem solicitudinis tu in plenitudinem potestatis uocatus es: aliorum potestas certis artatur limitibus tua extenditur: & in ipsos qui super alios potestatem acceperunt, nonne si causa extiterit tuipse

coelum

cœlum claudere: tu episcopum ab episcopatu deponere & etiam tradere potes, hæc ille. Quod autem ad præstationem adminiculi ac subsidii in casibus necessitatis ceteri subiiciantur apostolicæ sedi facile est ostendere. Cum enim respublica, & quælibet potestas in ea teneatur ad conseruationem illius potestatis a qua totius reipublicæ bonum dependet: & bonum reipublicæ Christianæ maximè pendeat ex Romani pontificis potestate quæ uniuersam ecclesiam ordinare regere ac gubernare habet. Quocirca sanctus Bonifa. martyr in cap. si papa dicit: quòd pro papæ perpetuo statu uniuersitas fidelium tanto instantius orat quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit perpensius pendere. ergo uidetur quòd omnes aliæ ecclesiæ ad conseruationem tuitionem atque defensionem ecclesiæ Romanæ adminiculari teneantur. unde Simachus papa in cap. aliorum rationem huius assignans inquit episcopis. Si hæc humiliatur ad cuius confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam uestram. Hoc etiam sanctus Thom. in 2.2. quæst. 82. ar. 4. ostendit tam exemplo ueteris legis quàm ratione naturali ita dicens. In ueteri lege primitię debebantur sacerdotibus decimę autem leuitis. Et quia sub sacerdotibus leuitæ erant Deus mandauit ut ipsi loco primitiarum soluerent summo sacerdoti decimam decimæ. unde nunc eadem ratione clerici tenentur summo pontifici decimas dare si exigeret. naturalis enim ratio dictat ut illi qui habet curam de communi multitudinis statu prouideatur ut possit exequi ea quæ pertinent ad communem salutem, hæc sanctus Thom. Ad idem est Ioan. an. in nouella super ca. 1. extra de deci. ubi quærens. Nunquid a clericis summo pon. decimæ sint soluendę. respondet quòd sic: quia cum inferior teneatur soluere suo superiori spiritualia ministranti. papa autem cuilibet intelligitur spiritualia ministrare: cum omnis anima immediate subdatur ei. Tum etiam quia summus sacerdos est ipse tamen hoc iure non utitur forsan ideo: quia totum habet 9. q. 3. cuncta, & ca. per principalem. unde quandocunque placet decimam uel uicesimam omnium prouentuum ecclesiarum uel aliam quotã partem pro subsidio terrę sanctę uel necessitatibus suis uel alterius exigit sicut quotidie experimur, hæc ille. Præterea alia ratione probatur præfata conclusio. Secundum legem naturæ membra capiti debent præstare subsidium & filii parentibus in necessitatibus, sed omnes fideles sunt membra corporis ecclesiæ: cuius ipse Romanus pont. caput est, sunt etiam eius spirituales filii: unde pater patrum nominatur. ergo non solum clerici: sed etiam uniuersi fideles tenentur Romano pon. in necessitatibus auxiliũ præstare, & adminiculari quilibet secundum facultatem suam cum fuerit requisitus sicut in fine huius secundi libri plenius dicetur. Ex quibus aperte confutatur præsumptio diabolica eorum qui Romano pon. patri ac principi omnium fidelium non modo in necessitatibus adminiculari refugiunt: sed illius iura & priuilegia prouentus atq; emolumenta solita uiolare usurpare aut diminuere temere quomodolibet præsumunt: quos uidetur inuoluere sententia illa Deutero. 27. Maledictus qui non honorificat patrem suum, & matrem, & dicet omnis populus Amen.

Cap. LXX. In quo obiicitur contra id quod dictum est superius quòd solus Romanus pontifex in ecclesia habeat plenitudinem potestatis.

QVANQVAM superius habita conclusio in cap.53.dicens quòd apud solum Romanum pontificem resideat plenitudo potestatis ecclesiæ: fuerit tam sanctorum patrum testimoniis quam rationibus plene demonstrata: nihilominus aduersarii illam impugnare multipliciter nituntur. ponentes hanc conclusionem uidelicet quòd plenitudo potestatis clauium non solum sit in papa capite, & pastore uniuersalis ecclesiæ sed in ipsa uniuersali ecclesia, & in concilio uniuersali. Sed istorum duplex est modus dicendi. Quidam enim numero magistrorum qui fuerunt in concilio Constantien. prout ex eorum tractatibus colligitur dicunt: quòd potestatis plenitudo est sic in papa & in ecclesia uniuersali, & in concilio uniuersali illam repraesentanti: aliter tamen & aliter. Pro quo distinguunt quòd aliquid tripliciter potest esse in aliquo. Primo tanquam in subiecto sicut uirtus est in anima & accidens in substantia subiectiue. Secundo tanquam in obiecto: sicut effectus dicitur esse in sua causa uel in suo fine: quia in illum tendit tanquam in suum obiectum finale. Tertio tanquam in exemplo: sicut res uisa dicitur esse in speculo uel aliqua doctrina in libro: quia ibi est repraesentatiue. Primo ergo modo ut aiunt plenitudo potestatis est in papa tanquam in subiecto eam recipiente, & ministraliter exercente. Secundo modo est in ecclesia tanquam in obiecto causaliter, & finaliter continente. Tertio est in generali concilio tanquam in exemplo ipsam repraesentante, & regulariter dirigente. Primum patet: quia papa propriè loquendo est minister hanc potestatem subiectiuè recipiens, & administratiuè dispensans. iuxta illud Luc. 22. Qui præcessor est in uobis fiat sicut ministrator. Secundum patet: quia plenitudo potestatis non est causaliter, & finaliter propter papam: sed papa & eius potestas propter ecclesiam, & ad eam ordinatur sicut ad finem: id est ad eius ædificationem: quia secundum sententiam apostoli 2. Corinth. 10. & ulti. capitulis. hanc potestatem dedit dominus in ædificationem ecclesiæ, & non in destructionem. Tertium patet ex eodem uerbo apostoli: quia si papa uteretur hac potestate ad destructionem ecclesiæ generale concilium esset in exemplum uel speculum dictam uniuersalem ecclesiam repraesentans & eius uice & nomine abusus huiusmodi plenitudinis potestatis coercens regulans, & dirigens & etiam puniens, hæc illi. Sed istorum positio, & imaginatio uidetur nobis saluo semper meliori iudicio, omnino sine intellectu: quia multa implicat quæ simul stare non possunt: immo partes adinuicem sibi contradicunt. Implicant autem contradictionem. Primo, nam in ea parte in qua dicunt quòd plenitudo potestatis sit in papa, ut in subiecto administrante illam: & in ecclesia sicut in obiecto finali, & in concilio sicut in exemplo: contradicit eorum opinioni in ea parte in qua dicunt quòd plenitudo potestatis principalius, & excellentius sit in ecclesia aut in concilio quàm in papa. Patet quia potestas quæcunque proprius, & principalius dicitur esse ubi est subiectiue, & administratiue siue dispensatiue: quemadmodum est in artifice aut duce exercitus aut magistro operis quàm sit in obiecto siue in exemplo: sicut potestas medicandi proprius, & principalius habet esse in medico quàm in corpore infirmo ad cuius curationem ordinata est & quàm in libro medicinæ. ars etiam ædificandi principalius, & proprius habet esse in artifice quàm in domo ad cuius ædificationem ordinatur. Ceterum falsum dicunt quòd ecclesia sit obiectum finale potestatis papalis: quoniam licet

Primus modus dicendi qui hic improbat.

Improbatio dicti modi dicendi.

licet potestas papalis sit ei data in ædificationem ecclesiæ: non tamen ipsa ecclesia dicitur finis ultimus intentus potestatis eius: sed est ipsa beatitudo ad cuius pascua ipsa uniuersalis ecclesia per pastorem suum atque rectoré qui est papa: secundum illud Ioan.ulti. Pasce oues meas: & est dirigenda, & deducenda sicut inferius plenius ostendemus. Præterea falsum esse uidetur quòd potestatis plenitudo sit in concilio sicut in exemplo, & speculo, sed potius hoc modo dicenda est esse in lege Christi siue euangelica secundum quam tota ecclesia est regulanda. unde in persona ecclesiæ dicit propheta de ea. Lucerna pedibus meis uerbum tuum & lumen semitis meis. Secundo positio illa implicat contradictionem. nam in ea parte, ubi in papa & in ecclesia uniuersali, & in concilio ponunt unam & eandem potestatem contradicunt ei quod dicunt quòd concilium uniuersale potest corrigere coercere refrenare, & punire abusus potestatis papalis. Patet, nam cum huiusmodi non possit in papam nisi qui sit altioris potestatis iuxta ca. inferior distinct. 21. impossibile est quòd concilium ista posset facere si non habet nisi eandem numero potestatem quam habet papa. Tertio positio illorum implicat. nam in ea parte in qua dicunt plenitudinem potestatis in concilio esse non sicut in subiecto, & administrante, sed sicut in exemplo siue in speculo contradicit ei quod dicunt quòd concilium potest coercere refrenare abusus papæ, & abutentem corrigere. Patet, quia licet per modum concilii auisare, & dirigere quis possit alium non habens aliquam auctoritatem iurisdictionis super eum corrigere, tamen correctione quæ est actus iustitiæ, & coercere refrenare, & huiusmodi non potest nisi is in quo est potestas iurisdictionis sicut in subiecto administrante, & exercente illam, ut manifeste patet. cuius enim est potestas, eius est actus, inquit Philosophus. Propter quæ sicut supra diximus positio illa aduersariorum uidetur nobis sine intellectu. Alii uero de numero magistrorum nouellorum qui Basileæ fuerunt altius sapere præsumentes quàm illi qui fuerunt in Constantia utpote cupidi gloriæ, & principatus dixerunt quòd potestatis plenitudo esset in ecclesia non modo sicut in obiecto finali aut in concilio sicut in exemplo sicut prædixerant supradicti, sed sicut in subiecto administrante, & exercente, sicut practica demonstrarunt omnem papalis potestatis administrationem, & exercitium sibi assumentes. Dicunt enim quòd ipsi uniuersali ecclesiæ quæ dicitur collectio omnium fidelium in omnibus membris suis coniunctim data sit ipsa potestas clauium in plenitudine, etiam principalius quàm papæ. sicut si dicamus quòd uni collegio data sit aliqua auctoritas alicuius iurisdictionis exercendę uel electionis celebrandę. Ad quam conclusionem probandam perlectis multis eorũ tractatibus, reperimus eos multis mediis in uariis suppositionibus fundatis procedere. Prima suppositio est, quòd ea quæ dicta sunt Petro aut apostolis trahẽda sunt ad ecclesiam. Hanc suppositionem probant per id quod dicit beatus August. in epistola ad Esitium de Die nouissimo, ait enim sic. Verba quæ locutus est Christus ad apostolos oportet de successoribus intelligere. sicut illud. Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et illud. Eritis mihi testes in omni Iudea, & Samaria &c. sicut & illud. Ego nobiscum sum usque ad consummationem seculi, quod tamen eum uniuersæ ecclesiæ promisisse quæ aliis morientibus aliis nascentibus usque in seculi consummationem futura est quis non intelligat? Hæc ille. Itẽ super

Secundus modus dicendi de quo c.71

Prima suppositio aduersariorum quæ improbabit infra ca.73.

Probatio prima

Probatio secunda

psal. 108. idem August. ita inquit. Quædam dicuntur quæ etsi ad apostolum Petrum proprie pertinere uideantur, non tamen habent illustrem intelle-

Ratio aduersariorum.

ctum nisi cum referuntur ad ecclesiam. Ex hac suppositione arguunt aduersarii sic. Si dicta Petro, & aliis apostolis trahenda sunt ad uniuersam ecclesiam. ergo dicta Petro per quæ designatur in eo plenitudo potestatis intelligenda etiam ueniunt de uniuersali ecclesia, & per consequens potestatis plenitudo non tantum apud Petrum fuit: sed etiam apud uniuersam ecclesiam.

Secunda suppositio quæ improbabitur c. 74.

Secunda suppositio est quòd omnia dicta Petro importancia auctoritatem eius sunt etiam dicta aliis apostolis, & in illis toti ecclesiæ. Quam suppositionem ostendunt ueram maximè in duobus in quibus potissimè data Petro potestas exprimitur. Primo de illo Math. 16. ubi Christus ait Petro. Tu es Petrus, & super &c. Sequitur. Tibi dabo claues &c. Quod uero hoc sit dictum omnibus probant ex eo, quòd cum Petrus non solum fuerit interrogatus sed etiam omnes apostoli, & Petrus pro omnibus respondet, ut dicit glo. sequitur quòd cum collatio clauium uideatur fuisse ob meritum confessionis fidei quòd non solum pro Petro sed etiam pro aliis apostolis dictum sit illi. Tibi dabo claues &c. Quod ita confirmant auctoritate beati August. sermone 10. super Ioan. ita dicentis. Cũ esset ipse numerus duodenarius, id est quatripartitus in ternos, & omnes essent interrogati solus Petrus respondit. Tu es Christus filius &c. & ei dicitur. tibi dabo &c. tanquam ligandi, & soluendi solus acceperit potestatẽ, cum & illud pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis accepit. Secundo hoc confirmant auctoritate Leonis papæ qui in sermone quodam apostolorum tractans illud. Quodcunque ligaueris &c. ita dicit. In apostolos alios ius huiusmodi potestatis, & ad omnes ecclesiæ principes huius decreti constitutio commeauit. Tertio auctoritate Rabani qui in glo. Math. 16. ita dicit. Quamuis soli Petro hæc potestas data uideatur, ceteris tamen apostolis datur. Consequenter præfatam suppositionem uerificare nituntur ex illo Ian. ult. ubi dictum legitur Petro. Pasce oues meas. Quod uerbum ad omnes etiam dictum esse probant per beatum Augustinum qui in lib. de Agone Christiano ita dicit. Nõ ei sine causa inter apostolos ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim ecclesiæ claues datæ sunt cum Petro datæ sunt, & cum ei dicitur ad omnes dicitur. amas me, pasce oues meas. Item ad idem uidetur esse beatus Ambrosius in principio pastoralis sui ita dicens. A domino dicitur Petro. Petre amas me? & ille. tu scis quia amo te. & cum responsio fuisset subsecuta repetitum est a domino, pasce oues meas. quas oues & quem gregem non solum tunc suscepit beatus Petrus sed & nobiscum eas suscepit, & nos cum illo eas suscepimus omnes.

Tertia suppositio improbãda infra. cap. 75.

Tertia suppositio quòd omnia dicta Petro ad potestatem expectantia sint ei dicta in figura ecclesiæ, id est in nomine siue in persona ecclesiæ. Ad quam suppositionem probandam inducunt multa dicta August. quoniam ipse solus uidetur usus hoc modo loquendi. Et in primis inducunt illud quod Augu. dicit super Ioan. & habetur in c. quodcunque 24. quæst. 1. ubi ita dicit.

Prima auctoritas.

Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis. si hoc tantum Petro dictum est non hoc facit ecclesia, si autem in ecclesia fit utique quæ in terra ligantur, & in cœlo & quæ soluuntur in terra soluta sunt. & in cœlis. si ergo hoc in ecclesia fit Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significauit. ubi Archidyaconus

conus exponit, id est sub signo, & nomine ecclesiæ Petrus claues accepit. Secundo ad idem inducunt illud August. in sermone quodam apostolorum Petri, & Pauli sic dicentis. Dominus Iesus discipulos suos ante passionẽ suã sicut nostis elegit quos fratres appellauit, inter hos pene ubique Petrus solus totius ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit, tibi dabo claues regni cœlorum. has enim claues non ipse ut homo unus sed unitas accepit ecclesiæ. hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius unitatis, & uniuersalis ecclesiæ curam gessit quando ei dictum est tibi dabo claues regni cœlorum quod omnibus traditum est. nam ut noueritis ecclesiam recepisse claues regni cœlorum audite in alio loco quid dominus dicat omnibus apostolis, accipite spiritum sanctum. & continuo subiungit, si cui remiseritis peccata remittuntur ei, sicut tenueritis tenebuntur. hoc ad claues pertinet de quibus dictum est, quæ solueritis in terra soluta erunt in cœlis, & quæ ligaueritis in terra ligata erunt in cœlo. Tertio inducunt illud August. in lib. 5. de unico baptismo dum inquit. Sicut misit me pater, & ego mitto uos, hoc cum dixisset spirauit & ait illis. Accipite spiritum sanctum cui remiseritis, &c. ergo si personam ecclesiæ omnes gerebant apostoli, & sic eis hoc dictum est tanquam ipsi ecclesiæ diceretur pax ecclesiæ dimittit peccata, & ab ecclesiæ pace alienatio tenet peccata non secundum arbitrium hominum sed secundum arbitrium Dei. Quarto inducunt illud August. super Ioan. sermone 124. ubi de ecclesia loquens ita ait. Huius ecclesiæ Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam: quantum uero ad ipsum propriè pertinet natura unus homo erat gratia unus Christianus abundantiore gratia unus idemque primus apostolus. sed quando ei dictum est, tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram &c. uniuersam significat ecclesiam quæ in hoc seculo diuersis tentationibus quatitur. Quarta suppositio est quòd quæ dicuntur apud sanctos doctores esse in uniuersali ecclesia aut uniuersali ecclesiæ data intelliguntur data uniuersali ecclesiæ, ut uniuersitati siue omnibus membris eius coniunctim. Quam suppositionem ueram esse credunt, quia nomen ecclesiæ est nomen collectiuum, & quia signum uniuersale uidetur distribuere pro omnibus. Qua suppositione præsupposita pro conclusione eorum inducunt multas auctoritates sanctorum patrum. In primis est illa hieronymi in cap. omnibus 24. quæstione prima, ubi dicit sic. Omnibus consideratis puto me non temere dicere aliquos ita esse in domo Dei, ut ipsi sint eadem domus Dei quæ dicitur ædificari supra petram. Et post pauca. Quæ domus etiam claues accepit atque potestatem soluendi, & ligandi. Secundo inducunt illud Augustinus de doctrina Christiana ubi ita dicit. Est ecclesia corpus Christi sicut apostolica doctrina commendat quæ corpus etiam dicitur. Et sequitur infra. Has ergo claues dedit ecclesiæ suæ ut quæ solueret in terra essent soluta, & in cœlo, & quæ ligaret in terra ligata essent in cœlo, ut quisque in ecclesia eius peccata dimitti non crederet non ei dimitterentur. Tertio inducunt illam auctoritatem Augustini super canonicam Ioan. Homelia 10. ita dicentis. Vbi sit remissio peccatorum, ibi est ecclesia, quomodo ecclesia? Illi enim datæ sunt claues regni cœlorum, ut quæ solueret in terra essent soluta in cœlis, & quæ ligaret in terra essent ligata in cœlis. Quarto inducunt illud extra de

Secunda

Tertia

Quarta aucto.

Quarta suppositio quæ improbabitur c. 76.

Auctoritas prima

Secunda

Tertia

Quarta

summa trini.& fi.ca.in c.firmiter, ubi dicit quòd sacramentum eucharistiæ nemo potest conficere nisi sacerdos qui fuerit ordinatus secundum claues ecclesiæ, non dicit Petri (inquiunt) nec concessæ Petro ac per eum aliis: sed apostolis ac eorum successoribus . unde Ioan.an.in glo.dicit, quòd non soli Petro claues concessit sed & ceteris apostolis . Quinto inducunt illud Actuum 20. Attendite uobis, & uniuerso gregi in quo posuit uos spiritussanctus episcopos regere ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Sexto inducunt illud quod habetur in præfatione quam in celebritate singulorum apostolorum cantat ecclesia. Gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos continua protectione custodias quos operis tui uicarios eidem contulisti præesse pastores . Quinta suppositio eorum est quòd nunquam legitur aliqua potestas data Petro nisi simul cum aliis apostolis. Probant hanc suppositionem sic, quoniam si de concessione potestatis promissæ Petro quæratur, non reperitur alius locus aptior quam ille. Math.18. Quæcunque alligaueritis . unde uidetur quòd promissio illa, tibi dabo claues &c. debeat intelligi prout declarant uerba concessionis . sed illa non ad solam personam Petri sed ad ecclesiam diriguntur principaliter, cum dicit. Amen amen dico uobis , quæcunque alligaueritis super terram &c. ex qua auctoritate dicunt aliqui aduersariorum notari aliqua. Primum quòd claues regni cœlorum, de quibus dixerat Math.16. Tibi dabo &c.hic ecclesiæ sunt concessæ cum eadem uerba sub quibus facta est promissio hic exprimantur, nec in toto sacro canone bibliæ reperitur locus alius ubi expressius legatur quòd potestas clauium sit data Petro aut ecclesiæ sub eisdem uerbis quibus promissa fuit. Secundo notatur quòd concessio ista sit in omni stabilitate firmata, quia additur uerbum iuramenti uel assertionis: amen . Tertio quòd in uerbis intelligitur potestas concessa ecclesiæ non limitate, & in certis casibus sed in omni plenitudine, quod probare nituntur ex signis uniuersalitatis, quæcunque alligaueritis, & quæcunque absolueritis, sic arguendo. Si ex illo uerbo quodcunque ligaueris super terram, notatur in Petro plenitudo potestatis illimitate . ergo pariter ex aliis uerbis notabitur plenitudo potestatis in ecclesia cum non sit minoris continentiæ quæcunque quàm quodcunque. ergo non solum in Roman.pont. residet plenitudo potestatis sed etiam in ipsa uniuersali ecclesia. Sexta suppositio eorum est quòd sicut Deus cuilibet creaturæ cui dedit certam periodum qua determinatur quandiu posset uiuere uel durare dedit propriam uirtutem innatam, & intrinsecam qua possit se in suo esse conseruare, & contra destructionem sui aduersantibus resistere, ita ecclesiæ quam uoluit usque in finem seculi durare dedit uirtutem, & potestatem qua se in suo esse posset conseruare, & potestatem qua posset se regere & potestatem qua aduersantibus siue conantibus ad sui destructionem resistere . Patet (inquiunt) hoc ex euidentia terminorum, immo a fortiori cum Christus ipsam ecclesiam plus aliis diligit. Hoc etiam uidetur notari inquiunt in uerbis de ecclesia dictis, in sua fundatione &c .cum enim dixisset super se petram ædificare ecclesiam subiungit statim. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ex hoc etiam aiunt dicitur in Cant. de ecclesia: quæ est perfecta terribilis, ut castrorum acies ordinata, quomodo autem inquiunt esset perfecta in se & terribilis, si ad conseruandum se & tuendum

Quinta

Sexta

Quinta suppositio impro banda capi.77.

Probatio

Sextæ suppositionis cui respõ debitur

Prima pars

Secunda pars

Probatio prima

Secunda

Tertia

non

non haberet in terra uirtutem ac potestatem: sed oporteret ab extrinseco subsidium quæritare. nam si ecclesia ex se auctoritatem non haberet se conseruandi: tunc pro tempore quo ecclesia sine papa esset aut ipse nollet eam tueri non posset se in esse conseruare: quod nemo sanę mentis assereret. Habet ergo ecclesia uirtutem a Christo fundatore eo ipso quòd fundata est ad se conseruandum in suo esse: nec per creationem papæ eam perdit: quia principia essendi, & conseruandi intrinseca sunt cuilibet rei. sicut ergo ecclesia propter creationem papæ non deficit a uirtute essendi. ita nec a uirtute, & potestate se regendi, & conseruandi in suo esse. Postea uero declarantes quæ sit ista uirtus, & potestas se tuendi: dicunt quòd est communis sententia doctorum, quòd est potestas clauium uidelicet scientia discernendi, & potentia iudicandi ligandi, & soluendi. Ex hac suppositione arguunt concludendo, quòd potestas clauium & eiusdem potestatis plenitudo sit data ipsi communitati siue corpori uniuersitatis ecclesiæ. Septima suppositio est quòd plenitudo potestatis semper debet manere in ecclesia: quia alias non uideretur ecclesiæ sufficienter prouisum: sed in papa non potest semper manere, ut patet, cum ipse non semper maneat: ergo oportet dicere quòd maneat in ecclesia. Confirmatur hoc ab aliis dicentibus, ꝙ quemadmodum regimen ciuitatis consistit penes congregationem ciuium uel ipsius congregationis partem ualentiorem, ut dicunt haberi ex sententia Aristo. 3. politic. cap. 8. Et conformiter dicendum est quod regimen orbis penes congregationem hominum totius orbis uel ipsius partem ualentiorem consistat, ita regimen uniuersalis ecclesiæ uacante papatu penes ipsam uniuersalem ecclesiam quæ repræsentatur per concilium generale, & ipso concilio congregato consistit penes ipsius concilii partem ualentiorem. Ex his omnibus concludunt quòd potestatis plenitudo non tantum apud Romanum pontificem resideat sed etiam apud uniuersalem ecclesiam, & multo principalius, utpote quia in ea est immobiliter, & indefectibiliter. Vnde ad auctoritates sanctorum dicentium quòd soli Petro data sit a Christo plenitudo potestatis, aut quòd solus Romanus pontifex sit uocatus in plenitudinem potestatis, respondent quòd per ly solus fit exclusio inferiorum siue particularium personarum, non autem ipsius communitatis ecclesiæ, & etiam quòd ly nullus non distribuat pro communitate sed pro singularibus personis.

Tertia pars

Quarta pars

Quinta pars

Septima suppositio de qua cap. 79.

Confirmatio

Cap. LXXI. In quo impugnatur prefata conclusio aduersariorum dicentium quòd in alio quàm in Romano pontifice resideat plenitudo potestatis in ecclesia.

QVONIAM principalis, & quasi fundamentalis punctus huius materię est intelligere qualiter potestas clauium data sit ecclesiæ siue qualiter sit in ecclesia: ideo nos pro ampliori illustratione huius materię, & ueritatis quam de apostolico principatu ut supra tam auctoritatibus sanctorum quàm rationibus firmauimus talem ordinem tenebimus. In primis in hoc ca. positis quibusdam notabilibus impugnabimus modum aduersariorum ponendi in ecclesia uniuersali potestatem clauium & per consequens plenitudinem potestatis. Secundo impugnabimus responsiones

Quattuor principalia cõtinue deducenda.

datas aduersariorum ad auctoritates sanctorum patrum inductis pro conclusione nostra. Tertio in sequenti c. explicabitur modus uerus, & catholicus quo potestas clauium sit data uniuersali ecclesiæ siue sit in ecclesia. Quarto per diuersa capitula sequentia pro pleniori danda responsione respondebitur ad obiecta aduersariorum. Circa primum in primis est considerandum quòd de ecclesia quæ dicitur claues recepisse, potest esse sermo duplex. Aut enim capitur ibi ecclesia in sua uniuersalitate prout scilicet dicitur uniuersitas siue collectio omnium fidelium generaliter prout in ca. ecclesia, de conse. di. 1. Aut capitur ibi sub minori uniuersalitate, scilicet pro uniuersitate tantum omnium clericorum siue sacerdotum ut alii uolūt. Secundo est notandum, quòd potestas clauium est duplex ut in primo libro distinximus, uidelicet potestas ordinis quæ propriè, & immediate ut dicunt doctores, dicitur clauis regni cœlorum, quia immediate extendit se ad ipsum cœlum remouendo impedimenta introitus in cœlum per dimissionem peccati, ut sanctus Tho. dicit in 4. dist. 19. in ar. Alia est potestas iurisdictionis, & hæc est duplex, quædam in foro conscientiæ, alia in foro exterioris iudicii siue causarum. Tertio notandum quòd de plenitudine potestatis possumus loqui dupliciter. Vno modo prout plenitudo potestatis includit tam potestatem ordinis quàm potestatem iurisdictionis. Alio modo prout solū includit potestatem iurisdictionis. Quarto est notandum, ꝙ licet aliqua similitudo sit corporis mystici ecclesiæ ad corpus naturalis hominis, uidelicet in multitudine membrorum, & aliquali unione eorum adinuicem & in officiorum diuersitate iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actū habent, ita multi sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra nihilominus multiplex est differentia, & dissimilitudo. Vna quidē est ut dicit sanctus Tho. in 3. parte, quòd membra omnia corporis naturalis sunt omnia simul: membra aūt corporis mystici non sunt omnia simul: nec quantum ad esse naturę, quia corpus ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque in finem eius, nec quantū ad esse gratiæ, quia etiam eorum qui sunt uno tempore quidā gratia carent aliis eā iam habentibus. Secunda differentia est: quia membra corporis humani constituunt aliquod unum numero reale totum, quod subiectiue in se toto capax est alicuius formæ aut qualitatis siue influxus realis quod est ipsum corpus humanum, non autem sic membra quæ dicuntur corporis mystici, quoniam licet fideles fide spe, & charitate ut dicit August. uniantur, tamen cū distinguantur personis, & locis non dicuntur constituere aliquod reale unum numero totum quod subiectiue in se toto capax sit alicuius formæ aut qualitatis aut influxus alicuius effectus realis. unde quando ecclesia dicitur una unitate fidei spei & charitati non est intelligendum ꝙ unus numero habitus fidei unus numero habitus spei, & unus numero habitus charitatis in toto ipso corpore sit, quoniam ipsum corpus ecclesiæ non potest esse talium formarū subiectum. unde etiam iuristę dicunt quòd uniuersitas non habet animam glo. super ca. Romana. §. in uniuersitatem, sed sunt tot numero habitus distincti uirtutum fidei spei, & charitatis quot numero sunt fideles. Quod ego dicitur: una fides ecclesiæ una spes una charitas, non accipitur unitas ex parte unius subiecti numero earum quia nullum tale est, sed ex parte obiecti, quia uidelicet omnes fideles qui numero, & merito sunt in ecclesię corpore

Circa primum principale.

idem

Idem credunt, idem sperant, idem amant, sic dicit sanctus Thom. in 3. distin. decimatertia. Per hanc plane considerationem euanescunt multæ fantasiæ aduersariorum nouellorum magistrorum atque doctorum canonistarum sicut uidebitur infra. Quibus notatis restat ostendere quòd positio aduersariorum falsa sit: quod ut plenius fiat ponemus aliquas conclusiones quas probando improbabimus positionem ad plenum aduersariorum. Prima conclusio sit ista. Potestas clauium ordinis quæ proprie dicitur clauis cœli. quia ea fit remissio peccatorum non est data toti corpori ecclesiæ sic ut singulis eius membris data sit. Probatur ista conclusio. Primo auctoritate beati Ambro. lib. de pœniten. & habetur à magistro sententiarum in quarto dist. nct. decimanona. & à magistro Gratiano de pœniten. distinctio. prima. §. nemo ita dicentis. Ius ligandi & soluendi solis sacerdotibus permissum est. Patet etiam ex eo q olim soli sacerdotes iudicabant inter lepram & non lepram. unde Matth. octauo. dominus inquit leproso. Vade ostende te sacerdotibus. & Luc. decimoseptimo. ubi inquit etiam decē leprosis. Item ostendite uos sacerdotibus. ubi dicit gl. interli. Qui erant figura sacerdotii futuri in ecclesia. Item patet ex eo q dominus nō nisi apostolis sacerdotibus iam constitutis ait Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Ratione sic probatur iuxta sanctū Tho. & Alber. magnum. Gratia quæ in sacramentis datur à capite in mēbra descendit. ergo solus est minister sacramentorū in quibus gratia datur qui habet ministerium super corpus Christi uerum: sed hęc est solius sacerdotis qui consecrare eucharistiam pōt. ergo solus sacerdos est minister sacramenti penitēciæ & per consequens solus ipse habet ptātem ligandi & soluendi à peccatis. Non. n. est opus ad hāc cōclusionem inducere plures probationes: quoniam ita nota est q oppositum eius non tam est hæreticum habitum & condemnatum in reprobatione errorum ualden. qui dicebant omnes bonos homines habere potestatem clauium quàm derisorium. Secunda conclusio. Potestas clauium ordinis id est potestas ligandi & soluendi à peccatis non est data uniuersali ecclesiæ & uniuersitati siue omnibus eius mēbris coniunctim. Probatur ista conclusio ex precedentibus sic. Predicta potestas clauium solis sacerdotibus conuenit. ergo non conuenit communitati ecclesiæ ut uniuersitati siue in omnibus membris suis. consequentia patet, quia quod uni soli parti uniuersitatis conuenit non potest dici conuenire toti uniuersitati in omnibus membris suis. Secundo sic. Potestas prædicta datur in consecratione sacerdotii. unde cum ordinantur sacerdotes dicuntur eis illa uerba quæ dominus dixit Apostolis. Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, sed communitas ecclesiæ non consecratur nec insignitur sacerdotio. ergo non potest dici quòd uniuersali ecclesiæ, ut uniuersitati sint datæ claues ordinis siue potestas ligandi & soluendi à peccatis. Tertio sic. Nulla uniuersitas potest dici cum ueritate habere perfecte aut plene aliquam potestatem in cuius exercitium nunquam per se potest exire. Istud assumptum patet, quoniā ut inquit Aristot. de somno & uigilia, cuius est potentia, eius est actus. sed tota communitas ecclesiæ non potest exire in actum potestatis ligandi & soluendi à peccatis. Tum quia solus sacerdos est minister sacramenti penitentiæ, ut in c. omni utriusq; sexus. extra de pen. & remis. Tum quia actiones suppositorum sunt. ergo conclusio uera. Quod aūt dicitur à quibusdā aduersariis, q licet ecclesia uniuersalis non ha

Contra cō clusionem aduersariorum.

Conclusio prima auctoris.

Secūda cō clusio.

beat exercitium potestatis clauium absoluendo aliquem a peccatis: potest tamen mandare quòd fiat per aliquem sacerdotem. nihil ualet: quoniam ex hoc cum sit imperatiue facere non elicitiue non arguitur quòd communitas ipsa haberet potestatem sicut nec potestatem consecrandi ex hoc quòd mandaret alicui celebrare: sicut nec electus aut archidyaconus nondum in sacerdotio constituti: licet possint mandare alicui sacerdoti absoluere aliquem a peccatis non propter hoc dicerentur habere potestatem clauium de qua loquimur. Non est autem opus hic multiplicare argumenta: quia conclusio clarissima est apud theologos. unde Albertus magnus sanctus Thom. & dominus Bonauen. in 4. distinct. 19. quærentes, utrum soli sacerdotes habeant claues: non solum dicunt quòd soli sacerdotes habeant claues quod diximus in prima conclusione: sed etiam quòd non sit possibile ꝙ conueniant alicui communitati quod dicit ista secunda conclusio nostra. Pro hac etiam conclusione in primo libro aliquas rationes induximus. Ex istis duabus conclusionibus sequuntur aliqua corollaria. Primum est ꝙ prædicta potestas clauium nec subiectiue nec formaliter nec radicaliter nec fundamentaliter ut omnibus uerbis utamur aduersariorum potest esse in ecclesia uniuersali nec in uniuersitate clericorum aut collegio sacerdotũ in quodam subiecto communi. patet corollarium manifeste ex dictis. Secundum corollarium est: quòd omnes auctoritates sacræ scripturæ quæ de potestate clauium ordinis quæ dicitur potestas ligandi, & soluendi a peccatis loquuntur: non possunt ueraciter exponi de uniuersali ecclesia pro omnibus suis membris siue diuisim siue coniunctim nec de aliqua alia quacunque communitate minus uniuersali. Patet corollarium ex præfatis conclusionibus, & per consequens non potest de ecclesia uniuersali exponi prædicto modo auctoritas illa Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittantur eis, cum loquatur de potestate præfata ordinis. Quod patet, tum ex glo. interli. quæ ita habet, id est quos dignos remissione iudicaueritis: duabus uidelicet clauibus, scilicet potestatis, & discretionis, dimittentur eis. Tum ex eo quòd huiusmodi uerba omnibus sacerdotibus dicuntur dum ab episcopis ordinantur: quibus tamen omnibus non committitur aliqua potestas iurisdictionis. Tertium corollarium est ꝙ auctoritates sanctorum dicentium ꝙ Petrus in figura ecclesiæ susceperit huiusmodi potestatem clauium impossibile est eas intelligi cum ueritate ad intellectum aduersariorũ sæpe dictum patet ex dictis. Quartum corollarium est: ꝙ plenitudo potestatis ecclesiasticæ, ut includit potestatem clauium ordinis non potest esse in ecclesia uniuersali ad intellectum dictum aduersariorum patet ex superioribus. Tertia conclusio. Potestas clauium iurisdictionis ecclesiasticæ siue in foro conscientiæ siue exterioris iudicii, non est sic data uniuersali ecclesiæ ꝙ singulis eius membris sit data ut singulis. Ista conclusio licet per se nota uideatur: nihilominus probatur sic. Inter ecclesiæ membra omnes fideles tã clerici quam laici, tam uiri quàm fœminę includuntur. Vnde apostolus ad Gal. 3. Quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Et ait Augustinus ad Bonifacium, & ponitur in cap. nulli de conse. dist. 4. in baptismate quisque efficitur membrum Christi, sed non omnibus fidelibus est data potestas clauium iurisdictionis spiritualis. patet quia non fœminis nec laicis nec clericis omnibus etiam sacerdotibus ut patet. ergo conclusio uera. Quarta conclusio. Potestas iurisdictionis ecclesiasticæ non est

Margin notes: Primum correla. / Secundũ / Tertium / Quartũ / Tertia cõclusio. / Quarta cõclusio.

est data toti ecclesiæ, ut uniuersitati siue omnibus membris ecclesiæ simul iunctis. Probatur ista conclusio ex præcedenti sic. Nulla potestas potest conuenire alicui uniuersitati siue in omnibus membris eius simul ad quam est inhabilis magna pars illius uniuersitatis. sed ad potestatem iurisdictionis ecclesiasticæ siue in foro conscientiæ siue exterioris iudicii magna pars uniuersitatis ecclesiæ est inhabilis nec est capax illius. ergo talis potestas non potest dici conuenire uniuersitati ecclesiæ ut sic. consequentia est bona, maior etiam nota, & potest colligi ex cap. cum dilectus, extra de consuetu. & c. constitutis, extra de appel. minor uero patet. Tum ex conclusione præcedenti. Tum quia cum ecclesia, ut inquit Beda in gl. super Luc. & etiam dicit Hugo de sancto Victore libr. de sacramentis parte 2. duos complectatur ordines scilicet laicos & clericos quasi duo latera corporis unius. maior pars scilicet laicorum est inhabilis siue incapax iurisdictionis ecclesiasticæ. unde in c. bene quidem distinct. 96. tota synodus protestatur quòd laicis personis nulla facultas data est de disponendis ecclesiasticis officiis. idem in c. sequenti. Patet etiam hoc manifestius de mulieribus quæ quantacunque polleant sanctitate inhabiles sunt ad claues recipiendas. mulier enim non est subiectum idoneum principatus, sed magis subiectionis. Quamobrem dicit Apostolus 1. ad Corinth. 14. Mulieres in ecclesia taceant non enim permittitur glo. ab aliqua auctoritate eas loqui sed subditas esse. Etiam dicit in politic. Philosophus quòd corruptio urbanitatis est cum regimen siue dominium ad mulierem peruenerit. non uidetur autem intelligibile quòd potestas clauium sit data ecclesiæ, ut uniuersitati siue in omnibus membris eius: & quòd excludantur a participatione prædictæ potestatis fideles laici uiri & mulieres qui sunt non modo uera membra corporis Christi quod est ecclesia: sed etiam in maiori numero siue maior pars. Secunda probatur sic præfata conclusio. In qualibet uniuersitate cui data est aliqua potestas, ut uniuersitati, omnes de illa uniuersitate æqualiter se habent ad ius illius potestatis. patet: quia canonici omnes æqualiter se habent in actu cuiuslibet potestatis quam habent, ut collegium. sed non omnes fideles immo nec omnes clerici immo nec omnes sacerdotes qui includuntur intra ambitum corporis ecclesiæ equaliter se habent ad ius potestatis clauium, ut patet manifeste: quoniam alias non fuisset distinctio potestatis inter apostolos, nec fuisset distinctio inter sacerdotes maiores & minores nec Petrus fuisset magis caput ecclesiæ quàm aliquis ceterorum. Quæ omnia nedum falsa sunt, sed etiam tanquam hæretica per ecclesiam condemnata. ergo sequitur quòd uniuersali ecclesiæ, ut tali id est, ut in omnibus membris suis simul non sit data potestas talis clauium a Christo. consequentia est bona & formalis. Tertio sic. Quandocunque alicui uniuersitati in communi, ut uniuersitati est data aliqua potestas siue aliqua clausula non possunt quicunque illius uniuersitatis exire in actum siue in executionem potestatis nisi simul omnibus concurrentibus aut saltem uocatis, aut nullo contempto ex omnibus illius uniuersitatis mēbris. hoc uidetur manifestum ut colligitur ex cap. quia propter, & c. coram extra de elec. sed si uniuersali ecclesiæ in communi, ut uniuersitati data esset potestas clauium iurisdictionis sequeretur quòd nec papa, nec ecclesiæ prælati possint exire in actum siue exercitium eiusdem potestatis, nisi ad minus conuocatis omnibus fidelibus tam laicis quàm clericis. sed hoc est

falsum ut patet, cum hoc non obseruetur in ecclesia nec etiam ad uniuersalia concilia omnes fideles uocantur, nec omnes clerici, nec etiam omnes sacerdotes, nec tamen reputantur contempti si non uocantur, nec etiam papa requirit quorumcunque consensum ad executioné potestatis sibi datæ, nec etiam alii prælati. ergo falsum est quòd toti ecclesiæ in communi, aut toti collegio clericorum, aut sacerdotum data sit potestas clauium, ut uniuersitati. Quarto sic. Quandocunque omnibus membris alicuius uniuersitatis est data potestas aliqua ut uniuersitati, cum omnes ad ius potestatis æqualiter se habeant regulariter: maior pars communitatis præponitur minori in iudicio. Arg ex c. quia propter. extra de elec. & c. cũ in cunctis extra de his quæ fiunt à maio. par. c. si ergo corpori uniuersalis ecclesiæ data esset potestas clauium huiusmodi, aut collegio omniũ clericorum, siue sacerdotum in communi, sequeretur ꝙ ad maioré parté huius uniuersitatis, quæ est pars laicorũ, uel ad minores sacerdotes seu clericos qui sunt maior pars collegii eorum, tandem posset deuolui regimen & potestas iudicii totius ecclesiæ quod est absurdum iuxta c. cum inferior & ca. denique distinct. 21.

Quinta conclusio

Quinta conclusio. Plenitudo potestatis clauium iurisdictionis non est data uniuersali ecclesiæ, ut uniuersitati siue in omnibus eius membris coniunctim. Hæc conclusio licet pateat ex præcedenti, quia probato quòd ecclesiæ uniuersali, ut communitati non sit data potestas clauium, probatum relinquitur quòd nec plenitudo potestatis clauium illo modo sit data illi, nihilominus probatur multipliciter. Primo sic. Regimen ecclesiæ est a Deo institutum monarchicum sicut supra sæpe probatum est. patet: quoniã hoc regimen est nobilius reputatum tam a philosophis ut patet 8. Eth. & 3. polit. quàm a theologis, & credendum est quòd Deus instituerit regimen ecclesiæ suæ in nobiliori specie regiminis, sed in principatu monarchico plenitudo potestatis non est apud omnes, siue apud communitatem sicut est in regimine politico, sed solum apud unum scilicet apud principem, qui solus principatur. ergo sequitur quòd ex institutione Christi plenitudo potestatis non sit data uniuersitati ecclesiæ in omnibus membris eius, sed tantum in uno s. Romano pontifice qui princeps ecclesiæ a Christo institutus est, ut supra ostendimus. Secundo sic confirmando rationem factam. Si plenitudo potestatis est apud uniuersalem ecclesiam totam sequitur quòd non est apud papam. consequens est falsum. cum sit contra apertissima testimonia sanctorum patrum, ut supra uisum est. ergo antecedens est falsum, cũ ex uero non sequatur nisi uerum. Probatur consequentia. quia si apud totam multitudinem populi Christiani quæ dicitur ecclesia uniuersalis quæ est collectio omnium fidelium resideat, sequitur quòd principatus ecclesiæ sit politicus & non monarchicus, & per consequens in nullo quàm in ipsa tota communitate est ponenda potestatis plenitudo. Hæc autem differentia ponitur ab Arist. 8. Eth. & 3. politi. inter tres species principatus quas ponit. uidelicet monarchicam quæ dicitur a monos quod est unus & archos quod est principatus, quasi principatus unius, in quo solo residet plenitudo potestatis. Secunda dicitur aristocratia, quæ dicitur ab aris quod est uirtus & cratos quod est potestas quasi potestas siue principatus plurium secundum uirtutem imperantium ita quòd nullius. Tertia species communi nomine dicta politia in qua multi, ut populus principantur, ita quòd apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes, ut ibidem dicitur, & sic patet

tet consequentia. Tertio sic. Nulli communitati cuius cura regimen, & gubernatio a superiori suo est commissa alicui particulari est data potestas regiminis sui & gubernationis. ista uidetur nota, sed regimen uniuersalis ecclesiæ est commissum Romano pontifi. ut tota clamat sanctorum patrum doctrina. ait enim beatus Gregor. ad Imperatorem Mauritium scribens. Cunctis euangelium scientibus liquet quòd uoce dominica sancto, & omnium apostolorum principi Petro apostolo totius ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Petre amas me pasce oues meas. ergo uidetur quòd uniuersali ecclesiæ, ut communitati non sit data potestas uniuersalis regiminis totius ecclesiæ, sed tantum Petro & successoribus eius. Quarto confirmando hanc rationem arguitur sic. Illi soli uidetur data potestatis plenitudo qui solus est pastor totius gregis dominici, sed solus Petrus est pastor totius gregis dominici,& nullus alius, nec ipsa communitas ecclesiæ, quæ est ipse grex pascendus, & gubernandus: ergo uidetur, quòd solus Petrus & ita solus Roma. pont. sit uocatus a Christo in plenitudinem potestatis clauium. Quinto sic. Impossibile est quòd in aliqua una uniuersitate prælatus & subditi habeant eandem plenitudinem potestatis. patet: quoniam non capit ratio quòd illud per quod quis constituitur superior & prælatus aliorum sit commune prælato & subditis in eadem plenitudine, sed in tota uniuersitate Christiana Roma.pont. est prælatus & ceteri omnes alii fideles sunt subditi, ut in superioribus est demonstratum. ergo conclusio uera. Sexto confirmando præcedentem rationem arguitur sic. Plenitudo potestatis quæ ponitur in ecclesia aut est una, & eadem numero cum ea quæ ponitur in papa aut est alia, sed non potest dici quòd sit alia, quia sic essent duæ supremæ potestates, siue plenitudines potestatis quod esse non potest. Tum quia quod per superabundantiam dicitur in unoquoque genere unum tantum est. Tum quia pluralitas principatuum non est bona 12.methaphy. Tum quia duas supremas potestates non patitur unitas ecclesiæ. Non potest etiam dici quòd sit una & eadem numero plenitudo potestatis, quia si sic tunc neque papa esset superior & prælatus ecclesiæ nec ecclesia posset dici superior potestate ipso Romano pont. quod tamen aduersarii uolunt. patet: quia si par in parem imperium non habet, multominus ubi est identitas potestatis. Responsio autem quam ad hanc rationem dant quidam aduersariorum dicentes quòd licet sit eadem quia tamen ut dicunt illa potestas est excellentiori modo in ecclesia scilicet inuariabiliter & inobliquabiliter quo modo non est in papa, ecclesia habet iurisdictionem supra papam, non ualet aliquid. Tum primo, quia præsupponit falsum, quia ut iam probauimus talis potestatis plenitudo nó potest esse subiectiue & formaliter in uniuersitate ecclesiæ, sed solum in Romano pontifice, & per consequens sicut superius circa cap. 7. est probatum non potest esse excellentiori modo in uniuersitate ecclesiæ quàm in Romano pontifice. Tum secundo, quia etiam dato quòd esset scilicet una & eadem numero potestas ecclesiæ in utroque sicut in uno subiecto est impossibile intelligere quòd ecclesia habeat iurisdictionem super Romanum pontificem, nec econuerso, nec potest circa unam & eandem potestatem numero in uno & eodem subiecto pro eodem tempore attendi talis cóparatio, ut in uno dicatur esse excellentiori modo quàm in alio. Præterea dato etiam quòd sit, cum talis differentia puta esse inuariabiliter & uaria-

biliter non augeat nec minuat potestatem ipsam non potest ex tali differentia argui quòd unus habeat iurisdictionem super alium. alias qui sanctior esset aut diuturniorem haberet potestatem in ecclesia diceretur iurisdictionem maiorem habere quod est falsum. immo inter errores Ioannes Hus, & Vicleff condemnatum. Septimo arguitur sic. Ex tota scriptura sancta nõ potest hoc haberi, quòd uniuersali ecclesiæ in communi, siue in omnibus membris eius simul sit data plenitudo potestatis: sed magis contrarium. ergo hoc non uidetur asserendum. consequentia patet: quoniam ut ait Hieronymus quod de sacra scriptura firmitatem non habet eadem facilitate contemnitur qua probatur. antecedens patet: quoniam si aliqua scriptura talis esset per aduersarios esset inducta. Quod autem nulla earum quas inducunt faciat ad propositum positionis eorum nos ostendemus infra cum ad argumenta eorum respondebimus. Ex his conclusionibus sequuntur aliqua corollaria. Primum quòd auctoritates sanctorum patrum quæ uidentur attribuere toti ecclesiæ in communi potestatem clauium, aut auctoritatem iudicii, aut magisterii non sunt accipiendæ sic quòd omnibus fidelibus, nec omnibus clericis, aut ut singulis, aut in unum simul coniunctis, ut uniuersitati talis auctoritas, aut potestas diuina ordinatione data sit. Patet: quoniam ut probauimus multipliciter hoc non modo falsum est, sed etiam ut uidetu. erroneum cum contra euangelium Christi, & sanctorum patrum doctrinam uideatur negare beatum Petrum fuisse caput uniuersalis ecclesiæ. uideatur etiam negare principatum ecclesiasticum esse monarchicum. Item uideatur negare principatum ecclesiæ esse Hierarchicæ dispositum & Roma. pont. potestatis plenitudinem habere. Quod etiam sit positio illa quasi impossibilis partim ostendimus supra & infra in responsione argumentorum clarius uidebitur. Secundum corollarium est, quòd auctoritates sacræ scripturæ, & sanctorum quas aduersarii inducunt intelligentes modo præfato peruerse & aliter quàm spiritussanctus efflagitat illas interprætari uidentur: patet ex dictis & plenius ex dicendis in responsione ad argumenta. Tertium corollarium est, quòd falsum est quòd aduersarii in secunda parte conclusionis eorum dicunt, uidelicet ꝙ potestatis plenitudo principalius sit in ecclesia uniuersali quàm in summo pontifice. Patet, tum ex dictis. Tum sic. Potestatis plenitudo clauium non est in uniuersali ecclesia ad intellectum eorum, ut probatum est. ergo nec est in ea principaliter nec minus principaliter ad intellectum eorum, uidelicet in omnibus membris ecclesiæ simul. Præterea falsitas illius manifestissima patet ex forma absolutionis qua sacerdos quilibet utitur in ecclesia in absolutione sacramentali. ait enim sic. Auctoritate omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri, & Pauli. non autem dicit auctoritate ecclesiæ uniuersalis, & tamen fiendum necessario esset si potestas clauium esset principalius in uniuersali ecclesia ad intellectum aduersariorum quàm in Petro siue eius successore. Et hæc de primo principali.

Primum corolla. *Secundũ* *Tertium*

Circa secũdũ principale

Circa secundum in quo impugnanda est responsio aduersariorum, quam dant ad auctoritates sanctorum patrum dicentium, quòd solus Romanus pontifex uocatus sit in plenitudinem potestatis aut quòd nulli alteri sit data plenitudo potestatis a Christo est sciendum, quòd responsio eorum stat in hoc quòd per ly solus non fiat exclusio communitatis ecclesiæ, sed particularium personarum, siue singulorum membrorum de ecclesia, & simili-

ter quòd cum dicitur quòd nulli nisi Petro sit data plenitudo potestatis. ly nulli distribuat pro singulis particularibus: non autem pro communitate. Sed quòd ista responsio nulla sit & sit contraria mētibus sanctorum patrum quorum auctoritates inductæ sunt, patet. Tum primo, quia præsupponit, quòd potestatis clauium plenitudo possit esse subiectiue, & formaliter ac dispensatiue in ipsa uniuersali ecclesia siue in omnibus membris eius simul, quod superius est improbatum sufficienter. Tum secundo, quia doctores præfati dicentes soli Petro datam esse plenitudinem potestatis, ponunt ecclesiæ principatum esse Monarchicum iuxta euangelium Christi. de ratione autem principatus Monarchici, ut sæpe est repetitum est quòd plenitudo potestatis resideat apud unum scilicet principem & non apud omnes. Tum tertio, quia præfati doctores ponunt quòd Petrus si princeps pastor, & caput totius ecclesiæ uniuersalis: cum quibus non potest stare quòd in ipsa uniuersali ecclesia cui ipse præsidet sit eadem plenitudo potestatis cum eo, & maxime cum additione ista, & principalius quàm in eo. Vnde sanctissimus Leo papa in c. ita dominus distinct. 19. apertissima luce dicit, quòd ita dominus huiusmodi muneris sacramentum ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet. hæc ille. Ergo ex intentione illorum patrum est, quòd per ly solus, & per ly nullus non solum excluduntur alii particulares, sed etiam ipsa communitas ad intellectum aduersariorum. Et ita patet quòd responsio aduersariorum nulla sit.

Cap. LXXII. In quo datur uera intelligentia huius quod a sanctis patribus dicitur ꝙ ecclesiæ uniuersali sint claues datæ.

IMPROBATA sufficienter prout nobis uisum est aduersariorum intelligẽtia huius quod dicitur quòd uniuersali ecclesiæ claues datæ sint, iam restat explicare quæ sit uera intelligentia huius. Pro quo notandū quòd huius propositionis ecclesiæ uniuersali datæ sunt claues triplex potest esse intellectus. Vnus est quòd claues datæ sint ecclesiæ in singulis suis membris diuisim. Et iste intellectus est falsus & erroneus & iam condemnatus inter errores Valdensium, qui dicebant singulos bonos homines habere claues siue potestatem absoluendi & ligandi. Secundus est quòd uniuersali ecclesiæ in omnibus membris suis coniunctim siue simul datæ sint claues sicut dicitur de principatu polytico in quo potestas siue principatus dicitur esse apud communitatem. sed iste intellectus qui uidetur esse aduersariorum iam est improbatus non modo tanquam falsus, sed etiam quodammodo impossibilis. nam ostensum est clarissime quòd sit impossibile, quòd alicui communitati, siue congregationi fidelium simul siue omnium clericorum, siue etiam omnium sacerdotum collegio conueniat habere claues regni cœlorum quibus peccatorum fit remissio: quoniam ostensum est nullam communitatem, ut sic posse esse subiectum talis potestatis. Item ostensum est quòd nec communitati uniuersalis ecclesiæ siue uniuersitati omnium clericorum, nec omnium sacerdotum collegio ut communitati siue simul in omnibus membris datæ sint claues iurisdictionis & minus

Tractans tertium principale

plenitudo potestatis. Tertius intellectus est quòd uniuersali ecclesiæ datæ sint claues non omnibus membris eius, sed in aliquibus membris eius tantum, & plenitudo potestatis data sit illi in uno membro tantum s. principatum, & plenitudo potestatis data sit illi in uno membro tantum s. principali quod est caput in corpore: quod est Roma. ponti. Et iste est uerus & catholicus sensus & quem habent sancti doctores cum dicunt claues datas esse uniuersali ecclesiæ. Vnde de potestate ligandi & soluendi a peccatis dicit beatus Amb. lib. de pœnitentia, ꝙ ius ligandi & soluendi solis sacerdotibus est permissum. Et beatus Hier. & habetur in gl. Math. 16. ꝙ datæ sunt claues omni ecclesiæ in episcopis & presbyteris. De potestatis uero plenitudine dicunt sancti doctores quos supra induximus quòd soli Petro data sit & in eo Roma. ponti. eius successori. Pro cuius intellectus pleniori notitia est sciendum ꝙ potestas clauium ut colligitur ex Apostolo tam 1. ad Corin. 12. quàm ad Ephe. 4. ponitur inter gratias gratisdatas quas Christus dedit corpori ecclesiæ. unde ait. Dedit quosdam pastores &c. gratiæ autem gratisdatæ non sunt ita datæ corpori ecclesiæ quòd omnibus ecclesiæ membris sint distributæ sed quibusdam tantum aliquæ & aliis aliæ. unde ait apostolus 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, ubi dicit gl. gratias hic appellat diuersos gradus & ordines qui sunt in officiis ecclesiæ. Et infra inquit Apostolus. Posuit quidem Deus quosdam in ecclesia primum apostolos. Secundo prophetas. Tertio doctores. deinde uirtutes & exinde gratias curationũ opitulationes gubernationes genera linguarum. nunquid enim omnes apostoli. nunquid omnes prophetæ. nunquid omnes doctores. nunquid omnes uirtutes. nunquid habent gratiam curationum. nunquid omnes linguis loquuntur. nunquid omnes interpræœtantur. Hæc Apostolus quasi dicat non. Et ad Rom. 12. postquam dixit: multi unum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra. Sequitur habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes siue prophetia secundum rationem fidei siue ministerium gl. ecclesiasticum, habentes in ministrando glo. assidue, siue qui docet in doctrina, &c. Ex quibus uerbis apostoli manifestum habetur. Primo quòd huiusmodi gratiæ non infunduntur, nec sunt singulis membris ecclesiæ corporis communes. Secundo quòd huiusmodi gratiæ infunduntur singularibus membris corporis particulatim non autem uniuersitati, aut communitati membrorum. nullus enim doctus ignorat quòd talium gratiarum subiectum capax esse non potest ipsa communitas. Præterea notandum est, quòd propter unitatem ipsorum membrorum in ipso corpore ecclesiæ ipsum corpus ecclesiæ dicitur sæpe recipere, habere & exercere siue operari quæ officialia membra sua uel aliquod etiam unum membrorum recipit habet aut operatur: licet illud tale conuenire non possit toti uniuersitati membrorum, nec etiam proprie ueraciter posset dici de ea: sed tantum per figuram Synecdochen denominando totum a parte. sicut etiam in corpore naturali hominis exemplum est manifestum: homo crispus dicitur uel caluus licet caluities & crispitudo uni tantum membro hominis s. capiti intersint. ita similiter reperitur in corporibus per similitudinem dictis, plura nanque attribuuntur uni populo licet toti non conueniant, sed tantum aliquibus illius populi. Vnde gl. ordinaria super illud apostoli primæ ad Corin. 10. Sedit populus manducare dicit sic. Populus id est quidam de populo totum pro parte ponit. sic in proposito propter unitatem in corpore ecclesiæ multa quæ quibusdam tantum

conue-

conueniunt attributa leguntur ipsi toti corpori ecclesiæ, ut potestas ministerialis clauium ligandi & soluendi a peccatis qui solis sacerdotibus conuenit, & in quibus subiectiue & dispensatiue esse potest dicitur ecclesiæ data cuius membra sunt ipsi sacerdotes. Vnde Ambro. ubi supra. Ius ligandi & soluendi habet ecclesia quæ ueros habet sacerdotes, & similiter de aliis actibus. Vnde Archydiaconus super illud. Ecclesiæ charitas, de consec. dist. 4. dicit. Ecclesia dicitur facere quod eius ministri faciant secundum instituta: puta paruulos baptismo offerre, baptizare, peccata dimittere. hæc ille. Propter præfatam etiam unitatem corporis mystici non solum dicitur ecclesia habere illud quod singulariter prælati in ecclesia habent sicut claues & plenitudinem potestatis quam solus papa habet, sed etiam ꝙ Christus principale ipsius ecclesiæ caput habet. Vnde beatus Aug. tractans illud Apo. 2. Qui uicerit & seruat opera mea usq; in finem dabo potestatem ei super gentes & reget eos in uirga ferrea & ut uas figuli comminuentur sicut, & ego accepi a patre meo dicit. sic in Christo habet ecclesia hanc potestatem sicut dicit apostolus. cum illo omnia nobis donauit. Vbi considerandum multum utiliter uenit ad uitandos multos errores, quòd cum aliqua legantur attributa ecclesiæ est aduertendum respectu quorum, uel respectu cuius illa talia attribuantur ei cum non omnia omnibus conueniant, sed quædam quibusdam quædam aliis & quædam uni, alias faciliter quis posset errare. Cuius considerationis defectus uidetur nobis ꝙ fuerit causa aduersariis multorū errorum. unde ualde conuenienter uenit in hoc loco notanda illa regula quæ ponitur in gl. psalm. 17. quæ originaliter est beati Aug. dicentis. Attende regulam unitatis capitis & corporis, quasi enim una persona est caput & corpus. ideoq; una uoce utitur caput cum mēbris, licet ea quæ dicuntur ad diuersa referantur. quædam enim soli capiti conueniunt: quædam solis membris quædam capiti & membris. Item quæ membris conueniunt quædam præteritis, quædam præsentibus, quædam futuris, quædam perfectis, quædam imperfectis conueniunt, & tamen in tanta diuersitate una uox est, & quasi una persona loqui uidetur: hæc gl. Ex quibus omnibus manifeste patet qualiter intelligendæ ueniant omnes auctoritates sanctorum dicentes quòd ecclesiæ catholicæ datæ sunt claues, quia non quidem in ipsa tota communitate, siue multitudine membrorum, sed in aliquibus tantum scilicet in principalibus scilicet in episcopis, & presbyteris, ut ait Hiero. & in istis ut singularibus non ut collegio: quoniam sicut apertissime monstratum est in communitate, siue uniuersitate non potest esse subiectiue, nec dispensatiue potestas ligandi, & soluendi a peccatis, de qua auctoritates sanctorum maxime loquuntur, ut patet ex ipsa littera.

Cap. LXXIII. In quo respondetur ad rationes fundatas in prima suppositione.

EXPOSITA ueritate intelligentiæ sub qua accipiendæ sunt auctoritates sanctorum patrum dicentes claues esse datas ecclesiæ uniuersali: iam restat respondere ad obiecta aduersariorum, & iuxta numerum suppositionum illarum quibus ueluti fundamentis usi sunt arguendo tot capitula, subiungemus respondendo rationibus eorum.

Aggrediēs quartū principale notatum c. 71.

Ad primã suppositione positã supra c.70

In primis ergo respondentes ad primum præsuppositum dicimus quòd falsum est quod dicunt. uidelicet quòd omnia dicta Petro & apostolis trahenda sunt ad ecclesiam ad intellectum quem aduersarii prætendunt. uidelicet quòd conueniant communitati ecclesiæ: quoniam multa sunt quæ dicta sunt a Christo Petro & apostolis quæ nullo modo conuenire possunt ipsi communitati ecclesiæ, nec etiam singulis fidelibus. non enim potest uniuersali ecclesiæ, aut aliis fidelibus conuenire illud, Christus ait Petro Math. 16. Beatus es Symon bariona, quia caro & sanguis non reuelauit, &c. ut est manifestum. Item nec potest trahi ad ecclesiam illud Luc. 22. Tu conuersus confirma fratres tuos, &c. Item nec illud Ioan. ultim. potest trahi ad ecclesiam. Symon Ioan. pasce oues meas, &c. ecclesia enim grex est non pastor. Item nec potest referri ad ecclesiam illud Math. 5. quod dictum est apostolis. Vos estis sal terræ quod &c. ubi ut inquit Hylarius, & habetur in gl. conti. apostolorum designatur officium. Vnde gl. ait. Sunt apostoli sal terræ id est hominum terrenorum qui amando terram terra uocantur, & Hierony. Sal dicuntur apostoli, quia per illos uniuersum hominum conditur genus: Item nec potest referri ad ecclesiam illud Math. 19. Amen dico uobis uos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos iudicantes duodecim tribus Israel, ubi licet ut dicit Augu. de ciui. Dei, per numerum duodenarium significetur uniuersa multitudo iudicantium: huiusmodi tamen non sunt omnes fideles, sed ut idem August. dicit: illi intelliguntur qui propter euangelium sua omnia diuiserunt & secuti sunt Christum. Item nec potest referri ad uniuersam ecclesiam illud. Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum ut patet. Item nec illud potest conuenire communitati ecclesiæ. Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. per quod uerbum apostoli dicuntur effecti sacerdotes. Item nec potest toti communitati ecclesiæ conuenire illud. Ioan. 20. c. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quoniam sicut supra sufficienter ostensum est. Potestas ligandi & soluendi a peccatis nec omnibus fidelibus nec ipsi communitati ecclesiæ modo prædicto data est. Item nec illud Math. 18. Quæcunque alligaueritis, &c. quoniam potestas hæc non data est ecclesiæ in omnibus membris eius: sed ut inquit gl. in episcopis & presbyteris, & ita non potest referri ad ipsam communitatem ecclesiæ modo prædicto. Item nec potest ad commnnitatem ecclesiæ referri illud Math. ult. Euntes docete omnes gentes, &c. Clarissimum autem est quòd officium docendi & baptizandi non committitur toti ecclesiæ nec isti sunt actus qui omnibus fidelibus conueniant. Item nec illud Ioan. 20. Sicut misit me pater & ego mitto uos. licet enim hoc apostolis dictum sit & successoribus qui dicuntur fungi legatione Christi, derisorium tamen uideretur ad communitatem ecclesiæ esse hoc referendum, ita quòd Christus uniuersalem ecclesiam miserit ad prædicandũ, & sic de multis aliis. in sequenti uero ca. ostendetur hoc idem de eis quæ dicta specialiter leguntur Petro. Patet ergo falsitas suppositionis aduersariorum dicentium quòd omnia quæ dicta sunt apostolis referenda sint ad ecclesiam tanquam toti communitati conuenientia.

Ad probationẽ primam

Et ad probationem primam quando dicitur quòd quæ dicta sunt apostolis oportet intelligere de successoribus concedimus hoc maxime de pertinentibus uel ad officium apostolatus uel ad doctrinam ueritatis, uel ad tolerantiam passionum. Quod uero dicunt

ro dicunt consequenter quòd illud. Ego autem sum uobiscum, usq; ad consummationem seculi: promissum esse uniuersæ ecclesiæ nullus ambigat: cócedimus, sed ex hoc non sequitur ꝙ ea quæ dicta sunt apostolis pertinentia ad potestatem siue ad officium apostolicum sint communia ipsi toti communitati, siue uniuersitati ecclesiæ, siue omnibus fidelibus simul iunctis. Ad secundam probationem cum dicitur ꝙ ea quæ dicta sunt Petro non habent illustrem intellectum, nisi cum referantur ad ecclesiam. respondetur quòd hoc non est sic accipiendum ꝙ talia dicta Petro ad auctoritatem, siue potestatem clauium spectantia ipsi communitati ecclesiæ conueniant in communi, ut aduersarii prætendunt, quia ut supra ostendimus hoc non est possibile, sed intelligendum est sic quòd illa quæ dicta sunt Petro importantia auctoritatem aut potestatem non habent illustrem intellectum nisi etiam ad eius successores per totum ecclesiæ decursum referantur, & hoc uerissimũ esse supra ostendimus. Ex quibus patet quòd ratio aduersariorum quæ fundabatur super suppositione prædicta nulla sit cũ falso fundamẽto innitatur.

Ad secundam

Ad rõnem

Cap. LXXIIII. In quo ponitur responsio ad rationes fundatas in secunda suppositione.

EVACVATIS argumentis aduersariorum fundatis in suppositione prima. respondeamus ad ea quæ super secunda suppositione fundãtur. In primis dicimus ꝙ suppositio ipsa secunda in qua aduersarii dicunt quòd omnia dicta Petro importantia, aut designantia auctoritatem siue potestatem sint etiam dicta aliis apostolis & in illis toti ecclesiæ falsa sit ut patet exemplariter de multis. Et primo de illa quæ ponitur Ioan. 1. Tu uocaberis cephas: quod secundũ sanctos Anacletum & Isidorum caput sonat. manifestum est autem ꝙ hoc nec aliis apostolis, nec ipsi toti ecclesiæ dictum est. Item nec illud Math. 16. Beatus es Symon bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. hoc autem soli Petro dictum est, & non aliis apostolis, nec ipsi cómunitati ecclesiæ quæ super petram aut Petri confessionem fundari dicitur. unde beatus Chrys. ait. Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam, hæc enim ei promittit se daturum quæ sunt propria Dei solius scilicet peccata soluere & ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & tentationum procellas. Item beatus Augustinus in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli ita propositũ nostrum apertissime cófirmat dicens. Hic est Petrus in illa cœlestium discipulorum schola præcipuus ac primus idoneus qui uerba uitæ ex Christi ore suscipiens interpretes legis assertor gratiæ destructor synagogæ ecclesiæ reparator, & ideo solus inter apostolos meruit audire. Amen dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram &c. Quod uero aduersarii dicunt quòd Petrus pro omnibus respondit. dicitur quòd uerum est. quoniam ut ait beatus Ambrosius licet ceteri apostoli siluerunt: Petrus tamen respondit pro omnibus. Vnde Chrysostomus super Mathæum ita inquit. Quando uero dominus de plebis opinione interrogat omnes respondent, sed de omnibus discipulis interrogatus Petrus tanquam os apostolorum & caput pro omnibus respondet. unde sequitur. Et respondens Symon Petrus, &c. Quod uero aduersarii

Ad secundã supposi tionẽ positam supra cap. 70.

subiungunt quòd non solum pro se, sed etiam pro aliis dictum sit Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum. respondetur quòd est uerum, sed differenter, quia Petro datæ sunt seu promissæ claues immediate, & in plenitudine siue in excellentia. aliis uero mediante Petro siue in ordine ad eum & iuxta mensuram dispensationis fiendæ per eum. Sicut enim principalior fuit in confessione, ita principalior fuit in remuneratione. licet enim receperit pro omnibus nihilominus etiam præ omnibus. unde glo. super hunc locum ita inquit. Quia præ ceteris confessus est præ ceteris collatis clauibus donatus est. Hoc etiam manifeste patet ex dictis sanctorum quæ inducunt pro se si non truncate, ut moris est eorum, sed integre recitentur. Patet de Leone papa qui in sermone tertio consecrationis suæ ita loquitur. Primus est in cõfessione domini qui primus est in apostolica dignitate propter quod dicitur beatissimo Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum &c. transiuit quidem in alios apostolos ius potestatis istius & ad omnes ecclesię principes decreti huiusmodi constitutio commeauit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur: hæc ibi. Item patet de Rabano quem inducunt si integre ducatur in medium: ait enim ut in glo. conti. habetur. Hæc autem potestas ligandi & soluendi quamuis soli Petro uideatur data a domino, tamen ceteris apostolis datur necnon nunc in episcopis, & presbyteris omni ecclesiæ, sed ideo Petrus specialiter claues regni cœlorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, ut omnes per orbem intelligant quòd quicunque ab unitate fidei, uel societate eius quomodolibet seipsos segregant tales, nec uinculis peccatorum absolui nec ianuam regni cœlestis ingredi possunt. Ecce quòd dicta sanctorum inducta per aduersarios cum integre deducuntur in medium manifeste confirmant propositum nostrum. uidelicet quòd singulariter, & specialiter Petro dictum sit. Tibi dabo claues regni cœlorum. Quod etiam apertissime ostenditur ex eo quòd solus inter apostolos cum clauibus depingitur. Item de solo eo cantat ecclesia. Deus qui beato Petro apostolo tuo collatis clauibus regni cœlestis ligandi & absoluendi pontificium tradidisti, &c. Præterea quòd suppositio aduersariorum uidelicet quòd dicta Petro importantia potestatem sint etiam dicta aliis apostolis & in illis toti ecclesiæ sit falsissima patet de illo quod Christus ait Petro. Symon Ioannis diligis me plus his, pasce oues meas. Planissimum est autem quòd ista uerba soli Petro dicuntur, quod etiam manifeste sancti patres attestantur. unde beatus Chrisostomus super Ioan. tractans uerbum hoc ita inquit. Alios præteriens & transcurrens huic de talibus loquitur, eximius apostolorum erat Petrus & os discipulorum, & uertex collegii: hæc Chrysosto. Ecce clarissimum testimonium quòd soli Petro illud dictum fuerit à Christo. Præterea beatus Bernardus hoc idem testatur sic ad Eugenium libro secundo de consideratione scribens. Tu es cui traditę sunt claues regni cœlorum, cui oues creditæ sunt. sunt quidem, & alii cœli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrunque præ ceteris nomen hæreditasti, habent alii assignatos greges, singuli singulos, tibi uniuersi crediti sunt unus uni non modo ouium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. unde id probem queris? ex uerbo domini, cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute & in-

distincte totę commissæ sunt oues? si me inquit amas, pasce oues meas, &c. Quod uero aduersarii inducunt de beato August. libro de agone Christiano, quòd ecclesiæ claues datæ sunt cum Petro datæ sunt, dicimus quòd uerum est sed ut diximus supra & habetur in glo. Math. 16. in episcopis, & presbyteris non autem in tota communitate ecclesiæ. Et similiter id quod consequenter dicit Augustinus, quòd cum Petro dicitur ad omnes dicitur. Amas me, pasce oues meas, non est intelligendum quòd tunc per se, & immediate ad omnes apostolos Christus direxerit uerbum illud, cum dicat beatus Chryso. ut uisum est alios apostolos præteriens Christus Petro fuerit locutus. Et dicit beatus Bernardus quòd nulli apostolorum quàm Petro ita absolute & indistincte oues commisit. Tum quia si Christus omnibus apostolis illud dixisset tunc plures pastores uniuersalis ecclesiæ constituisset contra illud Ioan. 10. Erit unum ouile, & unus pastor. Præterea derisorium esset, quòd uerbum illud intelligatur referri ad omnes fideles cum constet non omnes positos esse pastores. Inquit enim apostolus ad Ephe. quarto. Quosdam posuit pastores. quosdam dixit, non dixit omnes. Nec etiam potest referri ad totam communitatem fidelium, sicut supra ostendimus. ipsa enim non pastor, sed grex domini dicitur. cuius cura Petro commissa est, ut inquit Gregorius. sed Augustini dictum est sic accipiendum iuxta eiusdem sancti doctoris sententiam, quòd illud quod tunc soli Petro dictum est in persona propria dictum sit etiam in figura omnium aliorum apostolorum, & futurorum prælatorum quibus datas claues esse dicebat in ecclesia, secundum proportionem tamen solicitudinis ad quam uocandi essent per Petrum. Vnde idem Augustinus in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli qui incipit. Apostolum Petrum primum omnium apostolorum, &c. tractans illud uerbum Ioan. ult. Petre amas me, pasce oues meas: dicit sic. Per singula dicebat Petro dominus Iesus dicenti Amo te, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas in Petro figurabatur unitas omnium pastorum. Hoc etiam uult dicere beatus Ambrosius in principio pastoralis cum ait, quòd oues non solum tunc suscepit Petrus, sed nobiscum eas suscepit, & nos cum eo. loquitur de pastoribus cuiusmodi erat ipse Ambrosius. unde liber ille pastoralis dicitur. cum enim Christo fuerit cura de ouibus suis non solum pro tempore Petri, sed etiam pro toto discursu temporis usque ad finem seculi certum est quòd cum Petro commiserit oues suas, in eo etiam omnibus aliis eius successoribus & prælatis in partem solicitudinis suæ euocandis intelligitur commisisse, & per consequens uerum est quòd Petrus cum oues pascendas suscepit cum aliis, & alii cum eo suscepisse dicuntur: sed cum hoc stat quòd Petrus pro tempore suo oues Christi uniuersas solus ipse absolute & indistincte, sicut ait beatus Bernardus. pascendas susceperit. Ceterum quòd suppositio præfata aduersariorum etiam falsa sit patet in eo quod Luc. uigesimosecundo dictum est Petro a Christo. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. hoc autem soli Petro dictum est non aliis apostolis, ut est manifestum ex ipsa littera, & tamen in hoc plurimum auctoritatis datum est Petro. quod patet ex illo beati Ambrosii in capit. fidelior distinct. 50. Fidelior factus est Petrus postquam fidem se perdidisse defleuit ac ideo maiorem gratiam repperit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, ut qui se-

interrogationis tentatione mutauerat ceteros fidei stabilitate fundaret. hæc Ambrosius. Amplius quòd falsa sit suppositio præfata aduersariorum patet in eo quod Petro legitur dictum Luc. quinto. Duc in altum. Quod autem hoc non sit dictum apostolis sed soli Petro expresse glo. testatur ita dicens. Vnde etsi aliis imperatur ut laxent retia, soli Petro dicitur duc in altum id est in profundum disputationum. Et idem testatur beatus Ambrosius in c. est aliud 24. q. 1. Ex quibus manifeste patet falsitas suppositionis præfatæ aduersariorum, & per consequens rationes in eadem fundatas nullius esse roboris uel momenti.

Cap. LXXV. In quo respondetur ad rationes fundatas in suppositione tertia, ubi de multiplici modo quo aliquid dicitur figurare, aut repræsentare personam alterius etiam habetur.

Respōdēs ad tertiā suppositionem positam c. 70.

CETERVM uidendum uenit quid ueritatis habeat suppositio tertia aduersariorum dicentium quòd dicta Petro designantia auctoritatem, aut potestatem aliquam sint ei dicta in figura ecclesiæ. Et quoniam hæc suppositio potest esse uera in uno sensu, & in alio sensu non modo falsa, sed etiam erronea, & hæretica opus est discernere in quo sensu uera sit, & in quo non. Pro quo notandum quòd multipliciter reperitur aliquis figurare, aut repræsentare personam alterius. Vno modo similitudine, aut identitate eiusdem naturæ. Hoc modo filius dicitur figura patris filius enim ut ait Chrysostomus super Math. dicitur quòd fit ut ille scilicet pater, & ideo dicitur ecclesiastici 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit post se, ubi glo. interlin. dicit. Qui eum dictis & factis repræsentat, de filio etiam Dei dicitur ad Hebr. primo. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius glo. id est patris. Secundo modo dicitur aliquid figurare aliud conuenientia, aut similitudine alicuius proprietatis. sicut dicit Augustinus super psalm. 130. tractans illud. Potabunt omnes bestiæ agri id est gentes quæ figura bestiarum intelliguntur, ut patet ex archa Noe in qua omnes bestiæ fuerunt quæ figurat ecclesiam, in cuius compaginis unitate omnes gentes colliguntur: hæc Augustinus. Ecce quòd bestias gentes & archam ecclesiam figurasse dicit. Hoc modo figurationis multa in sacra scriptura & in dictis sanctorum reperimus figurare siue significare, sicut Genes. 20. habet glo. quòd Abraham in multis significauit Christum, & Sarra ecclesiam. Et hoc modo unum & idem potest plura significare diuersis respectibus. Tertio modo dicitur aliquis figurare siue repræsentare alium: cuius scilicet potestate siue auctoritate aliquid facit: sicut ministri in ecclesia dicuntur repræsentare siue figurare Christum cuius auctoritate funguntur. Hinc apostolus inquit 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur & 2. Col. 2. Si quid donaui in persona Christi donaui. dicitur eni de pen. dist. 3. §. si quem. Quem sacerdos iudicat, Deus iudicat cuius personam in ecclesia gerit. Hoc modo repræsentationis dicitur Vicarius repræsentare episcopum, legatus papam cuius uices gerit, ut in c. sane de offi. delega. & ita papa Christum intantum ut dicit Hostien. in c. quanto. extra de translat. prælat. quòd papæ & Christi

idem

idem dicatur esse consistorium. Et idem satis aperte colligitur ex illo quod ait Origenes & inducitur in glo. conti. super Mathæum 16. cap. Vide quantam potestatem habeat petra super quam fundatur ecclesia, ut eius iudicia maneant firma quasi Deo iudicante per eam. Hoc autem modo repræsentationis siue figurationis non potest dici sine errore quòd Petrus significauerit ecclesiam: quoniam ipse cum non ab ecclesia potestatem acperit: sed a Christo immediate, ut supra monstratum est & habetur in cap. sacrosancta distinct. 22. non ecclesiæ, sed Christi uices gerit, & non ecclesiæ, sed Christi legatione fungitur, non ecclesiæ sed Christi Vicarius est sicut cuius auctoritate fungitur. Et ideo hoc modo figurationis non ecclesiæ, sed Christi in ecclesia Romanus pontifex repræsentant personam. Quarto modo dicitur quis alium repræsentare cuius nomine aliquid accipit aut agit, sicut procurator in contrahendo matrimonium per uerba de præsenti repræsentat personam domini cuius nomine contrahit, ut in c. ult. de procu. lib. 6. unde is dicitur agere cuius nomine agitur. Item canonicus dicitur repræsentare personam canonici qui interesse non potuit in causa electionis, & sibi commisit uicem suam in eligendo. In quo casu iste poterit eligere unum ex persona sua & alium ex persona mandantis quam repræsentat. Hoc autem modo repræsentationis aut figurationis, non potest dici sine graui errore quòd beatus Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significauit quo tamen errore multi aduersariorum inuoluuntur. Illud tamen patet manifeste ex eo, quia cum qui procuratorio solum nomine agit aut accipit nihil auctoritatis, aut dignitatis sibi acquirat, sed tantum illius cuius nomine, aut accipit uel agit. sequeretur quòd beatus Petrus ex collatione clauium sibi facta non solum præ ceteris apostolis nihil habuisset auctoritatis, sed quòd nullum penitus ius potestatis sibi esset acquisitum sed tantum ecclesiæ quam figuralle dicitur. Item nec ex collatione clauium aliquod dignitatis nomen, ut quòd esset caput ecclesiæ, aut princeps ac pastor siue papa esset sibi acquisitum: sed tantum ecclesiæ cuius nomine dicitur claues accepisse. Quæ omnia esse hæretica manifestum est cum sint contra sacram scripturam expresse, & fidem sanctorum patrum ac sacras canonum diffinitiones, sicut ex superioribus patet. Quinto dicitur aliquid aliud figurare quod non habet ueritatem illius, sed similitudinem solam sicut dicitur quòd agnus paschalis & manna fuerunt figura corporis Christi, ut inquit apostolus 1. Corint. 11. c. Et multa alia quæ in ueteri testamento figura fuerunt eorum quæ in nouo per Christum sunt adimpleta. secundum illud 1. Corinth. 10. Hæc omnia in figura contingebant illis. Hoc autem modo figurationis dici non potest sine errore maximo quòd beatus Petrus claues susceperit in figura. quia cum figura distinguatur hoc modo contra ueritatem sicut umbra contra corpus, sequeretur ex illo quòd Petrus non uere, sed figuraliter claues recepisset. Quod non modo falsum est, sed etiam hæreticum cum manifeste sit contra illud Math. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris, &c. Sexto dicitur aliquis in receptione alicuius beneficii gratiæ, aut auctoritatis alium, uel alios figurare in quem, uel in quos deriuanda est ex intentione donantis talis gratia, aut auctoritas, sicut qui a rege accipit castrum pro se, & ab eo descendentibus dicitur in receptione castri figurasse omnes ab eo descendentes. Hic autem figurationis,

aut repræsentationis modus conuenit beato Petro in clauium receptione. Nam cum dominus, ut supra dictum est claues quas Petro dedit uoluerit in ecclesia usque in finem seculi permanere. manifestum est quòd Petrus non tantum pro se, sed etiam pro omnibus in quos esset deriuanda clauium potestas claues accepit. Vnde beatus Ambrosius dicit quòd omnes sacerdotes in Petro claues suscepimus, & Augustinus in sermone, quòd in uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum. Hoc etiam modo figurationis est intelligendum capit. quodcunque uigesimaquarta quæstione prima, ubi dicit Augustinus quòd beatus Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam figurauit non quidem tamen in omnibus membris, sed ut inquit glo. uidelicet in episcopis, & presbyteris. Hoc etiam modo est accipiendum quod Archydiaconus super illud cap. quodcunque dicit, quòd nomine & signo ecclesiæ Petrus claues accepit, quia non tantum accepit nomine suo, sed omnium eorum in quos per totam ecclesiæ posteritatem esset clauium potestas deriuanda. Septimo dicitur aliquis alium figurare siue repræsentare in cuius honore succedit pariter, & dignitate. Hoc modo episcopi dicuntur figuram gerere apostolorum, & presbyteri duo de septuaginta discipulorum, iuxta glo. Luc. 10. & iuxta cap. in nouo distinct. uigesimaprima. unde successor intelligitur, una persona cum prædecessore, ut in cap. quoniam abbas, in gloss. super uerbo substitutum de offic. deleg. Hoc autem modo figurationis nullo modo dicendum est quòd Petrus significauerit ecclesiam, sed Christum cuius locum tenuit & uices gessit in terris, sic Romanus pontifex repræsentare dicitur, & Christum cuius Vicarius est, & Petrum cui in honore & principatu succedit. Hinc beatus Bernardus ad Eugenium papam scribens inter alia dicit. Tu potestate Petrus, unctione Christus. Octauo dicitur princeps repræsentare prouinciam, rex regnum, caput corpus, & episcopus ecclesiam, dicuntur autem principes continere populos quibus præsunt. unde Sapientiæ 6. dicitur. Audite reges, glo. interlin. prælati, intelligite iudices finium terræ, præbete aures uos qui continetis multitudines. unde & beatus Augustinus libro quæstionum ueteris, & noui testamenti dicit de beato Petro quòd sicut in Christo omnes erant causæ magisterii ita post Saluatorem omnes in Petro continentur, ipsum enim constituit caput ut pastor esset gregis dominici. hæc Augustinus. Hinc etiam dicit beatus Ambrosius quòd nomine senioris unde ceteri pendent tota domus intelligitur. Hac etiam ratione ut dicitur nono Ethycorum, quod rector ciuitatis facit dicitur tota ciuitas facere. Et simili ratione quod papa facit dicitur ecclesia facere, ut in cap. pia extra de except. lib. 6. Hac etiam ratione cum papa & prælati maiores ecclesiæ congregantur dicitur uniuersalis ecclesia congregari, & quæ ibi stabilita sunt uniuersali consensu dicuntur firmata, iuxta cap. sicut distinct. 15. Nono aliquis dicitur alium figurare sicut concilium ciuitatis dicitur repræsentare totum populum, ut Senatus populum Romanum sic habet glo. iuris ciuilis super rubrica, quæ sit long. consue. Hoc autem modo figurationis, siue repræsentationis consistorium dominorum Cardinalium quod est quasi Senatus uniuersalis ecclesiæ, iuxta cap. ecclesia 16. q. 1. dicitur repræsentare uniuersalem ecclesiam. Decimo dicitur aliquis repræsentare alios sicut capitulum personam episcopi, sede uacante in omnibus casibus notatis in

c. in

c. in his,& in c. cum olim de maiori. & obe.& in cap. episcopus,& in c. ult. Hoc modo dominorum Cardinalium collegium dicitur repræsentare papam, sede uacante in aliquibus, ut in c.in nomine domini distinct.uigesima tertia, & in c ne Romani extra de elect .in clem. & in casu in necessariis quorum expeditio sine grandi periculo expectare non posset creationem summi pontificis, ut notant doctores ibidem. His notatis facilis patet responsio ad singulas auctoritates inductas per aduersarios, & ad omnes eis similes, ut patet per singulas discurrendo. Ad primam ergo quæ est beati August.super Ioan.& ponitur in c.quodcunque uigesimaquarta q. 1.dicimus quòd huiusmodi dicti Augustini non est intelligentia quam aduersarii prætendunt, & in qua pro maiori parte fundant somnia sua. quoniam sicut sæpe repetitum est beatus Petrus non ita nomine, aut signo ecclesiæ dicitur claues suscepisse tanquam procurator, aut syndicus eius: cũ ipse præ ceteris omnibus tanquam caput plenius ea susceperit, nec etiam cum claues suscepit significasse ecclesiam in omnibus membris eius, quia hoc est derisorium, sed tantum in principalioribus, uidelicet episcopis & presbyteris, ut supra commemorauimus. Sed uera & sana intelligentia illius dicti iuxta catholicam fidem hæc est, quòd data est Petro potestas clauium non tantum pro se, sed etiam ut significanti, & figuranti uniuersos ecclesiæ prælatos in quos eius potestas deriuanda esset, quemadmodum qui suscipit a rege castrum, aut aliquam potestatem in aliqua ciuitate pro se & ab eo in recta linea descendentibus dicitur in figura omnium talium castrum, aut potestatem suscepisse. Ita in proposito, quia Petrus pro se & omnibus eius successoribus legitime intrãtibus atque prælatis futuris in ecclesia claues accepit. Petrus cum claues acceperit dicitur ecclesiam significasse siue nomine, aut signo ecclesiæ in principalioribus, scilicet eius membris episcopis & presbyteris. Quòd uero hæc sit intelligentia Augustini colligere possumus ex multis. Primo ex ipsa littera August. integre deducta,dicit enim beatus Augu.super Ioan.sermone 49. super illo uerbo. Me autem non semper habebitis. sic intelligendum est. me autem non semper habebitis noli expauescere: Iudæ dictum est. quare non dixit habes sed habebitis, quia non unus est Iudas, unus malus corpus malorum significat: quomodo Petrus corpus bonorum corpus ecclesiæ. in uno corpus ecclesiæ, sed in bonis. nam si in Petro non esset ecclesiæ sacramentum non ei diceret dominus. Tibi tradam claues regni cœlorum quæcunq; solueris in terra, soluta erunt in cœlo,& quæ ligaueris in terra ligata erunt, & in cœlo, si hoc Petro tantum dictum est non hoc facit ecclesia, si autem & in ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur ligentur & in cœlo, & quæ soluuntur in terra soluantur in cœlo, quia cum excommunicat ecclesia in cœlo ligatur excommunicatus,& cum reconciliatur ab ecclesia in cœlo soluitur excommunicatus.si ergo in ecclesia sit Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significabat, si in Petri persona signati sunt in ecclesia boni. in Iudæ persona signati sunt in ecclesia mali, ipsis dictum est.Me autem non semper habebitis.hæc Aug.Ex quibus manifeste colligitur ꝙ intentio Aug.non sit quã aduersarii interprætantur, sed ea quã nos explicauimus.Secundo hoc idem patet ex eo quòd idem beatus Augu. dicit in homelia 13.de uerbis domini tractãs illud.Absit a te domine ne fiat istud,ubi ita inquit. In eo quod dixit Petrus.Tu es Christus filius Dei uiui,

Ad primã auctoritatem

firmos significat. in eo quòd trepidat & tribuat, & Christum pati non uult mortem timendo uitam non cognoscendo infirmos ecclesiæ significat. In illo ergo uno apostolo id est Petro in ordine apostolorum primo & præcipuo in quo figurabatur ecclesia, utrunque genus significandum fuit firmi & infirmi, quia sine utroque non est ecclesia: hæc August. Ex quibus uerbis clarissime colligitur quòd Petrus significando ecclesiam aliquando figurabat eam quòd ad aliquos tantum non quo ad omnes, & ita in proposito Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significauit non quò ad omnes de ecclesia, sed quò ad aliquos tantum: uidelicet successores eius, & alios prælatos in ecclesia sancta futuros in quos ab eo deriuanda erat ipsa clauium potestas. Tertio quòd hæc fuerit sententia Augu. patet per Archi. qui exponens illud uerbum. Si hoc tantum Petro dictum est. ita dicit. Id est, ut eius personam non transgred atur, non hoc facit ecclesia id est eius auctoritas: hæc ille. Plane hæc est argumentatio beati Aug. ut iste exponit: si potestas data Petro soli ei data fuisset ita quòd eius personam non transgrederetur, profecto potestas ligandi & soluendi in ecclesia non esset cum ergo in ecclesia sit, quia continue per prælatos fit ligatio & absolutio, sequitur manifeste quòd Petrus quando claues suscepit ecclesiam sanctam in prælatis suis significauit. Ex quibus omnibus patet quòd auctoritas illa non fauet aduersariis. Ad secundam auctoritaté quæ est eiusdem beati Aug. in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli, respondetur ꝙ bene intellecta in nullo fauet aduersariis. Nam quod in primis dicit ꝙ solus Petrus uniuersalis ecclesiæ gestabat personam. uerum est quoniam cum ipse solus inter apostolos esset princeps & caput ordinatus a Christo totius ecclesiæ, ipsius solus erat uniuersalis ecclesiæ gestare personam, sicut supra exposuimus in octauo modo repræsentationis. Et ex hoc magna excellentia commendatur beati Petri, ut infra dicetur. Quod uero consequenter dicit ꝙ claues non unus homo, sed unitas acceperit ecclesiæ uerum dicit ad hunc intellectum: quoniam Petrus non singulariter pro se tantum claues accepit quod designat uerbum: non homo unus, sed etiam pro omnibus futuris prælatis intra tamen unitaté ecclesiæ cõstitutis, quod designat uerbum, sed unitas accepit ecclesiæ, ut infra plenius declarabitur. Quod uero subiungit, hinc Petri excellentia commendatur, quia ipsius unitatis, & uniuersalis ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est. Tibi dabo claues regni cœlorum quod omnibus traditum est, uerum dicit ad intelligentiam datam, uidelicet in successoribus & aliis prælatis ecclesiæ. Quod autem subinfert ꝙ ecclesia suscepit claues quando dixit dominus apostolis. Quorum remiseritis &c. uerum est ad intellectum datum, non scilicet in omnibus membris suis, sed in illis, & eorum successoribus quibus dictum est. Quorum remiseritis peccata, &c. Clarissimum est autem ꝙ illud non potest cum ueritate intelligi dictum omnibus fidelibus diuisim, aut coniunctim consideratis, sed tantũ discipulis Christi, sicut supra plene ostensum est. Et licet ista sufficiant pro auctoritate præfata: nihilominus pro pleniori intelligentia mentis beati Augus. in illa auctoritate & similibus est sciendum quòd duo errores principales circa claues ecclesiæ perniciosissimi fuerunt quos beatus Aug. in multis libris suis summo studio confutare, & eradicare curauit. Vnus error fuit Nouatianorum, qui ut dicit sanctus Thomas in tertia parte q.83. arg.10. negabant pœnitentiam post baptismum

Ad secundam

ptiſmum dicentes nullam apud ſacerdotes facultatem eſſe abſoluendi a peccatis. Iſtum errorem tangit beatus Auguſtinus, & impugnat uiriliter libro primo de peni. ubi in principio 2. cap. ita dicit. Sunt quidam qui credunt uſque in baptiſmum proficere poſtea peccantibus caſſam perſeuerare. Item in principio 3. ca. dicit ſic. Adhuc ſunt quæ reclamant non eſſe peccatorum remiſſionem baptizatis. Ad quem errorem radicitus eradicandum beatus Auguſtinus utpote ſubtiliſſimus argumentator niſus eſt oſtendere quòd non ſoli perſonæ Petri claues datæ ſint ſed in Petro etiam datæ ſint toti poſteritati eccleſiæ in prælatis ipſius eccleſiæ. unde in cap. 40. præfati libri dicit ſic. Scimus autem & primos patres, & in omni tempore eccleſiam Dei ſemper uſque ſeptuagies ſepties quod eſt ſemper peccata dimittere, quam poteſtatem iſti ab eccleſia auferre conantur. Ceterum de errore iſtorum in fine lib. 2. de Agone Chriſtiano ſic dicit. Nec nos audiamus qui negant eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere, itaque miſeri dum in Petro petram non intelligant, & nolunt credere claues regni cœlorum eſſe datas eccleſiæ ipſi eas de manibus amiſerũt, hoc Auguſtinus. Hoc tamen ſicut ſæpe repetitum eſt non eſt ſic accipiendum quòd ipſa uniuerſalis eccleſia quæ dicitur omnium fidelium collectio in aliis membris quàm in ſacerdotibus hanc habeat poteſtatem dimittendi peccata, ſed ita quòd toti poſteritati eccleſiæ in ſacerdotibus datæ ſint claues eccleſiæ. Secundus error fuit eorum qui in hæreſi, & ſciſmate conſtitutos, & ita ab unitate eccleſiæ diuiſos dicunt ligare, & abſoluere poſſe a peccatis, qui error eſt communiter omnium ſciſmaticorum. Contra quem errorem beatus Auguſtinus in præfato tractatu de penitentia oſtendere uolens neceſſariam eſſe unitatem eccleſiæ tam ad uſum quàm ad fructum conſequendũ clauium ita inquit. Nemo penitere dignè poteſt quem non ſuſtineat unitas eccleſiæ, ideoque non petat ſacerdotes ab unitate eccleſiæ diuiſos, hæc ille. Ad deſtruendum ergo errorem primum dicentem nullam in eccleſia apud ſacerdotes facultatem eſſe remittendi peccata dicit Auguſtinus. Petrus quando ſuſcepit claues uniuerſitatis eccleſiæ in prælatis, ſcilicet & ſacerdotibus figuram geſſit. Ad excludendum uero ſecundum errorem dicentem apud diuiſos ab eccleſiæ unitate claues eſſe eccleſiæ, dixit beatus Auguſtinus quòd Petrus quando claues accepit etiam geſſit figuram unitatis eccleſiæ. Et ita patet quæ fuerit intelligentia beati Auguſtini in dictis ſuis. Quòd autem illa fuerit etiam oſtenditur ex proceſſu quo beatus Ambro. uſus eſt in confutatione præfatorum errorum in libro ſuo de penitentia, ubi in cap. 2. ita dicit. Sed aiunt, ſcilicet. Nouatiani ſe domino deferre reuerentiam cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruant, immo nulli maiorem iniuriam faciunt quàm qui eius uolunt mandata reſcindere caſſum munus refundere, id eſt euacuare. Nam ipſe cum in euangelio ſuo dixerit. Accipite ſpiritum ſanctum, & cui dimiſeritis peccata dimittuntur ei & cui retinueritis detenta ſunt, quis magis hoc horreat utrũ qui mandatis obtemperat an qui reſiſtit. eccleſia in utroque obſeruat obedientiam ut peccatum & alliget & relaxet, hæreſis in altero immitis in altero inobediens uult ligare quod non reſoluat non uult ſoluere quod ligauit, in quo ſe ſuamque damnat ſententiam. dominus enim par ius & ſoluendi eſſe uoluit, & ligandi qui utrunque pari ratione permiſit, ergo qui ſoluendi ius non habet nec ligandi habet. Ita iſtorum aſſertio ſeipſam ſtran

gulat,& quia soluendi sibi ius negant negare debeant, & ligandi quomodo potest alterum licere,& non licere alterum,quibus utrunque datur utrunque licere manifestum est aut utrunque non licere certum est,ecclesiæ autem utrunque licet,hæresi autem utrunque non licet, ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus. Recte ergo ecclesia utrunque uendicat quæ ueros sacerdotes habet, hæresis uendicare non potest quæ sacerdotes Dei non habet,hæc Ambrosius. Ex quibus omnibus patet tam quæ fuerit mens beati Augustini in præfatis auctoritatibus quàm quòd prę fatę auctoritates nihil faciant ad propositum aduersariorum. Ad tertiam auctoritatem quę

Ad tertiũ

est beati Augustini libro de unico baptismo patet responsio ex dictis, quoniam omnes illæ auctoritates beati Augustini eandem intelligentiam habent. persuadere enim intendit duas conclusiones contra duos præfatos errores. Prima ꝙ claues sint apud sacerdotes in ecclesia & esse debeant per totam posteritatem ecclesiæ usque in finem seculi,& hoc contra primum errorem. Secunda conclusio sua est quòd claues non sint apud omnes sed tantum apud constitutos in unitate ecclesiæ,& hoc cótra secundum errorem. Istę duæ conclusiones sequuntur ex hoc quod dicit quòd apostoli quando eis dictum est. Quorum remiseritis peccata &c. personam ecclesiæ gestabant quia si personam ecclesiæ gestabant tunc sequitur primo quòd non tantum pro seipsis sed pro suis successoribus erat eis dictũ a domino. Quorum remiseritis &c. si error primus eliditur. Præterea secundo ex hoc ꝙ personam gestare dicuntur ecclesiæ quando eis dictum est. Quorum remiseritis &c. cum ecclesia sit una extra quam non est salus, sequitur necessario ꝙ claues non sint nisi apud in unitate ecclesiæ constitutos,& sic destruitur secundus error. Et hoc est quod dicit quòd cum illis dictum est. Quorũ remiseritis &c. idem est ac si ipsi ecclesiæ diceretur. Pax ecclesiæ dimittit peccata &c. Et hoc est quod idem Augustinus dicit in libro de remissione peccatorum, & habetur in cap. ecclesiæ charitas, de consecra. distin. 40. ꝙ ecclesiæ charitas dimittit peccata. Dicitur autem unitas siue charitas ecclesiæ dimittere peccata, quia nec confitens consequitur fructum clauium nec minister habet earum executionem nisi intra unitatem ecclesiæ fuerint ambo constituti, ut in ca. dicimus,& in c. scisma. 24. quæst. prima. Ad

Ad quartam

quartam auctoritatem Augustini super Ioan. in sermone ut dicitur ca. ult. respondetur sicut ad superiores auctoritates dictum est, quòd uerum est ꝙ quando Petro dictum est. Tibi dabo claues &c. uniuersam significabat ecclesiam ad intelligentiam datam superius, scilicet non in omnibus eius membris sed in principalioribus solum, scilicet episcopis, & presbyteris. Et si dicatur quòd August. dicit uniuersam significabat ecclesiam, ergo in omnibus. Respondetur & est bene notandum in huiusmodi auctoritatibus beati Augustini, quòd uniuersitas importata nomine uniuersæ ecclesiæ non est uniuersitas membrorum ecclesiæ ut fiat distributio pro singulis membris ecclesiæ aut pro ipsa communitate fidelium, quoniam ut in superioribus apertissime demonstratum est, impossibile est quòd quæ Petro dicta sunt de clauibus ecclesiæ siue diuisim siue coniunctim consideratis conueniant, sed est uniuersitas locorum,& successionis siue decursus ætatis ecclesiæ. Vnde est sensus quòd quando Petrus claues accepit accepisse designetur etiam pro omnibus successoribus suis & aliis ecclesiæ prælatis non tantum in uno loco aut prouincia una aut uno tempore scilicet in uniuerso

orbe

orbe & per totam ætatem ecclesiæ, scilicet usque in finem seculi & hoc est uniuersam figurare ecclesiam,& hoc modo accipit uniuersitatem glo. Mat. 16. cum ait, quòd claues datæ sunt omni ecclesiæ in episcopis, & presbyteris. De hoc modo uniuersalitatis loquitur idem beatus August. Homelia 6. super Apoca. exponens illud. Stellę ceciderunt in terram ita dicens. Hoc est stellę ecclesiæ, sed a toto pars intelligitur, non enim tota ecclesia sed qui mali sunt in ecclesia ipsi cadunt de cœlo. Totam autem dixit, quia in toto orbe terrarum erit persecutio magna,& tunc qui iusti fuerint manebunt in ecclesia tanquam in cœlo. Hæc ille. Item super 1. cano. Ioan. in tractatu quarto inquit. Totus mundus Christianus est, & totus impius, per totum enim mundum impii, & per totum mundum pii. Ecce quòd totalitas ecclesiæ non accipitur ibi a totalitate siue uniuersitate membrorum eius sed a totalitate locorum. Et ita in proposito nostro plane uisum est nobis quòd in aduertentia huius diuisionis uniuersitatis, dedit occasionem magnam aduersariis, male intelligendi multa dicta sanctorum patrum & maximè Augu. de uniuersali siue de uniuersa ecclesia loquentium.

Cap. LXXVI. In quo respondetur ad auctoritates & rationes fundatas in quarta suppositione.

CONSEQVENTER restat uidendum de suppositione quarta aduersariorum & de auctoritatibus quas inducunt in fauorem eorum. Suppositio quarta eorum est quòd quæ dicuntur apud sanctos doctores esse in ecclesia aut data ecclesiæ uniuersali intelligantur data ecclesiæ, ut uniuersitati siue in omnibus eius membris simul iunctis. Plane quòd ista suppositio non solum est falsa sed etiam derisoria sit, satis unusquisque ex supradictis intelliget, maximè ubi improbando aduersariorum positionem ostendimus multa fore quę in ecclesia esse aut ecclesiæ data dicuntur quæ nullo modo ipsi communitati ecclesię in omnibus membris suis conuenire possunt, immo illa communitati attribuere illo modo esset omnino stultum. Nam sicut in superioribus diximus quemadmodum in corpore naturali hominis ad cuius similitudinem ecclesia corpus nominatur aliqua data sunt corpori sic in uno membro quòd non in alio membro nec in omnibus simul, sicut uisus datus est homini in oculo, auditus in aure. odoratus in auribus, ita quòd non in aliis, ita est in corpore ecclesiæ multa data sunt ecclesiæ sicut sunt gratiæ, quæ gratiæ gratis datæ dicuntur de quibus apostolus ad Ro. 12. &. 1. ad Cor. 12. & ad Ephe. 4. quas supra commemorauimus quæ non sunt ita corpori ecclesiæ datæ, ut omnibus mēbris eius simul conueniant sed tantū aliquibus aliquæ & aliis alię, dicente eodem apostolo. Diuisiones gratiarum sunt ut superius plene ostendimus. Falsa ergo est suppositio illa aduersariorum nec probatio eorū est alicuius apparentię cum dicunt ꝙ ecclesia sit nomen collectiuum, quia ex hoc nō sequitur ꝙ quicquid dicatur esse in ecclesia aut datū ecclesię ꝙ conueniat omnibus mēbris eius simul collectis. unde Apostolus primę Cor. 12. Si totum corpus oculus ubi auditus? si totum corpus auditus ubi odoratus? Veritas ergo est ꝙ multa sunt data ecclesiæ aut in ecclesia esse dicuntur aut quòd ecclesia illa habeat, quę tamen nō in omnibus mēbris simul collectis habet

Ad quartā suppositionem positam cap. 70.

Sed in quibusdam tantum. Quibus habitis dicendum est ad singulas auctoritates quæ ex aduerso inducuntur. Ad primam quæ est de ca. omnibus 24. quæst. 1. respondetur quòd uerum est quòd ecclesia claues recepit & hoc nullus Christianus negat, sed dicitur quòd non in omnibus eius membris sed tantum in quibusdam, scilicet episcopis, & presbyteris sicut sæpe commemoratum est. Ad secundam quæ est Augu. de doctrina Christiana, respondetur eodem modo concedendo quòd Christus dedit ecclesiæ suæ claues ut quæ solueret in terra &c. sed istas claues dedit sicut diximus non in omnibus eius membris sed in principalioribus, scilicet episcopis, & presbyteris. Ad tertiam quæ est eiusdem August. super can. Ioan. respondetur eodem modo. Ad quartam quæ est extra de sum. tri. respondetur primo quòd auctoritas illa non uidetur ad propositum facere; quoniam glo. super uerbo, secundum claues, exponit secundum formam ecclesiæ. Secundo respondetur negando consequentiam, claues nominantur ecclesiæ. ergo communitas ecclesiæ in se & in omnibus suis membris atque principalius quàm Petrus claues habet. Ista consequentia nulla est: hoc enim commune est quòd claues dicuntur castri aut ciuitatis, & tamen aperiendi facultas nec castro nec ciuitati propriè ascribitur sed ostiario. Sic in proposito licet claues nominentur ecclesiæ sicut, & sacramenta, nihilominus potestas absoluendi a peccatis, & sacramenta dispensandi solis sacerdotibus conuenit, & aliquorum dispensatio solis episcopis sicut alias dictum est. Tertio respondetur, quòd claues non sic dicuntur ecclesiæ quòd communitas ipsa ecclesiæ habeat in se subiectiue formaliter, & dispensatiue illas sicut aduersarii prætendunt, hoc autem modo bene fuerũt in Petro, & nunc sunt in eius successoribus. unde sancti Petrum nominant clauicularium, & ianitorem regni cœlestis. Verum quòd claues regni cœlorum licet solis sacerdotibus conueniant, dicantur tamen datæ ecclesiæ, & dicantur claues ecclesiæ possunt assignari plures rationes. Prima est propter unitatem membrorum in corpore ecclesiæ sicut supra diximus, quia enim ut ait Apostolus ad Roma. 12. Multi unum corpus sumus in Christo, ideo quæ membris corporis data sunt, ipsi corpori cuius partes sunt data esse dicuntur. Secundo, quia claues datæ sunt potioribus partibus communitatis ecclesiæ, quia sicut ait Hier. datæ sunt omni ecclesiæ in episcopis, & presbyteris, solitum est autem ut quod principaliores faciunt in cõmunitate ipsa tota communitas facere dicatur, quoniam ut inquit philosophus 9. Ethy. Ciuitas dicitur id quod principalissimum est in ea. sicut homo dicitur suus intellectus, non quia intellectus sit totus homo, sed quia intellectus est principalior pars in homine in quo uirtualiter consistit tota hominis dispositio. Tertio dicuntur claues ecclesiæ, quia potestas quæ non potest perpetuari in uno aut in pluribus suppositis alicuius multitudinis sed tantum per successionem consueuit nominari potestas communitatis licet non omnibus de illa communitate talis potestas conueniat, sicut est in priuilegio perpetuo dato dignitati alicuius ecclesiæ uel religionis. Quarto dicuntur claues ecclesiæ, quia ad bonum totius ecclesiæ a Christo Petro & eius successoribus datæ sunt. unde Apostolus 2. Corin. 13. dicit. Secundum potestatem quam dominus dedit mihi in ædificationem. Quinto dicuntur claues ecclesiæ sicut dicuntur claues domus, quia per eas datur ingressus in ecclesiam uel excluditur quis ab ecclesia. Sexto claues dicuntur

Ad primã auctoritatem.

Ad secundam

Ad tertiã

Ad quartam

tur

tur ecclesiæ, quia fides ecclesiæ multum operatur in ipsis quomodo, & sacramenta dicuntur ecclesiæ. Patet ergo quòd auctoritas inducta ex parte aduersa nihil faciat ad propositum ipsorum aduersariorum. Quod uero præfati aduersarii dicunt quòd in auctoritate illa non dicitur quòd soli Petro concesse sunt claues nec quòd per ipsum aliis concessę sint, non est dignum responsione, quoniam omnibus doctis notum est quòd argumentatio ab auctoritate negatiue nullius roboris est. Multa quippe beato Petro conueniunt quæ negare esset hæreticum, licet de eis nulla fit mentio in c. illo allegato per aduersarios extra de sum.tri.& fi.ca. Præterea si ibi non dicitur alibi dicitur, ut in c.fundamenta de elect.lib.6.& in multis aliis locis sicut supra commemoratum est. Ad quintam auctoritatem qua de actibus apostolorum inducitur respondetur quòd auctoritas illa non facit aliquid contra propositum nostrum, licet enim spiritussanctus dicatur posuisse illos presbyteros regere ecclesiam Christi pro parte illa in qua pastores & rectores præfecti fuerunt, non propter hoc sequitur quòd apud illos esset potestas clauium in plenitudine sua, sed tantum secundum partem solicitudinis ad quam essent uocati. Plenitudo uero potestatis est tantum apud illum cuius regimini ipsa tota uniuersalis ecclesia toto orbe diffusa commissa est, qui est Romanus pontifex. unde cum alii a beato Petro dicuntur principes aut rectores aut pastores gregis dominici non est intelligendum quòd tales sint respectu totius ecclesiæ, sed respectu partis aut partium cui uel quibus perfecti sunt, utputa respectu talis uel talis prouinciæ aut diœcesis aut parochiæ secundum partem solicitudinis ad quam per uniuersalem totius ecclesiæ pastorem, & rectorem uocati sunt. unde glo. super illo 1. Petri 5. Pascite qui in uobis est gregem, dicit sic. Sicut dominus Petrũ totius gregis curam habere iussit ita Petrus sequentibus ecclesiæ pastoribus iure mandat ut eum quisque quæ secum est gregem domini solicita gubernatione tueatur. Ad sextam auctoritatem quæ sumitur de præfatione quæ in festo apostolorum dicitur similis patet responsio. dicimus enim quòd licet alii apostoli etiã fuerint ecclesię pastores, sicut & modo episcopi sunt, nihilominus non uniuersaliter super totã ecclesiam, sed tantum secundum illam partem solicitudinis ad quam unusquisque uocatus est solus autem Petrus pastor fuit uniuersalis ecclesiæ cui soli absolute, & indistincte dictum est Ioan. ultimo. Symon Ioannis diligis me, pasce oues meas. in qua uniuersalitate solus Romanus pontifex illi succedit.

Ad quintam

Ad sextã

Cap. LXXVII. In quo respondetur ad obiectiones fundatas in suppositione quinta.

SVPPOSITIO autem quinta aduersariorum est, quòd nunquam aliqua potestas legatur data Petro nisi simul cum aliis apostolis. Quòd autem hæc suppositio falsa sit manifeste ostenditur. Primo quoniam illud quod Ioan. ult. scribitur. Symõ Ioannis diligis me plus his pasce oues meas, in quo maximè tam secundum doctores Theologos quàm canonistas Petro cura totius ecclesiæ & principatus committitur soli Petro dictum est ut supra ostensum est, tum ex littera cum ait Christus. Symon Ioannis diligis me plus his &c. tum beati Chrysost. testimonio qui super Ioan. ita inquit. Alios, scilicet apostolos præteriens huic de talibus loquitur, eximius

improbãs quintam suppositionẽ positam c.70.

apostolorum erat Petrus & os discipulorum & uertex collegii. Ecce quòd inquit alios præteriens ergo soli Petro est hoc dictum. Item Gregor. ibidem. Petro sancta ecclesia est commissa ipsi specialiter est dictum. Pasce oues meas. Et cum dicitur ex aduerso quòd non sit alius locus apertior concessionis potestatis Petro commissæ Math. decimosexto, quàm Math. decimooctauo, ubi dicitur ei & aliis simul, quæcunque alligaueritis &c. Dicimus quòd hoc uidetur falsum, quia hic non uidetur aliqua facta concessio potestatis. sed tantum promissio. sicut quando Petro dictum est. quodcunq; ligaueris &c. Quod ex tribus uidetur colligi. Tum primo quia si tunc Mat. decimooctauo, concessio fuisset potestatis clauium quę promissa erat Math. decimosexto cum dictum est Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum, profecto non indignati fuissent adinuicem apostoli nec cócertassent de primatu infra Math 20. cap. cum iam certi essent de uoluntate & dispositione Christi ac de potestate sibi concessa & tamen Christus indignatis discipulis aduersus filios Zebedei ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos primus esse erit uester seruus. non ergo uidetur. quòd Math. 18. adimpleta fuerit promissio clauium facta Petro. Tū secūdo, quia Math, 16. utraque clauis. s. tam ordinis quàm iurisdictionis ad regimen & tuitionem ecclesię promissa fuit Petro. unde Chryso. & habetur in gl. continua. Vide qualiter Christus reducit Petrū ad excelsam de ipso intelligentiam, hæc enim se promisit daturum quæ sunt propria Dei solius. s. peccata soluere & ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum & tentationum procelias. sed Math. 18. tantum de claue iurisdictionis in exteriori iudicio fit mentio ut patet ex littera. dicitur enim si ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus &c. Sequitur, quæcunque alligaueritis &c. gl. interli. uinculo anathematis. non ergo tunc adimpleta fuisse uidetur promissio facta Petro. Tum tertio, quia claues regni cœlorum quæ promissæ erant Petro non dantur nisi sacerdotibus. tales autem non erant apostoli quando dictum est eis, quæcūque alligaueritis &c. cum facti fuerint sacerdotes in die cœnæ. ergo falsum est ꝙ id quoq; promissum erat Petro Math. 16. fuerit adimpletum Math. 18. quantumcūq; currat aliqua similitudo in uerbis inter uerba dicta Petro Math. 16. & uerba dicta omnibus apostolis Math. 18. Et si dicatur quòd Hiero. dicit in glo. Math. 18. ꝙ potestatem tribuit apostolis. Dicendum ꝙ debet exponi. i. designatur uel insinuatur danda apostolis & eorum successoribus & hoc in Petro. in quo sicut ait Augu. figurabatur unitas omnium pastorum. Si quæratur autem quando data est potestas clauium Petro & aliis apostolis. Ibi respondendum nobis uidetur saluo meliori iudicio sub sex conclusionibus sequentibus. Prima est, quòd Math. 16. cum dictum est Petro, tibi dabo claues regni &c. non est Petro data potestas, sed promissa. Patet conclusio ex ipsa littera. dicitur enim dabo quod est futuri temporis. patet etiam expresse ex superius dicto beati Chriso. qui ait promittit &c. hoc etiam patet testimonio beati Hiero. qui super Math. tractās præfata uerba Christi. Math. 16. Et ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram edificabo ecclesiam meam &c. dicit. Consideret qui hæc quęrit Petro illam benedictionem & beatitudinem atque potestatem & ædificationem super eum ecclesiæ in futuro promissam nó in præsenti datam. Secunda conclusio, promissio illa potestatis facta Petro fuit promissio tam potestatis

Ad probationem.

Cóclusio prima.

Secunda

testatis clauium ordinis quàm iurisdictionis. Patet conclusio ex dictis. Hæc conclusio uidetur esse tam Alexandri de Alis in 3. & sancti Thomæ. & Alberti ac Bonauenturæ in 4. quoniam claues in sua plenitudine promissæ sunt tunc Petro. Tertia conclusio. Potestas iurisdictionis in foro exteriori de- Tertia
signata. Math. decimooctauo, non uidetur data tunc actu apostolis sed bene insinuata dari suæ promissa concedi apostolis eorumq; successoribus. patet conclusio ex superioribus dictis. Quarta conclusio, potestas clauis ordi- Quarta
nis fuit actu donata Petro & apostolis aliis simul quãdo Ioan. 20. dictum est illis, Accipite spiritumsanctum & quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Super quo uerbo dicit beatus Grego. in homelia, quòd hic apostoli primatum diuini iudicii sortiuntur, ut uice Dei quibusdam peccata retineant & quibusdam relaxent. Quinta conclusio est, quòd potestas iurisdictionis Quinta
plena in utroque foro data est Petro cum ei dicitur Ioan. ult. Symon Ioannis diligis me, pasce oues meas. pascere enim propriè est regiæ potestatis. unde olim reges pastores dicebantur. Pascere ut inquit glosi. est oues credentes in Christo ne a fide deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est subditis prouidere & exempla uirtutum cum uerbo prædicationis impendere, aduersariis obsistere, errantes subditos corrigere. Ex quo habetur quòd hic ut dictum est plenitudo potestatis iurisdictionis data sit Petro. unde beatus Gregorius inquit, quòd cura totius ecclesiæ & principatus Petro committitur. Et beatus Chryso. super eodem loco inquit, pasce oues meas negatione deleta committit Petro præsidentiam fratrum. Sexta conclusio, adimpletio promissæ siue insinuatæ potestatis Sexta
iurisdictionis dandæ aliis apostolis a Petro fuit facta mediante Petro propter ecclesiæ unitatem seruandam. Patet conclusio tam ex illo Leonis papæ in capit. ita dominus. distinctione decimanona, quàm ex illo eiusdem in sermone tertio, ordinationis suæ ita dicentis. Magnum & mirabile est dilectissimi huic uiro, scilicet Petro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid commune cum eo ceteris uoluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit. Ad id uero quod ex aduerso arguebatur ex prædicta suppositione quòd cum sub eadem uniuersalitate dictum esset Petro & apostolis, quæcunque alligaueritis &c. Math. decimooctauo, sub qua dictũ fuerat Petro Math. decimosexto, quodcunque ligaueris &c. non tantum plenitudo potestatis residere dicenda est apud Petrum, sed etiam apud alios, respondetur dupliciter. Primo, quòd falsum est quòd sub eadem uniuersalitate &c. quoniam cum Petro Math. 16. promissio fiat utriusq; clauis tam. s. in foro conscientiæ quàm in foro exterioris iudicii, & cum dictum est apostolis Math. quæcunq; alligaueritis &c. tantum promissio sit iurisdictionis in foro exterioris iudicii. manifestum est ꝙ quodcunque dictum Petro est maioris uniuersalitatis quàm quodcunque dictum apostolis. & hoc notat etiam Origenes in glo. qui tractans illud Mat. 18. quæcunque alligaueritis super terram alligata erunt in cœlo sic ait, in cœlo dicit non in cœlis sicut Petro, quia non sunt tãtæ perfectionis sicut Petrus. loquimur autem de perfectione potestatis & auctoritatis. Secundo respondetur, ꝙ dato ꝙ Math. 18. data esset apostolis potestas actu Petro promissa Math. decimosexto, non propter hoc sequitur quòd in eadem uniuersalitate aut plenitudine data esset apostolis aliis dispersis aut simul collectis in qua Petro. Et rõ huius sumitur ex dictis do. Alberti magni & beati Tho.

uationem. Alio modo dicitur aliquis rem aliquam conseruare per se, & directe inquantum s. id quod conseruatur dependet secundum esse a conseruante, ut sine eo esse non possit, & hoc modo omnes creaturæ indigent diuina conseruatione. dependet enim esse cuiuslibet creaturæ ita ꝙ nec ad momentum existere possent: sed in nihilum redigerentur nisi conseruarentur operatione diuinæ uirtutis in esse, ut dicit beatus Greg. Quo notato perfacile colligitur falsitas illius partis suppositionis aduersariorum dicentiũ quòd Deus dederit cuilibet creaturæ, &c. Nam si loquamur de modo conseruationis quo aliquid per se & directe dicitur aliud conseruare, manifeste falsum est quod dicunt aduersarii, quia hoc modo conseruationis nulla res dicitur conseruari nisi ab eo a quo dependet secundum esse. sed nulli creaturæ data est uirtus qua a seipsa dependeat secundum esse. ergo nulli creaturæ est data uirtus qua seipsam conseruet. consequentia est manifesta & confirmatur dictis aduersariorum. Dicunt enim & bene ꝙ eadem sunt principia essendi & conseruandi, sed non est intelligibile ꝙ aliqua creatura per quamcunq; innatam uirtutem sit principium sibi essendi. ergo nec intelligibile est ꝙ per aliquam innatam uirtutem seipsam in suo esse conseruet. Ex hoc fundamento sanctus Thom. in prima parte summæ, ubi supra confutat suppositionem præfatam aduersariorum sub his uerbis, cum proprie causa conseruatiua sit sui effectus ab ea dependentis sicut nulli effectui potest præstari ꝙ sit causa suiipsius, ita nulli effectui potest præstari ꝙ sit conseruatiuus suiipsius. Si uero loquamur de secundo modo conseruationis s. indirecte & per accidens quo aliquid per remotionem & impedimentum actionis corrumpentis dicitur aliud conseruare. Suppositio etiam prædicta aduersariorum uidetur esse falsa, quia licet naturale sit unicuiq; conseruare se quantum potest, tamen ꝙ cuilibet creaturæ etiã corruptibili insit aliqua uirtus siue potestas intrinseca qua in esse suo se conseruet hoc modo conseruationis s. resistendo aduersantibus & corrumpentibus non uidetur uerũ uidemus enim quotidie innumeras res destrui corrumpi, aut consumi in quibus nulla apparet uirtus, aut potestas, quæ corrumpentium se actionẽ impedire aut amouere posset. Et ita apparet quòd suppositio aduersariorum in prima sui parte sit falsa. Secunda pars eiusdem suppositionis in qua dicitur ꝙ ecclesiæ Deus dederit uirtutem siue potestatem intrinsecam qua in suo esse se conseruare possit: etiam quòd sit falsa facile ostenditur. Et primò de illo modo conseruationis quo aliquis dicitur aliquid conseruare per se & directe patet: quoniam dicere ꝙ hoc modo conseruationis ecclesia habeat potestatem, & uirtutem intrinsecam conseruandi se in esse suo non modo est falsum sed erroneum. patet: quoniam cum hoc modo conseruandi ecclesiam conseruare in esse suo non competat nisi ei a quo dependet secundum esse: dicere ecclesiam habere uirtutem & potestatem intrinsecam se conseruandi est dicere ecclesiam dependere a seipsa secundum esse. quod manifeste est hæreticum & stultum. Plane sicut solus Deus ecclesiam fundauit in esse naturæ & gratiæ, ita ipse solus hoc conseruationis genere conseruat & custodit illam. hinc Propheta sicut ait psal. 126. Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt qui ædificant eam, ita subiungit. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. ubi glo. ait psalm. iste docet quòd ædificatio & custodia ecclesiæ non nisi a Deo est. Patet ergo quòd loquendo de hoc modo conseruationis quo scilicet dire-

De secunda parte

uigilat qui custodit eam. Secundo, quia in hac sua argumentatione uidetur aduersarius innuere unum de duobus erroribus, uidelicet quòd conseruatio rerum creatarum non dependeat a Deo, aut ꝙ Deus sit principium intrinsecum rerum creatarum, quorum utrunque est hæreticum. Quod uero aduersarius dicit ꝙ principia essendi, & conseruandi sunt intrinseca falsissimum est, principium enim primum quod est Deus a quo præcipue esse, & conseruatio rerum dependet nulli creaturæ est intrinsecum, unde etiam principium effectiuum siue causa efficiens distinguitur contra principia intrinseca, ut habetur 2. Phy. &. 5. Metaphy. Secundus autem modus conseruationis. s. indirecte, & per accidens qui est per remotionem impedimentorum aduersantium saluti alicuius rei respectu ecclesiæ bene potest attribui aliis a Deo, non tamen sine Deo uidelicet angelis prælatis ac principibus secularibus fidelibus. De angelis expresse dicitur Esa. 62. Super muros hierusalem, glo. interli. ecclesiæ tuæ, constitui custodes tota die, & tota nocte. Super quo uerbo beatus Bernardus ita dicit Benignus es domine qui non es contentus nostrorum fragilitate murorum sed ipsis hominum custodibus angelorum custodiam superponis. Plane hic est ordo diuinæ prouidentiæ, ut hierarchia humana iuuetur præsidiis angelicæ hierarchiæ. Custoditur etiam ecclesia hoc conseruationis modo ab hominibus sanctis, & doctoribus illam doctrinis illustrando aut Deum continuis intercessionibus interpellando. unde super illud psal. 124. Montes in circuitu eius, dicit Augu. Magnum aliquem est esse nos in ea ciuitate quam circundederunt montes, montes mirabiles montes excelsi, prædicatores ueritatis siue euangelistæ siue apostoli siue prophetæ, ipsi sunt in circuitu Hierusalem ambiuit illam & quasi murum illi faciunt. De quo etiam Bernard. ita super Canti. Homelia. 78. loquitur. Bene tecum agitur o mater ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ de cœlo & de terra uenit auxilium tibi, qui custodiunt te non dormitant neque dormiunt custodes tui angeli spiritus, & animæ iustorum non errat qui te ab utrisque sentit custodiri hæc Bernard. Quod uero etiam prælatis tribuatur ecclesiæ custodia manifestum est, cum pastores eius esse dicantur ad quorum officium nullus ambigit pertinere tueri ac conseruare greges sibi creditos. unde beatus Augusti. super illud psalm. Nisi dominus custodierit ciuitatem &c. dicit sic. Habet ecclesia custodes quomodo habet ædificantes, quomodo habet laborantes, ut ædificetur sic habet custodientes. Nam ad custodiam pertinet quod dicit Apostolus, timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & uestræ mentes corrumpantur a charitate quæ est in Christo custodiebat, custos erat, uigilabat quantum poterat super eos quibus præerat, & episcopi hoc faciunt, nam inde altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant, & custodiant populum, hæc Augu. Hinc est ꝙ Romano pontifici, utpote totius ecclesiæ pastori, maxime conuenit hoc conseruationis genere ecclesiam tueri, & custodire. Vnde dicit beatus Bonifa. Martyr. & habetur in ca. si papa dist. 40. quòd pro perpetuo statu papæ uniuersitas fidelium tanto instantius orat quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere, uerum quia papa & alii ecclesiæ, prælati non sunt principales conseruatores ecclesiæ sed solum ut ministri, nec sunt conseruatores directe, & per se tanquã hi a quibus dependeat esse ecclesiæ sed indirecte

& per accidens. Hinc est q̄ si prælati nolint aut negligant custodire, nō propter hoc ecclesia deficiet, licet interdum multipliciter molestetur & uariis perturbationibus concutiatur: quoniam semper uigilat custos eius principalis & conseruator i. Christus, qui custodit eam secundum illud prophetæ. Non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israel. unde Aug. super illud ps. 126. Nisi dominus custodierit ciuitatem, inuanum laborant qui, &c. loquẽdo de prælatis ad populum dicit sic. Quomodo ergo custodimus quō homines quantum possumus quantum accepimus, & quia nos sicut homines custodimus & perfecte custodire non possumus. ideo sine custode remanebitis, absit. Nam ubi est ille de quo dicitur. Nisi dominus custodierit ciuitatem inuanum laborant qui custodiunt eam: laboramus in custodiendo: sed uanus est labor noster, nisi ille custodiat qui uidit cogitationes uestras. custodit ille cum uigilatis: custodit ille cum dormitis. ille enim dormiuit semel in cruce & surrexit. iam non dormit: estote Israel, quia non dormit, neque dormitabit qui custodit Israel: hæc Aug. Ceterum hic modus conseruationis ecclesiæ & tuitionis aliquo modo etiam conuenit sicut diximus principibus fidelibus secularibus. unde beatus Isidorus, & habetur in c. principes 23. q. 5. dicit. Cognoscant principes seculi Deo se debere esse reddituros rationem propter ecclesiam quam Christo tuendam suscipiunt. Verum autẽ hoc conseruationis genere scilicet indirecte & per accidens possit quis dici conseruare se in esse suo: dicimus quòd sic eo modo quo quis naturalis rationis auxilio, aut alterius doctrina eruditus, aut diuinæ gratiæ præsidio munitus præseruare se, & custodire se a malis potest, quæ ei aut in esse naturali, aut morali siue gratuito nocumenta inferre possunt aut etiam uim ui repellendo: cum unicuique naturale est conseruare se in esse quantum potest. sed ex hoc modo conseruationis in esse cum communis sit omnibus nihil sequitur ad propositum aduersariorum. Tertia pars suppositionis aduersariorum est, quòd ecclesia habeat uirtutem intrinsecam, & potestatem regendi seipsam ac gubernandi se. Ista suppositio potest bene, uel male intelligi & secundum unum intellectum erit falsa & secũdum alium erit uera: nihilominus uidetur nobis quòd secundum intellectum quem prætendunt aduersarii sit falsa. Prætendunt. n. ut sæpe uisum est, quòd ecclesiæ in omnibus suis membris data sit potestas spiritualis gubernandi & regendi, more quo dicimus q̄ in principatu politię potestas gubernationis est apud populum, & non apud aliquem unum qui toti populo præsideat. Pro quo sciendũ, q̄ potestas regendi & gubernandi dicitur dupliciter una s. quæ dicitur potestas publice administrationis de qua dicitur 3. Regum 21. Grandis auctoritatis es & bene regis regnum Israel. Talis autem potestas regendi non est data cuilibet indifferenter nec cuilibet conuenit, sed his tantum qui in communitate publicam habent administrationem regiminis secundum diuersas species politię siue principatus. Sane sine huius ordinis differentia nulla uniuersitas subsistere posset, ut dicit Bonifacius in ca. ad hoc distinct. 89. Ecclesia autem cum credatur a Christo in optima dispositione regiminis & principatus constituta incunctanter creditur regimen ecclesiæ ab ipso Christo monarchicum siue regale constitutum esse. ita quòd potestas suprema regiminis totius communitatis ecclesiæ in uno tantũ & non in pluribus aut in ipsa uniuersitate locata sit sicut superius multipliciter ostẽdimus. Et ita loquendo, hoc modo de potestate regiminis falsa est pars illa suppositionis

De tertia parte

positionis aduersariorum. Alio modo dicitur potestas regendi se & gubernandi facultas qua unusquisque ratione utens potest uirtuose regere se in operationibus suis. De qua potestate dicit Prosper. Non caret regia potestate qui corpori suo nouit rationabiliter imperare, & Greg. in moralibus ait. Reges sunt qui sibimetipsis præsident. Reges sunt, qui semetipsos regere sciunt, qui dum desideriorum motus in se temperant super subiectas cogitationes lege uirtutis regnant, & Seneca. Vis regnum, do tibi magnum rege te ipsum. Huius regiminis facultas, siue potestas communis est omnibus rationabilibus creaturis & de tali ueritatem habet suppositio aduersariorum, cum ecclesia sit collectio, siue conuocatio rationabilium creaturarum fidelium, sed ex tali potestate regiminis nihil est ad propositum aduersariorum. Quarta pars suppositionis aduersariorũ est, quòd ecclesia habeat intrinsecam uirtutem, siue potestatem aduersantibus ad sui destructionem resistendi. Pars ista sicut superior potest habere duplicem intellectum: quoniam uel loquitur de potestate resistendi per uiam gladii spiritualis iurisdictionis aduersantes compescendo & puniendo. tũc dicimus quòd ecclesia bene habet hanc potestatẽ, sed in prælatis suis quibus dictum est. Math. 18. Quæcunque alligaueritis, &c. maxime hanc habet in prælato prælatorum cuiusmodi est Romanus pontifex in cuius sede, ut habetur in c. nolite errare dist. 11. Deus totius ecclesiæ posuit principatum in cuius signum Petrus ad defensionem domini succensus resistere uolens turbæ uenienti ad capiendum Christum: gladio percussit unum de seruis principis sacerdotum super quo uerbo dicit Grego. & habetur in c. si Petrus 24. q. 1. Tollit Petrus aurem, quare Petrus? quia ipse est qui claues accepit regni cœlorum. ille enim condemnat qui & absoluit: quoniam ligandi & soluendi idem est adeptus potestatem. Resistere autem hoc modo scilicet gladio spiritualis potestatis non est cuiuslibet cum gladius spiritualis potestatis non sit datus cuilibet nec etiam ipsi communitati ecclesiæ simul in omnibus membris. sicut superius apertissime demonstratum est. Vnde ad hunc sensum uidelicet ꝙ ipsi corpori ecclesiæ simul in omnibus mẽbris suis data esset huiusmodi potestas sicut uidentur aduersarii prætendere falsa est pars illa præfatæ suppositionis. Si uero potestas resistendi aduersantibus dicatur facultas quocunque modo contra dicendi & resistendi aduersantibus & conantibus ad destructionem sui. suppositio aduersariorum uera est, sed non facit ad propositum: cum talis facultas omnibus hominibus non modo fidelibus, sed infidelibus communis sit. naturale enim est unicuique ut supra diximus quòd conseruet se in esse quantum potest. Hinc etiam secundum iura. Vim ui repellere licet: cum moderamine tamen inculpatæ tutelę. Quinta pars suppositionis aduersariorum est, circa quid sit illa intrinseca data uirtus siue potestas data ecclesiæ qua in esse suo se conseruare posset ac tueri. dicunt enim quòd communis sententia doctorum sit, quòd talis potestas sit potestas clauium. uidelicet scientia discernendi & potentia iudicandi. Quòd autem ista pars non modo sit falsa, sed stulta multipliciter ostenditur. Tum primo quia præfata potestas se conseruandi in esse suo ut ex aduersariorum dictis colligitur semper infuit & inest & inerit ecclesiæ cum dicatur quòd sit uirtus eius intrinseca. potestas autem clauium non semper fuit in ecclesia. Patet: quia non tempore legis naturæ quo tamen tempore ecclesia erat quæ ab Abel incepisse dicitur.

De quarta parte

De quinta parte

ut enim dicit beatus Aug. quamdiu sancti fuerunt in terra ecclesia fuit. sicut plenius in primo libro disputauimus. Non fuit etiam potestas clauium tempore legis ut patet: quoniam cum ante passionem Christi non esset apertum regnum cœlorum ad quod aperiendum ordinantur claues, sacerdotes illius temporis non dicuntur habuisse claues huius scilicet regni cœlorum, sed claues tantum templi materialis. & tamen pro illo tempore dictū est de ecclesia quod est terribilis, ut castrorum acies ordinata Cantico. 6. Secundo quòd potestas conseruandi se in esse, inest cuilibet creaturæ rationali ut dicit aduersarius: sed huiusmodi potestas non potest dici potestas clauium. ergo nec illa quæ toti communitati ecclesiæ dicitur inesse. consequentia patet: quia uirtus partis, & uirtus totius uidentur esse eiusdem rationis. sicut Arist. primo physi. de gleba terræ, & de tota terra arguit. Tertio: angeli ut dictum est potestatem ministerialem habent custodiendi ecclesiam, & tamen potestas illa non est potestas clauium. Quarto potestas se conseruandi in esse ad bonam intelligentiam capta, ut superius patuit, est pluribus communis in ecclesia quàm potestas clauium, ut per se patet. ergo non sunt idem. Quòd uero dicitur ex aduerso quòd est sententia omnium doctorum, quòd talis potestas esset potestas clauium, manifeste patet esse falsum.

Cap. LXXIX. In quo uidendum est de ueritate septimæ suppositionis aduersariorum, & de ualitudine eorum quæ inde concludebant.

De septima suppositione posita ca. 70.

VLTIMO iam de septima suppositione aduersariorum in qua aduersarii dicunt quòd plenitudo potestatis semper debeat manere in ecclesia. uidendum est quid ueritatis habeat. Pro quo dicimus ꝙ plenitudo potestatis semper manet aliquo modo in ecclesia etiā papa mortuo, sed non ad mentem aduersariorum. Pro quo notandum quòd de potestate ecclesiastica loqui possumus dupliciter. Vno modo quantum ad ipsam potestatem siue auctoritatem. Alio modo quantum ad actualem administrationem plenitudinis eiusdem potestatis. Loquendo primo modo dicimus quòd potestas, & dignitas ipsius principatus ecclesiæ semper manet in ecclesia etiam papa mortuo, & hoc multipliciter. Primo quidem in principali uidelicet iu Christo sacerdote summo & capite principali ecclesiæ. est.n. Christus caput super oēm ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. ad Eph. 1. ubi dicit glo. Ideo dicitur esse omnia in omnibus, quia omnia ab ipso sunt in eis. cuius uirtute sunt quod sunt: licet enim deficiat Vicarius non deficit principalis. de cuius potestate dicitur Daniel. septimo. Potestas eius potestas æterna quæ non auferretur & regnum eius quod non corrumpetur. Secundo dicitur potestas papalis etiam papa mortuo manere in ordinatione diuina sicut dicimus quòd dignitas episcopalis manet in aliqua ecclesia etiam episcopo mortuo quamdiu inuariata manet dispositio apostolicæ sedis quæ instituit quòd in tali ecclesia dignitas episcopalis esse deberet. sed si apostolica sedes reuocaret dispositionem illam: iam dignitas episcopalis non diceretur amplius esse in præfata ecclesia: sicut patet de ciuitate quæ priuata est dignitate

gnitate

gnitate episcopali, ut in c.ita nos 25.quæst. 2. Exemplum etiam de priuilegio reali quod in hoc dicitur distingui a personali, quòd non extinguitur cum persona, ut habetur in lege sicut.ff.quod cuiusque uniuersita. & in lege proponebatur. ff.de iudi. Est autem institutum a Deo, ut quamdiu ecclesia catholica in hac peregrinatione durauerit in ea sit una suprema potestas regitiua cum ea plenitudine quæ sufficere ualeat ad regimen totius uniuersalis ecclesiæ, ut superius circa principium huius secundi libri ostensum est. & ideo quantumcunque fiat uariatio in personis præsidentium summo uni pontificatum per mortem naturalem siue ciuilem: semper summi pontificatus potestas manet in ecclesia. Tertio dicitur eadem potestas etiam mortuo papa manere in sede apostolica quæ nunquam moritur. extra de rescript.cap.si gratiose lib.6.ubi dicit glo. & concordat Archydiaconus, & Ioan. monachi, quòd licet habens papatum uel dignitatem sit corruptibilis, papatus tamen & Imperium dignitas semper sunt, ut in auct. quomodo oportet episcopos §. licentiam coll. secunda, & ideo corrupto subiecto hæc non dicuntur non existere sed uacare, hoc est administratore iuris uel facti carere, ut de concess. præben. cum nostris. Vnde beatus Leo papa in sermone secundo consecrationis suæ dicit, quòd in sede Petri uiuit potestas, & excellit auctoritas. Quarto dicitur papalis potestas manere etiam papa mortuo in ecclesia in potentia siue habitualiter ad istum sensum, quia in ecclesia semper manet potestas ad eligendum personam quæ succedat in tali dignitate. Alio modo possumus loqui de hac suprema potestate quò ad actualem eius administrationem. Et tunc uidetur dicendum iuxta doctores notabiles tam canonistas quàm theologos, quòd quò ad plenam administrationem plenitudinis potestatis papa mortuo non manet in ecclesia. unde dicitur tunc sedes uacare id est carere administratore sicut dictum est ex præfato cap. si gratiose. nec propter hoc quòd nullus succedit papæ in plenitudine administrationis potestatis suæ sequitur quod aduersarii dicunt quòd non esset sufficienter prouisum ecclesiæ: quoniam nullum detrimentum patitur ecclesia si per paucos dies uacet administratio plenitudinis illius potestatis maxime cum tam per officiales curiæ Romanæ quàm per sacrum reuerendissimorum Cardinalium collegium quàm etiam per ceteros orbis prælatos quos apostolica sedes in partem solicitudinis suæ uocauit sufficienter in necessariis prouideri possit ecclesiæ. Id autem quod in confirmationem aduersarii inducunt de potestate ciuitatis, aut communitatis terrenæ non uidetur facere ad propositum propter duo. Primo, quia potestas illa regiminis de qua philosophus loquitur in polit. est potestas quæ ex donatione populi ortum habet. Potestas uero papalis non est ab ecclesia siue populo Christiano, sed a Deo solo, ut supra declarauimus. Secundo, quia communitas ciuitatis, aut urbis est capax potestatis & regiminis ciuilis siue terreni. Communitas autem ecclesiæ siue uniuersitas tota fidelium non uidetur esse simul in omnibus eius membris capax potestatis ecclesiasticæ sicut superius demonstrauimus, & ideo non est similitudo in hoc de potestate terrena & de spirituali. Et ita patet quòd dicta aduersariorum nullam necessitatem habent immo uidentur in multis magis somnia, salua pace, quàm aliquid realitatis habentia.

Ad confirmationé

Cap. LXXX. Quòd Romanus pont. iuriſdictionis auctoritate ac poteſtate ſuperior ac maior exiſtat tota uniuerſali eccleſia.

CONSIDERATIS bene his quæ in ſuperioribus ampliſſime dicta ſunt, luce aperta quiſque poteſt cognoſcere quòd Romanus pon. ſuperior ac maior iuriſdictionis auctoritate ſit tota ipſa reſidua uniuerſali eccleſia. Quam concluſionem de ſuperioribus aliqua commemorando ſic probamus. Primo omnis paſtor regiminis auctoritate ac poteſtate iuriſdictionis ſuperior eſt grege cuius eſt paſtor, ſed Roman. pon. eſt paſtor eccleſiæ uniuerſalis. ergo ipſe eſt auctoritate ac poteſtate iuriſdictionis ſuperior uniuerſali eccleſia. conſequentia eſt bona: maior etiam patet ex ſuperioribus. dictum eſt enim a Chriſto Petro & in Petro Romano pontifici. paſce oues meas Ioan. ultim. in quibus uerbis, & beatus Petrus paſtor uniuerſalis eccleſiæ fuit conſtitutus, & in eo quilibet eius in apoſtolica ſede legitimus ſucceſſor. In cuius confirmationem eccleſia pro Romano pon. orans ita inquit. Deus omnium fidelium paſtor, & rector famulum tuum N. quem paſtorem eccleſiæ tuæ præeſſe uoluiſti &c. Et in oratione conſecrationis Romani pontificis dicitur. Tribues ei domine cathedram pontificalem ad regendam eccleſiam tuam, & plebem tuæ ſortis intra mundi limites uniuerſam. Secundo ſic. Romanus pontifex eſt caput uniuerſalis eccleſiæ. ergo ſuperior eſt uniuerſali eccleſia. conſequentia eſt bona: quoniam caput ſupereminet toti corpori & auctoritate regiminis & amplitudine uirtutis. antecedens autem oſtenſum eſt auctoritate multorum ſanctorum patrum ſupra a cap. 19. uſque ad c. 24. Patet etiam ex illo quod ſanctus Marcellus papa & martyr in c. rogamus 24. q. 1. ſcribens uniuerſis epiſcopis per Antiochiam conſtitutis ait. Rogamus uos fratres dilectiſſimi, ut non aliud doceatis nec ſentiatis quam quod a beato Petro & reliquis apoſtolis & patribus accepiſtis. ipſe enim eſt caput totius eccleſiæ, cui ait dominus, &c. Tu es Petrus, &c. Idem teſtatur beatus Calixtus papa, & martyr in cap. non decet, diſtinct. 12. Idem beatus Anacletus papa & martyr in cap. ſacroſancta diſtinct. 22. Tertio ſic. Romanus pontifex eſt prælatus prælationem habens in totam eccleſiam. ergo ſuperior eſt atque maior auctoritate tota eccleſia. conſequentia eſt bona. antecedens patet cum prælatus ſit ac rector eiuſdem. unde in Calcedon. concilio legitur quod tota ſynodus acclamauit Leoni papæ. Leo ſanctiſſimus apoſtolicus & yconomicus id eſt uniuerſalis patriarcha per multos annos uiuat, & Chriſ. ſuper Math. inquit. Filius quod patris eſt & ipſius filii poteſtatem Petro uniuerſaliter conceſſit, ubique terrarum & homini mortali omnium quæ in cœlo ſunt dedit auctoritatem dando ei claues ad hoc, ut eccleſiam ubique amplificet. Item idem ſuper actibus apoſtolorum. Petrus a filio ſuper omnes qui filii ſunt poteſtatem accepit, non ut Moyſes in gente una, ſed in uniuerſo orbe: hæc ille. Quarto confirmando ſic. Romanus pontifex eſt princeps uniuerſalis eccleſiæ. ergo habet primatum uniuerſalis eccleſiæ, & per conſequens maior eſt auctoritate illa. cōſequentia eſt bona. antecedens patet ex illo primo quod Chriſtus legitur in eccleſia Petro dixiſſe, & ſuper plebem meā principem te conſtitui. plebs autē Chriſti uniuer

ſalis

salis ecclesia est. unde [illegible] Romanus pontifex est seruus ille de quo Lucę. 22. dicitur. Fidelis seruus quem constituit dominus super familiam suam. glo. i. ecclesiam. Vnde Leo papa in 3. sermone consecrationis suæ ita dicit. Cum itaque dilectissimi tantum nobis uideamus præsidium diuinitus institutum rationabiliter & iuste in ducis nostri. s. Petri meritis dignitate letamur gratias agentes Deo redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei quem totius ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur recteq; disponitur, illius sit gubernaculis deputandum cui dictũ est. Confirma fratres tuos &c. & Bernardus in epistola quadam ad Eugenium papa quæ est 31. ita inquit. Locus in quo stas terra sancta est, locus Petri principis apostolorum ubi steterunt pedes eius quẽ constituit Deus dominum domus suæ & principem possessionis suæ, hæc ille. Conuenit etiam huic loco ꝙ Moyses ante mortem suam orans dominum ut populo in quo tunc ecclesia Dei erat dicebat. Num. 27. Prouideat dominus Deus spirituum omnis carnis hominem qui sit super multitudinem hanc. Princeps ergo ecclesiæ super totam ecclesiam primatum & auctoritatẽ habet hoc autem in tam immobili ueritate stabilitum esse uidetur, ut contrarium dicere erroneum esse censeatur. unde sanctus Tho. in tractatu contra errores græcorum. cap. 63. ita inquit ad propositum. Similis est error dicentium Christi Vicarium Romanæ ecclesiæ pontificem non habere uniuersalis ecclesiæ primatum. errori dicentium spiritum sanctum a filio non procedere. ipse enim Christus Dei filius ecclesiam suam consecrat & sibi consignat spiritusancto quasi suo charactere & sigillo. & similiter Christi Vicarius suo primatu & prouidentia uniuersalem ecclesiam tanquam fidelis minister Christo subiectam seruat, hæc ille. Quinto sic. Romanus pontifex habet supremam potestatem in ecclesia. ergo ipse est superior omni alio prælato & tota ipsa uniuersali ecclesia. consequentia est bona, cum potestas suprema non posset esse nisi una & non nisi in uno. antecedens est articulus diffinitus in concilio Constantien. per dominum papam Martinum unde papa Nicolaus in epistola ad patriarcham & clerum Constantinopolitanum ita scribit. Iudicate cui potius resistendum sit an potestati quam in Petro deus omnipotens ordinauit quamq; super cunctam ecclesiam extulerit, an ordinationi Gregorii Syracusini. cui millies ue dicendum est homini per quem in ecclesia Christi tot scandala uenerunt, hęc ille. Item habetur in c. nolite errare distin. 11. ꝙ in apostolica sede totius ecclesiæ dominus posuit principatum. Sexto sic. Solus Romanus pontifex habet in ecclesia plenitunẽ potestatis. ergo ipse omnibus aliis de ecclesia est superior potestate. consequentia est bona. & antecedens superius est demonstratum in cap. 70. habetur etiam in cap. decreto. & in cap. qui se scit. 2. q. 6. Septimo sic. Romanus pontifex est generalis Christi Vicarius in tota uniuersali ecclesia. ergo maior & superior est auctoritate uniuersa ecclesia. consequentia est bona, quoniam cum idem tribunal censeatur Christi & papæ in terris (secundum illud Math. 16. quodcunque ligaueris super terram &c. super quod dicit Orige. Vide quantam potestatem habet petra super quam fundatur ecclesia ut etiam iudicia maneant firma quasi Deo iudicante per eam) sequitur ꝙ Christus superior est tota ecclesia auctoritate iurisdictionis, ita uidetur etiam eius Vicarius generalis.

Cap. LXXXI. In quo per aduersarios obiicitur contra prædicta.

Arg. primum, de quo cap. præsenti.

ADVERSVS præfatam conclusionem obiiciunt aduersarii multipliciter. Primo sic. Ecclesia dicitur esse corpus quoddam & singuli fideles membra illius. unde Apostolus ad Roma. 12. Multi unũ corpus sumus singuli autem alter alterius membra. Tunc sic. papa est membrum ecclesiæ non totum corpus. ergo sequitur ꝙ uniuersalis ecclesia quæ ipsum corpus ecclesiæ est sit amplioris uirtutis & potestatis quàm ipse papa. consequẽtia patet, quoniam membrum cum dicat partialitatem minoris est uirtutis & perfectionis ipso toto corpore. Secundo sic. communis animi conceptio est ꝙ totum est maius sua parte. sed ecclesia dicit quoddam totũ. papa autem non est tota ecclesia, sed pars eius. ergo sequitur ꝙ ecclesia sit maior & superior auctoritate & potestate ipso papa. Et confirmatur per illud Hiero. in c. legimus. distin. 93. Si auctoritas quæritur, orbis maior est urbe, ubi gl. colligit argumentum ꝙ statutum concilii præiudicat statuto papæ si contradicant. Hanc autem rationem de toto & parte dicit quidam aduersariorum in Basilea in quodam tractatu suo, tantæ esse efficaciæ ut ab aliquibus doctoribus inferatur, ꝙ cum Christus sit pars corporis cuius est caput ꝙ tota ecclesia est nobilior Christo inquantum est homo & inquantum ipse etiam in membris corporis ecclesiæ comprehenditur secundum illud Apostoli primæ Corinth. 12. Vos estis corpus Christi & membra de mẽbro. glo. dependentia de membro. i. Christo capite & cum membro nostro. Dicit consequenter præfatus aduersarius ꝙ ratio dictorum præfatorũ doctorum potest assignari, quia cum ecclesia includat assistentiam Dei iuxta illud. Vbi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo ibi ego sum in medio eorũ: nec est possibile intelligi ecclesiam sine hac assistentia & affluentia gratiarum intranea. manifestum est ꝙ quicquid citra Deum excogitari potest nõ posse ecclesiæ comparari in excellentia & dignitate, hæc aduersarius. Tertio sic. papa est propter ecclesiam sicut pastor propter gregem. secundum illud primæ Corin. 10. Potestatem nobis dedit Deus in ædificationem non in destructionem & non econuerso. ergo &c. consequentia patet, quia semper deterius est gratia melioris secundum philosophum in polit. Quarto ubi uidetur esse maior sapientia & charitas ibi uidetur esse superioritas. sed in ecclesia est maior sapientia & charitas quàm in aliqua alia creatura siue papa sit siue quæcunque alia persona. ergo ecclesia est superior papa. Quinto arguitur sic. Ecclesia uniuersalis dicitur mater omniũ fidelium. unde Ecclesiastici. 24. dicitur. Mater pulchræ dilectionis. Et ad Gal. 4. Illa autẽ quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ mater est nostra. glo. i. credentium. Et Prouer. primo dicitur. Ne dimittas legem matris tuæ, glo. i. ecclesiæ. Papa uero filius ecclesiæ dicitur. ergo ecclesia uniuersalis excellentia dignitatis & potestatis maior atque superior est papa filio suo. consequẽtia uidetur bona, nec potest dici ꝙ papa sit pater ecclesiæ, cum nullus sit pater suæ matris. unde etiam saluator. Mat. 23. dicit quòd unus est pater uidelicet qui in cœlis est, sic autem in terris una est ecclesia omniũ fidelium mater. Sexto sic. Ecclesia uniuersalis dicitur domina secundum illud Trenorum primo. Domina gentium. Tunc arguitur sic, maior est potestas in domino quàm in seruo.

Secũdum de quo c. 82.

Cõfirmatio.

Tertiũ de quo c. 83

Quartũ de quo c. 84.

Quintum de quo c. 85.

Sextũ de quo c. 86

no. sed ecclesia est domina ut dictum est: papa uero & alii prælati non sunt domini. sed ut confitetur Apostolus primæ Corinth.4. Ministri & dispensatores mysteriorum Dei. Vnde Christus cum de paruipédenda maioritate doctrinam apostolis daret dixit, quicúque uoluerit inter uos maior fieri sit uester minister. uidetur ergo quòd papa non dominus, sed inter ministros summus minister dicendus sit. Vnde & Bernardus lib. de consideratione dicit in fine quarti li. Consideres autem super omnia sanctam Romanam ecclesiam cui Deo auctore præes matrem esse non dominam, te non dominum episcoporum, sed unum ex eis. Septimo aduersarii arguunt sic. Papa non est dominus rerum ecclesiæ. sed hoc dominium uidetur esse apud ecclesiam, papa enim solum est dispensator. ergo idem quod prius. Octauo sic. Ecclesia dicitur esse regina secundum illud Psal.44. Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate. Tunc arguitur sic. potestas est in ecclesia sicut in regina, in papa autem non sicut in rege, quia regimen papæ respectu ecclesiæ non uidetur regale, sed politicum dicente domino apostolis de primatu contendentibus. Math.20. Scitis quia principes gentium dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, nó ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos maior fieri sit uester minister. Item Christus fugit ne facerent eum regem. Nono sic. eadem ecclesia Dei uniuersalis dicitur sponsa Christi ut patet in pluribus locis in lib. Canti. & Apocalip.21. dicitur. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo tanquam sponsam ornatam uiro suo. Papa uero non est sponsus, sed paranymphus sponsę & beatus Bernardus lib. de consideratione ad Eugeniú dicit. Tunc arguitur sic. maior est auctoritas in sponsa quàm in paranympho sponsæ ut patet, sed uniuersalis ecclesia ut iam ostensum est, est sponsa Christi, papa uero paranymphus. ergo ecclesia potestate & auctoritate est maior & superior papa. Decimo sic. Ecclesia non potest errare & ita est indeuiabilis a rectitudine fidei. papa potest errare, ut in capitulo si papa, distin.40. ergo uidetur ꝙ ecclesia sit superior potestate ipso papa. Vndecimo arguitur sic, illius potestas est maior ad quam ultimate remittitur quilibet fidelis sicut quasi ad ultimum tribunal. sed hæc est potestas ecclesiæ & non alicuius personæ cuiuscunque dignitatis sit etiam papalis. ergo papa non est maior potestate ipsa ecclesia, sed econuerso. consequentia est bona. maior patet. minor probatur ex illo Math.18. ubi Christus inquit Petro. Si peccauerit in te frater tuus &c. dic ecclesiæ. hoc autem non potest intelligi de papa siue de prælato. Tum quia Petro hoc dictum sit qui prælatus futurus erat ecclesiæ & ad se nullus remitti dicatur. Item quia nomen ecclesiæ est collectiuum. & per consequens per ly ecclesiæ non persona prælati, sed congregatio ipsa fidelium accipienda est. Tum tertio, quia gl. ibi inquit, dic ecclesiæ. i. toti ecclesiæ. Et ita patet ꝙ per ecclesiam ipsa uniuersitas fidelium ueniat intelligenda.

[Margin: Septimú. de quo c. 87. — Octauum de quo c. 88. — Nonú de quo c.89 — Decimú de quo c. 90. — Vndeci- de quo c. 91. — Probatio prima. — Secunda — Tertia]

Cap. LXXXII. In quo respondetur ad obiectionem primam.

DATVRI responsa ad obiecta præcedentis c. obseruabimus hunc ordinem pro pleniori illustratione ueritatis, quia istæ rationes sunt potiores aduersariorum, respondebimus singulis obiectionibus per

Ad primũ arg. c.81. se per capitula distincta. Ad primam ergo obiectionem cum dicitur quòd papa sit membrum ecclesiæ &c. respondetur dupliciter. Primo concedendo antecedens & negando consequentiam loquẽdo de maioritate potestatis iurisdictionis de qua impresentiarum loquimur. Quod pro tãto dicimus quia non dubitamus hic an ecclesia sit maior simpliciter papa .puta perfectione gratiæ & amplitudine uirtutum, quoniam etiam una uetula potest esse hoc modo perfectior & maior ipso papa. sed dicimus quòd in potestate iurisdictionis in qua unus peccator potest esse maior multis iustis papa sit maior toto residuo corpore ecclesiæ. Et ad probationem cum dicitur ꝙ membrum cum dicat particularitatem maioris sit uirtutis & perfectionis toto residuo corpore. Respondemus ꝙ hæc probatio non probat consequẽtiam & ratio est. quoniam licet membra corporis partialiter se habent in participando uirtutes totius corporis, quia non quodlibet membrum omnia potest habere, sed singula singulis sunt distributa dicente Apostolo ad Rom. 12. In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actũ habent. & per consequens nullum membrum potest simpliciter præferri toti corpori: nihilominus in uirtute aut gratia quam unum membrũ recipit potest ita excellere omnia alia membra, ut licet non simpliciter possit dici maius toto residuo corpore, possit tamen in tali gratia dici maius. quod faciliter patet ex uerbis apostoli ubi supra, ait enim. Singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes siue prophetiam secundum rationem fidei siue ministerium. gl. ecclesiasticum in ministrando siue quæ docet in doctrina &c. non est dubium ꝙ cum hoc quòd membra singula corporis ecclesiæ ut ait Apostolus partialiter & non uniuersaliter percipiant donationes factas toti corpori ecclesiæ stat bene quòd aliquod membrum ecclesiæ in donatione sibi facta excedat omnia alia membra ecclesiæ. sicut quòd in gratia prophetiæ unus sit excellentior propheta omnibus aliis. unus doctor maior omnibus aliis siue toto residuo corpore. Non ergo ualet ista consequentia, papa est membrum ecclesiæ. ergo sequitur quòd potestate iurisdictionis non possit esse maior toto residuo corpore ecclesiæ. Quod etiam exemplariter ostendimus in multis. Primo in capite corporis naturalis quod caput etsi membrum sit corporis nihilominus præstantius & maius uirtute sensitiua est toto residuo corpore, cum in eo solo sit plenitudo sensuum. in aliis autem sit solus sensus tactus. unde Ambro. lib. 6. in Hexameron cap. 29. inquit. Caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere præstantissimumq; esse omnium, & ex illo omnibus membris uigorem prudentiamq; deferri. Secundo hoc patet in quolibet principe respectu multitudinis cui præsidet non est dubium quin princeps sit membrum uniuersitatis reipub. quã Policratus instar corporis dicit esse formatam. & tamen licet non possideat omnes uirtutes & gratias quæ possidentur ab omnibus aliis illius uniuersitatis, sed partialiter forte aliquas earum: nihilominus potestate iurisdictionis superior uniuersis aliis, siue tota illa uniuersitate est. Tertio insufficientia præfatæ consequentiæ ostẽditur in domino nostro Iesu Christo qui cum hoc ꝙ sit caput super omnem ecclesiam, ut inquit Apostolus ad Ephe. 1. & dicatur etiam membrum ecclesiæ ab eodem qui de eo loquens ait. 1. Corin. 12. Vos estis corpus & membra de membro, glo. dependentia de membro. i. Christo capite & cum membro nostro & nihilominus nõ modo falsum sed hæreticum esset

dicere

dicere Christum minorem esse perfectione aut gratia aut potestate ipsa ecclesia cùm ab ipso dependeat totum bonum ecclesiæ. de plenitudine enim eius accepimus omnes. Ioan. 1. Est tamen hic notandum sicut supra tetigimus. lib. 1. c. 47. ubi notauimus qualiter esse membrum ecclesiæ conueniret Christo & qualiter non, quod membrum importat duo. s. partialitatem uirtutis respectu totius corporis & distinctionem respectu aliorum membrorum, quæ duo explicantur cum ait Apostolus ubi supra, quod omnia membra non eundem actum habent. Christus autem ut dicit sanctus Tho. non dicitur membrum ecclesiæ, ut membrum importat partialitatem, quoniam in Christo bonum spirituale non est particularizatum, sed totaliter integrum. unde ipse est totum bonum ecclesiæ nec est aliquid maius cum alijs, quàm ipse solus, sed dicitur membrum prout dicit siue importat distinctionem ab alijs. distinguitur autem ab alijs membris & perfectione & officio. Perfectione quidem, quia ut inquit sanctus Tho. in quæstione de ueritate, in ipso est uniuersaliter gratia non autem in aliquo aliorum membrorum. Officio uero, quia ut idem sanctus Tho. dicit in 4. distin. 49. influit alijs uitam. Simili autem modo uidetur dicendum de Romano pótifice in duobus. Primo quia licet papa sit membrum ecclesiæ ut etiam partialitatem importat, quoniam uirtus eius siue bonum spirituale nó est uniuersaliter integrum sicut est bonum totius corporis ecclesiæ, sed est particularizatum, & ideo non potest dici maior perfectione simpliciter toto corpore ecclesiæ. nihilominus in donatione sibi specialiter præ alijs facta huius particularis gratię gratisdatę uidelicet potestatis iurisdictionis ipse est maior toto residuo corpore ecclesię cum ipse solus sit uocatus in plenitudinem potestatis, quemadmodum si alicui præ omnibus alijs membris ecclesiæ donaretur gratia curationis infirmitatũ. talis etiam ueraciter posset dici maior in hac particulari gratia potestatis curandi omnibus alijs fidelibus siue coniunctis siue dispersis. Secundo posset dici quòd papa quo ad potestatem iurisdictionis nó est membrum ecclesiæ ut importat partialitatem cum potestas in eo non sit particularizata, sed sit plena & integra, sed dicatur membrum prout dicit distinctionem. Distinguitur ei ab alijs membris ecclesiæ in duobus. s. perfectione potestatis & in officio. Perfectione quidem, quia in eo est plenitudo potestatis ut sancti clamant non autem in aliquo aliorum membrorum ecclesiæ, neque in omnibus membris alijs ab eo etiam simul sumptis. Officio uero distinguitur inquantum ipse influit in totum corpus ecclesiæ potestatem iurisdictionis in eos qui participes eius esse possunt, prout supra in c. 54. multis sanctorum testimonijs & rationibus ostendimus. & maxime habetur in cap. ita dominus. distinct. 19.

Cap. LXXXIII. In quo respondetur ad secundam obiectionem.

AD secundam rationem aduersariorum quæ apud eos Achilles reputatur respondetur dupliciter. Primo negando assumptum si capiatur uniuersaliter. uidelicet quòd communis animi conceptio sit quòd totum sit maius sua parte. dicimus enim quòd hoc uerum est de toto integrali, non autem de toto potentiali unde magister sententiarum in lib. 1. distin. 3. comparando partes imaginis adinuicem & unam ad omnes alias dicit

sic. Equalia sunt non solum singula singulis, sed etiam singula omnibus. Contra quod sanctus Thom. in fine præfatæ tertiæ distinctionis ibi argués, ad probandum quòd una potentia animæ non sit equalis omnibus aliis utitur hoc argumento. Omne totum est maius sua parte. Ad hoc ipse respondens dicit sic, quòd hoc uerum est de totalitate quantitatis dimensiuę, uel numeralis quæ eiusdem rationis sunt, & non de totalitate quantitatis uirtualis. potest enim contingere quòd una uirtus potest in tot obiecta quot aliæ plures. Et simili modo ad idem argumentum respondit dominus Petrus de Tarentasia quæ fuit Inn.quintus ubi supra, ita dicens quòd id quod dicitur quòd omne totum est maius sua parte, uerum sit de toto integrali non autem de toto potentiali. Et ita secundum hæc concedendo de toto integrali quòd omne totum sit maius sua parte, argumentum aduersariorum nihil facit ad propositum: quoniam nos non loquimur de maioritate quantitatis dimensiuæ, uel numeralis secundum quam non est dubium quòd quælibet cógregatio maior sit suo prælato aut rectore, sed loquimur de maioritate quantitatis uirtualis siue potentialis secundum quam stat quòd una uirtus potestatiua sit maior omnibus aliis inferioribus quæ in partem tantum uocatæ sunt solicitudinis. unde si ratio illa aduersariorum ualida esset parimodo militaret contra Christum sicut contra papam sic arguendo sicut aduersarii arguunt. Communis animi conceptio est quòd totum maius sit sua parte, sed Christus est pars ecclesiæ. ergo ecclesia est maior Christo. Quòd uerus Christus dicatur pars ecclesiæ patet. Tum ex illo quod supra induximus in præcedenti cap. Apostoli 1. ad Corinth. 12. ubi dicitur membrum corporis Christi quod est ecclesia. Tum ex eo quod ait Bernardus in sermone quodam corporis Christi qui sic ait. Est enim corpus Christi uniuersa ecclesia, caput scilicet cum membris. Inueniuntur autem in isto corpore quasi tres partes ex quibus totum corpus constat. una pars est ipsum caput. caput enim caput est & pars corporis, &c. Et tamen his non obstantibus conclusio est falsa & hæretica scilicet quòd ecclesia sit maior Christo. Vnde quod quidam aduersariorum in suo quodam tractatu dicit, ut in argumento tetigimus quòd ecclesia sit maior siue nobilior Christo, inquantum homo & inquantum ipse compræhenditur in membris ecclesiæ, erroneum est & hæreticum cum manifeste sit contra scripturam sanctam, dicitur enim ad Ephe. primo, quòd Deus omnia subiecit sub pedibus eius. scilicet Christi, ubi gl. inquit quasi dicat non, solum præest hominibus dignitate, sed etiam sub eo sunt. Et sequitur infra in glo. ad propositum, sub pedibus eius. i. sub humanitate eius quæ signatur per pedes. Sequitur in apostolo. Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, glo. super omnem ecclesiam quæ in cœlo, & quæ in terra est. Item est contra scripturam eiusdem apostoli dicentis ad Ephe. 5. Christus caput est ecclesiæ ipse Saluator corporis eius. sequitur ecclesia subiecta est Christo. Præterea quomodo animus fidelis concipere potest quòd Saluator non sit superior saluatis, sponsus sponsa, uir uxore & caput toto corpore. Quod autem dicit præfatus aduersarius quòd aliqui doctores hoc dixerint, falsum est nisi fuerint aliqui hæretici. uerum reperiuntur aliqui doctores qui in 4. senten. distin. 13. super illo uerbo quod inducit magister, quid melius corpore & sanguine Christi quærunt, utrum corpus Christi uerũ sit melius corpore Christi mystico. Et respondentes dicunt, dom. Gulielmus Altisiodorensis dom.

Albertus

Albertus & sanctus Thom. quòd corpus Christi mysticum si accipiatur cum ipso capite est melius quàm corpus Christi uerum. Si tamen accipiatur corpus Christi uerum sine diuinitate cui est unitum. alias non: quia Deus & omnes creaturæ non sunt aliquid melius quàm Deus tantum. Si autem accipiatur corpus Christi mysticum absque capite Christo, sic corpus Christi uerum est nobilius: hæc sanctus Tho. formaliter & eadem est sententia aliorum. Attendant docti uiri quàm contraria sit doctrina horum doctorum doctrinæ aduersariorum. Præterea id quod inducit aduersarius pro ratione ad colorandum præfatum errorem est omnino stultum. Tum quia supponit quod humanitas Christi, quæ est in eodem supposito unita diuinitati & cui nó est datus spiritus ad mensuram non includit assistentiam spiritussancti sicut ecclesia. Quod uidetur omnino alienũ non modo a fide catholica, sed a bono iudicio cuiuscunq; hominis docti. Cum enim influentia gratiæ in corpus ecclesiæ proueniat a capite magis intrinseca est assistentia spiritussancti qui est fons omniũ donorum capiti Christo qui es sanctus sanctorũ corpori influenti quã recipienti ab eo sanctitatem. Quod aũt dicit in fine aduersarius manifestũ esse, quod quicquid citra Deum excogitari potest nó posse in excellentia & dignitate comparari ecclesiæ falsissimum est & hæreticum iudicio nostro: quoniã humanitas Christi quæ est citra Deũ nobilitate & perfectione nobilior & dignior est ipsa ecclesia militante, de quo dicit psal. 44. quod est speciosus forma præ filiis hominum. Secundo angelica siue cœlestis Hierarchia citra Deum est, & nihilominus excellentior, & dignior ecclesiastica. Item beata uirgo quæ exaltata legitur super choros angelorum excellentior, & dignior est tota residua ecclesia. Vnde de ea exponitur illud Apoca. 12. a sanctis. Mulier amicta Sole & Luna id est ecclesia sub pedibus eius: quoniam supereminet toti ecclesiæ, & ita in proposito. Secundo respondetur ad rationem negando minorem scilicet quòd papa sit pars ecclesiæ si referatur ad rationem potestatis: quoniam in ratione potestatis est magis dicendus papa tota ecclesia uirtualiter, cũ in eo solo sit totalitas & plenitudo totius potestatis ecclesiasticæ. iuxta dicta Leonis papæ beati Gregorii Iulii, & beati Bernardi superius commemorata, sicut in solo capite corporis naturalis est plenitudo sensus, propter quod ut inquit beatus Ambrosius in hexameron, totus homo in capite dicitur esse. Quòd autem totalitas potestatis ecclesiæ in papa sit, facile ostendimus tam ex ordine potestatis papalis quàm ex conditione, & natura totius potestatiui. Ordo nanque inter potentias hoc habet, ut dicit Boethus, quòd quicquid uirtutis potestatiue sit in inferioribus est in superiori. unde in suprema potentia quantitas omnium aliarum inferiorum potentiarum includitur, & ita cum potestas papalis sit suprema in ea continentur uirtute omnes aliæ potestates ecclesiæ, & ita ipsa in ratione potestatis non habet rationem partis, sed potius totius. unde beatus Dyonisius in sexto ecclesiasticæ hierarchiæ dicit. Ipsa autem Hierarchica ordinis dispositio in omnibus locatur sanctis totalitatibus. Secundo hoc idem ostenditur ex natura totius potestatiui. potestas enim ecclesiæ non est arbitranda, siue existimanda quasi sit aliquod totum integratum ex particularibus potestatibus, ut peruerse multi aduersariorum intelligunt, sed adinstar totius potestatiui. Cuiusmodi natura, ut ait sanctus Thomas in quarta dist. uigesimaquarta talis est, quòd secundum completam rationem est in uno, in aliis autem

est quædam participatio ipsius. Et ponit exemplum in sacramento ordinis di. quòd tota plenitudo huius sacramenti est in uno, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis.& hoc dicit esse signatū in hoc quo dominus dicit Nu.11. Moysi. Auferam de spiritu tuo & tradam eis ut sustentent tecum onus populi, hæc sanctus Thomas. Secundum exemplum ponit in sequenti responsione de regno di. quòd in regno quáuis tota plenitudo potestatis resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates quæ sunt participationes quædam regię potestatis, in aristocratya autem apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes, hæc sanctus Thomas. Patet ergo quòd loquendo de maioritate quantitatis uirtutis, sicut caput in corpore naturali est maius toto residuo corpore, licet nō maioritate quantitatis dimensiuæ siue numeralis, sic papa maior est maioritate potestatis toto residuo corpore ecclesiæ, sicut pastor auctoritate uniuerso grege suo. Restat iam respondere ad cap. legimus. distinctione nonagesimatertia. ubi dicit Hierony. quòd si auctoritas quæritur & ad quod respondentes dicimus quòd hoc dictum Hierony. licet sæpe maxime inducunt illud aduersarii pro se, in nullo tamen fauet eis nec præiudicat ueritati positæ. nam Hieronymus non loquitur ibi de auctoritate potestatis aut iurisdictionis orbis respectu ecclesiæ Romanæ siue apostolicæ sedis, sed loquitur de auctoritate consuetudinis, quæ tanto maioris auctoritatis esse dicitur quanto generalior est siue a pluribus obseruatur. sicut de canonicis scripturis loquitur Augustinus & habetur in cap. in canonicis. distinctio. uigesimanona, secundum quam regulam non est dubium quin consuetudo orbis maior sit consuetudine urbis quam nec apostolica sedes seruat nec obseruari mandauit. Quòd uero Hieronymus non de auctoritate orbis respectu apostolicę sedis, sed de auctoritate consuetudinis orbis respectu urbis loquatur patet ex multis. Primo ex intentione ipsa loquentis. loquitur enim Hieronymus contra consuetudinem quæ in urbe Rnmana regnabat qua quidam dyaconi præfecebantur presbiteris. Ex qua consuetudine aliqui dyaconi per orbem sumebant occasionem præferendi se presbyteris suis cum tamen contraria consuetudo esset per orbem de qua Hieronymus ad episcopum Euandrum scribens sic ait. ut patet ex tex. allegati cap. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem, quid paucitatem de qua ortum est supercilium in ecclesiæ leges uindicas. omne quod rarum est plus appetitur. pulegium apud Indos pipere præciosius est, dyaconos paucitas honorabiles facit, presbyteros uero turba contemptibiles facit, hæc Hieronymus. Secundo hoc idem colligitur ex gloss. cap. [illegible] sic ait. maior est & ideo magis seq[illegible] da consuetudo generalis ut hic. Tertio potest idem colligi ex capit. [illegible] est fides 24. quæstio. prima, quod est ipsius Hieronymi. Ad gloss. uero inductam dicimus. quòd glo. illa argumentando loquitur. unde refert se ad ea quę dicit. 9. quæstione tertia nemo. sed de hac gloss. & similibus in tertio libro ubi de auctoritate conciliorum opitulante Deo loquendum est, plenius dicetur.

Ad confirmationé.

Cap. LXXXIIII. In quo respondetur ad obiectionem tertiam.

AD tertiam rationem qua sicut maxima quadam potissime aduersarii utuntur in confirmationem suarum opinionum qua sic arguũt, quòd papa sit propter ecclesiam,&c. Respondetur negando consequentiam. Et cum dicitur ꝙ deterius est gratia melioris. Respondetur ꝙ dupliciter dicitur aliquid finis alicuius rei. Vno modo id in quod tẽdit res illa ex ordine sibi dato naturali, aut supernaturali siue id quod est intentum ab agente. Alio modo dicitur finis id ad cuius utilitatem est ordinatum opus agentis. Cuius exemplum possumus dare in potestatibus secularibus in quibus finis ad quem tendit regimen præsidentis,& gubernantis est ipsa pax & tranquillitas uniuersitatis siue felicitas politica, cum hoc sit bonum principale ad quod uniuersum regimen gubernatoris intendere & respicere uidetur. ipsa uero uniuersitas dicitur sicut finis regiminis sicut ad cuius utilitatem est ordinatum uniuersum opus præsidentis & gubernantis. Ita applicando proposito nostro dicimus quòd finis propter quem est papa constitutus & ad quem ordinatur potestas papalis sicut principale intentum ab instituente non est ecclesia ipsa uniuersalis, sed est beatitudo ipsa cœlestis ad quam per usum & regimen potestatis papalis ipsa scilicet uniuersalis ecclesia est dirigenda. Est autem ipsa ecclesia uniuersalis finis secundo modo. uidelicet sicut id ad cuius utilitatem est ordinatum opus papalis potestatis. Hic duplex modus finis satis aperte designatur in diffinitiõe illa quæ datur etiam per quosdam ex aduerso in tractatibus suis ita dicentes. Quòd potestas ecclesiastica sit quæ a Christo supernaturaliter,& specialiter collata est apostolis & suis discipulis atque eorum successoribus legitimis ad ædificationem. Ecce utilitatem ecclesiæ ad quam ordinatur potestas ecclesiastica. Et sequitur pro consecutione felicitatis æternæ. ecce finem ultimum & principalem. Hac distinctione habita ad probationem consequẽtiæ tum dicebatur id quod est deterius fit propter melius dicimus quòd hoc non sit uerum quando hac ratione aliquid dicitur propter aliud sicut propter id ad cuius utilitatem est ordinatum opus agentis, quemadmodum papa siue papalis potestas dicitur esse propter ecclesiam. Quod patet exemplariter in multis. Primo quidem patet in pastoribus qui propter gregem dicuntur instituti: nihilominus non minores, sed maiores ac nobiliores sunt gregibus quorum pastores sunt. Secundo patet in principibus. princeps enim tam secularis, quàm ecclesiasticus dicitur esse propter uniuersitates sibi commissas regendas, & non econuerso, & nihilominus non sunt inferiores, sed maiores auctoritate subiectis sibi populis. Tertio angeli qui ut ait Apostolus ad Hebræos primo, sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, & tamen non sunt hominibus inferiores, sed superiores sunt ac nobilitate naturæ præstantiores. Quarto patet in Christo, qui licet aduenerit de cœlis in terram propter ecclesiam & mortuus fuerit propter ecclesiam. ait enim Apostolus ad Ephe. quinto. Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret: nihilominus Christus non est inferior ecclesia, sed omni maioritate perfectionis & uirtutis ac auctoritatis superior, ut in superiori capitulo ostensum est. unde Bernardus in sermone de nuptiis loquens de Christo sponso ecclesiæ dicit sic. Multo hæc sponsa inferior sponso suo, inferior genere, inferior specie, inferior dignitate. Ex quo patet: quòd hoc modo esse aliquid propter aliud potest competere

Respõdẽs ad tertiũ argu. positũ c. 81.

etiam superioribus & nobilioribus respectu inferiorum & minus nobilium ut inquit dominus Albertus in secunda parte summæ suæ tractando de custodia angelorum,& etiam sanctus Tho.in 1.distin.2. Respondetur etiam secundo,quòd licet ecclesia sit melior papa maioritate gratiæ, aut per fectionis gratuitate: non tamen maioritate auctoritatis iurisdictionis de qua ad præsens loquimur sicut plenius dicetur in responsione ad quartam obiectionem.

Cap. LXXXV. In quo respondetur ad quartam obiectionem sumptam ex eo quod apud ecclesiam sit maior sapientia & charitas.

Respōdēs ad quartū arg. factū cap. 81.

QVARTO loco arguebatur, ubi uidetur esse maior sapientia, & charitas ibi &c. Ad hoc respondetur negando hoc assumptum: quoniam non modo falsum est, sed etiam sapit hæresim Valdensiū. Quòd sit falsum patet sic, ut enim in 1.li.c.99.argumentati sumus. homo dicitur bonus uel malus sapiens,uel stultus sanctus uel impius,secundum uirtutem uel uitium quæ sunt habitus quidam. Habitus autem a potentia in hoc differt,quòd per potentiam sumus potentes aliquid facere, per habitum autē non reddimur potentes uel impotentes ad aliquid faciendum, sed habiles uel inhabiles ad id quod possumus bene uel male agendum, per habitum ergo nec datur nec augetur nec tollitur a nobis aliquid posse, sed hoc per habitum accipimus,ut bene uel male aliquid agamus. non ergo ex hoc quod aliquis homo aut populus sit bonus sapiens, & sanctus aut malus insipiens & peccator est aliquid potens aut impotens, utputa ad dispensandum sacramenta, uel ad regendum populum,sed idoneus uel minus idoneus ad huiusmodi dispensandum. Falsum est ergo illud assumptum aduersariorum quòd ubi maior est sapiētia aut charitas sit maior auctoritas iurisdictionis. Quod manifeste colligitur ex illo quod habetur de pœnit. & remis.c.noua quædā. Secundo idem ostenditur sic. si potestas ecclesiastica sequeretur gradum sapientiæ & sanctitatis cum iste gradus inter homines sit incertus, ignoramus enim quis quo sanctior sit aut sapientior, sitq; gradus iste sæpe transmutabilis, quia qui hodie sanctior est altero cras malus, aut minus sanctus esse potest, nulla stabilitas nulla certitudo esset potestatis ecclesiasticæ in ministris ecclesiæ: quod horret fides Christiana, sicut plenius disputauimus lib.1.c.99. Manifeste ergo patet falsitas præfatæ suppositionis aduersariorum. Quòd uero eadem suppositio sapiat hæresim Valden. patet: quoniam si ubi est maior sapientia & charitas est maior auctoritas. sequitur quod solum apud sanctos uiros essent claues ecclesiæ, quod fuit error Valdensiū & Ioan. Vicleff,consequentia tamen patet. Contra quos & illud quod ait dominus. Math.23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisei quæ ergo uobis dicunt seruate & facite, &c. Quibus prælatis malis obediendum non iuberet Deus nisi etiam cum malitia in eis integra maneret auctoritas potestatis. Secundo sequeretur quòd cum Paulus sapientiæ fuerit sublimioris, utpote qui raptus est usque ad tertium cœlum maioris fuisset auctoritatis quàm Petrus, quod est falsum. Tertio etiam sequeretur ex illo quòd apud laicos qui sæpenumero sapientiores atque sanctiores sunt multis prælatis, maior auctoritas ac plenior clauium potestas esset quam apud

apud prælatos minus laicis sapientes aut sanctos, quod etiam fuit error illorum Valdensium. Præterea non est impossibile immo possibile, quòd unus pro aliquo tempore in ecclesia esset sapientior, & sanctior toto residuo militantis ecclesiæ, & quòd huiusmodi esset papa. Præterea apertissime ostendit fundamentum illud aduersariorum esse falsum ac erroneum illud quod beatus Innocen.papa dicit in cap.noua quædam, de pœni. & remissione.

Cap. LXXXVI. In quo respondetur ad quintam obiectionem sumptam ex eo quòd ecclesia dicitur mater fidelium.

QVINTO obiectum est per aduersarios ex illa nominatione qua ecclesia Dei dicitur mater omnium fidelium, & per consequens papæ. Ad quam obiectionem respondetur negando consequentiam. Pro cuius intelligentia duo faciemus. In primis ostendemus pro pleniori illustratione ueritatis qualiter ecclesiæ uniuersali conuenit ratio maternitatis respectu papæ & aliorum fidelium. Secundo explicabimus quòd ex tali maternitate nulla auctoritatis, aut potestatis iurisdictionis superioritas necessario arguatur in ecclesia supra papam. Circa primum notandum, quòd ecclesia dicitur mater fidelium, ut dicit beatus August. super psalm. 127. quia per baptismum continue dicitur parere Christianos, ubi secundum quod ait Augustinus super Ioannem tractans illud Ioan. 3. Nunquid potest homo in uentrem matris suæ iterato introire. Aqua baptismi locum materni uteri habet,& ideo baptismus dicitur, ut inquit Apostolus ad Thitum 3.lauachrum regenerationis. Sed nec hoc ita ecclesiæ attribuitur ꝙ ipsa uniuersitas ecclesiæ ministeriũ baptismatis per seipsam alicui tribuat, hoc enim non uidetur bene possibile, sed pro tanto mater dicitur quia baptismus quo quis regeneratur in filium Dei, & ecclesiæ a quocunque detur in fide ecclesiæ tribuitur & efficaciam habet. Vbi aduertendum, quòd sicut in generatione carnali hominis concurrit uirtus patris principaliter & uirtus matris quasi dispositiue. sic in generatione ista spirituali concurrit uirtus diuina tanquam semen. unde Augustinus super Ioannem, ubi supra dicit. Ex semine enim ueri Abrahæ sunt nati fideles siue per liberam siue per ancillam. Et in fine libri de trinitate inquit ipse. Sacri fontis irriguum illa qua dudum Mariam locupletauit uirtute fœcundat. Hinc est quòd per baptismum dicuntur generati filii Dei Ioan. primo, & per consequens consortes naturæ diuinitatis, ut inquit beatus Petrus 2. Petri primo. Est ergo agens in generatione ista spirituali ipse Deus per auctoritatem, & ipse Christus secundum ꝙ homo meritorie.cuius meritũ in baptismo operatur.Secundo concurrit tanquam uirtus dispositiua fides ecclesiæ secundum illud Rom.3.Iustitia Dei per fidem Iesu Christi.fides.n.præcipue operatur in sacramentis: quoniam per illã quodammodo sacramenta suæ causæ principaliter agenti continuantur,& etiam ipsi recipienti. Vnde sanctus Thom.in 4.distinct. 1.ad propositum ita loquitur. Instrumentum non recipit uirtutẽ nisi secundum ꝙ principali agenti cõtinuatur & uirtus eius quodãmodo in instrumentũ transfunditur. principale aũt & per se agẽs ad iustificationẽ est Deus sicut causa efficiẽs,& passio Christi sicut meritoria, huic

Respõdẽs quinto argu. facto cap. 81.

autem causæ continuatur sacramentum per fidem ecclesiæ, quæ instrumentum refert ad principalem causam, ut signum ad signatum. Et ideo efficacia sacramentorum uel uirtus est ex tribus. uidelicet ex institutione diuina sicut ex principali agente ex passione Christi sicut ex causa meritoria, ex fide sicut ex continuante instrumentum principali agenti. Et hoc est quod dicit sanctus Tho. in 3. parte ꝙ uirtus passionis Christi quæ operatur in sacramentis copulatur nobis per fidem secundum illud Rom. 3. Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine eius. Ex quibus hæc manifesta luce colligimus quòd fides ecclesiæ sit dispositio ad consecutionem effectuum sacramentorum cuius ecclesiæ fidem repræsentare uidentur offerentes paruulos ad baptismum qui interrogati pro paruulis fidem ecclesiæ in persona eorum profitentur dicentes: credo. Vnde Aug. in li. de meritis & remiss. peccatorum & habetur. de consecra. dist. 4. c. mater dicit sic. Mater ecclesia os maternum paruulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam nec ore proprio confiteri ad salutem. Quare dicit beatus Thom. in 3. parte q. 69. quòd pueri credunt non per actum proprium, sed per fidem ecclesiæ, quæ eis communicatur, & huius fidei uirtute conferuntur eis gratia, & uirtutes. Et idem dicit in 4. quòd pueris pro dispositione ad salutem est fides ecclesiæ pro effectiuo salutis uirtus passionis Christi. Cũ ergo gratia qua iustificamur in baptismo & efficimur filii Dei a Deo infundatur disponente fide uniuersalis ecclesiæ, ut sic sit quodammodo conformitas geniti ad gignentem: patet ꝙ recte dicatur ꝙ in generatione ista spirituali Deus sit pater, & ecclesia mater. Vnde etiã si hæreticus, aut infidelis baptizet dum tamen intendat facere quod ecclesia facit Christo, & ecclesiæ dicitur parere filios non aũt hæresi, aut infidelitati suæ. Sicut. n. Iacob genuit filios per liberas & ancillas, ita Christus per catholicos & hæreticos bonos, aut malos, ut Aug. dicit contra Donatistas. Mater ergo omnium fidelium est ecclesia. unde idem Aug. li. de symbolo dicit. Si quis ab ecclesia inuentus fuerit alienus, alienus erit a numero filiorum Dei, nec habebit Deum patrem qui ecclesiã noluit habere matrem. Et hoc sit pro primo. Iam uidendum est secundo loco ꝙ ex præfata ratione maternitatis nulla necessitas sit dicendi, ꝙ uniuersalis ecclesia superior sit auctoritate siue potestate iurisdictionis Rom. pon. quod etsi satis de se appareat ostenditur tamen ex hoc, ꝙ etsi ratio maternitatis attribuatur ecclesiæ ut dictum est, ministris tamen ratio paternitatis conuenit. unde Aug. in sermone de epiphania, ut refert sanctus Tho. in 3. parte q. 67. Locum patris obtinet qui baptizat, matris autem aqua baptismi. Et maxime ratio paternitatis conuenit summo ministro Dei s. Romano pontifici quocirca dicitur pater patrum. Vnde clare patet quòd esse prædicto modo matrem non arguit superioritatem potestatis iurisdictionis spiritualis super filios, immo stat bene quòd aliquis sit filius ecclesiæ, & alia rõne pater ecclesiæ. Sicut quòd cõuenit sępe quòd aliquis sit genitura filius alicuius mulieris, & sit cura spiritualis regiminis pater eius, & quòd ita sit de ecclesia exẽplariter ostenditur in multis. Primo quidẽ in Christo, Christus. n. quandoq; dictus est filius synagogæ. unde gl. super illud Ioan. 1. Nudus egressus sum de utero matris meæ, dicit sic. Mater Christi synagoga est, quæ in se eum opertum littera tenuit, nec nudum in diuinitate uidit, sed ab ea nudus ad gentes exiuit. Item Christus quandoque est dictus filius ecclesiæ. unde ipse ait Marc.

3. de

3.de discipulis suis:ecce mater mea & fratres mei, ubi dicit gloss. soror & frater credendo mater prædicando dũ per uerba prædicationis amor Christi quasi ipse Christus in corde auditoris generatur. Item hoc uerbum pertractans beatus August.psalm.127.dicit, quomodo mater eius est ecclesia nisi quia ipse Christus est in Christianis quos per baptismum continue parit ecclesia. Item ipse Christus est filius beatissimę uirginis Mariæ: nihilominus super omnes istas matres superior est auctoritate, & eminentia potestatis. Similiter nõ est inconueniens quòd papa cum sit hoc quòd filius ecclesiæ quia sacramento baptismi regeneratus. sit etiam pater ecclesiæ. unde etiam pater patrum appellatur & ipse uniuersitati fidelium scribẽs ait in cunctis litteris suis dilectis filiis, &c. Nec hoc uidetur magis inconueniens quàm quòd dicatur princeps caput pastor, & magister ecclesiæ, quæ a sanctis patribus attributa leguntur Romano pontifici. Verum hoc etiam auctoritate scripturæ firmamus, scribitur enim psal. 44. & est dictum prophetæ ad ecclesiam. Audi filia & uide,&c.ubi dicit glo. Augu. Sic alloquitur propheta reginam istam, audi filia & uide. alloquitur eam tanquam unus de patribus. Item in eodem psalm.super illud. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. dicit idem Aug.& habetur in c.quorum uices distinct.68.Sic genuerunt te apostoli,ipsi missi sunt,ipsi prædicauerũt ipsi patres,sed nunquid nobiscum corporaliter esse poterant usque in posterum. ergo illorum abscessu deserta est ecclesia? Absit. Pro patribus tuis (inquit) nati sunt tibi filii, patres missi sunt apostoli. pro apostolis, filii nati sunt tibi constituti sunt episcopi. hodie enim episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt tibi? ipsa ecclesia patres illos appellat ipsa illos genuit & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo putes te desertam quia non uides Petrũ, quia non uides Paulum, quia non uides eos per quos nata es, de prole tua tibi creuit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filii: hæc August. Ex quibus clarissime patet simul ista stare, quòd Romanus pontifex sit filius ecclesiæ quia per baptismum regeneratus & sit pater ecclesiæ ratione prælationis & auctoritatis qua præest ecclesiæ, ut rector & gubernator. unde beatus Bernardus scribens ciuitati Pisanæ in quadam epistola ita inquit de Innocentio papa. Honora tuum & uniuersitatis patrem, & ideo non mirum si sicut ratione filiationis papa ueneretur ecclesiam ut matrem, ita & ratione prælationis præferatur ecclesiæ, ut pastor gregi, ut princeps plebi & ut rector familiæ. Ad quod satis opitulatur illud quod Apostolus ad Roma.ult.salutando quosdam obseruauit filium enim quia erat in ordine ecclesiastico constitutus præponit in salutando matri suæ sic dicens. Salutate mihi Rufum electum in domino & matrem scilicet carne secundum glo.& meam scilicet beneficiis, ubi glo. ordinaria dicit, quòd apostolus filium matri præponit pro ecclesiastico officio. Quòd autem dicit aduersarius quòd papa non potest dici pater ecclesiæ, quia nullus potest dici pater suæ matris. Dicendum est quòd falsum est, diuerso enim respectu, & secundum aliam & aliam rationem potest quis dici pater alicuius & filius illius. Nam Christus dicitur & filius Dauid, & pater Dauid, & filius beatæ Virginis, & pater eius & episcopus filius est mulieris cuius est pater spiritualis. Quod autem inducitur ex Saluatore Math.23. Vnus est pater,&c. non est ad propositum: quoniam Christus in illis uerbis, ut habetur ex glo. non uult dicere nisi quòd unus sit pater principalis auctor uitæ naturæ, &

gratiæ & gloriæ utpote in quo uiuimus morimur & sumus, non auté uule negare quin aliquo modo participatione s. quadam aliquibus aliis nomen & ratio paternitatis conueniat. unde Iacobi. i. dicitur. Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est descendens a patre luminũ a quo est omnis paternitas in cœlo & in terra. Præterea scriptura sancta plena est de honore impendendo patri & matri Exod. 20. Et in proposito dicimus ꝙ papa participatione potestatis diuinæ sibi datæ a Deo est pater omnium fidelium. Non est autem hic prætereundum, ꝙ ecclesia Romana dicitur mater nostra siue fidelium. unde Mar. 7. super illud, mulier enim statim ut audiuit eos dicit gl. Mulier est mater nostra Romana ecclesia, quod ideo putamus dictum esse. Tum primo quia ecclesia Romana est magistra fidei per quam efficimur filii Dei, ut in c. omnes dist. 22. Tum secundo quia ipsa est mater omniũ ecclesiarum Christi in quibus fit generatio filiorum Dei, ut in c. non decet dist. 12. dicit Calixtus papa. Tum tertio, quia ueluti mater omnibus fidelibus subuenire solita est. unde Zephe rinus papa in decretis suis inquit. Tantam a domino huiusmodi sanctæ sedis & apostolicæ ecclesiæ fundatore beato Petro apostolorum principe accepimus fiduciam, ut pro uniuersali Christi sanguine redépta ecclesia impigro uigilemus affectu, & omnibus domino famulantibus succurramus, & cunctis pie uiuentibus opem feramus. hæc ille. Quocirca Adrianus papa in epistola quadam ad Basilium Imperatorem 4. inquit. O inquam est laudabilis & merito a cunctis mortalibus efferenda apostolica sedes, quæ semper catholicis subuenire consueuit, quæ semper gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus non cessauit. hæc ille. Propter quam rationem inquit sanctus Sixtus papa in cap. oés 2. q. 6. Omnes episcopi qui in aliquibus pulsantur, uel criminantur grauioribus causis quotiens necesse fuerit libere apostolicã sedem appellent atq; ad eam quasi ad matré confugiant. hæc ille. Et papa Zepherinus in c. ad Romanã ecclesiã. eadem causa, & q. ita ad propositum inquit. Ad Rom. ecclesiam ab omnibus maxime tamé oppressis est appellandum, & concurrendum quasi ad matrem, ut eius uberibus nutriantur & auctoritate defendantur & a suis oppressionibus releuétur, quia non potest nec debet mater obliuisci filium suum: hæc ille.

Cap. LXXXVII. In quo respondetur ad sextam rationem sumptam ex eo ꝙ ecclesia dicitur domina.

Respódés sexto arg. cap. 81.

AD sextam rationem quæ inducitur ꝙ ecclesia sit domina &c. & papa non sit dominus, sed minister, &c. Respondetur negando utranque partem antecedentis, uidelicet primo ꝙ ecclesia uniuersalis sit domina. secundo ꝙ papa non sit dominus. Et ad probationem primæ partis dicimus ꝙ auctoritas illa Trenorum. i. ad litterã intelligitur non de uniuersali ecclesia, sed de ciuitate Hierusalé & uniuersitate populi iudaici, cuius ruinam lamentabatur propheta. unde gl. ita inquit. Q uo sedet sola ciuitas Hierusalé s. populo expoliata ignominia plena inter hostes humiliata olim populosa, & inter hostes gloriosa facta quasi uidua domina gentium, regibus destituta, sacerdotibus desolata, templo prophanata, & uasorum gloria spoliata, &c. & ita secundum litteralem sensum. (Vnde sumitur efficax argum. ut ait Aug.) auctoritas illa non est ad propositũ. Ceterũ licet

cet allegorice auctoritas illa exponatur & in gl. de ecclesia uniuersali non tamen ad intelligentiam aduersariorum. uidelicet quod cõitas ecclesiæ per orbem diffusa, aut collecta synodaliter sit domina gentiũ & princeps prouinciarum. Sed exponitur & intelligitur sic, quòd ecclesia sit domina, ut gl. inter habet in prælatis, non enim ecclesia dominatur instar unius communitatis in omnibus membris suis, sed in prælatis tantum & maxime in summo prælatorum s. Rom. pont. quoniam regimen & principatus ecclesiæ nõ est institutus, ut supra declarauimus ad modum regiminis Aristocratil in quo summus principatus non est apud aliquem singulariter, sed apud multos, sed ad modum regiminis regalis in quo summus principatus est apud unum uidelicet Romanum pont. sicut habetur in c. nolite errare distin. 11. unde ipse dicitur princeps ecclesiæ, & uocatur dominus noster. Vnde synodus uniuersalis uocat Romanam ecclesiam dominam in c. oportebat dist. 79. Vbi ad sciendum quomodo Romanus pontifex possit, & debeat dici dominus ecclesiæ, & alii prælati suarum ecclesiarum & quomodo non, est notandum quòd ut tangit sanctus Thomas in 1. parte q. 96. arg. 4. dominium dupliciter accipitur. Vno modo secundum quòd opponitur seruituti, & sic dominus dicitur cui aliquis subditur ut seruus, & hoc modo prælati ecclesiæ non sunt domini aliorum. Alio modo accipitur dominium secundum quòd communiter refertur ad subiectum qualitercunq;, & sic etiam ille qui habet officium gubernandi & dirigendi liberos dominus potest dici, & hoc modo Roman. pont. cum sit uniuersalis gubernator & director omnium fidelium potest dici dominus ecclesiæ siue fidelium, & ita appellatur ab omnibus. Qui modus dominationis etiam fuisset in statu innocentiæ sicut etiam est inter angelos inter quos unus ordo dominationum uocatur. Quod uero dicunt aduersarii, quòd prælati ecclesiæ sunt dispensatores & ministri & per consequens papa & ita non domini. Dicendum est quod ista consequentia nulla est. Tum primo, quia bene stat cum dominio quod aliquis sit minister alterius superioris domini sicut de principibus tam spiritualibus quàm secularibus qui omnes sunt ministri Dei sicut Apostolus innuit ad Rom. 13. Tum secundo, quia bene stat cum dominio secundo modo dicto quod aliquis sit etiam minister eorum quorum dicitur dominus corũ utilitati seruiendo. unde papa dicitur seruus seruorũ Dei. Præterea Christus qui fuit regũ terrę princeps & dominus dominorũ ministrũ nostrũ se uocat unde Mat. 20. inquit. Filius hominis nõ uenit ministrari, sed ministrare. Stat ergo quod papa sit seruus seruorũ Dei ministerio charitatis & dominus superioritate auctoritatis. unde falsum est, quod aduersarii dicũt, quod papa sit minister ecclesiæ sicut cuius uice aut nomine agat. hoc. n. modo solius Christi minister est, & Vicarius cuius Vices agit in terris, ut in superioribus ostendimus in c. 37. Ad id quod inducitur de Bernardo lib. de consid. respõdetur quod beatus Bern. dicens quod papa non sit dominus aut Romana ecclesia domina, capit dominiũ primo modo sumptũ. uidelicet secũdũ quod opponitur seruituti, domini aũt ad seruũ, ut dicit Arist. 8. ethy. est prælatio tyranni ad subditũ. Differt autẽ tyrannus a rege, ut ibidẽ dicit philosophus, quia rex ordinat prælationem suã ad bonũ gentis cui præest propter eorũ utilitatẽ statuta, & leges faciens. Tyrannus autem dominatur ad utilitatẽ propriam, & talis dominatus nõ est, nec esse debet in ecclesia. Et iste est dominatus qui prohibetur apostolis a domino Math. 20. cum ait. Scitis quia principes gentium

dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter uos, & de tali dominio loquitur beatus Bernar. & non de dominio secundo modo dicto. Quod patet ex eo quod dicit in epistola quadam ad Eugenium papam ubi de duplici dominio præfato distinguens ita loquitur. Si Christus te misit æstimabis te non ministrari, sed ministrare uenisse, & ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoq; animam. uerus successor Pauli dicet cum Paulo: non quia dominamur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudii uestri Petri hæres audiet Petrum dicentem nec ut dominantes in clero, sed forma facti gregis. Ecce ubi primum modum dominii excludit a papa. De secundo subiungit sic parum post in eadem epistola. Terribilis prorsus terribilis est locus iste: locus in quo stas terra sancta est locus Petri locus principis apostolorũ, ubi steterunt pedes eius, locus illius quẽ constituit dominus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. hæc ille. Ecce quòd Petrum nominat dominum domus Dei, & ita patet quid dicendum sit ad dictum Bernar. Præterea ad dictum beati Bernardi respondit Archyd. super c. fideli extra de sum. tri. & fid. cat. in 6. post recitatum præfatum uerbum Bernardi in gl. dicentis, quòd Romana ecclesia non est domina dicit sic. Quicquid Bernardus dicat. ecclesia Romana in canone domina nuncupatur 79. distinct. oportebat.

Cap. LXXXVIII. In quo respondetur ad obiectionem septimam sumptam ex eo quòd ecclesia est domina rerum ecclesiasticarum.

Respõdẽs ad septimũ argu. factum c. 81.

AD septimam aduersariorum obiectionem pari modo faciliter respondetur, in qua cum dicitur quòd papa non sit dominus rerum ecclesiæ, sed ipsa ecclesiæ communitas, & per consequens quòd ecclesia ipsa superior papa dicenda ueniat. Respondetur dupliciter. Primo negando antecedens pro utraque parte. Primo uidelicet quòd papa non sit dominus rerum ecclesiæ: quoniam quemadmodum dicitur papa dominus ecclesiæ i. rector atque gubernator eius, ita debet dicit dominus rerum ecclesiæ. unde Bernardus in epistola ad Eugenium supra commemorata dicit, quòd Romanus pontifex locum tenet eius quem constituit dominus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, sed bona oblata pertinent ad ius sacerdotum iuxta c. nulli 12. q. 2. Secundo respondetur ad obiectionem præfatam negando consequentiam: quoniam dato quòd apud ecclesiam uniuersalem dominium esset rerum ecclesiasticarum & non apud papam, sed sola dispensatio. non sequitur propter hoc quòd ecclesia esset superior auctoritate prælationis aut iurisdictionis ipso Romano pont. hoc maxime considerato quòd auctoritatem ipsam dispensandi sicut & pascendi gregem ipsum dominicum non ab ecclesiæ communitate, sed ab ipso omniũ summo pastorum Christo habet dicente sibi in Petro. Pasce oues meas Ioan. ultimo alias quelibet diœcesis auctoritate maior esset suo episcopo, aut parochia suo presbytero curato, cum communitatibus ecclesiarum talia bona data sint non singulari personę. unde fundatores ecclesiarum intenderunt dominium. & proprietatem bonorum illorum oblatorum transferre primo & directe in communitatem collegii scilicet talis, uel talis ecclesiæ ad usum Deo seruientium, & non in aliquam personam singularem, ut satis

ut satis colligitur ex cap. pontifices. 12. q. 3. & si singularis persona: scilicet ut pars & membrum communitatis habeat in ipsis ius utendi ad sustentationem sui status, sed auctoritas est in ipsis pontificibus quibus claues collatæ sunt. Et ita ista consequentia nulla est apud communitatem ecclesiæ est dominium rerum ecclesiasticarum & non apud papã. ergo papa communitatem ecclesiæ auctoritas superior iurisdictionis est quam apud Romanum pontificem.

Cap. LXXXIX. In quo respondetur ad obiectionem octauam sumptam ex eo q ecclesia dicitur regina.

IAM ad obiectionem octauam sumptam ex eo q ecclesia nominatur regina, respondeamus. Dicimus autem hanc consequentiam nullam esse. ecclesia dicitur regina, ergo est maior papa auctoritate iurisdictionis. Pro quo & multis similibus est notandum, quòd cum dona gratiæ gratum facientis sint distincta a donis gratiæ gratisdatæ, dona gratiæ gratumfacientis non arguunt dona gratiæ gratisdatę. patet, quoniam ex hoc quòd aliquis est in charitate non sequitur quòd sit propheta doctor aut prelatus, neque ecõuerso ex hoc quòd quis sit propheta doctor aut prelatus sequitur quòd sit in charitate, aut ex hoc quòd quis sit excellentior doctor aut propheta, aut sublimior prelatus sequitur quòd sit in maiori charitate. Vnde sanctus Thomas in q. de ueritate. q. 12. art. 2. respondens ad auctoritatem illam Mat. 11. Non surrexit maior Ioanne Baptista nullus fuit simpliciter maior, propter hoc non sequitur quòd nullus fuerit eo excellentior in gradu prophetiæ. Et ratio sua est, quia cum prophetia non sit donum gratię gratumfacientis potest esse maior propheta qui est minor in merito. hæc sanctus Thom.

Secundo notandum, quòd nomen reginæ sicut nomẽ regis potest attribuĩ alicui dupliciter. Vno modo ratione uirtuosi regiminis quo quis bene se regit secundum illud Senecę. Si bene te rexeris es dignus nomine regis. Et Cassiodorus dicit ut Psal. 37. Reges terræ sunt qui corporibus suis diuinitatis munere dominantur. Et Gregorius in moralibus lib. 11. Qui membrorum suorum motus bene regere sciunt non immerito reges uocantur. Hoc modo esse reginam legimus attribui & animæ rationali deuote & ecclesiæ uniuersali quæ ex sanctis animabus una colligitur, ut ait Augu. super Psal. 44. Quòd uero animæ sanctæ reginæ nominentur habetur Canti. 6. ubi dicitur. Sexaginta sunt reginæ. ubi glo. interli. ait filios ex amore sponsi & regni generantes. De ecclesia uero uniuersali sequitur immediate. Vna est columba mea perfecta mea. ubi gl. Aymonis ita habet. Vna columba mea hæc una est catholica per uniuersum orbem diffusa ecclesia, quæ ex reginis & adolescentibus constat. De hoc satis quoniam quomodo uniuersalis ecclesia regina dicatur plene diximus in primo libro cap. 43. Tertio considerando quòd hoc modo esse reginam respicit dona gratiæ gratumfacientis. sicut patet ex ipso prophetico tex. qui inductus est per aduersarios. dicit enim propheta. Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate, id est auro charitatis decorata & uarietate circundata meritorum. ut inquit glo. 2. Et hinc est quòd ecclesia non dicitur regina in omnibus membris suis, sed in illis quæ in gratia & charitate sunt. Vnde glo. ord. super illud Canti. 6. Sexaginta sunt reginæ &c. dicit sic. Reginæ sunt quæ intuitu regni.

cœlestis inseruiunt. Et ideo dicuntur sexaginta, quia sola dilectione præceptorum Dei perfectionem operum habent. uel quia corpore os quinque sensus ad regulam apostolicæ doctrinæ obtemperāt. Ex quibus patet quòd ecclesia in eis membris dicetur regina quæ quinque suorum corporum sensus ad regulam diuinæ legis disponentes per gratiam & charitatem thoro æterni regis appropinquant. Ex quibus apertissime colligitur ꝙ sæpe contingit ꝙ ecclesia habet altiorem gradū auctoritatis & potestatis ecclesiasticæ in quibus non habebit præfatum nomen reginæ utpote in prælatis malis, siue male uiuentibus, male se regentibus: & èconuerso in multis erit regina in quibus nihil habet auctoritatis ecclesiasticæ, sicut patet de multis sanctis. Quo circa arguere ex hac appellatione reginæ altiorem gradum superioritatis potestatis ecclesiasticæ uidetur sapere errorem Valdensiū & Ioannis Vicleff dicentium apud solos existentes in gratia gratumfaciente esse claues ecclesiæ. Habemus ergo manifestum quòd illa cōsequentia nulla est. ecclesia est regina, ergo superior est papa auctoritate potestatis. maxime si attendamus ꝙ etsi beatissima uirgo Maria non modo hominum, sed etiam angelorum regina sit. claues tamen regni cœlorum non sunt ei datæ, sed apostolis. ut habetur extra de pœni. & remiss. c. noua. Secundo modo potest attribui ecclesiæ nomē reginæ ratione prælationis aut principatus, & hoc in prælatis, qui sunt rectores eius sicut sæpe diximus, & maxime in Romano pontifice, cui omnes primates mundi iure diuino caput inclinant, qui etiam reges dici possent. sicut supra in cap. 33. plene ostendimus secundum illud Psal. 44. Delectauerunt te filiæ regum in honore tuo, ubi dicit glo. ordina. Reges dicit apostolos, qui se & alios in uirtutibus regunt: quorum filiæ sunt omnes ecclesiæ per eos in fide genitæ. Quod uero dicunt aduersarii quòd papa non possit uocari rex, negatur tanquam falsum, quoniam sicut supra ostendimus cum rex a regendo dicatur, ut ait Isido. & Romanus ponti. rector sit uniuersalis ecclesiæ, rex conuenientissime posset appellari. Et ad probationem cum dicitur ꝙ regimen ecclesiæ respectu papæ non sit regale, sed politicum, dicimus ꝙ hoc sit falsum sicut sufficienter probatum est in superioribus maxime circa cap. 2. Et ad probationem quam inducunt ex illo Math. 20. Scitis &c. respondetur ꝙ probatio illa nullius uirtutis est, quoniam per illa uerba Christi non negatur principatum ecclesiæ esse regalem aut monarchicum, sed tantum ꝙ principatus & dominium prelatorum ecclesiæ non debeat esse more dominorum, seu principum huius mundi, qui ideo fiunt, ut dominentur in minoribus suis, prælati uero, ut seruiant. undè beatus Chriso. super illo uerbo ita ait. Principes mundi ideo fiunt ut dominarentur minoribus suis, principes autem ecclesiæ ut seruiant minoribus suis, ut suas utilitates negligant & illorum procurent. hæc Chryso. Quòd uero ultimo inducunt, ꝙ Christus fugit ne facerent eum regem. insipienter inductum est nec facit ad propositum, quoniam ideo fugisse dicitur ne facerent eum regem, ut inquit sanctus Tho. super Ioan. Primo quia cum ipse esset uere rex derogasset suæ dignitati si regnū ab hominibus recepisset, qui sic rex erat, ut eius participatione reges omnes essent Prouerbio. 8. Per me reges regnant. Secundo quia præiudicasset suæ doctrinæ si claritatem & robur ab hominibus accepisset, sic enim operabatur & docebat, ut totum diuinæ uirtuti ascriberetur & non fauori humano Ioan. 5. Claritatem ab hominibus non accipio. Tertio ut erudiret nos mundanas contemnere dignitates Io-

annis decimotertio. Exemplum enim dedi uobis &c. Ecclesiastici. 7. Noli quærere ab homine ducatum. Et ita patet quod auctoritas illa nullo modo probat propositum aduersariorum.

Cap. XC. In quo respondetur ad obiectionem nonam sumptam ex eo quòd ecclesia dicitur sponsa Christi.

NONO arguebatur per aduersarios ex eo quod ecclesia dicitur sponsa Christi papa autem non sponsus, sed paranymphus &c. Ad hanc obiectionem respondentes dicimus quòd ratio illa in nullo fauet proposito aduersariorum. Quod ex multis colligitur. Primo, quia ecclesia quæ dicitur sponsa Christi non dicit aliquam personam aut communitatem secluso papa cum dicat Bernardus super Cant. homelia. 79. Quid sponsa nisi congregatio iustorum, quid ipsa nisi generatio quærentium dominum quærentium faciem sponsi? Secundo, quia ratio & dignitas sponsæ conuenit etiã personæ papę si sit in amore Christi. Vnde ipse Bernardus in sermone de nuptiis dicit sic. Sponsa Christi ipsi nos sumus & omnes simul una spõsa & animæ singulorũ singulæ sponsæ, hæc Bernardus. Tertio, quia ratio huius sponsalitatis non arguit superioritatem auctoritatis de qua loquimur. de quo rationem suprà assignauimus in superiori cap. quia hoc respicit gratiam gratumfacientem cum sponsa dicatur propter dilectionem. Ait enim Bernardus super Canti. homelia. 77. Ecclesia dicitur ciuitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oues propter mansuetudinem superioritas autem & excellentia auctoritatis innititur dono gratiæ gratisdatæ. Et inde est quòd ecclesia dicitur sponsa Christi in omnibus membris, quæ in Christi amore florẽt. id est in his membris quæ numero & merito sunt Christi membra, unde glo. super illud. 2. Corinth. 11. Despondi enim uos uni uiro &c. dicit, quòd ecclesia in omnibus ueris membris uirginitatem mentis seruat, etsi non corporis, & infra. Singulariter dicit uirginem, quia omnes sunt una uirgo propter fidei integræ unitatem solidæ spei sinceræ charitatis. Virgo sunt, quia a prauitate erroris & ab opere malo incontaminati. casta, quia non habent ęstum malæ uoluntatis, hæc glo. Et nihilominus ecclesia non habet in omnibus istis potestatem clauium. quinimmo habet in multis quæ non sunt inter membra uera sponsæ, sed odientium Deum. Esse ergo sponsam Christi licet arguat fidem per dilectionem operantem. Oseæ secundo. Sponsabo te mihi in fide. non tamen arguit auctoritatem iurisdictionis, aut superioritatem principatus. alias personæ sanctæ, quæ sponsæ Christi sunt & uocantur superiores essent, & potestate & auctoritate iudicii multis prælatis qui sunt peccatores, quod est error Valdensium. consequentia ergo illa aduersariorum, uniuersalis ecclesia est sponsa Christi. ergo superior est auctoritate Romano pontifice nulla est. unde etiam tempore ueteris legis ecclesia dicebatur sponsa, sicut in multis locis habetur in libro Canticorum, & nihilominus Moyses superior erat auctoritate, tota illa multitudine ecclesiæ, sicut in superioribus sæpenumero inductum est. Et cum dicitur, quòd maior sit potestas regiminis in

sponsa quàm in paranympho, dicimus ꝙ uerum est nisi sponsus aliter ordinauerit sicut factum est hic, quoniam ipse sponsus scilicet Christus regimen & gubernationem ac curam sponsæ suæ Romano pontifice tanquam Vicario suo plene commisit. Præterea falsum dicunt quòd papa non sit etiam sponsus ecclesiæ, sicut superius ostendimus cap. 27. Vnde Bonifacius in cap. quoniam. extra de immunita. eccl. libro 6. dicit. Nos iustitiam nostram & ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere.

Cap. XCI. In quo respondetur ad obiectionem decimam sumptam ex eo ꝙ ecclesia errare non possit.

DECIMO obiiciebatur sic. Ecclesia non potest errare & per consequens indeuiabilis est, papa errare potest & deuiare a rectitudine tam morum quàm fidei. ergo ecclesia est superior potestate &c. Ad hoc respondentes dicimus quòd ratio ista nulla est, quoniam hæc argumentatio nullas uires habet, ecclesia uniuersalis errare non potest in fide, papa uero sic. ergo ecclesia est maior & superior potestate clauium aut auctoritate iurisdictionis Romano pontifice. Cum enim ut supra diximus ista pertineant ad diuersas gratias gratisdatis, distincta namq; est gratia confirmationis a gratia potestatis clauium, una nō arguit aliam ut est manifestum. alias quicunque esset in gratia confirmatus non modo claues haberet, sed etiam in clauium potestate superior esset omni nō confirmato, quod absurdum est & a fide uniuersalis ecclesiæ alienum. unde istę consequētiæ aduersariorum non modo sunt nullæ, sed etiam uidentur sapere errorem. De hoc autem quod dictum est quòd ecclesia uniuersalis errare non potest in fide licet plura dixerimus libro primo cap. 18. ubi apertissime declarauimus quòd in ecclesia Dei fides sanctitas doctrina prelatio & sacramenta usque in finem essent duratura, nihilominus duximus hoc hic explicandum, qualiter iuxta sanctorum patrum doctrinam sit accipiendum, quòd ecclesia errare possit. Dicimus autem hoc quòd in ecclesia in fide & moribus errare non possit sic accipiendum esse, quòd Deus ita assistet ecclesiæ usque ad consummationē seculi ut nunquam uera fides deficiat in ea, nullum enim erit tempus usque ad finem seculi, in quo non sint aliqui, etsi non omnes qui ueram fidem per dilectionem etiam operantem siue charitatem formatā non habeant. Quod pulchre ostendit Augu. super illud. Psal. 108. Ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquaq; sic dicens. Ex ore suo quippe dicit quòd unitas corporis loquitur in cuius membris etiam illi deputantur qui defecerunt ad horam negando, sed penitendo postea reuixerunt, uel etiam martyrii quam perdiderunt palmam reparata confessione sumpserunt. Non igitur usque ualde, sed sicut quidam codices habent non usquequaq;, hoc enim non omnimode ex ore Petri, in quo erat typus ecclesiæ uerbum ueritatis ablatum est, qui etsi ad horam negauit timore turbatus, tamen flendo est reparatus & confitendo postea est coronatus. totum itaque corpus Christi loquitur. i. ecclesiæ sanctę uniuersitas in quo toto corpore, siue quia negātibus plurimis remanserunt fortes, qui usq; ad mortem pro ueritate certamen certarēt, siue quia ex his qui negauerunt multi reparati sunt, non est ablatum ex ore eius uerbum ueritatis usque ualde, hæc Augustinus. De isto etiam ecclesiæ priuilegio habetur Math. 16. ubi Petro Christus ita ait. Tu es Petrus & super hāc

petram

petram ædificabo ecclesiam meam,& portæ inferi non præualebunt aduersus eam. glo.interli. non separabunt eam a charitate mea & fide.Super quo uerbo dominus Archydiaconus in cap.ita dominus.distinctione 19.ita dicit. Portæ inferi peccata mortalia sunt quæ dicuntur portæ inferi, quia per ea paratus est aditus ad inferos,hæc autem non præualebunt contra ecclesiam sic ꝙ non sint aliqui boni semper in ecclesia.Vel portæ inferi dicuntur hæreses & scisinata, quia per ea similiter est aditus ad infernum. hæc similiter nunquam contra ecclesiam præualebunt sic ut eam totaliter polluant.24. q. 1. a recta,hæc ille. Item eodem modo exponit sanctus Thomas in 4. distin. 6. loquendo de beptismo utrum possit dari ab hæreticis,dicens sic: Non requiritur fides personalis offerentium ad baptismum nec alicuius personæ determinate, sed solum fides ecclesiæ militantis,quam non est possibile deficere totaliter Deo ordinante. qui dicit Mat. ultimo.Ego autem uobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Cap. XCII. In quo respondetur ad ultimam obiectionem sua datam super illo Math. 18. Dic ecclesiæ.

RELIQVVM iam restat ut ultimæ satisfaciamus obiectioni, qua aduersarii potissime fulciuntur ad probandum quòd uniuersalis ecclesia auctoritate & iurisdictionis potestate superior sit Romano pontifice dicentes quòd ad uniuersalem ecclesiam sicut ad supremum iudicem quilibet fidelis, & per consequens etiam Romanus pontifex remittatur. Ad quam respondētes dicimus hoc esse falsum. Et ad probationē quam faciunt ex illo Math.18. Dic ecclesiæ, dicimus quòd auctoritas bene & catholice intellecta non facit pro aduersariis. Alia nēpe est intelligentia præfatæ auctoritatis iuxta sanctorum & clarissimorum doctorum interpretationem quàm aduersarii prætendant. Pro cuius declaratione, quia hac auctoritate maxime aduersarii armantur est notandum quòd illud dictum Christi. Dic ecclesiæ exponitur dupliciter iuxta glo. ordina. & expositores. Primo sic,Dic ecclesiæ. scilicet tanquam iudici denunciando illi peccatum fratris corrigendum. Alio modo: dic ecclesiæ,id est coram ecclesia obiurga fratrē delinquentem,ut iuxta Hierony. in glo.ordi.detestationi eum habeat,& qui non potuit pudore saluari saluetur opprobriis. Quo notato faciemus quinque. In primo probabimus ꝙ exponēdo illud.Dic ecclesiæ,tanquam iudici secundum litteralem sensum, ex quo solo efficax argumentum sumitur, ut inquit tam Dyon.quàm Augu.per ecclesiam non possit uniuersalis ecclesia per orbem diffusa intelligi. Secundo probabimus quòd etiam per hoc, dic ecclesiæ,non possit intelligi ad litteram uniuersalis ecclesia cōcilialiter congregata.Tertio probabimus quòd per ecclesiam in prædicta auctoritate intelligatur prælatus. Quarto soluemus rationes inductas contra hanc intelligentiam. Quinto ostendemus etiam quòd ex sensu litterali non possit recte intelligi illud. dic ecclesiæ, iuxta secundam expositionem qua exponitur, id est coram ecclesia obiurga de uniuersali ecclesia,siue dispersa,siue sy nodaliter collecta. Pro deductione omnium istorum præsupponimus cum omnibus sacræ scripturæ doctoribus,quòd correctio fraterna de qua in præfata auctoritate datur generalis doctrina cadit sub præcepto. Qua supposi-

Quinq; facturus est principaliter

Circa primū principale.

ctione posita sit ista conclusio. Per ecclesiam cui tanquam iudici præcipitur denunciari cuiuslibet fratris delinquentis peccatum, ex sensu litterali aut ex intentione Christi non potest accipi ecclesia uniuersalis per orbem diffusa. Ista conclusio probatur multipliciter. Et primo sic. Nullus potest intelligi recte assignatus ab aliquo sapiente iudex in causa aliqua cui est impossibile uel quasi denunciari culpam delinquentis, hoc est manifestum; quia talis frustra assignaretur iudex. sed ecclesiæ uniuersali disperse per orbem non est quasi possibile simul denunciari posse peccatum cuiuslibet fratris delinquentis, ut patet. ergo ex intentione Christi sapientissimi legislatoris non potest intelligi per ecclesiam cui tanquam iudici est denuncianda culpa delinquentis fratris uniuersalis ecclesia per orbem dispersa, consequentia est bona. Et confirmatur. Tum quia de ratione legis est quòd sit possibilis, ut in cap. erit autem lex. dist. inst. 4. dicit Isido. Tum quia ut inquit Hiero. anathema sit qui Deum dixerit aliquid impossibile præcepisse. Secundo sic. ad nullum tanquam ad iudicem sapiens legislator remittit aliquem qui non potest exire in actum siue exercitium iudicii audiendo querelas, condemnando reum, uel absoluendo innocentem, & ista uidetur manifesta. sed uniuersalis ecclesia per orbem diffusa non potest exire in actũ iudicii ut est manifestum, cum non esset in uno loco congregata. ergo legislator Christus nullum hominem remittit ad ecclesiam uniuersalem quæ per orbem diffusa est tanquam ad iudicem. ergo per ecclesiam de qua Christus in euangelio inquit. Dic ecclesiæ, non potest uere intelligi ecclesia uniuersalis. Tertio sic. uniuersali ecclesiæ quæ dicitur collectio omnium fidelium nec in singulis membris nec in omnibus simul ut uniuersitati sunt datæ claues regni cœlorum aut potestas ecclesiasticæ iurisdictionis, ut manifesta luce ostendimus in superioribus. ergo ad eam ut ad iudicem nullus remittitur, consequentia est bona: quoniam cuius non est potentia eius non est actus, ut dicit Aristoteles in lib. de somno & uigilia. ergo falsum est quòd ad ecclesiam uniuersalem remittatur quis sicut ad iudicem. Et hæc de primo. Secundum uero quòd per ecclesiam ad quam ut ad iudicem dicitur remitti quilibet fidelis non possit intelligi ex intentione Christi siue ex sensu litterali uniuersalis ecclesia conciliariter congregata probatur ex multiplici capite. Primo ex raritate congregationis uniuersalis ecclesiæ, plane non est credendum quòd sapientissimus legislator cum uniuersalem iudicem & supremum poneret in ecclesia ad correctionem peccatorum quæ quotidie est necessaria in ecclesia quem rarissime contingit pro tribunali sedere, & maximè eum qui per plures annos non conueniret ad iudicium. patet: quia sic periret iustitia, & correctio non haberet locum. sed uniuersalis ecclesia raro congregatur, immo quandoque plus quam per centum annos non fuit celebratum uniuersale concilium. ergo nullo modo credendum est quòd ad talem iudicem sapientissimus Christus fideles suos remitti uoluit siue ordinauerit. Secundo idem ostenditur, dato etiam quòd semper celebraretur synodus aliqua uniuersalis ex eo quòd insupportabili onere grauaretur populus Christianus si pro adimplendo præcepto de correctione fraterna tenerentur fideles uenire ad ecclesiam uniuersalem actu congregatam. Planæ huius insupportabilis grauitas repugnat suauitati legis Christi, iuxta illud Deuteronomii 30. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non est

Circa secundum principale

est

est supra nec procul positum in cœlo situm ut possis dicere. quis nostrum ad cœlum ualet conscendere, ut deferat illud ad nos ut audiamus, & opere compleamus? nec trans mare positum ut causeris, & dicas, quis ex nobis transmeare poterit, & illud ad nos deferre, ut possimus audire, & facere quod præceptum est. sed iuxta est ualde, gloss. interli. mandata Dei temperata, & moderata sunt humanis uiribus, & Math. 11. dicit ipse legislator. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. plane non leue esset præceptum diuinę legis de correctione fraterna, si fidelis quilibet illud adimpleturus ad uniuersale concilium actu existens uenire teneretur. Ad quod proculdubio obnoxius esset uenire si per ecclesiam cui denunciandum est peccatum fratris delinquentis uniuersalis ecclesia, synodaliter congregata ex Christi intentione ueniret intelligenda. Quocirca manifestum uidetur non esse de intentione legislatoris Christi per ecclesiam in prædicta auctoritate designare uniuersalem ecclesiam siue dispersam siue congregatam. Quæ ratio maximè ex eo loco diuinæ legis confirmatur, ubi Deutero. 17. iudices in portis esse, & primi Machabeorum decimo quarto in plateis sedere leguntur, quod ideo a Deo stabilitum esse creditur, ut administratores iustitiæ in promptu, & sine difficultate haberi possent: quod de conciliis uniuersalibus contingere non potest. Tertio sic, ita fœminæ tenentur ad correctionem fraternam quemadmodum uiri, & pauperes sicut & diuites, hoc est manifestum. sed fœminæ non remittuntur ad ecclesiam nec dispersam nec synodaliter congregatam tanquam ad iudicem cui proximi denuncianda est culpa commissa ut patet. ergo sequitur quòd per illud, dic ecclesiæ, non potest recte accipi uniuersalis ecclesia etiam actu synodaliter congregata, consequentia est bona, quia alias fœminæ tenerentur ire ad uniuersalia concilia ad denunciandum delinquentium uirorum aut mulierum culpas, & maleficia, & ita omnes fideles siue pauperes siue diuites, quod est absurdum. Quarto nihil quod est impeditiuum iustitiæ perturbatiuum pacis ecclesiæ occasio multorum scismatum, & per quod ratione appellationum quæ interuenirent in omni causa ad illum supremum iudicem, uacarent omnia tribunalia prælatorum, & iudicum, creditur institutum a Christo qui est rex iustitiæ, & pacis amator, sed omnia ista mala sequerentur si ecclesia uniuersalis congregata esset instituta iudex ad quem cum frater delinquens non audiret fratrem corripientem esset recurrendum. patet quia ecclesia raro congregatur, & congregata non diu manet congregata nec ad eam possent omnes fideles orbis concurrere nec etiam mittere denunciationis omnium similium fratrum delinquentium, ut patet. ergo nullo modo est dicendum quòd per ecclesiam intelligatur uniuersalis ecclesia congregata etiam cum dicitur, dic ecclesiæ. Quinto sic. concilium uniuersale institutionem, & robur auctoritatis accipit a papa, ut distinct. 17. per totum, & extra de elect. cap. significasti. ergo sequitur quòd papa non remittatur ad concilium uniuersale sicut ad iudicem suum superiorem. consequentia est manifesta. Sexto arguitur sic. concilia, uniuersalia sunt humana institutione introducta, ut patet in capit. canones distinctio. 16. & 17. ergo non potest recte intelligi secundum sensum litteralem per ecclesiam cum dicitur. dic ecclesiæ, concilium uniuersale. patet consequentia, quia alias institutio, & celebratio concilii uniuersalis esset diuina lege & non tantum huma-

na institutione, quod non uidetur. ergo manifestum est quòd per eccle-
siam cui tanquam iudici peccatum delinquẽtis fratris incorrigibilis denun-
ciandum est ex sensu litterali & ex intentione legislatoris Christi non pos-
set intelligi ecclesia uniuersalis nec dispersa per orbem nec synodaliter con
gregata. Et hæc de secundo. Tertium uero quòd scilicet per ecclesiam cui
tanquam iudici denunciandum est peccatum fratris delinquentis & incor-
rigibilis ex intentione Christi sit intelligendus prælatus multiplici sancto-
rum & clarissimorum doctorum testimonio probatur. Primo ex eo arguitur
manifestè quòd Christus nõ uniuersali ecclesiæ dispersę, aut cõgregatę, sed
apostolis & eorum successoribus ecclesiæ prælatis ait. Amẽ dico uobis quæ-
cunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo. ubi glo. Hierony-
mi dicit sic. hic potestatem tribuit apostolis. prælati ergo uniuersitatũ sunt
ad quos tanquam ad iudices fideles remittuntur & non ipsę uniuersitates.
Secundo hoc idem ostenditur auctoritate beati Chrysostomi qui super Ma
thęum, ut habetur in glo. continua exponit sic. dic ecclesiæ, id est his qui ec
clesiæ præsunt. Tertio idem arguitur ex gl. decreti in cap. si peccauit 2. q. 1.
quæ ita habet. dic ecclesiæ. i. sacerdoti. Quarto idem ostenditur ex interpre-
tatione apostolicæ sedis in cap. nouit. extra de iudic. ubi ly dic ecclesiæ, de
pastore & rectore uniuersalis ecclesiæ interpretatur & exponit. Quinto
ostenditur auctoritate beati Thomæ, qui tam in 4. distin. 19. quam in 2. 2. q.
24. in materia de correctione fraterna exponit. dic ecclesiæ. i. prælato in iu
dicio præsidenti. Sexto auctoritate eiusdem sancti Tho. in tractatu de cor-
rectione fraterna ubi exponens prædictam auctoritatem dicit. præceptum
de correctione potest pertinere ad omnes, uel ad prælatos, si ad omnes com
muniter, tunc ecclesia non uocatur hic congregatio, sed prelatus: si istud
pertineat ad prælatos, tunc sensus est. dic ecclesię. i. congregationi fidelium
& debet coram ea excommunicari, ut sit diuisus ab ecclesia per sententiam
excommunicationis, & donec redeat ab ecclesia debet uitari & haberi sicut
ethnicus & publicanus. Ad idem est sanctus Thomas super Math. sic dicẽs.
dic ecclesię, id est toti multitudini, ut confundatur & qui noluit sine confu-
sione corripi cum confusione corripiatur. est enim confusio adducens gra-
tiam. Vel dic ecclesiæ. id est iudicibus, ut corrigatur, secundum illud Deute-
ronomii 22. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum apprehen
det eum & adducet ad seniores ciuitatis. Hęc sanctus Tho. Septimo patet
ex sententia domini Altisiodoren. in sum. sua. 3. lib. 31. rubrica. quomodo sit
intelligendum hoc præceptum si peccauerit in te frater &c. cuius sententia
est eadem quasi in forma cum illa quæ posita est sancti Tho. in tractatu de
correctione fraterna. Octauo ad idem est sententia domini Hug. Cardinalis
primi postillatoris Bibliæ, qui iuxta duas glo. quæ ponuntur in gl. continua.
quarum una dicit, dic ecclesiæ, id est his qui ecclesiæ pręsident. & alia dicit,
dic ecclesię, id est toti ecclesiæ, ut maiorem erubescentiam habeat. dicit su-
per Math. sic. Si priuata persona corripit sic exponendum est, dic ecclesię, id
est coram pręlato ecclesiæ eum conuince per testes quos noluit audire cor
ripientes. & hoc iuxta primam glo. Si uero pręlatus corripit sensus est, dic
ecclesiæ. i. coram ecclesia. s. congregatione fidelium excõmunica. Nono ean
dem sentẽtiam quasi formaliter prosequitur uenerabilis magister Nicolaus
Gorra super Mat. Decimo ad idem est dominus Albertus Magnus qui super
Math. ita exponit: dic ecclesiæ, id est prælato in conuentu siue in synodo, &
si ec-

Circa tertium principale

si ecclesiam non audierit,ut secundum arbitrium prælati corrigatur, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Hæc Albertus. Vndecimo ad idem est communis postillator Magister Nicolaus de Lyra, qui super Math. ita exponit,dic ecclesiæ, id est prælato. Duodecimo confirmatur ex practica, & consuetudine obseruata a sanctis patribus, & ab uniuersitate fidelium ab ipso nascentis ecclesiæ exordio. Manifestum est autem quòd practica obseruata in ecclesia Dei circa obseruantiam præcepti siue ordinis de correctione fraterna semper fuit, & est denunciare prælato, & non uniuersali ecclesiæ siue dispersæ siue congregatæ fratris delinquentis peccatum. Cum ergo consuetudo obseruantiæ sit interpres legis, ut dicit Augustinus libro de mendacio, ex factis sanctorum colligemus quid in scripturis sentire debeamus. Manifestum est quòd uerus, & proprius ac principalis intellectus præfatæ auctoritatis sit, ut per ly ecclesiam, cui tanquam iudici denunciatio fienda est siue ad quem fidelis remittitur, prælatus ecclesiæ intelligi debeat siue accipiendus ueniat, & non uniuersalis ecclesia aut per orbem dispersa aut synodaliter congregata. Quibus testimoniis consideratis ualde ridiculum est & satis abominabile quòd aduersarii contemptis tantorum sanctorum ac patrum,& doctorum testimoniis, & assertionibus præsumant sacram scripturam ad propriam uoluntatem exponere,similes illis de quibus Clemens papa in cap. perlatum distinct.37. loquitur dicens. Perlatum nobis est quòd quidam in partibus uestris commorantes sanis doctrinis aduersantur, & prout uidetur non secundum traditionem patrum sed iuxta suum sensum docere uidentur. Et hoc tantum dictum sit de tertio articulo. Quarto restat respondere ad rationes aduersariorum. Ad primam cum dicitur quòd non possit per ecclesiam intelligi prælatus quia Christus loquebatur Petro qui futurus erat prælatus ecclesiæ, & nullus ad se remittatur,per consequens non prælatus sed uniuersalis ecclesia sit intelligenda eo modo quo haberi potest,scilicet synodaliter. Ad hoc respondetur quòd ratio non militat.Pro quo primo notandum quòd hæc doctrina de correctione fraterna data a Christo generalis est omnes fideles respiciens,& non solum Petrum licet ad ipsum specialiter in figura totius ecclesiæ directus sit sermo in signum principatus sui ad quem a domino erat electus, & ita legislator Christus tam subditos quàm prælatos ad obseruantiam huius præcepti astringere uoluit. Verum ut superius commemorauimus ex sententia beati Thomæ in tractatu de correctione fraterna, & Hugonis cardinalis & magistri Nicolai Gorrę super Matheum exponentis iuxta duas gloss. ordina.dupliciter hunc tex. Alia est intelligentia huius nominis ecclesia, quando priuata persona corrigit, & alia quando publica persona. Nam si priuata persona corrigit tunc est sensus. dic ecclesiæ, id est prælato. Si uero publica persona corrigit tunc est sensus. dic ecclesiæ, id est coram congregatione siue multitudine eum obiurga, ut sic quemadmodum ait gloss.maiorem erubescentiam patiatur. Vel coram congregatione eum excommunica, ut sic quemadmodum ait Hieronymus in gloss. multorum detestationi habitus opprobriis saluetur qui pudore saluari non potuit.Sed cum hoc modo prælatum remitti ad ecclesiam non sit remitti ad superiorem siue ad iudicem ut de se patet:manifestum est quòd ratio aduersariorum non probat intentum.Præterea secundo ratio præfata non procedit,

Circa quartum principale in quo respondetur ad probationes, 11. argumenti facti ca.81. Ad primā

quoniam non uidetur inconueniens quòd quis remittatur ad seipsum secundum aliam & aliam habitudinem consideratum. Prælatus enim ut ait sanctus Thomas in 4.dist.19.q.2.dupliciter potest considerari: aut secundum quòd in iudicio præsidet, & sic dicere prælato inquit est dicere ecclesiæ per quem modum persona in prælatione constituta potest a se ut est priuata persona remitti ad se ut est persona publica,& tunc dicere ecclesiæ nihil aliud est quàm exire in actum iudicii puniendo, & corrigendo fratrem delinquentem qui denunciatus est.Quod beatus Grego.scribens Ioanni patriarchæ Constantinopolitano super usurpatione uocabuli uniuersalis,epistola 265.ostendit sic dicens. Nos quidem in quibus talis tantaque per ausum nepharium culpa committitur:seruamus quod præcipit ueritas dicés. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum: si autem te non audierit dic ecclesiæ:si uero ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.Ego itaque per responsales meos semel & his uerbis humilibus hoc quod in tota ecclesia peccatur corripere studui:per me scribo quicquid humiliter facere debui non omisi,si in mea correctione despiciar restat ut ecclesiam debeam adhibere,hæc Gregorius.Vbi ecclesiam adire uel adhibere est censuram ecclesiasticam apponere sicut fecit non conuocando super hoc aliquod concilium uniuersale. Præterea hoc modo ait. Nicolaus papa in c.præcipue:ubi ita dicit regi Lothario.Ceterum caue ne quando nobis secundum præceptum domini duos uel tres testes adhibeamus,immo uero hoc sanctæ ecclesiæ dicamus,& quod non optamus de cetero cunctis fias ethnicus,& publicanus.Quod uero ibi per ecclesiam non alium iudicem quàm seipsum intelligat patet ex gloss.quæ in eo loco dicit sic.Ergo in causa denunciationis idem potest esse iudex & accusator, & testis,ut extra de simo.c.licet.Ceterum ipse beatus Petrus in cuius persona hæc constitutio diuina primo emanauit absque hoc quòd uniuersali ecclesiæ diceret aut uniuersale concilium conuocaret Ananiam, & Saphirã eius cõiugem sua auctoritate damnauit. Nimium plane foret periculosum asserere beatum petrum aliosque sanctos patres trangressores eius diuini præcepti qui ad correctionem peccatorum absque denunciando uniuersali ecclesiæ sua auctoritate processerunt. Et hæc ad primam rationem dixisse sufficiat. Ad secundam rationem cum dicit quòd nomen ecclesiæ sit collectiuum.& per consequens non possit per ecclesiam intelligi prælatus sed uniuersitas.Respondetur quòd ratio nulla est: quoniam sæpe nomine communitatis exprimitur, & intelligitur prælatus aut princeps eius. Et ratio est:quoniam ut inquit Arist.9. Ethi. Ciuitas est id quod principalissimum est in ea.unde quod facit prælatus dicitur facere ecclesia. Adde quòd intelligitur de ea parte uniuersitatis quæ iurisdictionis est capax non de tota quæ non est capax.Vel de tota ecclesia intelligi potest prout ecclesiæ sententia iudicis denunciatur. Ad tertiam rationem cum dicit quòd gl.ordina.dicit dic ecclesiæ, id est toti ecclesiæ, & ita per consequens non est exponenda illa littera de prælato. respondetur quòd ratio illa non militat. quoniam glo.illa non fauet proposito aduersariorum sed magis eorum intentionem infirmat.si glo.illa more eorum qui non contentionibus, sed inquisitioni ueritatis student integre legatur.glossa autem illa ita habet:Dic toti ecclesiæ, ut maiorem erubescentiam patiatur. in quo uerbo nihil auctoritatis attribuitur communitati. unde sequitur in gloss.hæc omnia sequatur

Ad secundam

Ad tertiã

quatur

quatur excommunicatio quæ fieri debet per os ecclesiæ,id est per sacerdotem. ubi manifeste innuit quòd non per communitatem illam ecclesiæ sed apud prælatum qui os, & uertex est ecclesiæ sit auctoritas iudicii, quo excommunicante siue puniente tota illa ecclesia quæ est corpus eius cuius assensu,& approbatione in contumacem fratrem in condemnationis sententiam profert dicitur cum eo operari. Et ita patet quòd illa glo. non intendit dicere quòd quando communitati ecclesiæ præcipitur denunciari fratris delinquentis peccatum quòd denuncietur ei sicut iudici: sed sicut coram quo frater ipse contumax obiurgandus aut excommunicandus ueniret. Qualiter autem etiam intelligenda ueniat illa totalitas ecclesiæ de qua glo. loquitur cum ait. dic ecclesiæ,id est toti ecclesiæ infra in sequenti articulo explicabimus,& hæc de quarto. Restat iam declarare quod quinto loco polliciti sumus, uidelicet probare quòd ex sensu litterali illud. dic ecclesiæ,id est coram ecclesia obiurga siue excommunica non posset recte intelligi de uniuersali ecclesia dispersa siue synodaliter collecta. Quod faciliter ostendimus ex rationibus quibus probauimus quòd etiam iuxta expositionem primam non poterat uniuersalis ecclesia accipi nomine ecclesiæ cum dicitur. dic ecclesiæ, scilicet iudici. Primo ex impossibilitate denunciandi aut obiurgandi aliquem coram tota uniuersali ecclesia per orbem dispersa, fidelibus enim in diuersis regionibus orbis constitutis hæc adimplere non esset possibile. Secundo ex insupportabili onere quo grauaretur populus Christianus,& etiam prælatorum si fideles tenerentur uenire ad uniuersalem ecclesiam congregatam ad obiurgandum quemlibet fratrem contumacem aut singuli prælati ad excommunicandum illum. plane hoc esset insupportabile onus quod non patitur suauitas diuinæ legis, sicut superius ostendimus. Tertio: quia ex huiusmodi difficultatibus periret iustitia,& omnis disciplina a Repu. Christiana cum raro posset fieri iustitiæ executio. non est ergo illa totalitas ecclesiæ de qua dicitur in glossa præfata dic ecclesiæ,accipienda ita uniuersaliter, ut per totam ecclesiam intelligatur uniuersalis ecclesia, sed est accipienda stricte,uidelicet quandoque pro collegio dominorum cardinalium, quandoque pro congregatione una conuentuali,quandoque pro congregatione unius communitatis unius populi,quandoque pro congregatione unius familiæ. Hoc enim modo accommodata locutione sæpenumero sacra scriptura utitur nomine uniuersalis ecclesiæ sicut Apostolus ad Roma. ultimo ait. Salutat uos Gaius hospes meus, & uniuersa ecclesia ubi per uniuersam ecclesiam solam prouinciam Gai intelligit ut ait gloss. Et hoc de quinto articulo, & per consequens de responsione ad auctoritatem illam Mathæi xviii. capit. Dic ecclesiæ.

Circa quintum principale.

Cap. XCIII. Quòd Romanus pontifex extra casum hæresis non habeat iudicem superiorem in terris.

DELVCIDATA in superioribus amplitudine, & superioritate primatus Romani pontificis luce clarissima patet. ꝙ Romanus pontifex uerus,& indubitatus extra casum heresis pro sublimitate principatus sui judicē non habeat superiorē in terris. Quæ conclusio licet in superioribus apertissima sequela habeatur, nihilominus pro ampliori illustra

tione ueritatis multiplici uia demonstratur. Primo rationibus. Secundo sacræ scripturæ exemplis. Tertio sanctorum patrum auctoritatibus. Quarto sacrorum conciliorum diffinitionibus. Quinto apostolicæ sedis determinatione. Sexto clarissimorum doctorum sententia, & doctrina. Circa primam uiam, scilicet per rationes arguitur. Primo sic, ille qui est omnibus superior in terris non habet iudicem superiorem in terris. ista propositio patet, quoniam idem non potest respectu eiusdem uel eorundem esse superior, & inferior: sed papa est omnibus catholicis superior cum sit princeps, & caput eorum ut superius tam ex sacræ scripturæ quàm sanctorum patrum testimoniis ostendimus. ergo Romanus pontifex non habet iudicem superiorem in terris. unde gloss. super illud psal. Tibi soli peccaui, inquit: quia rex est omnibus superior. ideo a Deo tantum qui est maior eo puniendus est si quis de populo errauerit, & Deo peccat, & regi. Rex uero non habet hominem qui sua facta diiudicet. & ideo ait. tibi soli peccaui. Confirmatur ista ratio. Si papa haberet iudicem aliquem in terris extra casum hæresis superiorem: iste iudex aut esset potestas alicuius secularis principis aut potestas concilii uniuersalis, hoc uidetur manifestum a sufficienti diuisione. Non potestas secularis, ut patet & aperta luce colligitur ex multis, ut ex cap. suscipitis. distinctione decima quod est Gregorii Nazanzeni, & ex capit. diffinimus, quod est octauæ synodi uniuersalis. Non potest etiam dici quòd sit concilium uniuersale. patet: quia concilium non habet potestatem superiorem potestate papæ: immo potestas ipsa concilii cum sit a potestate papæ, ut in capitulo significasti, de electione. & distinctione decimaseptima per totum. una & eadem est cum illa unitate ordinis, & dependentiæ sicut de lumine stellarum, & solis dicimus, & per consequens concilium uniuersale non potest. esse iudex papæ ueri, & indubitati cum ordinarium iudicium non habeat fieri nisi per potestatem superiorem, ut in cap. inferior distinct. 21. Secundo sic. in omnibus ordinatis adinuicem prima agunt in posteriora, & non econuerso, sed Romanus pontifex est primus, & supremus in toto ordine ecclesiæ. ergo ipsius est corrigere, & iudicare alios, & non econuerso. consequentia est manifesta, & antecedens patet. Tertio sic confirmando eandem rationem. sicut in ordine totius uniuersitatis quo ad esse naturæ in genere mobilium, & mouentium non est processus in infinitum nec ordinis retrogradatio, ut Aristoteles demonstrat sed deuenitur ad unum quod sic omnia mouet quòd a nullo alio mouetur in genere illo. ita uidetur dicendum in ordine uniuersitatis ecclesiasticæ quo ad esse disciplin[illegible] quòd sit deueniendum ad unum qui omnes habet corrigere, & iudicare, & a nemine in ordine isto iudicari possit. consequentia uidetur nota: quoniam non minus resplendet pulchritudo diuinæ sapientiæ in genere gratiæ quàm in genere naturæ. hic autem est Romanus pontifex qui in genere rectorum, & iudicum habet supremum locum utpote totius ecclesiæ princeps, & rector. ergo in terris non habet iudicem superiorem. Quarto sic ille cuius auctoritate maius non est iudicium in terris non habet iudicem superiorem in terris. ista est manifesta de se & colligitur aperte ex cap. cum inferior dist. 19. sed Romanus pontifex est hic. dicit enim Nicolaus papa in ca. patet 9. quæst. 3. Patet profecto sedis apostolicæ cuius auctoritate maius non est iudicium a nemine fore retractandũ, nec cuiquã liceat de eius iudicio

Prima uia argumentandi

cio iudicare. ergo sequitur quòd Romanus pontifex non habet iudicem superiorem in terris. Quinto sic. ille qui solius Dei reseruatus est iudicio non habet iudicem in terris cuius iudicio sit subiectus. sed causæ papæ sunt singulariter reseruatæ diuino iudicio. ergo quandiu manet papa solum Deum habet iudicem, consequentia est nota. maior patet. minor habetur in cap. aliorum 9. quæst. 3. ubi sic ait Symachus papa. Aliorum hominum causas Deus uoluit per homines terminari, sed sedis istius prælulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio uoluit beati Petri apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, id est rationem de sua innocentia ut exponit Archidyaconus. Sexto sic. Romanus pontifex est primus, & supremus uicarius Christi uices eius gerens in ecclesia, ut superius ostensum est, & ita potestas sua non est primaria sed delegata seu uicaria, sed talis potestas non habet supra se nisi potestatem principalem eius a quo instituta est nisi principalis illam alteri submiserit. sed non reperitur quòd Christus qui principalis est ecclesiæ rector, & pastor Romanum pontificem uicarium suum alicui personæ aut communitati submiserit. sed ut sancti patres dicunt ut in cap. aliorum iam inducto, & in cap. facta subditorum: Deus reseruauit sibi iudicium illius. ergo sequitur idem quod prius. Septimo sic: ille a quo non licet appellare non habet superiorem in terris. Patet, quia ab inferiori ad superiorem est licitum appellare 2. q. 7. placuit. sed a papa appellare non licet 9. q. 3. cap. ipsi sunt, & c. cuncta. ergo papa non habet iudicem superiorem in terris. Secunda uia. uidelicet sacræ scripturæ auctoritate siue exemplis patet eadem conclusio dicitur enim Exod. 19. Bestia quæ tetigerit montem lapidabitur, & 2. Regum 6. habetur, ꝙ Oza percussus est a domino quia archam tetigit. Per archam & montem intelligitur prælatus, per bestiam autem & Ozam designantur subditi, ut notatur 2. q. 7. §. ex his, ubi manifeste ex ipsa animaduersione instruimur grauiter eos diuinam maiestatem offendere siue dispersos siue congregatos qui prælatum suum tactu correptionis tangere præsumunt. Præterea hoc ipsum nos docet regum historia, primi Regum 24. ubi habetur ꝙ licet Saul iam a domino reprobatus esset & ex inuidia Dauid electum quæreret ad perdendum, nihilominus Dauid grauiter dolens percussit cor suum quòd oram chlamidis præscidisset illius, dixitque ad uiros qui Saul extinguere moliebantur, propitius sit mihi dominus ne faciam hanc rem domino meo Christo domini ut mittam manum meam in eum, quia Christus domini est uiuit Deus quia nisi dominus percusserit eum aut Dies eius uenerit, ut moriatur aut descendens in prælio perierit non mittam manum meam in Christum domini. Per Saul ut dicit Gratianus in loco prænominato prælati intelliguntur, per Dauid subditi. Chlamidem uero regis præscindit qui prælatum suum sententia damnationis ferit, quod minime subditis licet, quia facta pastoris gladio ferienda non sunt quanquam reprehendenda recte uideantur, ut in cap. oues 2. quæst. 7. quod inferius inducetur. Quæ historia maxime proposito nostro seruire censebitur si Augustinum audiamus libro primo quæstionum noui, & ueteris testamenti ita quærentem, & respondentem, qua ratione Dauid Saul postquam Deus ab eo recessit Christum domini uocat, & defert ei non nescius Dauid diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat ne Deo iniuriam facere uideretur qui his ordinibus

Secunda uia

honorem decreuit. Dei enim imaginem habet rex sicut & episcopus Christi, quandiu ergo in ea traditione est honorandus est si non propter se uel propter ordinem. Vnde Apostolus omnibus inquit potestatibus sublimioribus subditi æstote, non est enim potestas nisi a Deo. Quæcunque sunt a Deo ordinata sunt. Ceterum hoc confirmatur ex il'o Luc. duodecimo ubi ait saluator. Quisputas est fidelis dispensator, & prudens quem constituit dominus super familiam suam gloss.interli.i.ecclesiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, beatus ille seruus quem cum uenerit dominus &c. Et sequitur. Si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus uenire, & ceperit percutere pueros, & ancillas, & ędere, & bibere, & inebriari. Et sequitur. Veniet dominus serui illius in Die qua non sperat, & hora quam nescit, glo. iudicii uel mortis, & diuidet eum glo. a consortio fidelium partemque eius cum infidelibus ponet, hæc ibi. Ecce quòd saluator iudicium sibi reseruat serui delinquentis, scilicet summi pontificis quem super familiam suam, id est ecclesiam pastorem constituit atque rectorem. Tertia uia uidelicet sanctorum patrum, & Romanorum

Tertia uia pontificum auctoritatibus sic præfata conclusio demonstratur. Est in primis ad hoc beatus Anacletus papa, & Christi martyr. qui ut habetur in canone electionem distinctio.79.ita dicit. Electionem summorum pontificum sibi dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset, ubi inquit gloss.& ita fallit regula ad quam spectat institutio, & destitutio.16.quæst.2.uisis. Secundo ad hoc expresse est auctoritas beati Bonifacii papæ, & martyris qui ut in cap.si Papa habetur, dicit. Huius, scilicet Romani pontificis culpas redarguere præsumit nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus nisi deprehendatur a fide deuius. Ad id uero quod dicit hic gloss.respondebitur infra. Tertio ad idem est auctoritas Innocentii qui in cap.nemo 9.quæst.3.sic dicit. Nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem, neque enim ab Augusto nec ab omni clero nec a regibus nec a populo iudex iudicabitur. Quæ uerba ueniunt intelligenda diuisim & coniunctim. Vnde glo.hic ait. Argumentum quòd concilium non potest papam iudicare. ut extra de elect.significasti. Quarto ad idem est Gelasius papa ea.cau.&.q.in c.ipsi sunt.ubi ita inquit. Ipsi sunt canones qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sedis examen uoluerunt deferre, ab ipsa uero nusquam prorsus appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsamque ad nullius commeare iudicium nec de eius unquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque eius constituerunt nec oportere dissolui cuius potius sequenda decreta mandarunt. Ex quibus manifeste datur intelligi quòd Romanus pontifex superior sit omnibus, & iudex totius ecclesiæ, & non econuerso. Quinto ad idem est papa Gelasius ea.cau.& q.in ca.cuncta.ubi sic ait omnibus episcopis scribens. Cuncta per mundum nouit ecclesia quòd sacrosancta Romana ecclesia de omnibus phas habet iudicandi nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Ex quibus uerbis habetur idem quod prius, ubi tamen singulariter ponderandum est illud quod ait, cuncta per mundum nouit ecclesia. Ex quo manifeste colligitur, quòd aduersariorum doctrina sit contra antiquam uniuersalis ecclesiæ fidem, & doctrinam. Sexto hoc colligitur ex allocutione tertia papæ Adriani in concilio Roma. quæ lecta

fuit

fuit etiam in octaua synodo. ubi ita inquit. Siquidem Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus: de eo uero quenquam iudicasse non legimus. licet enim Honorio ab orientalibus post mortem anathema dictum sit. sciendum tamen est quia super hæresi fuerat accusatus propter quam solam licitum est minoribus maiorum suorum motibus resistendi uel prauos sensus eorum libere respuendi, hæc ille. Nota tamen quod dicit quòd ab orientalibus, & post mortem, quoniam Honorius ille nunquam nec dum uiueret nec post mortem repertus fuit posuisse in Christo unam tantum uoluntatem, & unam operationem. unde nec ab apostolica sede nec a patribus occidentalibus talis iudicatus est, immo Agatho papa sub quo sexta synodus illa celebrata est cum condemnauit ponentes unam uoluntatem tantum in Christo, & unam operationem, uidelicet Sergium, Pyrum Paulum, & Tytum nullam mentionem fecit de illo Honorio quem orientalis dicunt fauisse erroribus Sergii. unde creditur quòd hoc fecerint orientales ex mala, & falsa ac sinistra informatione de præfato Honorio decepti. Vnde Emanuel calecus, & græcus uir magnæ sapientiæ frater ordinis prædicatorum in tractatu suo contra græcos dicit, quòd beatus Maximus qui fuit eo tempore quo sexta synodus congregata est in disputationibus aduersus Pyrum Constantinopolitanum patriarcham qui in eadem synodo damnatus fuerat Honorium præfatum quem aliqui, ut hæreticum causabantur purgat cum hæreticus pyrus constantinopolitanam tunc ecclesiam regeret, & munimen erroris sui Honorium proferret. ei uero iste respondit. Honorium pietatem colere, sibique ipsi in his quæ dixit illius sensum congruere, simulque & illius Pyro uerba proposuit quosdam asserens illius sensum ignorantes siue etiam calumniantes falsam de illo deseminasse famam, hæc ille. Septimo idem testatur Innocentius tertius qui in sermone consecrationis Romani pontificis qui incipit. Quis putas fidelis est seruus: ita inquit. Intantum mihi fides est necessaria, ut cum de ceteris peccatis Deum iudicem habeam propter solum peccatum quod in fide committitur possem ab ecclesia iudicari, nam qui non credit iam iudicatus est, hæc ille. Octauo testatur idem dominus Innocentius in sermone alio eiusdem solennitatis cuius principium est. Qui habet sponsam sponsus est. ubi ita inquit. Propter solam fornicationem non dico carnalem sed spiritualem, quia non est carnale sed spirituale coniugium, id est propter infidelitatis errorem, quoniam qui non credit iam iudicatus est, & hoc intelligitur in euangelio quod audistis uos estis sal terræ quod si &c. hæc ille. Nono testatur hoc idem sanctus Eusebius papa qui in ca. oues 2. quest. 7. ita inquit. Oues quæ suo pastori commissæ sunt eum nec reprehendere nisi a fide exorbitauerit nullatenus accusare possunt, quia facta pastoris gladio ferienda non sunt quanquam reprehendenda recte uideantur. Ex quibus manifeste patet quòd quandiu Romanus pontifex a fide non exorbitauerit a nullis fidelibus quantumcunque simul congregatis cũ omnes sint oues curæ suæ commissæ potest iudicari. Consequenter præfata conclusio ostenditur quarta uia, scilicet sacrorum conciliorum diffi- Quarta
nitionibus. Primo quidem patet hoc ex diffinitione concilii uniuersa- uia
lis Romani, in quo beato Siluestro præsidente ita legitur diffinitum & est canon ultimus eiusdem concilii. Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes a prima sede iustitiam desiderant temperari, quoniam nec ab

omni clero nec ab omni populo iudex iudicabitur, & subscripserunt 284. episcopi, & 42. presbyteri, & 5. Diaconi, & Augustus Constantinus, & mater eius Helena. Secundo hæc eadem sententia colligitur ex professione synodi quæ occasione beati Marcellini papæ qui mortis timore Idolis thurificasset Romæ copiosa conuenerat. De qua in ca. nunc autem dist. 21. ubi papa reatum suum confitente, & se offerente paratum suscipere quicquid patres concilii sibi uoluissent imponere synodus non est in eum ausa proferre sententiam. Et rationem assignans ait. quoniam prima sedes non iudicatur a quoquam, ubi Archidyaconus ait nisi de hæresi dist. 40. c. si papa. Tertio eadem confirmatur ex Calcedonen. concilio in sententia contra Dyoscorum, in qua sancti patres grauissime notarunt Dyoscori præsumptionem qua ausus fuit in secũda synodo dare excommunicationem in Leonem papam de qua in c. tantum dist. 21. Quarto hæc eadem sententia roboratur professione synodi illius quæ super obiectis contra Symachum papã mandato regis Theodorici stetit Romæ congregata, in qua cum præfatus rex iuberet ut sancta synodus iudicaret de his quæ uenerabili Symacho ab aduersariis impingebantur, concorditer synodus ipsa respondit apostolicę sedis antistitem minorum non subiacere iudicio, de quo in §. hinc etiam distinct. 17. ubi dicit Hug. super uerbo subiacere nisi in crimine hæreseos, ut distinct. 40. si papa. Quinto hæc eadem sententia confirmatur diffinitione synodi illius quæ super criminibus quæ quidam mali homines obiicere contra Sixtum papam tentarunt Romæ legitur conuenisse ubi cum præsens imperator Valentinianus audisset synodum dicentem non licere aduersus Romanum pontificem sententiam dare surrexit, & in arbitrio præfati antistitis tribuit iudicare iudicium suum de quo in. §. prædicto nunc autem distinct. 21. Sexto hæc eadem sententia synodaliter diffinita habetur ex synodo Romana 219. episcoporum præsidente sanctissimo papa Symacho temporibus Theodorici regis ubi ita habetur. Non est necesse super his noua condere sed uetera recitare atque firmare. Est enim a multis ex nostris antecessoribus synodaliter decretum atque firmatum ut oues quæ pastori suo commissæ fuerunt eum nec reprehendere nisi a recta fide exorbitauerit præsumant. Septimo hæc eadem sententia roboratur diffinitione octauæ synodi uniuersalis constantinopolitanæ, in qua inter alia ita legitur diffinitum. Porro si synodus uniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorum ecclesia quæuis ambiguitas oportet uenerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & proficere uel profectum facere, non tamen audacter sententiam dare contra summos senioris Romæ pontifices. Vbi notanda sunt uerba huius sanctæ synodi. Dicit enim quòd non sit audendum siue præsumendum dare sententiam contra Romanum pontificem, & hæc rationabiliter ualde dicit quoniam si Romanus pontifex ab alio quàm a Christo extra casum hæresis iudicandus ueniret iam non summus pontifex nec summus, & generalis Christi uicarius esset cum superiorem iudicẽ haberet in terris. Octauo eadẽ sententia colligitur ex concilio illo uniuersali lateranensi in quo Alexander tertius ut in c. licet extra de elc. ita inquit. In ecclesia Romana aliquid spiritualiter constituitur: quia non potest ad superiorem haberi recursus, ubi gloss. Hosti. quia nulla superior est, sed ipsa super omnes est. Et idem Io. an. addens ideo

iudicio

iudicio Dei relinquitur 9.q.3. Nono hæc eadem sententia habetur ex diffinitione habita in concilio Constantiensi per omnes patres utriusque obedientiæ,& confirmata per papam Martinum, in qua ut habetur in epistola quam præfatus Martinus edidit habetur tanquam pro articulo fidei habendo, quòd papa canonice electus habeat supremam auctoritatem in ecclesia Dei. Ex qua determinatione clarissime habetur quòd Romanus pótifex extra casum hæresis in quo a papatu decidit nullius potestatis quam solius Dei subiaceret iudicio. alias non esset suprema potestas ecclesiæ in eo, sed in alio cuius iudicio subiiceretur: quoniam ut habetur in cap. inferior distinct.21. Sola potior sedes inferiorem conuenienter absoluit, nec potest quisquam qui minoris auctoritatis est, eum qui maioris potestatis est iudiciis adiicere, aut propriis diffinitionibus subiicere: hæc ibi. Quinta uia, uidelicet apostolicæ sedis determinatione probatur eadem ueritas, papa nanque Bonifacius octauus in epistola sua decretali extrauagāte quæ incipit. Vnam sanctam, inter alia diffiniens ita inquit. Si deuiat terrena potestas iudicatur a spirituali, si deuiat spiritualis iudicatur minor a superiori, si uero suprema a solo Deo, & non ab homine potest iudicari: hæc ibi. De sanctionibus autem apostolicæ sedis dicit Agatho papa in c. sic distin.19. quòd sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatæ. Amplius uia sexta. uidelicet clarissimorum doctorum doctrina & apertissimis sententiis, & determinationibus. Ait enim in psal. uenerabilis Hugo de sancto Victore litteris & religione clarissimus secunda parte de sacramentis sic. Potestas summi pontificis a Deo primum instituta est, & cum deuiat a solo Deo iudicari potest. Eandem sententiam sequuntur alii clarissimi & præcipue in theologica facultate magistri, ut dominus Albertus, sanctus Thomas, in quarta distinct.19. Alexander de Alis in 3. dominus Bonauentura cardinalis in 4. Petrus Tarentasia. Innocentius quintus in 4. dominus Vlricus in summa sua, dominus Richardus de alta uilla in 4. dominus Petrus de palude patriarcha Hierosolymitanus in tractatu suo de potestate ecclesiastica, magister Herueus in tractatu suo de ecclesiastica potestate, magister Augustinus, de Anchona in summa sua de ecclesiastica potestate, frater Alexander de alpido in tractatu suo de ecclesiastica potestate. Qui omnes apertissime tradunt & attestantur Romanum pontificem uerum & indubitatum extra casum hæresis stricte sumptæ nullum in terris iudicem habere superiorem, sed tantum Deum in cœlis cuius uices gerit in terris. Sunt præterea huius conclusionis omnes præcipui doctores iuris canonici, ut Hostien. Io annes Andr. Guido. Archydiaco. Innocentius in diuersis passibus & etiam dominus Aluarus in libro de statu & planctu ecclesiæ. Qua sententia tantis & tam irrefragabilibus testimoniis firmata manifeste conuincitur aduersariorum præsumptuosa assertio, qua contra rationes manifestas contra sanctorum patrum traditiones contra sanctorum conciliorum, & apostolicæ sedis diffinitiones necnon contra clarissimorum doctorum ac præcipuorum in tota Dei ecclesia sententias dogmatizare non sunt ueriti Romanum pontificem uerum & indubitatum, extra casum hæresis pro quocunque peccato mortali de quo incorrigibilis apparet hominum subiacere iudicio.

Quinta uia

Sexta uia

Cap. XCIIII. In quo obiicitur contra prædicta & primo quòd Imperator sit iudex ordinarius papæ.

VERITATIS aduersarii multiplici uia nituntur infringere conclusionem prædictam, quorum quidam præ ceteris magis a fidei ueritate exorbitantes asserunt quod imperator uel princeps secularis aut populus sit iudex ordinarius summi pontificis. Quorum rationes sunt quæ sequuntur. Prima. papa non est magis exemptus a iurisdictione Imperatoris quam fuerit Christus inquantum homo mortalis fuit, sed Christus inquantum homo mortalis fuit subiectus iurisdictioni Imperatoris. ergo & per consequens imperator est iudex ordinarius papæ. consequentia uidetur bona. maior etiam patet: quoniam Vicarius non est maior eo cuius est Vicarius, minor uero probatur auctoritate Christi dicentis pilato Ioan. 19. Non haberes potestatē aduersus me ullam nisi esset tibi datum desuper, &c. Ex quibus uerbis manifeste colligitur quod Pilatus iurisdictionem habuit coactiuam super Christum. Secundo sic. ille est iudex ordinarius papæ a quo papa habet super alias ecclesias principatum, sed papa ab Imperatore uidetur habere huiusmodi principatum super priuilegium Constantini Imperatoris concessum Romano pont. de quo habetur 96. c. Constantinus. ergo, &c. Tertio sic. Imperator fuit ordinarius iudex sancti Petri. ergo Imperator est iudex ordinarius papæ. consequentia uidetur euidens, quia papa non uidetur magis exemptus quàm fuit beatus Petrus. antecedens probatur: quia omnes apostoli quantum ad hoc quod essent subiecti, uel nō subiecti iurisdictioni Imperatoris fuerunt pares, sed beatus Paulus fuit subiectus iurisdictioni Imperatoris, quia ad Cæsarem tanquam ad superiorem appellauit. ergo & beatus Petrus fuit subiectus eidem. Quarto sic. sicut in nouo testamento potestas summi sacerdotis pendet immediate a Deo, sic etiam in ueteri testamento præeminentia summi sacerdotis fuit a Deo instituta, sicut patet Exo. 18. sed non obstante prædicta eminentia summus sacerdos in ueteri lege potuit ab homine iudicari immo & deponi sicut patet de Abiathar qui erat uerus & legitimus summus sacerdos & tamen fuit depositus & eiectus de summo sacerdotio per Salomonem non propter crimen hæresis, sed quia conspirauerat cum adonia, ut patet 3. Reg. 1. & 2. ergo similiter in nouo testamento summus sacerdos subiectus erit in casibus criminalibus potestati seculari. Quinto arguitur ex illo quod Leo papa scribit Imperatori Ludouico in c. nos 2. q. 7. ubi ita inquit. Nos si incompetenter aliquid agimus, & in subditis iustæ legis tramitem non seruauimus uestro ac missorum uestrorum cuncta uolumus emendare judicio, ubi papa missorum ab Imperatore uoluit subire judicium. ergo uidetur quòd papa subdatur judicio potestatis secularis.

Argu. primū quod soluetur cum seq. cap. 96.

Secundū

Tertium

Quartum

Quintum

Cap. XCV. In quo præfatus error dicentium quòd Imperator aut secularis potestas sit iudex ordinarius papæ confutatur.

LICET luce clarissima ex superioribus tam in primo lib. circa c. 90. quàm in hoc secundo lib. circa c. 38. & manifeste appareat præfati erroris stultitia, ut non sit opus ad illius improbationem alia inducere, maxime

maxime cum iam condemnatus sit per apostolicam sedem in extrauagante Ioan. 22. quæ incipit. Licet iuxta doctrinam apostoli: nihilominus pro ampliori ueritatis illustratione aliquibus auctoritatibus & rationibus paucis tamen illum improbare curabimus. Primo occurrit nobis diffinitio octauæ synodi uniuersalis, quæ ut in capit. diffinimus, distinct. 22. habetur ita ait. Diffinimus neminem prorsus potentum quemquam eorum qui Patriarchalibus sedibus præsunt inhonorare aut amouere a proprio throno tentare præcipue quidem sanctissimum papam senioris Romæ, &c. Ex qua diffinitione manifeste colligitur, quòd ordinarius iudex papæ non sit Imperator, aut potestas secularis. Secundo ad idem est beatus Gregorius nazanzenus qui scribens Imperatoribus Constantinopolitanis ita inquit, ut habetur in c. suscipitis, distinct. 10. Suscipitis ue libertatem uerbi Dei libēter, accipitis quòd lex Christi sacerdotali uos subiicit potestati atque istis tribunalibus subdit. dedit enim & nobis potestatem dedit principatum multo perfectiorem principatibus uestris. Ex quibus manifeste patet præfati erroris stultitia: quoniam si lege Christi principatus secularis spirituali potestati subiicitur impossibile est quòd potestas secularis sit iudex ordinarius potestatis spiritualis. Tertio ad idem est quod in c. continua 11. q. 1. legitur de Constantino, qui cum in sancta synodo quæ apud Nicenam congregata est querelam quorundam clericorum conspiceret coram se deferendam ait. Vos autem a nemine diiudicari potestis qui ad solius Dei iudicium reseruamini. Eadem etiam hystoria ponitur in capit. sacerdotibus 11. q. 1. Ex quibus manifeste patet quòd Constantinus Imperator Christianissimus non fuit illius opinionis, quòd Imperator esset iudex ordinarius papæ aut clericorum. Ex qua ratione concludit Nicolaus papa in cap. satis distinct. 96. Satis euidens est a seculari potestate non solui prorsus nec ligari pontificem quem constat a Pio principe Constantino quem longe superius nominauimus Deum appellatum cum nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum sit: hæc ille. Quarto contra præfatum errorem sunt omnes auctoritates sanctorum patrum & sacrorum conciliorum quæ ponuntur undecima quæstione prima, quæ sunt plures quibus strictissime prohibetur episcopos, aut reliquos clericos in sacris constitutos apud iudicem secularem pertrahi aut accusari. unde in c. placuit 11. q. 1. expresse canon concilii Aphricani dicit. Placuit ut quicunque clericus ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit honore proprio priuetur. Quæ prohibitio iusta & rationabilis cum a sanctis patribus edita sit manifeste ostendit stultitiam erroris præfati dicentium Imperatorem, aut potestatem secularem iudicem esse ordinarium papæ & clericorũ. Quinto contra præfatum errorem est c. si Imperator dist. 96. ubi papa Ioannes ita inquit. Si Imperator catholicus est, quod salua pace ipsius dicimus, filius est non præsul ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere ei competit non docere. Ex quibus etiam manifeste patet præfati erroris stultitia, quia si Imperator catholicus est filius papæ nō potest esse iudex ordinarius patris sui, filius enim patrem non corrigit, sed econtra. Erubescit enim lex filios correctores parentum in auct. de nupt. §. si uero. Quocirca beatus Gregorius ad Hermannum episcopum Metensem scribens in capit. quis dubitat dist. 96. ad propositum dicit. Quis dubitat sacerdotes Christi regum, & principum omniumque fidelium patres & magistros censeri,

nonne enim mirabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem si discipulus magistrum conetur subiugare & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere a quo credit non solum in terra, sed & in cœlis se ligari posse & solui: hæc Greg. Sexto fatuitatem præfati erroris apertissime ac sapienter confutat Innocentius in cap. solite. extra de maio. & obed. ubi scribens Constantinopolitano Imperatori post multa ita subiungit. Præterea nosse debueras quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, utrunque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum ergo cœli hoc est uniuersalis ecclesiæ fecit Deus duo luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus est maior, quæ uero nocti, id est carnalibus minor est, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoscatur. hæc ille. Septimo ratione sic argui potest contra præfatum errorem, inferior non est iudex ordinarius superioris sui, sed papa est superior Imperatore & omni seculari potestate. ergo Imperator siue potestas secularis non potest esse iudex ordinarius papæ. consequentia est bona. maior est manifesta, dicit enim papa Nicolaus in c. inferior dist. 21. Sole clarius exhibuimus non posse quenquam qui minoris auctoritatis est eum qui maioris est potestatis iudiciis suis adiicere aut propriis diffinitionibus subiugare, minor etiam patet ex capitulis supra inductis maxime ex ca. si Imperator, & c. duo sunt dist. 96. & in c. solite. extra de ma. & obed. Octauo sic. potestas spiritualis habet iudicare terrenam potestatem si bona non fuerit. ergo terrena potestas non est iudex ordinarius papæ in quo spiritualis potestas in plenitudine residet. consequentia est bona. antecedens patet in c. duo, & in c. si Imperator, distin. 96. & in ca. alius 15. q. 1. Iterum patet auctoritate uenerabilis Hugonis de sancto Vict. lib. 2. de sacramentis ita dicentis. Spiritualis potestas iudicat terrenam si bona non fuerit, ipsa uero spiritualis a Deo primo instituta est, & cum deuiat a solo Deo iudicari habet & potest sicut scriptum est infra 1. Cor. 2. Spiritualis homo omnia iudicat, & ipse a nemine iudicatur. Nono. sicut papa non est de foro Imperatoris nec ratione papatus quem non tenet ab Imperio, sed a solo Deo Ioan. ult. Pasce oues meas, & distin. 21. in nouo, nec ratione alicuius rei terrenæ quam ab Imperatore teneat. Nam & si Imperator donationem fecit ecclesiæ de temporalibus ipsam tamen donationem liberam eam fecit, nec fecit papam feudatarium aut emphyteotam, aut uasallum ut est expressum dist. 63. ego Ludouicus dist. 96. Constantinus. Si ergo papa non est de foro Imperatoris falsum est quòd Imperator sit iudex ordinarius eius, extra de foro compe. per totum.

Cap. XCVI. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum dicentium, quòd Imperator aut secularis potestas non sit iudex ordinarius papæ.

Ad primũ arg. c. 94.

IMPROBATO sufficienter præfato aduersariorum errore, reliquũ est respondere obiectionibus eorum. Ad primam cum dicitur quòd Christus subiectus fuerit iurisdictioni Pilati & Cæsaris respondetur dupliciter.

dupliciter. Primo negando consequentiam. Tum primo, quia subiectio il la qua Christus subfuit iurisdictioni Cæsaris non fuit ordinaria, sed uoluntarie assumpta. ex summa enim charitate & humilitate Christus ei subu ci uoluit ut in hoc ostenderet quantam ad humanum genus charitatem habuit, quia a non suo iudice iudicari uoluit & absque causa morte turpissima condemnari. unde Esa. 53. dicitur. Oblatus est, quia ipse uoluit. Simile habetur circa obseruantiam legaliũ quibus uoluntarie subiici uoluit, ut alios ab horum onere liberaret dicente Apostolo ad Gal. 4. Vbi uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum de muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Clarum est autem quòd ex opere supererogationis non arguitur debitum in eo nec in eius Vicario aut eius discipulis. Secundo, ratio illa non procedit: quoniam ut dominus Aluarus in libro de hæresibus parte quinta respondet. Pilatus non iudicauit Christum, ut personam publicam aut dignitate præeminentem, sed tanquam personam priuatam accusatam sibi a principibus synagogæ, & a populo iudæorum tanquam male factorem, quia in hoc erat de foro Cæsaris & Pilati, quia præses erat in iudea pro Imperatore. unde ipse Pilatus ait Luc. 23. Obtulisti mihi hunc hominem, hunc inquantum hominem quasi priuatum & nõ pontificem: non in dignitate constitutum, tunc enim ut dicit dominus Aluarus Christus non gerebat personam papæ, sed simpliciter hominis coram suo iudice accusati: nec in hoc papa Christo succedit aut uices eius gerit, sed in pontificatu, sed in potentia auctoritate, non autem in maligna accusatione facta de eo. Cum ergo Christus nec coram suo iudice fuerit, ut sacerdos uel ut pontifex accusatus nec a iudice suo, ut talis iudicatus, in isto exemplo nihil potest concludi de subiectione papæ, aut cleri potestate Cæsaris aut principatus secularis, sicut si laicus iudex ferat sententiam mortis contra clericum putans eum non esse clericum utputa in quo nulla clericalis disciplinæ uestigia apparent non potest ex hoc actu acquirere in clericos aliquam iurisdictionem. Secundo potest responderi ad prædictam obiectionem negando minorem, uidelicet quòd Christus secundum ꝙ homo mortalis fuerit ordinaria subiectione subiectus iurisdictioni Imperatoris. Christus enim ab instante conceptionis constitutus est iudex uniuersalis uiuorum & mortuorum, unde Act. 10. dicitur de eo. Hic est qui constitutus est iudex uiuorum & mortuorum. Et Math. ult. dicit ipse. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. hoc autem licet post resurrectionem Christus dixerit quia tunc eius potestas manifestata est & notificata: nihilominus potestatem ipsam ab instante conceptionis in quo erat homo mortalis auctoritatem habuit, ut tam magister sententiarum quàm sanctus Thomas in 3. dicunt. Quocirca manifestum uidetur falsum esse quod aduersarii dicunt Christum subiectum fuisse iurisdictioni Cæsaris tanquam sui iudicis ordinarii. Hoc etiam manifeste uidetur colligi ex Math. cap. 17. ubi Christus ostendit & probat se non esse obnoxium siue obligatum ad soluendum tributa Cæsari. ad quod tamen uideretur fuisse obnoxius si Cæsar eius ordinarius iudex fuisset. census enim signum est subiectionis, extra de censi. omnis anima. ait autem sic Christus Petro. Quid tibi uidetur Symō? Reges terræ a quibus accipiunt tributum uel censum. a filiis suis an ab alienis. At ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, &c. ubi glossa inquit. Dominus noster, &c. se-

cundum carnem filius regis erat ex Dauid natus & omnipotentis uerbum. ergo ut filius regum tributa non debebat, sed pro humilitate carnis, decet enim implere omnem iustitiam. hæc ibi. Et ad probationem aduersariorum quam inducunt ex illo Ioan. 19. Non haberes potestatem aduersus me, &c. respondetur quòd ex hoc loco non habetur quòd Pilatus aut Cæsar fuerit iudex Christi ordinarius: quoniam licet Pilato dicenti. Mihi non loqueris quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te. Christus respondit. Non haberes potestatem aduersus me ullam nisi esset tibi datum desuper, puta a Cæsare cuius erat Vicarius in iudæa uel a Deo permissiue. non sequitur ex hoc ꝙ Cæsar fuerit Christi iudex ordinarius. sicut nec alii Imperatores nec iudices seculares per hoc ꝙ permissi sunt a Deo perimere multos martyres sequitur quòd fuerunt ordinarii iudices sanctorum martyrum. Et ita in proposito: quoniam concessio illa potestatis a Deo intelligenda est per permissionem, ut dicit Chryso. & habetur in gl. continua, nisi tibi desuper datum esset i. concessum, ac si diceret. permisit hoc fieri. hæc Chrysost. Nec facit ad propositum aduersariorum quod inducunt de Bernardo ad archiepiscopum Senonen. quoniã dato ꝙ ita dicat beatus Bernardus. magna differentia est inter ordinatum & ordinarium, cum enim omnia quæ a Deo fiant aut fieri permittantur, necesse est omnia esse ordinata: nihilominus tamen non omnia dicuntur ordinaria. Dicitur enim ordinarium non tantum quod sit ordinatum, sed quod sit ordinatũ, secundũ communem legem aut ordinem institutum in repub. Clarum est autem ꝙ tali lege aut ordine uniuersitatis Christus in cuius femore scriptum est. Rex regum & dominus dominantium Apocal. 19. non fuit subiectus Cæsari, sed Deo patri, de quo ait Ioan. 14. Pater maior me, s. homine, est ut inquit glo.

Ad secundum

Ad secundam obiectionem de priuilegio Constantini, respondetur negando minorem. Roma. enim pontifex primatum suum non habet a Constantino, sed a Christo qui beato Petro & in Petro suis successoribus ait Ioan. ulti. Pasce oues meas. Et ad probationem de c. Constantinus dist. 96. respondetur quòd in toto c. non habetur quòd Romanus pont. habuerit primatum a Constantino, immo Constantinus asserit quòd beatus Petrus cui succedit Rom. pontifex habuit a Christo primatum. unde ait sic. Sicut beatus Petrus in terris Vicarius filii Dei dicitur esse constitutus, &c. unde ipse non dedit priuilegium primatus, sed id quod a Christo credidit donatum esse Romano pontifici præcepit obseruari & uenerari per omnes orbis ecclesias, & ita non fuit institutor primatus, sed magis executor legis & ordinationis Christi, prout etiam dictum est supra circa cap. 42.

Ad tertiũ

Ad tertiam respondetur negando assumptum: uidelicet quòd Imperator fuerit iudex ordinarius beati Petri. Et ad probationem respondetur dupliciter. Primo negando assumptum in quo dicitur quòd omnes apostoli fuerunt quò ad subiectionem pares. Dicimus enim quòd beatus Petrus in quo erat summa potestas & spiritualis, & Vicarius Christi magis repugnabat sibi esse subiectum iurisdictioni Imperatoris quàm ceteris apostolis qui non erant assumpti ad uniuersalem principatum & generalem Christi regis regum Vicariatum. Et ita non est simile de Petro & de aliis apostolis. Secundo respondetur negando quòd Paulus fuerit subiectus iurisdictioni Imperatoris sicut iudicis ordinarii. Et cum dicitur quòd ad Cæsarem appellauit tanquam ad superiorem, dicimus quòd appellauit contra iniuriam sibi fa-

ctam

ctam ad Cæsarem tanquam ad superiorem ordinarium non suum, sed iudicis illius a quo appellauit a quo patiebatur iniuriam, & ita ratio non procedit. Posset tertio responderi negando consequentiam: quoniam si consequentia illa esset bona sequeretur quod potestatibus siue principibus infidelibus cuiusmodi fuerunt Cæsar & Pilatus, tam papa quam totus clerus subiectus esset quod est fatuum dicere, licet enim ut dicit sanctus Tho. in 2.2.q.10. arti.10. in principio. Ante præfectam diuisionem fidelium ab infidelibus Cæsaris & aliorum infidelium prælatio non cessasset in totum propter conuersionem aliquorum conuersorum ad fidem: nihilominus post aucta multitudine fidelium non sequitur quod idem sit. unde 1. ad Cor.6. in princ. reprehendit apostolus fideles Cor. quòd auderent prouocare proximos suos coram iudicibus infidelibus dicens. Audet aliquis uestrum habens negotium aduersus alterum iudicare apud iniquos .i. infideles & non apud sanctos .i. fideles. Ad quartam de sacerdotio ueteris legis respondetur iuxta magistrũ Alexandrum de Alis & supra inducta est similis responsio ex domino Bonauentura, quòd non est simile de sacerdotio ueteris testamenti & noui. sacerdotium enim ueteris legis erat carnale, & per carnalem propagationem succedebat & continuabatur quamuis esset ordinatum ad spirituale obsequium s. diuinum cultum & figuram spiritualis sacerdotii noui testamenti & ideo ex parte illa in qua carnale erat & terrenum subiectum erat terrenæ potestati, scilicet regali. sicut enim dicit Aug. ideo dicitur uetus testamentum propter promissionem terrenam quæ pertinet ad ueterem hominem, & ideo in ueteri testamento summa potestas erat potestas terrena, in nouo autem testamento non, ubi est spirituale sacerdotium & promissio spiritualium. In nouo enim testamento non promittuntur terrena in mercedem sed adduntur ad sustentationem & necessitatem, iuxta illud. Math. 6. Primum quærite regnum Dei & hæc omnia adiicientur uobis. unde nó subditur status ecclesiasticus temporali & multominus princeps status spiritualis principi cuicunque terreno. Concordat sanctus Thom. secundo libro de regimine principum. Secundo respondetur quòd Salomon hoc fecit ex speciali Dei præcepto qui ei hæc prædixerat. Vnde 3. Reg.2. sic dicitur. Eiecit igitur Salomon Abiathar ut non esset sacerdos domini, ut impleretur sermo domini quem locutus est super domum Heli in Sylo, & ita ratio non est ad propositum. Ad ultimam obiectionem de Leone papa respondetur iuxta magistrum Alexandrum de Alis, quòd Leo papa se submiserat iudicio Ludouici Imperatoris siue nunciorum eius, hoc fuit opus supererogationis & non debiti. unde ex tali opere argumentum non procedit, sicut superius dictum est.

Ad quartum

Ad quintum

Cap. XCVII. In quo ponuntur aduersariorũ rationes ad probandum quod papa extra casum hæresis habeat iudicem in terris, uidelicet ecclesiam uniuersalem.

SVNT alii aduersarii qui licet non asserant papam subiectum iurisdictioni Imperatoris, aut alicuius potestatis secularis: nihilominus affirmare contendunt, quòd Romanus pontifex non tantum pro hæresi, sed pro quocunq; notorio crimine de quo incorrigibilis appareat aut ec-

clesiam scandalizaret iudicem habeat ecclesiam uniuersalem, quæ ipsum iudicare & punire posset. Et circa hoc faciunt duo. Primo enim nituntur respondere ad omnes auctoritates quæ dicere uidentur, quòd papa a nemine potest iudicari nisi a fide deuiet, dicentes primo quòd illa nomina distributiua nemo nullus sumuntur pro singulis hominibus ipsius congregationis fidelium: non autem pro ipsa congregatione quæ unita plurificari non potest, & ideo dicunt nomen distributiuum ei competere non potest, sicut non potest dici proprie omnis Deus cum non possit esse nisi unus. Concludunt ergo quòd in prædictis auctoritatibus, aut similibus fiat comparatio papæ ad alias personas ecclesiæ tanquam membri & partis ad alia ecclesiæ membra & partes, non autem ad ipsum corpus totum quod est ecclesia.

Prima responsio ad uersariorum ad auctoritates sanctorū

Secundo dicunt quòd præfatæ auctoritates non militant, quia iudicium uniuersalis ecclesiæ dicitur iudicium Dei. Secundo loco nituntur hanc eorum opinionem multiplici uia ueram ostendere. Primo auctoritatibus sacræ scripturæ. Secundo auctoritatibus conciliorum. Tertio auctoritatibus doctorum. Quarto rationibus. Quinto exemplis. Prima uia sic, & primo ex illo Math. 18. ubi Christus sic ait Petro. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Si autem te non audierit, &c. Sequitur. Dic ecclesiæ. Certum est autem quòd papa frater noster est, cum unus pater scilicet Deus, & una mater scilicet ecclesia omnibus fidelibus sit. ergo sequitur quòd ad ipsum se extendat præfata auctoritas. Si peccauerit, &c. ubi ergo de peccato correptus emendare se noluerit dicendum est ecclesiæ, sicut fit aliis cófratribus & hoc non nisi ut iustitia fiat, quia alias frustra diceretur, sed iudicium fit per superiorem: ergo uidetur quòd papa habeat in terris iudicem superiorem scilicet ecclesiam uniuersalem, quæ ipsum incorrigibilem existentem iudicare & punire ualeat. Secundo argumentatur ex illo ad Gala. 2. ubi Paulus legitur Petro in faciem restitisse, quia repræhensibilis erat. ergo si hæc egit Paulus multo fortius poterit ecclesia uniuersalis resistere papæ, ubi eum contingeret errare & ecclesiæ immineret periculum, alias esset in potestate unius hominis ecclesiam destruere aut confundere, quod est absurdum. Tertio arguitur ex illo Act. 11. ubi legitur quòd illi qui ex circuncisione uenerant repræhenderunt Petrum disceptantes cum eo dicentes: quare intrasti ad uiros præputium habentes & manducasti cum illis. ergo multomagis hoc posset facere uniuersalis ecclesia. Secunda uia arguunt auctoritate, ut aiunt sacrorum conciliorum, dicunt enim quòd contra præfatam conclusionem sit decretum concilii constantiensis, in quo dicunt esse decretatum quòd generalis synodus in spiritu sancto legitime cógregata potestatem a Christo immediate habet cui cuilibet cuiuscunq; status, uel dignitatis etiam si papalis existat obedire tenetur, &c. Item secundo est concilium Basilien. in quo tam in secunda sessione quàm in duodecima resumitur decretum præfatum concilii Constantiensis. Ex quibus manifeste sequitur quòd papa superiorem iudicem habet in terris. Tertia uia scilicet auctoritate doctorum arguunt. Et primo auctoritate beati Petri qui ita dicitur locutus ad beatum Clementem, ut dicitur in epistola eiusdem Clementis ad Iacobum. Si enim mundanalibus curis fueris occupatus & teipsum decipies & eos qui te audiunt. non enim poteris ea quæ ad salutem pertinent plenius quibuscunque distinguere, & ex eo fit, ut tu tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent deponaris.

Secúda responsio eorundem

Prima auctoritas primæ uiæ cui & seq. respódebitur c. 98.

Secunda

Tertia

Secundæ uiæ Prima auctoritas cui respódebitur c. 99.

Secunda cui respódebitur cap. 100.

Tertiæ uiæ Prima auctoritas cui & seq. respondebitur cap. 101.

Secundo

Secundo arguunt ex auctoritate glo.in c.si papa dist.40.quæ ita habet. Credo quòd si notorium sit crimen eius scilicet papæ quodcunque unde scandalizatur ecclesia & incorrigibilis sit quòd possit inde accusari. nam contumacia dicitur hæresis,ut 81.dist.si qui presbyteri. Tertio arguunt hac uia auctoritate beati Gregorii quæ habetur in c. si quis 2. q.7.ita dicentis. Si quis super hoc nos redarguere uoluerit uel extra auctoritatē facere nos contenderit ueniat ad sedem apostolicam, ut ibi ante confessionem beati Petri mecum iuste disceptet: quatenus unus ibi ex nobis suscipiat sententiam suam. ergo uidetur quòd papa habeat iudicem superiorem in terris. Quarto arguunt eadem uia auctoritate beati Thomæ de Aquino,dicunt enim quòd idem doctor dicit libro de regimine principum,quòd si ad ius alicuius communitatis pertineat sibi prouidere de rege, ab eadem rex institutus si fuerit in tyrannum conuersus poterit destitui & refrenari eius potestas si potestate regia tyrannice abutatur, sed ad communitatem ecclesiæ spectat per Cardinales ius eligendi papam. ergo ad eandem spectat corrigere & punire eum si ecclesiam scandalizaret. Et ita apparet quòd papa habet iudicem superiorem in terris. Rationibus autem arguunt. Primo sic.papa si est deuius a fide potest iudicari ab ecclesia per cap.si papa distinct.40.ergo pariter si aliquo alio crimine de quo ecclesia scandalizaretur fuerit depræhensus.Probatur consequentia.Tum quia nō legitur in sacra scriptura quòd in causa fidei Deus dederit maiorem potestatem ecclesiæ quam in aliis casibus. Christus enim in datione potestatis generalibus terminis usus est dicens. Quæcunque alligaueritis, &c. Math. 18.Tum secundo,quia qui potest maius potest minus,& ubi maius conceditur minus concessum uidetur, ut dicit text.in cap. ex parte. extra de deci. Secundo arguunt sic: nulli corpori uidetur sufficienter prouisum nisi membrum putridum quod totum corpus ualet inficere posset abscindi, sed tota ecclesia militans est unum corpus ordinatum per Christum, dicente Paulo ad Roma.12. Omnes unum corpus sumus in Christo, istius autem corporis papa est unum membrum quia caput. si ergo illud sit damnosum scandalizans notorie ecclesiam, sequitur quòd non est sufficienter prouisum corpori ecclesiæ nisi per ipsam abscindi posset.cum ergo Christus nō defecerit in necessariis ecclesiæ militanti,sequitur quòd per ecclesiam papa nedum si sit hæreticus,sed etiam ubi aliquo alio crimine notorio scandalizat ecclesiam iudicio uniuersalis ecclesiæ est subiectus. Tertio sic, si papa peccans non posset per alios puta per ecclesiam corrigi & puniri, sequitur quòd non perfecte ac sufficienter eam Christus ordinasset nec ei debite prouidisset. sed hoc est hæreticum: cum Dei perfecta sint opera. Deutero 32.probatur tamen consequentia: quia illa communitas non uidetur sufficienter ordinata, aut prouisa quæ suæ perditioni aut demolitioni non potest occurrere. sic autem esset de ecclesia posita in casu quo papa præter hæresim manifestam aut tyrannidem notoriam,aut aliud crimen notorium ecclesiam subuertere aut scandalizare conaretur & uniuersalis ecclesia ei resistere non posset ipsum corrigendo & deponendo. hoc enim esset concedere potestatem datam esse, in destructionem contra Apostolum & Actuum 10. Quarto sic, omne quod debemus papæ pro uitanda morte corporali debemus ei pro uitanda morte spirituali, sed in casu ubi papa iniuste & sine causa quacunque uellet proximum interficere quilibet

Secunda

Tertia

Quarta

Quartæ uiæ

Prima ratio cui & seq. respō debitur cap. 102.

Probatio prima

Secunda probatio

Secunda ratio

Tertia

Quarta

tenetur & potest de iure papam impedire. ergo ubi papa notorie scandalizat ecclesiam ubi animas fidelium ducit ad barathrum inferni potest & debet quilibet eum impedire. Quinto sic. Si papa uellet uxorem alicuius cognoscere, uel propria illius rapere licitum est ei resistere. ergo ubi ecclesia uidet ipsum papam malis moribus scandalizantem fideles potest ei resistere, & ipsum impugnare, maxime cum dicat apostolus 1. Thim. 4. Peccantem coram omnibus argue. Sexto sic. Si papa infamatur per uiros prouidos & honestos de aliquo crimine. unde ecclesia scandalizatur, quæro an papa teneatur purgare se de hoc an non. Si dicas ꝙ non. Contra, qui tenetur scandalum uitare tenetur suscitatum tollere & sedare si potest. ergo debet se purgare, sicut legitur de papa Damaso accusato a subditis de adulterio, ut refert Hier. libro de uiris illustribus. sed purgatio pertinet ad sententiam iudiciorum. ergo sequitur quòd in terris papa habeat iudicem superiorem. Septimo arguitur sic confirmando rationem factam: prælatus qui tenetur subditos a minori damno uel periculo liberare a fortiori tenetur a maiori, sed papa tenetur suos subditos, a damno & periculo temporali eripere secundum illud. Eripite egenum & pauperē. ergo multo fortius a spirituali utputa a scandalo de ipso habito, sed hoc se purgando. ergo idem quod prius: unde ita fecerunt Sixtus Leo & Symachus Romani pontifices, ut habetur 2. q. 7. Quinta uia s. exemplis aduersarii etiam ostendere nituntur ꝙ Romanus pon. in terris iudicem habeat: quoniam ut aiunt ecclesia uniuersalis sæpenumero summos pontifices siue a fide delirantes siue prauis moribus notorie ecclesiam scandalizātes correxit iudicauit & puniuit.

[Margin: Quinta; Sexta; Septima; Quinta uia cui respondebitur c. 103]

Cap. XCVIII. In quo reprobantur responsiones aduersariorum datæ ad auctoritates sanctorum patrum, & iura inducta pro conclusione nostra, & respondetur obiectionibus ipsorum aduersariorum sumptis ex auctoritatibus sacræ scripturæ.

CONCLVSIO superius pòsita, uidelicet quòd Roman. pont. pro sui principatus excellentia extra casum hæresis iudicem non habeat in terris, tantis est supra sanctorum patrum roborata testimoniis, tam irrefragabilibus fulcita rationibus & sanctorum canonum luminibus illustrata, ut superuacuum censeatur alia inducere testimonia. unde non restat nisi aduersariorum obiectionibus respondere. Faciemus autem hic duo. In primis ostendemus ꝙ responsiones datæ per aduersarios ad iura & dicta sanctorum patrum dicentium papam a nemine iudicandum intelligenda sint de singulis personis & non de tota communitate ecclesiæ: quod ex multis facile colligitur. Tum primo ex eo quòd ratio superioritatis, & dependentiæ papatus a solo Deo assignata per doctores quare a nemine papa est iudicandus ita currit de ipsa communitate sicut de singulis personis nam Romanus pont. non modo est singulis personis auctoritate superior, sed etiam toto ecclesiæ corpore utpote qui pastor & caput est totius ecclesiæ. Tum secundo, responsio illius ostenditur uacua ex tex. cum glo. ait enim sic tex. Nemo iudicabit primam sedem, sequitur. Non enim ab Augusto nec ab omni clero nec a regibus nec a populo iudex iudicabitur. Ecce quòd textus excludit a potestate iudicandi papam singulas personas, &

[Margin: Cōtra primā respōsionem aduersariorum]

omnem

omnem communitatem tam spiritualem quæ designatur nomine cleri, quàm secularem designatam nomine populi. Præterea glo. super uerbo, ab omni clero ait. argumentum quòd concilium non potest papam iudicare, ut extra de elect. significasti. Hæc glo. Ex quo patet quòd ly nemo in auctoritatibus præfatis non solum accipiendum est pro singulis personis diuisim, sed etiam pro singulis coniunctim siue collectiue. Quòd auté dicunt aduersarii quòd nomina distributiua proprie competere non possunt congregationi fidelium quæ unica & implurificabilis est parum ualet, quia nomina siue signa talia addita nominibus collectiuis, ut sunt populus clerus domus ecclesia, &c. non distributiue, sed collectiue tenentur. significant enim id quod totum sicut est illud quod habetur ad Hebr. tertio. Sicut Moyses, supple fidelis fuit in omni domo sua quod exponitur, id est in tota domo scilicet synagoga iudæorum. Item eodem modo uidetur sumi illud tertio Regum octauo. Conuertitque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ. Item illud primo Paralip. decimonono. Præcepit autem uniuersæ ecclesiæ benedicite Deo nostro, & benedixit omnis ecclesia domino patrum suorum. Item illud Mathæi 2. Turbata est cum illo omnis Hyerosolima, id est tota. Et ita in auctoritate supradicta illud, nec ab omni clero exponitur, id est nec a toto clero, ut ita etiam glo. quæ dicit. argumentum quòd concilium non potest iudicare papam. Tertio, quòd talis intellectus sit præfatorum iurium luce clarius colligitur ex confessione & testimonio tam concilii congregati Romæ tempore Marcellini, de quo distinct. uigesimasecunda in cap. nunc autem, quàm concilii congregati tempore Symachi papæ, de quo distinct. decimaseptima in. §. hinc etiam quæ manifeste confessa sunt a nemine præsulem Romanum posse iudicari includendo etiam concilium uniuersale, alias non loquerentur ad propositum. Quarto colligitur idem ex cap. si papa distinct. 40. ubi dicit text. quòd papa a nemine est iudicandus nisi deprehendatur a fide deuius. Clarum est autem quòd non est cuiuscunque singularis personæ papam iudicare etiam si deprehendatur a fide deuius, sed solius concilii uniuersalis. ergo per ly neminem non solum excipiuntur singulares personæ, sed etiam ipsa uniuersitas fidelium, quod etiam ex hoc manifeste habetur, ut scilicet sit conformitas huius text. ad iura alia & determinationes conciliorum, de quibus parum ante factus est sermo. Præterea secunda responsio aduersariorum in qua respondentes ad auctoritates dicentes quòd papa reseruatur iudicio diuino dicunt, quòd iudicium ecclesiæ congregatæ est iudicium Dei, & ita non uidetur absolutus papa a iudicio uniuersalis ecclesiæ, nulla est, quia licet iudicium ecclesiæ sit etiam Dei sicut etiam de quolibet sacerdote dicitur, de pœniten. distinct. tertia. §. sed quem, quòd quem sacerdos iudicat Deus iudicat cuius personam gerit, & in c. nemo 11. q. 3. dicit beatus Chryso. Nemo contemnat ecclesiastica uincula non enim homo est qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit & dominus fecit homines tanti honoris est tamen hoc iudicium Dei per homines. In auctoritatibus autem supradictis loquentibus de papa excluduntur omnes homines a iudicio suo, unde in ca. aliorum nona q. 3. habetur, quòd aliorum hominum causas Deus uoluit per homines terminari, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, uoluit beati Petri successores sibi tantum debere innocentiam. Nota uerbum tantum.

Contra secũdam aduersariorum eorũdem

Item in c. electionem distinct. 79. dicit beatus Anacletus papa & martyr. Electionem summorum pontificum sibi dominus reseruauit: licet electionem eorum bonis sacerdotibus concessisset. Ecce quòd manifeste responsio aduersariorum non respondet auctoritatibus sanctorum patrum, sed manifeste est opposita, & hoc idem ostenditur per alias auctoritates quas supra induximus. Et hoc de primo. Reliquum autem est aduersariorum obiectionibus respondere, quibus pro pleniori illustratione ueritatis distincte per quinque capitula iuxta quinque uias quibus procedunt respondebimus. Ad primam ergo obiectionem sumptam ex illo capitulo Math. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. respondetur negando consequentiam. Et ad probationem cum dicitur quòd papa sit frater, dicimus quòd hoc non militat: quoniam cum hoc quòd papa est frater noster naturæ conformitate & fidei religione est etiam princeps & caput totius uniuersalis ecclesiæ supremam potestatem habens in ecclesia. ratione primi: uidelicet quia est frater noster extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte in qua simplex tangitur fraterna correctio quæ dicit simplicem quandam admonitionem, quæ cum sit actus charitatis extendit se ad omnem proximũ siue superiorem, siue æqualem, siue inferiorem sicut & ipse charitatis effectus. Ratione uero secundi uidelicet quòd princeps & caput est supremam potestatem habens in ecclesia non extendit se ad eum auctoritas præfata in ea parte in qua contra non suscipientem correctionem fraternam iubetur denunciationem fieri, quia cum denunciatio non acquiescentis fraternæ correctioni ordinetur ad finem, ut talis punitione corrigatur qui per simplicem admonitionem, non corrigitur, non fiat nisi superiori, non potest denunciari prælatus qui superiorem non habet nisi sit tale peccatum eius per quod a superioritate cadat cuiusmodi est peccatum hæresis. quare consequentia illa aduersariorum quæ apud eos Achilles existimata est nulla prorsus est. processus enim positus in euangelio de correctione fraterna non habet locum in eo qui non habet in terris superiorem. Clarissimum est autem ex superioribus quòd nullus in ecclesia est superior papa nisi Christus cuius generalis Vicarius est in terris. Nec potest dici quòd congregatio subditorum suorum, aut ouium suarum superioritate auctoritatis sit illo maior nisi quis uellet euertere, ut alias deductum est doctrinam Christi & diceret quòd licet Christus dicat Math. 10. Non est discipulus super magistrum, nec seruus supra dominum suum: nihilominus discipuli sunt supra magistrum & subditi supra prælatum suum. Hinc est ꝙ ut clarissime sanctorum & sacrorum conciliorum, & doctorum excellentissimorum apertissime testimonia proclamant pontificum Romanorũ causas Deus dicitur suo reseruasse iudicio. Vnde dominus Albertus magnus in 4. distinct. 19. ubi quærit utrum correctio fraterna sit omnium, respõdens ita dicit. Omnis homo omnem hominem cum reuerentia, & mansuetudine tenetur admonere & corrigere de delicto, sed non ulterius potest denunciare si est inobediens quando prælatus supremus est, quia non habet iudicem. Hæc Albertus. Ad idem est sanctus Thomas in quarta eadem distinct. sic dicens. quamuis prælati sint corripiendi a subditis non tamen est ei pœna infligenda, sed recurrendum est ad superiorem denunciando uel si non habet superiorem ad Deum, ut eum emendet aut de medio tollat. Item magister Vlricus in summa sua excellentissima theologiæ, qua

Ad auctoritates primæ uiæ c. 97. Ad primã

lib. 6.

lib.6.tractatu 3. c. 15. de accusatione loquens ita inquit. Accusari etiam non possunt aliqui propter excellentiam dignitatis, ut papa non potest accusari nisi de crimine hæresis, ut dicitur in gestis Bonifacii martyris, & ponitur auctoritas distinct.40.cap.si papa, tamen apparatus dicit ibi quòd licet specialiter dicatur de hæresi eo quòd de illo potest accusari etiam si occulta sit cum non uult corrigi, alias enim non posset accusari, tamen etiam de alio crimine potest accusari si sit notorium per confessionem, uel facti euidentiam, & incorrigibilis sit & ecclesia inde scandalizetur. probat per hoc quòd contumacia dicitur hæresis distinct. 91. qui presbyteri, & contumax dicitur infidelis 27. distinct. nullus. ideo quidam dicunt idem de quolibet crimine notorio, de quo ipse non corrigit se propter correctionem fraternam, sed hoc non credo uerum esse: quia cum stabilis maneat sua auctoritas quamdiu in petra quæ Christus est fundatur, & hoc etiam fit per informem fidem ipsa sola fide manente non habet superiorem a quo iudicari possit. Insuper quod soli infidelitati tribuit de aliis criminibus negatur. symbolica autem & transsumptiua locutione contumacia dicitur infidelitas, uel hæresis & argumenta ex talibus tanquam sint proprie dicta nihil ualent. hæc dominus Vlricus. Item idem lib. 6. tractatu 3. cap. 17. ubi de denunciatione euangelica loquens dicit sic. Primum scilicet admonitio priuata habet locum etiam in prælato non habente superiorem, sed sequentia membra non habente ibi locum, quia non habet superiorem cui ipse denuncietur uel coram quo communicetur uel a quo excómunicetur, & ideo si per admonitionem non corrigitur non restat nisi orare pro eo, uel ut emendetur, uel ut subtrahatur de medio ne ecclesiã suo exemplo perdat. hæc ibi. Item hac de causa dicit Host. ꝙ denunciari non potest crimen papæ si corrigi uellet. Item Ioan. in summa confessorũ li. 3. tit. 9. §. 9. ubi dicit, ꝙ licet principum s. admonitio locũ habeat in prælato non habente superiorẽ; tamen sequentia non habent ibi locum, quia superiorem non habet, &c. sicut dicit dominus Vlricus. Ad idem plures alii illuminatissimi doctores sicut dominus Petrus de palude, dominus Herueus magister Augustinus de Anchona in libris suis de potestate ecclesiastica. Præterea hæc sententia manifeste colligitur ex beato Bernardo qui scribens domino Innocentio papæ ita dicit. Quis faciet mihi iustitiam de uobis si haberem iudicem ad quem uos trahere possem iam nunc ostenderem uobis, ut parturiens loquor quid mihi eminet, extat quidem tribunal Christi, sed absit ut ad illud appellem uos, &c. Ecce quàm manifeste innuit beatus Bernardus, quòd papa iudicem non habet in terris. Et ita patet quòd ratio aduersariorum nulla erat, quia cum papa aliquid plus habeat dignitatis quàm ceteri homines, quia cum hoc quòd est frater est etiam pater & princeps non est mirum si plus se extendat ad alios fratres auctoritas præfata. Si peccauerit in te frater, &c. quàm se extendat ad papam. De uera autem intelligentia præfatæ auctoritatis in ea parte in qua dicitur. Dic ecclesiæ, amplissime superius contra minus bene sapientes circa illam disputatum est. Ad secundam obiectionem quæ sumitur ex illo Galat. 2. ubi Paulus dicitur restitisse in faciem Petro, respondetur quòd auctoritas illa nihil facit pro aduersariis. Aliud quippe est resistere & se opponere papæ ubi immineret periculum fidei, aut si aliquid præciperet contra legem domini, & aliud est iudicare per coertionem pœnæ siue punire. quia primum potest esse in- Ad secundam

ferioris, secundum autem non nisi superioris iuxta c.inferior dist.21.& 1. ad Corinth.quarto dicitur. Qui autem iudicat me dominus est. Vnde concedimus quòd ubi immineret periculum fidei manifestum posset uniuersalis ecclesia siue synodus uniuersalis resistere Romano pontifici sicut Paulus Petro, sed ex hoc nulla superioritas auctoritatis arguitur in ecclesia super uerum Romanum pont. sicut nec in Paulo ex præfata correctione supra Petrum, sed bene arguitur & commendatur in Paulo charitas, & libertas & in Petro in susceptione patienter correctionis humilitas. Vnde glo.quæ est Augustini in epistola ad Hieron. super illud. Dixi Cephæ coram omnibus, dicit sic. Ipse Petrus quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis sanctæ atque benignitate humilitatis accepit atque ita exemplum posteris tribuit quòd non dedignarentur, ubi forte rectum tramitem reliquissent a posterioribus corrigi laus utique iuste libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro. hæc gloss. Item idem August. super epistolam ad Galat. de obiurgatione ista Pauli coram omnibus facta Petro loquens ita dicit. Quòd autem hæc ei coram omnibus dixit necessitas coegit, ut omnes illius obiurgatione sanarentur. non enim utile erat errorem qui palam noceret in secreto emendare huc accedit quòd infirmitas, & charitas Petri cui ter a domino dictum est. Amas me, pasce oues meas, obiurgationem talem posterioris pro salute gregis libentissime sustinebat. hæc Augustin. Hanc Augustini doctrinam secutus beatus Thom. dicit in quarto sententiarum distinct. decimanona quòd beatus Paulus Petro in faciem restitit excedit modum fraternæ correctionis, quæ prælatis a subditis debetur. non enim prælati a subditis coram multitudine, sed humiliter in priuato corripiendi sunt nisi ubi immineret periculum fidei. Ad

Ad tertiã

tertiam obiectionem, quæ sumitur ex obiurgatione facta Petro: Actuum undecimo quòd ad gentes diuertisset, respondetur quòd auctoritas illa nihil facit pro aduersariis sicut manifeste colligitur ex dictis beati Grego. qui ut habetur in cap. Petrus 2.q.7. sic inquit. Petrus potestatem regendi acceperat, & tamen idem apostolorum primus quærimonię contra eum factæ, cur ad gentes introisset, non ex potestate officii qua posset dicere oues pastorem suum non accusent nec reprehendant, sed ex auctoritate diuinæ uirtutis qua gentiles acceperant spiritum sanctum respondit dicens. Eandem gratiam quam uobis dedit eis dominus. Hæc Grego. Ex quibus patet, quòd cum ut ait Gratianus ibidem beatus Petrus ex officio potuerit repellere quærelas illorum & sola dispensatione humilitatis illas sustinuerit, non potest accipi argumentum ex illorum reprehensione quòd prælati cogantur reprehensionem subditorum suscipere, & minus ex hoc potest accipi argumentum quòd uniuersalis ecclesia extra casum hæresis possit papam iudicare.

Cap. XCIX. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus fundatis in decretis conciliorum Constantien.

Respõdés auctoritatibus secũdæ uiæ c. 97.

DATA responsione ad auctoritates sacræ scripturæ quas aduersarii in eorum fauorem inducunt, consequens est, ut responsa demus ad ea quæ inducunt secunda uia, uidelicet ex decretis conciliorum

liorum

liorum Constantien. & Basilien. Ad quæ respondentes dicimus quòd nihil eorum quæ inducunt militat contra conclusionem præfatam. Quòd uero non militant ea quæ inducuntur de concilio Constantien. apertissime ex multis ostenditur. Primo quidem quia non est uerum immo falsum quod aduersarii dicunt, uidelicet quòd Constantiæ declaratum sit siue decretatum, quòd uniuersalis synodus in spiritu sancto legitime congregata generale concilium faciens ecclesiam militantem repræsentans potestatem a Christo habet immediate cui quilibet cuiuscunque status siue dignitatis etiam si papalis existat obedire tenetur,&c. Plane nunquam in Constantia sub hac forma legitur aliquod decretum factum. declaratio autem facta per patres illos sub obedientia Ioan. uigesimatertia congregata emanauit sub hac forma. Hæc sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens pro extirpatione præsentis scismatis & unione ac reformatione ecclesiæ in capite & in membris fienda declarat quòd ipsa in spiritu sancto congregata generale concilium faciens & ecclesiam catholicam militantem repræsentans potestatem a Christo habet immediate cui quilibet,&c. Ecce manifeste quòd decretum illorum patrum non loquitur uniuersaliter de qualibet synodo uniuersaliter, sed de illa singulariter pro cuius tempore non erat in ecclesia unus pastor totius ecclesiæ indubitatus. Et ita patet primum: uidelicet quòd falsum sit quòd tale decretum in forma qua proponitur fuerit factum Constantiæ. Secundo non militant quæ inducuntur de concilio Constantien.quoniam dato quòd tale decretum sicut dicitur per aduersarios ibi fuisset factum non habet necessitatem: quoniam hoc quod aduersarii præsupponunt, uidelicet quòd fuerit ab uniuersali concilio legitime congregato & repræsentante uniuersalem ecclesiam militantem est ualde dubium apud multos, immo plurimorum iudicio s. eorũ qui fuerunt de obedientia Gregorii & Benedicti falsum. quoniam sicut apertissime patet ex gestis illius congregationis decreta illa si ita sint appellanda facta sunt solum a patribus aliquibus obedientiæ Ioan. 23. Pro quo notandum quòd cõgregatio illa Constantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit in quo sola obedientia præfati Ioan. Balthasar Constantiæ conuenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corarius uocatus in obedientia sua Gregorius 12. iuri suo cedens præfatæ congregationi sub certis modo & formis se coniunxit. Tertium tempus est in quo reges & principes ac prælati obedientes Petro de luna Benedicto 13.uocato in obedientia sua per suos oratores noua facta conuocatione concilii se unierũt præfatæ congregationi ad pacem dandam uniuersali ecclesiæ,& fuimus nos tunc præsentes in minoribus constituti, pro quo solo tempore conuenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere quòd uniuersalis ecclesia repræsentatiue congregata esset Constantiæ. nullus autem dubitat quando asserere, quòd sola obedientia Ioannis faceret concilium uniuersale uniuersalem ecclesiam repræsentans esset temerarium, & scandalosum aliis duabus obedientiis. Tertio ea quæ inducuntur de decretis concilii Constantien. non militant: quoniam auctoritati illius aliæ duæ obedientiæ scilicet Gregorii & Benedicti apertissima contradictione in plena congregatione se opposuerunt & eorum contradictio fuit accepta. Contradixit ac reclamauit in primis Gregorius ita in sua obedientia uocatus qui uerum se Romanum pontif. asserens, & scribens mittens post

Ad primã

præfatam declarationem factam ab illis, de obedientia Ioannis oratores suos ad Constantiam committit eis dominis scilicet Cardinali sancti Sixti Ioan. electo Patriarchæ Constantinopolitano. archiepiscopo Treueren. comiti palatino Carolo de malatesta auctoritatem congregationem ipsam Constantien. inquantum per serenitatem regiam & non per Balthasar se nuncupari facientem Ioan. 23. uocatam uice sua conuocandi & auctorizandi in generale concilium remota tamen omnimode inde prædicti Balthasar præsidentia & præsentia ab eisdem, &c. uerba sunt formalia bullæ datæ auctoritatis præfatis oratoribus, quæ inserta est in gestis præfati concilii. Quod autem hæc uerba & gesta domini Gregorii præfato decreto contradicant, & opponantur manifestum est. Contradixit præterea eidem decreto obedientia dominorum regum prælatorum & principum & communitatum qui Petro de Luna Benedicto 13. uocato tanquam uero summo pontifici uniuersalis ecclesiæ adhærebant. Nam ut ex gestis eiusdem concilii patet pro eo quòd tenebant præfatos patres Constantiæ congregatos sub obedientia Ioannis siue etiam Gregorii non facere concilium uniuersale nec eorum congregationem repræsentare ecclesiam Dei catholicam noluerunt se unire illi nisi prius iuxta compacta in Narbona cum bo. me. domino Imperatore Sigismundo noua fieret per eos apud quos ueram esse arbitrabantur Dei ecclesiam concilii conuocatio sicut & factum est nobis præsentibus in minoribus constitutis. Quæ omnia ita facta esse, & ab omnibus acceptata synodus ipsa Constantien. per diuersas sessiones apertissime testatur. Quibus tribus obedientiis tandem in nomine Christi constantiæ conuenientibus sub intentione celebrandi concilium uniuersale habita est certitudo, & fides apud omnes Christi fideles uniuersale concilium uniuersalem ecclesiam repræsentans Constantiæ celebrari, & non ante concurrente ambigua inter fideles concertatione apud quem trium pro Romanis pontificibus se gerentium apostolicæ sedis auctoritas resideret & principatus, ut enim testatur deuotissimus Bernardus libro quinto de consideratione. Fides ambiguum non habet, alias si habet fides non est, sed opinio. Ex qua contradictione aliarum duarum obedientiarum clarissime percipit, quisque doctus quàm præsumptuosa sit illa assertio quam obedientia illa Balthasar Constantiæ conueniens faceret concilium uniuersalem ecclesiam repræsentans. Quarto ea quæ inducuntur de decretis concilii Constantien. nullius sunt roboris aut momenti: quoniam in illorum determinatione non modo non interuenit uniuersalis ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Ioannes uigesimatertia, ut dictum est, sed etiam non integre tota illa obedientia: quoniam plures patres doctissimi illius obedientiæ illis non præstiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipse in sua obedientia uocatus Ioan. uigesimotertio: quoniam cum post recessum suum a Constantia Scaphusæ constitutus audiret præfatam declarationem conclusam dominis oratoribus Christianissimi regis Franciæ uisitantibus eum: uidelicet domino duce Bauariæ domino Nicolao de calauilla aliisq; eorum collegis amaro animo conquestus est falsa quædam & erronea aduersus auctoritatem Romani pontificis decreta per emulos suos post recessum eius esse conclusa. Quinto præfata decreta concilii Constantien. non militant: quoniam nunquam fuerunt per omnes alias obedientias simul approbata

probata immo nec repetita: immo tota synodus ex tribus obedientiis congregata statutis suis uidetur designasse decretum illud nunquam in mente sua insedisse. Quod patet ex duobus. Primo ex eo quòd in sessione 36. ita dicitur. Sacrosancta constantien. synodus statuit, & decreuit quòd futurus Romanus pontifex, per Dei gratiam de proximo assumendus cũ hoc sacro concilio, uel deputandus per singulas nationes debeat reformare ecclesiam in capite Romanæ curiæ secundum æquitatem, & bonum regimen ecclesiæ, &c. Et sequitur in 13. articu. propter quæ & quomodo papa possit corrigi uel deponi. Ecce quòd manifeste datur intelligi quòd synodus illa hoc discernens non approbauerit aut mente habuit illa decreta prima Constantię. Secundo ex illo quòd præfata synodus constantien. postquam papa Martinus fuit creatus morem obseruando antiquorum conciliorum humiliter petiuit ab eo confirmationem, & roborationem omnium quæ fecerat, cum autem confirmare, & roborare superioris auctoritatis sit: planissimum est quòd synodus illa integra ex omnibus obedientiis Christianitatis non erat huiusmodi fidei quòd concilium uniuersale habeat a Christo immediate potestatem cui etiam papa obedire teneretur. Sexto præfatum decretum Constantien. non militat: quoniam per apostolicam sedem non fuit approbatum: immo uidetur per dominum Martinum reprobatum siue annullatum in condemnatione erroris Ioannis uicleff, & Ioannis hus: inter quos, ut patet in bulla quam approbante concilio Constantien. dominus Martinus misit uniuersis prælatis nationis Germaniæ, unus articulus condemnatus est. Quod Petrus non est nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Secundus articulus de quo mandat præfatus dominus Martinus prælatis, & inquisitoribus fidei, ut inquirant suspectos de præfatis erroribus: utrum credant quòd papa canonice electus qui pro tempore fuit eius proprio nomine expresso sit successor beati Petri habens auctoritatem supremam in ecclesia Dei, hæc ibi. Clarissimum est autem quòd hi duo articuli per dominum Martinum assentiente & approbante concilio plenario Constantien. uidelicet quòd papa sit caput sanctæ sedis catholicę, id est uniuersalis, & quòd habeat supremam potestatem in ecclesia Dei: non possunt simul stare cum decreto illo quod Constantiæ factum legitur per quosdam de obedientia Ioan. Balthasar de superioritate conciliorum supra papam: quoniam ut habetur in cap. inferior dist. 21. soli sedes potior inferiorem conuenienter absoluit: nec potest quisquam quæ inferioris auctoritatis est eum qui maioris potestatis est adiicere aut propriis subiugare diffinitionibus. Si papa manens papa alterius iudicio præterquam Dei subiacet non potest stare in ueritate articulus ille diffinitus Constantiæ per dominum Martinum: quòd papa habeat supremam potestatem in ecclesia, ut in superioribus etiam deduximus. Septimo præfata decreta quæ inducunt aduersarii de concilio Constantiensi non militant: quoniam expresse sunt contra sacrorum conciliorum canones, & apostolicæ sedis diffinitiones sicut in superioribus est demonstratum, quare quicquid diffinitum sit in contrarium quibuscunque uiribus caret iuxta cap. hæc est fides pater beatissime 24. q. prima. Octauo decreta illa non militant: quoniam sanctorum patrum sententiis quorum doctrinam in his quæ fidei sunt uniuersalis iam approbauit ecclesia manifeste contradicunt: sicut patuit exemplariter in superioribus ubi pro prin-

cipatu Romani pontificis testimonia induximus de beatis Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo, Theophilo & Cipriano atque Leone primo: quorum sententiæ in materia fidei cum iam ab uniuersali ecclesia sint firmatæ, ut patet in quinta synodo nulla auctoritate nulla hominum diffinitione possunt repelli. Omnis quippe contradictio facta horum patrum sententiis fieret profecto fidei ipsius uniuersalis ecclesiæ. prima nanque salus ut habetur in ca. prima 15.quæst.1.est recte fidei regulam custodire, & a constitutis patrum nullatenus deuiare. Nono præfata decreta locum non habent: quoniam contradicunt communi doctrinæ clarissimorum doctorum tam iuris diuini quàm humani: qui ut in superioribus declaratum est de uenerabili Hugone de sancto Victo. de Alberto Magno, de sancto Thom. de magistro Alexandro de Alis, de sancto Bonauentura &c. qui testimoniis scripturarum sanctarum, & canonum reuerentia totius orbis consecratorum, & auctoritatibus summorum pontificum clarissima luce demonstrant Romanum pontificem ita principatum habere in uniuersa ecclesia ut extra casum hæresis in quo a papatu cadit solum Deum iudicem superiorem habeat cuius uicarius immediatus existit. Est autem mirabile quòd patres illi Constantiæ congregati uoluerunt uno ictu non solum delere sed hæreticare tantorum patrum doctrinam. Est autem hic non prætereundum quod habetur in cap. placuit 36. quæst. 2. quòd auctoritas concilii non præiudicat auctoritati Hieronymi, & maxime cum diuinæ scripturæ innitatur: ubi dicit glo. ꝙ hæc ratio est: quia roboratur auctoritate ueteris testamenti, & concilii. Meldensis. Si autem unius doctoris sancti auctoritas roborata auctoritate sacræ scripturæ, & auctoritate unius concilii præiudicat auctoritati unius concilii uniuersalis, ut ibidem dicitur: quanto magis auctoritas tantorum doctorum, & sanctorum roborata, & sacra scriptura, & conciliis uniuersalibus, & diffinitionibus apostolicæ sedis præiudicare debet decreto unius obedientiæ tantum & tempore scismatis. Ex quibus omnibus liquido colligitur quòd præfata decreta quæ ex aduerso allegantur a patribus aliquibus Constantiæ ędita unius obedientiæ tantum tempore scismatis nec necessitatem habent nec uirtutem euertendi fidem quam de Romani pon. principatu semper seruauit sanctorum patrum auctoritas, & uniuersalis ecclesiæ pietas uenerata est.

Cap. C. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis ex decretis concilii Basilien.

Respódés secundæ auctoritati secúdæ uiæ c.97.

AMPLIVS secundo ea quæ inducuntur de concilio Basilien. ex diuersis sessionibus eius minimè etiam militant propter multa. Primo cum dicunt quòd sancta catholica ecclesia in sancto Constantien. concilio &c. præsupponunt duo. Quorum primum est manifeste falsum ut dicunt: quòd in concilio Constantien. fuerit uniuersaliter diffinitum quòd concilium generale &c. quoniam non uniuersaliter aut indiffinite sed singulariter facta fuit illa diffinitio siue declaratio, ut in responsione ad ea quæ inducuntur de concilio Constantien. plene in præcedenti cap. dictum est. Secundo supponunt quòd illud decretum factum sit a sancta uniuersali ecclesia. hoc enim salua pace eorum qui ita opinati

sunt

ſunt nullo modo poteſt probari uerum eſſe ſicut iam ante diximus: inmo temerarium uidetur plurimumque ſcandaloſum uelle diffinire quòd obedientia ſola Ioannis Balthaſar quæ ſola Conſtantiæ conueniens fecit id decretum tempore ſciſmatis eſſet uniuerſalis eccleſia catholica legitime a uero, & indubitato paſtore uniuerſalis eccleſiæ congregata ſanctum uniuerſale concilium faciens. hoc enim eſſet dicere quòd ſola obedientia Ioannis balthaſar inter tres obedientias fuiſſet eccleſia, & thalamus Chriſti, & aliæ obedientiæ, ſcilicet Gregorii, & Benedicti fuiſſent proſtibula, & ſynagoga ſathanæ, & hoc non eſt aliud quàm ſuſcitare antiquum ſciſma in eccleſia Dei. Secundo non militant præfata decreta Baſilien. concilii: eo quod concilium illud noluit recipere præſidentes papæ in auctoritate ſua debita iuxta morem antiquorum conciliorum uniuerſalium de quorum auctoritate in actione ſexta concilii Calcedonen. ut refert Iſido. in lib. conciliorum ita habetur: in omnibus ſynodis apocriſarii apoſtolici decretas ſententias primo propter ſummam auctoritatem ſanctæ eiuſdem ſedis confirmabant, & ſubſcribebant quia aliter nullum robur habebant. unde ſcribit Paſchaſius &c. Ex quibus patet decreta illa omnino uacua eſſe auctoritate. Tertio patet idem: quia non fuerunt concluſa unanimi conſenſu totius ſynodi Si autem concilium non agant, ut inquit Iſidorus ſexto Ethi. & in cap. primo diſtin. decimaquinta qui non conſentiunt in unum: non poteſt dici concluſio concilii uniuerſalis maxime in materia fidei cuius unitas maxime requiritur in corpore eccleſiæ quæ ex uniuerſali conſenſu non emanat. Quod autem uniuerſalis conſenſus in decretis illis Baſilien. non interuenerit patet. Tum quia multis prælatis, & doctoribus in utroque iure graduatis ſapientia, & uirtutibus clarisſimis non conſentientibus ædita ſunt: quorum plures eorum attendentes prædicta decreta aduerſa eſſe ſanctorum patrum doctrinis non modo in deputationibus ſuis contradixerunt, & reclamauerunt, uerumetiam in ſesſionibus ipſius concilii in quibus talia decreta ad furorem quorundam hoſtium apoſtolicæ ſedis cum multitudine populi parui precii, & nullius auctoritatis publicata ſunt intereſſe noluerunt. Secundo non fuerunt unanimitate uniuerſali concluſa: quia non expectata plene uniuerſali eccleſia nec integre ſynodo congregata. non enim expectatis plurium regum, & principum oratoribus concluſa fuerunt licet aliquos eorum nouerint iam in uia conſtitutos. unde Baſilien. cupidi renouare decreta ſua poſtquam ſanctæ memoriæ dominus Eugenius ad principum preces reuocauerat diſſolutionem concilii quam fecerat timentes dominorum caſtellæ, & Angliæ oratores quos iam propinquos nouerant pro eorum ſapientia, & zelo ad fidem, & apoſtolicam ſedem concluſionibus eorum non præbituros conſenſum practicauerunt, ut ante aduentum præfatorum dominorum oratorum innouatio fieret ſuorum decretorum: quod factum eſt in ſesſione decimo octauo. Nullus profecto ſanæ mentis uir qui nouit cum quanta grauitate integritate, & modeſtia fidei iudicia tractanda ſunt iudicabit eſſe uniuerſali conſenſu totius eccleſiæ concluſa ſpirituque ſancto dictata in quibus huiuſmodi factiones, & practicæ interuenerunt. Quarto decreta Baſilienſium inualida eſſe monſtrantur eo quòd eis non interuenit aſſenſus apoſtolicæ ſedis quæ unamquamque ſynodum ſua auctoritate confirmat: ut in capi. conſideremus 25. quæſt. prima. Quod uero ad hoc di-

eunt aduersarii Basilien. quòd in sessione 17. quando præsidentes domini Eugenii fuerant admissi iurauerunt defendere decreta præfati concilii, & specialiter decretum de auctoritate conciliorum nullius est ponderis, & inter alia ex hoc quòd ut in gestis eiusdem concilii habetur præfati domini iurauerunt nominibus propriis, ut scilicet particulares personæ, & hoc necessitate maxima compulsi: quia aliter in maximum scandalum totius ecclesiæ non admittebantur ad præsidentiam: non autem iurauerunt illa tenere ut nuncii apostolici: immo inquantum huiusmodi protestati sunt in contrarium nec interesse uoluerunt sessionibus in quibus talia concludebantur. Quis autem iam etiam patrum in sanctorum patrum litteris doctus dicet unanimi consensu uniuersalis ecclesiæ esse conclusa quæ apostolica sede in qua dominus totius ecclesiæ principatum posuit non consentiente sed potius contradicente per suos oratores, & reclamante conclusa sunt: sicut patet ex distin. 17. per totum. Sed replicant aduersarii Basilien. quòd immo in decretis eorum interuenit consensus apostolicæ sedis: quoniam dominus Eugenius per bullas suas de concilio, & assensu dominorum cardinalium tunc secum in curia existentium decreuit, & declarauit multa circa præfatum Basilien. concilium. Primo quòd generale concilium Basilien. fuerit pro extirpatione hæresum pro pace populi Christiani ac generali reformatione ecclesiæ in capite, & in membris, & pertinentibus ad ea legitime inchoatum. Secundo quòd a tempore suæ inchoationis legitime inchoatum extiterat, & esse persecutionemque semper habuisse, & habere &c. Tertio prædictam dissolutionem irritam, & inanem declarauit. Quarto quòd ipsum generale concilium pure, & simpliciter, & cum effectu ac omni deuotione, & fauore prosequi intendebat. Quinto reuocauit quicquid per eum aut eius nomine in præiudicium, & derogationem prædicti concilii Basilien. seu contra eius auctoritatem attentatum esset. Ad illa facilis est responsio maximè si uera sunt quæ a pluribus magnæ probitatis, & grauitatis uiris dicta sunt in curia, uidelicet quòd præfatæ bullę magis extortæ fuerunt minis quàm de mente domini Eugenii emanauerint. Nam ut fertur dominus Andreas uenetus dominii uenetorum tunc orator & aliqui domini cardinales tunc apud dominum Eugenium præsentes timentes futurum magnum scandalum in ecclesia minati sunt prę-fato domino Eugenio quòd nisi bullas illas adhæsionis concederet ipsum solum recedentes relinquerent. Vnde præfato domino in lecto decumbente præfati domini referuntur bullas illas taliter qualiter expediuisse, & misisse Basileam. Sed dimissis istis nos aliter respondemus dicentes: quòd nihil eorum quæ in præfatis bullis continentur suffragatur aduersariis: quoniam dominus Eugenius nunquam præbuit consensum decretis concilii Basilien. nec ipse ut Basilienses fabulantur, & garriunt cum sancta catholica ecclesia fuit complexus doctrinam quam aduersarii de auctoritate conciliorum fingunt: quoniam nec ipse summus pontifex nec unquam uniuersalis ecclesia complexa est talem doctrinam sed ipse semper tenuit cum sancta catholica ecclesia quod scriptura sancta, & sacrorum antiquorum canonum firmat auctoritas sanctorum patrum ac clarissimorum doctorum ab ipso nascentis ecclesiæ exordio communis tenet doctrina. Et ad probationem quam inducunt ex partibus bullarum adhæsionis: respondetur negando quòd ex aliqua illarum partium cum ueritate potest argui

quòd

quòd dominus Eugenius complexus fuerit aut approbauerit præfatam Basilien. doctrinam. Quod per singulas partes discurrendo facimus manifestum. Non quidem ex prima in qua dicit concilium Basiliense congregatum esse legitime pro extirpatione hæresum patet: quoniam ex hac concessione nullo modo sequitur quòd ipse summus pontifex complectatur aut approbet quicquid per illud concilium fuerit institutum aut diffinitum. licet enim uniuersale concilium Ephesinum secundum extirpandi hæresis gratia fuerit legitima auctoritate inchoatum nihilominus Leo papa non complexus est præfati concilii diffinitiones: immo illas in concilio Calcedonen. sequenti tanquam hæreticas reprobari instituit, & damnauit. Præterea licet sancti patres in conciliis uniuersalibus legitima continuatione processerint: nihilominus pro suorum canonum robore atque firmitate ad apostolicam sedem leguntur semper habuisse in fine recursum: sicut liber conciliorum, & summorum pontificum aperte testatur: quod etiam nos in tertio sequenti libro ostendemus. Ceterum nec ex secunda parte bullarum adhæsionis aduersarii habent intentum: quoniam licet dominus Eugenius declararet præfatum concilium fuisse continuatum, & continuari debere: propter hoc non sequitur quod decreta sua aut statuta super quibus eius sedes nunquam fuerit consulta approbauerit, & tamen ut felicis, & sanctæ memoriæ Nicolaus papa in epistola quam Michaeli imperatori scribit a sanctis patribus in conciliis obseruatum extitit ut absque Romani pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. unde ipse uidelicet Eugenius Florentię in disputatione publica de qua nos in minoribus constituti respondebamus alleganti in fauorem Basilien. reuerendissimo domino Iuliano de Cæsarinis sanctæ Sabinæ presbytero cardinali præsentibus dominis cardinalibus pluribusque aliis prælatis, & officialibus curiæ ad argumentum de huiusmodi bullis respondit ita dicens. Nos quidem bene progressum concilii approbauimus uolentes, ut procederet, ut inceperat: non tamen approbamus eius decreta: & in hoc sapientissimè fecit. Quis enim nisi imprudentissimus princeps approbaret decreta: quę nunquam uidisset aut quę prius non examinasset si quid in eis minus rectum minus uerum aut minus expediens contineretur. Vnde mos fuit summorum pontificum cum confirmaturi essent decreta conciliorum uniuersalium quibus personaliter non interfuerant congregare synodum prælatorum qui erant sub patriarchatu Romano, & ibidem diligenti examinatione facta illa confirmabant sicut de beato Siluestro legitur cum decreta concilii Niceni approbasset. Item diebus posterioribus papa Clemens quintus ita fecisse legitur: ut Ioan. an. in principio cle. ponit de constitutionibus factis in concilio Viennen. quæ quia ut inquit aliquæ earum erant ineptæ aliquæ prolixe, aliquæ defectiue compositæ, aliquæ etiam non expediebant, fecit illas Clemens recenseri per peritiores qui aliquas illarum in toto reseruauerunt, aliquas mutauerunt quo ad uerba mente seruata: aliquibus uero earum quibusdam detractis quo ad uerba, & quo ad mentem aliqua sunt addita. Præterea quòd dominus Eugenius approbando processum concilii non approbauerit decreta illius exinde manifeste colligitur quòd licet Basilien. cum maximo studio repetitis uicibus supplicauerunt orauerunt, & requisierunt per oratores suos, ut dominus Eugenius eorum decreta

approbaret,& confirmaret nunquam tamen talem approbationẽ aut confirmationem habere ab eo potuerunt. Et merito: quia sedes apostolica in qua religio Christiana semper immaculata permansit,& permanebit talia decreta quæ ab euangelica ueritate, & sanctorum patrum doctrina aliena uidebantur nullo modo ab eo passa fuisset confirmare. Ceterum nec ex tertia particula bullarum prædictarum habent aduersarii intentum. Tum quia non ideo dominus Eugenius dissolutionem factam concilii irritam esse declarauit quia ipse qui princeps erat ecclesiæ facere illam non potuerit sed quia agnouit ex non ueris causis licet ueris æstimatis ex aliquorum relatione illam fecisse. unde cognita non existentia causarum & ꝙ ut in bulla inquit ex prædicta dissolutione ortę erant graues dissensiones, & grauiores oriri possent: necnon quòd præstabant impedimentum executioni sanctorum operum ad quæ synodus fuerat congregata data promissione a synodo, & securitate a principibus ꝙ apostolicæ sedis honor, & sanctitatis suæ illibatus seruaretur mutauit sententiam,& uoluit dissolutionem factam pro bono pacis ecclesiæ nullam haberi nec habuisse firmitatem reuocans illam ac irritans. Non enim est nouum ꝙ sententiæ summorum pontificum pro consideratione temporum,& locorum,& personarum ac grauium occurrentium necessitatum in melius commutentur. Ait enim papa Nicolaus in c. sententiam 25.q.7. Sententia Romanæ sedis non negamus in melius posse commutari cum aut surreptum aliquid fuerit aut ipsa pro consideratione ætatum,& temporum seu grauium necessitatum dispẽsatorie quædam ordinare decreuit: quoniam,& egregium apostolum Paulũ quædam fecisse dispensatorie legimus quę postea reuocasse legitur. Amplius nec ex quarta particula cedit aliquid fauoris aduersariis: quoniam licet dominus Eugenius diceret se uelle prosequi cum omni deuotione, & fauore illud concilium: hoc tamen intelligendum est in his quæ iuste, & rationabiliter salua fide: salua sanctorum patrum doctrina salua apostolicæ sedis auctoritate,& reuerentia per concilium constituerentur. Præterea dato ꝙ papa tunc promisit concilium illud cum omni deuotione,& fauore prosequi intelligatur approbasse illius decreta: illa intelligatur approbasse quæ iurisdictionem,& auctoritatem papalem non offendunt, & honori atque præeminentiæ apostolicæ sedis non repugnant seu obuiant quæ ut supra repetitum est superiorem nullum præter Deum recognoscit, de elect. cap. licet. Item nec ex quinta particula aduersarii habent propositum suũ quoniam ex tali reuocatione, & cassatione eorum quæ attentata fuerunt in præiudicium concilii Basilien. non sequitur quòd dominus Eugenius asserere uoluerit aut credere uoluerit ea de consilio Basiliensi aut quocunque alio quæ cum ueritate conciliis non conueniunt. nec contra auctoritatem concilii fit negando ei conuenire quę iuxta sanctorum patrum doctrinam ei non competunt. Ceterum nec per illam reuocationem uoluit dominus Eugenius a se & a se de sua abnegare quę iuxta scripturas sanctas & sanctorum patrum sententias apostolicæ sedi diuinitus sunt concessa cũ hoc non posset facere: inter quæ est illud de dependentia auctoritatis conciliorum a papa,& non econuerso: ut patet distinct. 17. per totum, de quo etiam duce Christo plenior tractatus erit in sequenti huius summæ libro tertio. Quinto decreta Basiliensi. prædicta non sunt ualida: quoniam sicut de decretis factis Constantiæ per patres aliquos obedientiæ Ioannis bal-

thasar

thásar qui dictus est apud illos Ioan.23.dictum est: sunt sanctorum patrum sententiis, & præstantiorum doctorum in tota schola theologica doctrinæ aduersa & contraria. Vbi non parum admirandum aduersarios Basilien. tanta caligine mentis inuolutos, & excecatos malitia, ut in materiis fidei diffiniendis, & declarandis maluerunt sequi homines ab ecclesia Dei in doctrina sua damnatos: sicut fuit Marsilius de padua Ocham cum complicibus suis, ex quorum doctrina extracta sunt pro magna parte decreta illa præfata Basilien. & quosdam alios nouellos doctorellos præfati Ocham, & aliquorum fratricellorum opiniones erroneas renouantes, quàm doctores sanctos ab ecclesia approbatos, & alios præstantissimos doctores antiquos, & reputatissimos in schola theologica quorum doctrina fulget ecclesia, ut sol & luna. Contra quos ait Hieronym. & habetur in canone non afferamus 24.quæst. prima. Non afferamus stateras dolosas nec appendamus quod uolumus pro arbitrio nostro dicentes. hoc graue hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram ex scripturis sacris tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, hæc Hieronymus.

Cap. CI. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus sumptis ex auctoritatibus doctorum.

IAM respondeamus ad auctoritates doctorum quas aduersarii in eorum fauorem inducunt. Et primo ad illam quæ dicitur esse beati Petri ad Clementem, respondetur quòd auctoritas illa non militat contra conclusionem nostram propter multa. Tum primo quoniam cum beatus Iacobus multo tempore fuerit mortuus ante beatum Petrum bene scilicet ad minus octo annis, ut colligitur ex chronicis: non uidetur uerisimile quòd beatus Clemens scripserat illam epistolam post mortem beati Petri beato Iacobo. Tum secundo: quia multi tex. habent ubi aduersarii ponunt deponaris puniaris: & hoc intelligitur a Deo, & non ab aliis. Etiam si dicatur deponaris intelligendum est, scilicet a Deo. Et quòd ita sit intelligendum patet satis testimonio beati Anacleti qui immediate secutus est beatum Clementem qui ait in capi. electionem distinctio. 79. Electionem summorum pontificum sibi Deus reseruauit. Tum tertio: quia dato quòd dicatur in auctoritate prædicta deponaris, & intelligatur per ecclesiam, nó sequitur quòd extra casum heresis ueniat deponendus per ecclesiam. unde solus casus hæresis tangitur in auctoritate prædicta cum dicitur. Ex eo fit quòd & tu tanquam qui non docueris quæ ad salutem hominum pertinent deponaris uel puniaris, hoc enim concedimus quòd si papa non docuerit quæ ad salutem hominum pertinent sed errores, & hæreses merito puniendus tanquam hostis Christi euersor fidei eius ueniat. Et ita ratio non procedit contra conclusionem nostram. Ad secundam quæ sumitur ex glos. capit. si papa distinctione quadragesima respondetur quòd de glo. illa parum curandum est. Tum primo: quia ut patet ex modo loquendi non assertiue sed opinatiue loquitur. ait enim credo. Secundo: quia non firmatur aliqua ratione. contumacia enim non proprie dicitur hæresis sed symbolica, & transumptiua locutione. unde argumenta sumpta ex talibus tanquam sint proprie dicta nihil ualent, ut dicit Augusti. ad

Respódés auctoritatibus iterum tiæ uiæ cap. 97. Ad primá

Ad secundam

Vincen. Tum tertio, quia manifestum est contra textum unius summi pontificis, & martyris qui multo præstantioris auctoritatis est quàm glossator ille. Quarto: quia est contra multos tex. & canones sacrorum conciliorum & sanctorum patrum. de quibus superius in cap. 93. multa commemorata sunt. Tum quinto: quia contraria est doctrina doctorum utriusque iuris clarissimorum sicut patet ex superioribus. Vnde etiam Archidya. in Rosario super illud glo. Nunquid potest denunciari crimen papæ dicit: quòd denunciatio fit ad correctionem ad quam compelli non potest cum superiorem non habeat. Tum sexto: quia contraria est multis aliis gloss. ut illi in cap. mandastis 2. quæst. 5. quæ dicit: quòd papa non potest ab aliquo iudicari nec etiam ab universali concilio. Item illi in cap. nemo 9. quæst. 3. super uerbo, ab omni clero: quæ dicit argumentum quòd concilium non potest papam iudicare ut extra de elect. cap. significasti. unde si totus mundus sentiret in aliquo negocio contra papam uidetur sententiæ papæ standum esse ut 24. quæst. prima hæc est fides, hæc glo. prædicta. Item contraria est glo. in ca. si quis pecuniam distinct. 79. quæ uult quòd tantum pro stricta hæresi papa possit iudicari, & deponi, scilicet si peccat contra articulos fidei. Quarum glo. contradictione uisa siue sint unius glossatoris siue diuersorum illa sententia magis tenenda est pro qua maior numerus glossatorum facit. Secundo potest responderi ad illam glo. ut quidam theologi respondent, & maxime magister Augustinus de Anchona in summa sua de potestate ecclesiastica: quòd papam esse incorrigibilem potest intelligi dupliciter. Vno modo continuatione criminis puta quia admonitus non desistit peccare peccato fornicationis aut alio accusatione digno absque hoc quòd crederet licite facere. Secundo modo per ipsius criminis pertinacem defensionem ut dicat, & defendat tale crimen quod circumuolutam habet malitiam non esse peccatum. Glo. uero non habet locum in primo modo sed bene in secundo. tunc enim concordat cum gloss. cap. si quis pecuniam distinct. 79. de qua parum ante. Si autem dicatur quòd papa sit incorrigibilis tantum primo modo per continuationem, scilicet in peccatis adhuc scandalizaret, & ita uidetur quòd ueniret iudicandus respondetur quòd non propter hoc ueniret iudicandus. Tum quia illud non esset scandalum periclitationis ecclesiæ, hinc est quòd licet talia scandala præuideret dominus in sua ecclesia: nihilominus dicit dominus de prælatis Math. 23. Super cathedram Moysi &c. Et hoc est quod aperte dicit ca. si papa. Tum secundo: quia ut ait Grego. utilius scandalum nasci permittitur quàm ueritas relinquatur. Cum autem iuxta canones sanctorum patrum, & sanctorum doctorum doctrinam papa nisi in fide deuiet a solo Deo iudicandus ueniat propter quodcunque scandalum ueritas doctrinæ tantis in conuulsis sanctorum patrum radicibus fundata non est aliquo modo relinquenda. Præterea ut inquit Apostolus mala non sunt facienda ut eueniant bona: malum est autem facere contra diuinam dispensationem aut usurpare diuinum iudicium. cum autem ista sint peccata mortalia: ergo hæc facienda non sunt propter quæcunque alia bona. Ad tertiam obiectionem sumptam ex auctoritate beati Gregorii: respondetur ut dicit magister Alexander de Alis in tertio: quòd hoc quod fecit Gregorius factum est ad exemplum humilitatis non ex necessitate iuris. quòd enim papa se uoluerit subiicere in aliqua causa aliorum iudicio super ero-

Ad tertiã

gationis

gationis est,& tale non infert necessitatem. unde ex hoc non arguitur quod habeat iudicem ordinarium superiorem eo. Ad quartam auctoritatem quæ dicitur esse beati Thomæ in libro de regimine principum: responde- tur quòd non facit ad propositum dato quòd liber sit sancti Thomæ si bene intelligantur ea quæ idem doctor ibi posuit.non enim loquitur ibi sanctus Thomas nisi de communitate quæ ius habet prouidendi sibi de rege per institutionem siue donationem iurisdictionis sicut est communiter in institutione regum, & principum secularium: secus est de principe ecclesiæ cuius auctoritas ab ipso Deo immediate pendet & non a communitate ecclesiæ sicut iura multa dicunt, ut in cap.quamuis dist.21.& in cap.omnes dist.22 & in ca.sacrosancta. Præterea hoc etiam patet ex eo quòd licet aliquod collegium canonicorum alicuius ecclesiæ cathedralis expectet prouideri sibi per electionem de episcopo:nihilominus quantumcunque conuersus ad tyrannum aut scandalizet ecclesiam non pertinet ad eum deponere illum sed oportet recurrere ad superiorem. Ex his patet deceptio eorum aduersariorum qui ex conditione communitatis mundanę ad quam spectat ut dicunt principis correctio uel totalis destitutio si inemendabilis perseueret arguunt de communitate ecclesiæ quòd ita sit aut debeat esse in ea respectu ipsius principis ecclesiæ: decipiuntur autem turpiter cum nullo modo sit simile hic & illic ut dictum est.

Ad quartam

Cap. CII. In quo respondetur aduersariorum obiectionibus assumptis ex rationibus, & qualiter papa per hæresim publicè prædicatam, & contumaciter defensatam cadat a papatu.

CONSEQVENTER respondendum est ad obiectiones quartæ uiæ scilicet ad rationes. Ad primam rationem sumptam de ca. si papa respondetur negando consequentiam. Et ratio est:quoniam per hæresim papa cadit a papatu quod non fit per alia peccata: & ita cum per hæresim papa fiat omnibus fidelibus minor: ut dicit sanctus Thomas in 4.& habet glo.in cap.achatius 24.quæst. prima per ecclesiam iudicari poterit siue iudicatus a Deo declarari: quod non potest propter alia peccata. Quod uero papa per hæresim notoriam, & contumaciter defensatã cadat a papatu, & ita ipso iure sit priuatus patet ex multis. Tum ex eo quòd fide perdita per quam fit prima unio ad corpus Christi quod est ecclesia membrum ecclesiæ esse desinit: & per consequens esse caput. quomodo enim intelligi potest ut aliquis sit caput corporis ecclesiæ cuius non modo membrum non est sed nec etiam in corpore ipso sed extra est. Secundo quia ecclesia est fundata super petram scilicet fidem Christi. Math.16.Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam .ergo qui cadit a petra scilicet Christo siue fide eius notorie, & contumaciter cadit omnino ab ecclesia Christi, & per consequens a principatu eius qui importatur nomine papatus. Tertio patet ex his quæ sanctus Thomas dicit in secunda secundæ quæstionis, trigesimo nono argu.tertio ubi quærens an scismatici habeant absoluendi potestatem, & distincta duplici potestate,

Respõdẽs rationibus quartæ uiæ cap. 97.
Ad primã

ſcilicet ſacramentali, & iuriſdictionali, reſpondet quòd poteſtatem ſacramentalem non perdunt quo ad eſſentiam poteſtatis licet bene quo ad legitimum uſum. Poteſtatem uero iuriſdictionale quæ non per conſecrationem ſed per ſolam commiſſionem datur perdunt quo ad eſſentiam poteſtatis ſciſmatici, & hæretici. unde non poſſunt abſoluere uel excommunicare nec indulgentias dare nec aliquid huiuſmodi: quod ſi fecerint nihil eſt actum. Inducit ad hoc auctoritatem Cypriani qui in cap. nouatianus, ſeptima quæſtione prima ita inquit. Qui nec unitatem ſpiritus nec communicationem pacis obſeruat, & ſe ab eccleſiæ uinculo, & ſacerdotum collegio ſeparat nec epiſcopi poteſtatem habere poteſt nec honorem. Tum quarto hoc colligitur ex eodem ſancto Thom. in quarta diſtinctione decimanona ubi inquit: quòd ſi papa in hæreſim labitur minor efficitur quocunque fideli. & hoc idem habet gloſſ. ſuper cap. achatius 24. quæſt. prima quæ ita habet. Hic eſt caſus in quo papa papam ligare poteſt in quo papa in canonem latæ ſententiæ incidit. Nec huic obuiat regula: par parem ſoluere uel ligare non poteſt: quia ſi papa hæreticus eſt in eo quòd hæreticus eſt minor eſt quolibet catholico, hæc gloſſ. Tum quinto hoc uidetur colligi ex capitulis multis in decreto: ſicut ex cap. quòd autē & ex cap. achatius. & ex cap. audiuimus 24. quæſt. prima, unde in cap. audiuimus ita expreſſe habetur. Si autem in corde ſuo nouam hæreſim confinxerit ex quo talia prædicare cœperit neminem damnare potuit: quia non poteſt deiicere quenquam iam proſtratus. Item ex cap. omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti &c. cap. eau. & quæſt. & ex cap. didicimus, ibidem. ubi beatus Cyprianus ita ait. Dicimus omnes omnino hæreticos, & ſciſmaticos nihil habere poteſtatis aut iuris. Item ex. §. his auctoritatibus, ea. cau. & q. ubi ſic habetur. His auctoritatibus perſpicue monſtratur ex quo aliquis contra fidem cœperit aliquid docere nec deiicere quenquam ualet nec damnare. unde proprie loquendo nec propter hæreſim papa deponitur a concilio ſed potius declaratur non eſſe papa cum oſtenditur quòd in hæreſim fuit collapſus, & incorrigibiliter in ea obſtinatus perſeuerat. unde gloſſ. in cap. 1. extra de ſciſmaticis ſuper uerbo careant firmitate dicit. quia dum eccleſia paſtorem habet hæreticum uel ſciſmaticum uacare intelligitur ſupra de præſcrip. cap. 1. uerum quòd quis in hæreticam prauitatem pertinaciter lapſus ſit ipſo iure omni eccleſiaſtica poteſtate priuatus plenius opitulante Deo oſtenſuri ſumus in quarto libro huius operis cum de hæreticis erit ſermo.

Ad primā probationem

Ad probationem autem primam conſequentiæ reſpondetur. Primo quòd dato quòd ſcriptura ſancta aperte non expreſſerit ius tamen canonicum hanc differentiam ſatis ſufficienter expreſſit, ut in cap. ſi papa, & in multis aliis, ut cap. oues, magnam faciens differentiam in hoc loco de peccato hæreſis, & de peccatis aliorum generum, & hoc ſufficit. Secundo poteſt reſponderi negando ꝙ in ſacra ſcriptura talis differentia inter hæreſim ſiue infidelitatem, & alia peccata non reperiatur expreſſa. De peccato enim infidelitatis dicitur. Math. 10. Qui negauerit me coram hominibus negabo eum coram patre meo. Item Ioan. 3. Qui non credit iam iudicatus eſt. Item 2. Ioan. 1. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert nolite eum recipere in domo nec aue ei dixeritis: qui enim dixerit ei aue communicat operibus eius malignis. ubi inquit gloſſ. nolite, id eſt non tantum non aſſentia-

tis

tis sed nec ad horam recipiatis. Et isti ita se extendunt ad prælatos Christi doctrinam non accipientes sicut ad subditos. De aliis autem peccatis nō sic loquitur scriptura diuina: sed ait Math. 23. Super cathedram Moysi sederunt scribę, & pharisæi quæcunque dixerint uobis seruate, & facite, secundum opera eorum nolite facere. Ecce quòd dominus non dicit abiiciendos malos pastores qui bonam doctrinam habent uitam uero malam: sed audiendos in doctrina, in operibus uero non imitandos. unde Augusti. in epistola ad Generosum assignans rationem quare prælatis etiam malis utpote papæ etiam malo moribus obediendum esset sic dicit. Ab ipso Petro numeramus episcopos, & infra in hoc ordine successionis episcoporum qui deducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium qui nunc eandem cathedram sedet etiam si quisquam traditorum per illa tempora surrepsisset nihil præiudicaret ecclesiæ, & innocentibus quibus dominus prouidens ait de præpositis malis. quæ dicunt facite quæ autem faciunt nolite facere, ut certa sit spes fidelium quæ non est in homine sed in Deo collocata nunquam tempestate sacrilegii scismatis dissipetur: hæc ille. Item colligitur ex apostolo ad Roma. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit gloss. bonis uel malis 1. Petri 2. Obedite præpositis uestris non tantum bonis, & modestis sed etiam discolis. Ecce quàm clara differentia ex sacra scriptura colligitur inter peccata infidelitatis in pastoribus, & alia peccata. Ad secundam probationem respondetur quòd falsum præsupponitur uidelicet ꝙ maius sit iudicare papam in casu hæresis quàm in casu aliorum peccatorum. Et ratio est quia in primo cadendo a petra fidei cadit a papatu ut dictum est & ita efficitur minor quocunque fideli, & ita minus est in hoc casu iudicare illum quod non est in aliis peccatis in quibus non cadit a superioritate officii. Quod autem dicitur quòd ubi conceditur maius &c respondetur ꝙ hoc uerum est ubi maius, & minus sunt eiusdem ordinis siue rationis ut de se patet. Ad secundā rationem ubi dicitur ꝙ nulli corpori, &c. respondetur ꝙ ratio non procedit propter multa. Tū primo: quia maior illa deficit in ueritate de membro capite quia ab illo pendet sensus motus, & uirtus corporis, & sine quo corpus non uiuit. Hinc est ꝙ Christus Math. 18. inter membra ratione scandali abscindenda non nominat caput sed membra illa cum quorum abscisione stat uita sensus & motus corporis. A papa autem ut habetur in ca. si papa dist. 40. post Deum salus uniuersitatis fidelium specialiter pendet. Tum secundo ratio non uidetur ad propositum inducta: quia quantumcunque papa efficitur malis moribus membrum putridum non potest totum corpus inficere non permittente hoc ipso spiritu sancto quo ecclesiæ corpus, & uiuit, & uegetatur & a quo salus eius principaliter dependet maxime cum Christus pollicitus sit semper cum corpore suo manere dicens. Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Math. ulti. Tum tertio ratio non procedit: quia etsi huiusmodi membri abscisionem aliis de ecclesia uel ecclesiæ non commisit sibi tamen reseruauit secundum illud Symachi in cap. aliorum nona quæst. tertia dicentis. Aliorum hominum causas Deus uoluit per homines terminari: sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Stultum autem esset cogitare quòd minus sit prouisum corpori ecclesiæ per hoc quòd Christus uicarii sui causas suo sine quæstione arbitrio reseruauit quàm si aliorum iudicio uoluisset terminari. Nec etiam mi-

Ad secundam probationem

Ad secundam rationem

randum est si aliqua in hac uita remaneant impunita, & iustitia aliquotiens exulet: quia multa diuino examini reseruantur quæ in hoc seculo manent impunita, ut in cap. si ostenditur, sexta quæst. prima. Ad tertiam rationem quasi similis patet responsio. dicimus enim quòd consequentia illa aduersariorum nulla est: immo Christus instituendo quòd papa eius uicarius generalis extra casum hæresis propter alia quæcunque peccata propter quę non cadit a papatu, & uicariatu eius non possit corrigi ab aliis quam ab eo ordinatissime fecit: quia sic relucet in ordine ecclesiæ ordo diuinæ prouidentiæ quæ habet quòd in ordinatis ad ipsum prima agunt in posteriora regendo monendo corrigendo, & non econuerso. Vnde cum Romanus pontifex sit primus, & supremus in toto ordine ecclesiæ secundum debitum ordinem ipsius ita debuit institui, ut ipse alios corrigeret, & ipse a solo Deo ueniret corrigendus. Vnde gloss. super illud psalm. Tibi soli peccaui inquit: quia rex est omnibus superior, ideo a Deo tantum qui maior est eo puniendus est. Et ad probationem respondetur quòd nulla est. Tum primo. quia aliud est in casu hæresis, & in aliis peccatis ut sæpe repetitum est. Tum secundo: quia aliud est resistere uolenti demoliri communitatem & aliud est punire uolentem demoliri aut aliquid iniuste attentare. primum potest conuenire inferioribus: secundum non. Tum tertio: quia ut in prima responsione dictum est casus ille non est possibilis de communitate ecclesiæ sicut de aliis pollicente Christo. Math. 16. quod aduersus ecclesiam etiam portæ inferi non præualebunt. Ad quartam rationem cum arguitur. Omne quod debemus &c. respondetur quòd ratio illa nihil facit ad propositum: aliud enim est impedire aliquem hominem uolentem alterum iniuste interficere aut tenendo eum uel remouendo sibi gladium de manibus uel aliquid huiusmodi, & aliud est esse superiorem iudicem illius, & posse contra illum procedere uia iuris ad eum puniendum. Vnde si argumentum procederet omnes homines possent suos quoscunque superiores cum male agerent iudicare, & punire etiam laici clericos. Vnde ista argumenta fuerunt Boemorum ad probandum quòd eorum communitas dissolutum clerum corrigere posset. Ad quintam cum arguitur si papa uellet uxorem alterius, &c. respondetur sicut ad præcedentem quòd ratio non militat. Aliud enim est resistere, & aliud est punire siue impugnare. primum potest conuenire in casu inferiori: sicut Paulus restitit Petro: sed secundum non nisi superiori. Ad sextam rationem & septimam in quibus obiicitur quòd papa diffamatus ad uitandum scandalum debeat se purgare: respondetur quòd rationes illę non militant in aliquo: quia dato quòd Romanus pontifex diffamatus teneatur se expurgare ex debito conscientiæ ad tollendum scandalum non sequitur ex hoc quòd aliquis sit iudex eius superior in causis: quoniam poterit se expurgare absque hoc quòd purget se coram aliquo iudice superiori sicut aperte colligitur ex purgationibus factis aliquibus superioribus temporibus per summos pontifices. sicut de Leone legimus in cap. auditum secunda quæst. septima quam tamen non fecit coram iudice superiore uel concilio uniuersali: sed coram duodecim episcopis tantum, ut in cap. omnibus ea. cau. & quæst. unde ait. Auditum est fratres charissimi qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt quamobrem ego Leo papa pontifex sanctæ Romanæ ecclesiæ purifico me in

Ad tertiã

Ad quartam

Ad quintam

Ad sextã & septimam

In conspectu uestro coram Deo, & angelis eius &c. Item Sixtus papa se purgauit in concilio sed non tanquam superiore iudice. unde cap.mandastis 2.q.5.scribens omnibus episcopis ita ait. Scitote me criminari a quodam basso & iniuste persequi:quod audiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate synodum congregari iussit. Nota nostra auctoritate, & facto concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus licet euadere aliter potuissem: quia ut ait gloss.ibi papa a nullo potest iudicari, nona quæst.tertia aliorum. nec ab uniuersali concilio 17.distinct.§.hinc etiam ff.de lege prin.suspitionem tamen fugiens expurgaui me scilicet a suspitione,& æmulatione liberans sed non aliis qui noluerint aut sponte hoc non elegerint formam faciendi dans. Hæc ibi. Item patet idem de Damaso papa qui non coram superiori iudice,sed coram 42 episcopis se purgauit, ut in cap.nos si 2.quæst.7.in fine. Collige ergo ex dictis beati Sixti in præfato capit.mandastis, quòd papa non tenetur se purgare de obiectis sibi criminibus siue de aliqua infamia a quibuscunque exorta bonis uel malis si non uult etsi aliqui ut ipse ex humilitate hæc legantur fecisse.

Cap. CIII. In quo respondetur obiectionibus aduersariorum sumptis ex gestis,& exemplis superiorum temporum.

Respódés quintæ uiæ c.97.

AD ea quæ aduersarii quinto loco dicunt ad ostendendum quòd papa habeat iudicem superiorem in terris, & quòd uniuersalis ecclesia sæpenumero summos pontifices siue a fide delirantes siue prauis moribus ecclesiam scandalizantes correxit iudicauit ac puniuit:licet uno uerbo possemus nos expedire dicendo quòd licet ubi deficit ius recurrendum esset ad historias ecclesiæ:non tamen ubi iura non deficiunt, sed multa sunt & clarissima dicentia quòd papa in solo casu hæresis etiam stricte sumpto iudicem habeat in terris: nihilominus respondentes dicimus quòd id quod aduersarii dicunt non habet ueritatem:quoniam nullo exemplo potest probari quòd aliquis unquam catholicus Romanus pontifex uerus,& indubitatus quantumcunque repertus fuerit moribus deprauatus fuerit per uniuersalem ecclesiam siue per concilium uniuersale depositus siue punitus.quod patet per omnes Romanos pontifices de quorum depositione fit aliqua mentio in gestis siue chronicis antiquis. Non quidem Marcellinus papa qui licet propter idolatriæ scelus commissum uniuersalem ecclesiam scandalizasset non concilii sed suiipsius iudicio sententiam accepit.Nam ut etiam supra commemoratum est cum confessus esset errorem suum & iudicio se submitteret concilii concilium dixit. Absit ut a nobis summus pontifex iudicetur: negasti tu, negauit & Petrus magister tuus,& quis apostolus ausus fuit inde eum iudicare? sed egressus foras fleuit amare:tu ergo in sinu tuo causam collige tuam tuo proprio ore te iudica.Audiens hæc Marcellinus inquit. Ob Idolatriæ scelus quod infelix commisi me iudico deponendum. Quæ tamen depositio executionem non habuit sed in pontificatu usque ad mortem permansit. unde in chronica Bernardi Guidonis ita legitur. Huius papæ tempore tanta uis persecutionis efferbuit, ut infra triginta dies decem, & septem milia hominum

promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur. unde Marcellinus capite truncatus est: a quo die inter persecutiones cessauit episcopatus annis septem mensibus sex. Ecce quòd dicit quòd a die quo capite truncatus est cessauit episcopatus. unde manifestum est quod prius per depositionem non desierat. Ceterum nec de Felice potest uerificari quod aduersarii dicunt quia etsi legatur depositus non tamen ab ecclesia nec propter sua demerita sed quia hęreticis communicare nolebat: immo excommunicauit illis communicantes a Constantino conuocato concilio cum hæreticis Arrianis: in exilium missus est & loco eius Liberius factus hæreticus substitutus est. Item nec facit ad propositum aduersariorum quod legitur de Anastasio in cap. Anastasius dist. 19. & in glo. quoniam licet ibi dicatur quòd aliqui presbyteri recessissent ab eo: eo quòd communicasset Focio, & Achatio: non tamen legitur quòd per uniuersalem ecclesiã fuerit sententiatus aut condemnatus: sed bene legitur quòd fuerit diuino iudicio percussus, & ita a Deo depositus. Præterea nec fauet aduersariis quod legitur de Constantino quodam quem Stephanus congregato concilio episcoporum italiæ de ecclesia eiecit: quoniam ille non fuit uerus pontifex sed tyrannus qui laicus existens præsumpserat inuadere apostolicam sedem. Similiter nec facit pro aduersariis quòd Christoforus de quo dicunt qui mensibus sex sedisse in apostolica sede legitur eiectus de papatu fuerit, & illo facto monacho Sergius institutus sit: quoniam ille non uerus papa sed inuasor apostolicæ sedis fuit. Item nec facit pro aduersariis quod legitur de Benedicto nono qui successit Stephano qui eiectus est a papatu, & factus est episcopus Sabinen. qui uocatus est Siluester: qui cum per symoniam esset promotus eiectus est & Benedictus restitutus est qui iterum eiectus est & datus est papatus Ioanni archipresbytero sancti Ioannis ante portam latinam qui Gregorius sextus uocatus est: qui tandem ab Henrico imperatore depositus ultra montes fuit translatus: quoniam ista de facto procedebant uel a tyrannide imperatoris uel a proteruia Romanorum a quibus exempla non sunt sumenda. Nec ista consequentia est bona: factum fuit sic ergo legitime factum fuit. nos enim non debemus respicere quid factum est in præterito: sed quid iuridice fieri debuit in futurum, ut in cap. cum ad causam de elect. Item nec fauet aduersariis quod de Ioanne 12. dicit: diuersæ enim historiæ diuersimode narrant gesta huius Ioannis. In quibusdam enim legitur quòd non fuit depositus sed ad admonitionem Ottonis, & collegii cardinalium ac cleri Romani renunciauit papatui: & sic non est ad propositum aduersariorum factum huius papæ: quoniam non negamus Romanum pontificem posse renunciare papatui. Aliæ historiæ dicunt quòd iste non fuerit uerus apostolicus sed magis apostaticus cum non intrauerit canonice. dicitur enim quòd adhuc uiuente Agapito papa pater suus qui potens erat prece, & precio induxit nobiles, & potentes Romanos, & iuramento astrinxit, ut mortuo Agapito procurarent filium suum fieri papam sicut factum est contra capi. nullus pontifex distinct 79. unde cum ille iuxta cap. si quis pecunia magis censendus ueniret apostaticus quàm apostolicus non mirum si per concilium fuit prouisum attenta maxime sua scandalosissima uita, & ita si hoc sit uerum ratio etiam aduersariorum non est ad propositum. Ceterum etiam non fauet aduersariis. dato quòd ita sit sicut inductum est quòd ipse Io-

anne

annes duodecimo ob turpem, & scandalosam eius uitam per Ottonem imperatorem congregato a tota italia episcoporum concilio legatur depositus,& comm nunc uoto Leo illi substitutus quoniam hoc uidetur actum non de iure sed de facto per imperatorem congregatis non totius ecclesiæ sed tantum italiæ episcopis, nec talia facta sunt attendenda, quia non exemplis sed legibus iudicandum est C.de sen.nemo. Quod uero illud de facto processerit non de iure patet: quoniam ipse post recessum Ottonis a Romanis receptus synodum congregauit Romæ in qua Leonem & omnia eius gesta damnauit. Nam ut refert Vincentius lib.25.ca. 86. in hoc Romano concilio publice omnium iudicio fuit statutum synodum a Leone habitam in qua ipse Leo assumptus fuerat Ioanne deposito non nominandam synodum sed prostibulum, & ab ipso Leone ordinati fuerunt degradati,& deordinati iussi etiam singuli præsentare in carta scripturam hanc. Episcopus meus scilicet Leo qui eos ordinauerat nihil sibi habuit nihil mihi dedit: sed tamen quia uita ipsius Ioannis erat detestabilis, & Christiano populo plurimum scandalosa dominus Iesus Christus non passus amplius ecclesiam suam scandalizari in eum damnationis sententiam intulit utpote qui solus in eum potestatem habebat: nam cum uxore cuiusdam oblectaretur subito a diabolo in tempora percutitur,& ita sine penitentia moritur:cui Benedictus subrogatur,& deinde Leo.Item nec suffragatur opinioni aduersariorum quod factum est in Constantia de Ioanne uigesimo tertio, & Benedicto decimo tertio sic in suis obedientiis nominatis. Tum quia nullus eorum fuit indubitatus Romanus pontifex habitus ab uniuersali ecclesia. Tum etiam quia ut ex eorum gestis patet pro hæresi inter alia damnati sunt & ita ad propositum nostrum non facit. Ex quibus manifestum habemus quòd id quod aduersarii dicunt, uidelicet quòd sæpenumero uniuersalis ecclesia summos pontifices siue a fide delirantes siue prauis moribus notorie ecclesiam scandalizantes correxerit, & punierit non consistat in ueritate, & mirum sit quòd multi aduersariorum non sint ueriti huiusmodi fictionibus & mendaciis tractatulos suos in deceptionem simplicium replere.

Cap. CIIII. Quod Romanus pontifex non possit se submittere alteri aut potestatem concedere ut aliquis tanquam iudex eius possit in eum claue uti exterioris iudicii.

POSTQVAM ostendimus quòd Romanus pontifex extra casum hæresis ratione suæ superioritatis iudicem in terris non habeat nunc perscrutandum an per submissionem siue subiectionem aut potestatis collationem alteri factam possit aliquis effici iudex eius qui eum iudicare possit ac in eum depositionis sententiam ubi demereretur inferre. In qua re consideratis dictis sancti Thom. in quarta distinctio. decima nona,ac aliorum doctorum ac his quæ dicta sunt in superiorbus de superioritate apostolicæ sedis & eius prærogatiuis nobis uidetur quòd nullo modo Romanus pontifex potest facere huiusmodi submissionem alicui personæ aut collegio talem potestatem dare:immo si tentaret etiã cum

juramento consentientibus cardinalibus nihil faceret. Quod nos ex multis ostendere curabimus. In primis beatus Thomas in quarto ubi supra adquæstionem utrum quis possit concedere potestatem alicui ut utatur in eum potestate clauis in foro exteriori ita ut aliquis possit eum excómunicare: respondet quòd non. Et rationem assignans in responsione unius argumenti dicit sic. Iudicium exterius est secundum homines: sed iudiciũ confessionis est quo ad Deum apud quem quis redditur minor ex hoc quòd peccat non autem apud hominum prælationes, & ideo in exteriori iudicio nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis nec alteri committere ut se excommunicet: sed in foro conscientiæ potest alteri committere absolutionem qua ipse uti non posset, hæc sanctus Thomas. Eiusdem sententiæ est dominus Albertus, & dominus Bonauentura qui ita ait. Quia prælatus scilicet papa super omnes est prælatio quæ attenditur quantum ad prælationem super homines in eum haberi non potest nec ipse alteri dare saluo iure suæ dignitatis ratione cuius potest dicere. Tibi soli peccaui, & ideo non potest alii dare potestatem se excommunicandi, hæc ille. Secundo arguitur ex eo quòd Beda inquit in cap. sola 14.q.3. ubi ait. Sola Romana ecclesia sua auctoritate de omnibus ualet iudicare: de ea uero nulli iudicare permittitur. Ex qua auctoritate manifeste colligitur quòd Romanus pontifex nullius se potest iudicio submittere: quoniam si papa posset se submittere alicui tanquam iudici, iam de Romana ecclesia iudicare permitteretur. Tertio idem arguitur ex cap. patet. ea. cau. & q.5. ubi Nicolaus papa ita inquit. Patet profecto sedis apostolicæ cuius auctoritate maius non est iudicium a nemine fore retractandum nec de eius cuiquam liceat iudicare iudicio: contra hoc ueniret si papa se submitteret alicui tanquam iudici supra eum. ergo &c. Quarto papa non potest agere id quod derogat dispositioni diuinæ. patet: quia ius diuinum impermutabile est distinct. 5. sed dispositio diuina est quòd papa sit omnibus superior utpote prælatus, & iudex omnium & nullus illius nisi Deus ut patet per multa capitula. ergo non potest personam suam submittere iudicio alterius: iam enim desineret esse prælatus omnibus. Confirmatur hæc ratio ex ca. in nomine domini distinct. 21. ubi papa Nicolaus arguit: quia sedes apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur ecclesiis: ideo supra se metropolitanum habere non potest. Quinto sic. Nullus habens potestatem commissam ab alio potest facere aliquam aliam immutationem circa illam sine iniuria committentis nisi de beneplacito suo patet hoc. sed papa potestatem quam habet, habet commissam a Christo cuius uicarius est. ergo illam nec alterare potest alteri committendo sine speciali commissione Dei, sed talis commissio non legitur facta. ergo &c. Sexto arguitur sic. Vicarius episcopi non uidetur se posse subiicere iudicio cuiuscunque alterius non superioris eo sine licentia episcopi sui ad quem spectat iudicium eius, sed papa est immediatus uicarius Christi, & generalis. ergo uidetur quòd nullius iudicio sine licentia Christi potest se submittere, consequentia uidetur bona. Septimo arguitur confirmando rationem factam sic. Nullus causam quæ est reseruata iudicio sui superioris potest submittere iudicio alterius: sed causas præsulis Romani Deus reseruauit arbitrio suo, ut in cap. aliorum uigesima quarta quæstione tertia, & capitu. facta. ibidem ergo papa non potest ratione cuiuscun-

que

que causæ tangentis personam suam se submittere alterius iudicio. Octauo sic. Non minus adhærere uidetur papæ priuilegium superioritatis suæ quæ tanta est, ut non nisi Deum habeat superiorem quam simplici clerico priuilegium clericale, sed simplex clericus non potest se submittere iurisdictioni alterius, ut in cap. significasti de foro competen. etiam si sit persona ecclesiastica sine licentia episcopi qui iudex suus est. ergo nec papa potest se submittere iudicio cuiuscunque sine expressa licentia Christi qui superior eius est. Nono. Clericus non potest facere quòd aliquis eum percutiat, uel puniat sine excommunicationis pœna, ut in c. contingit de senten. excommunica. Et ratio huius est quia iuri publico derogari non potest de foro compet. si diligenti. ergo similiter per locum a minori in papa dicendum est quòd non possit se submittere iudicio alterius. hoc enim esset derogare iuri publico cum enim priuilegium apostolicæ sedis nō inductum solum in fauorem papæ, sed in fauorem totius ecclesiæ est ius publicum 1. di. ius publicum, & respicit personam Christi. Decimo sic. Papa non potest facere id quod implicat contradictionem, sed quòd papa, manens papa, hoc est in prælatia & superioritate super omnes fideles, submittat se alicui fideli aut aliquibus fidelibus qui possent ipsum papam prælatum omnibus, & superiorem omnibus iudicare punire & deponere implicat contradictionem. patet: quia simul ueniret dicendus iudex omnium & subiectus alicui & superior omnibus & subiectus alteri, & omnis & quidam non, contradicunt. Vndecimo. Papa non potest facere aliquid quod uergat in potestatis suæ diminutionem, aut derogationem dignitatis apostolicæ suæ, sed submittendo se iudicio alterius constituendo aliquem iudicem supra se non diminueret auctoritatem suam, & derogaret superioritati suæ ut patet. ergo papa non potest se submittere iudicio cuiuscunque qui eum iudicare ualeat. Ex quibus manifeste confutatur error dicentium quòd papa potest committere uniuersali concilio aut etiam Imperatori, ut eum a papatu deponere possit.

Cap. CV. In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum & respondetur eisdem.

CONTRA prædictam iam conclusionem aduersarii inducunt alia qua ad quæ uenit respondendum. Arguunt enim primo ex illo quod Leo papa quartus scribit Ludouico Imperatori 2. q. 7. ca. nos. Nos si incompetenter aliquid egimus & in subditis iustæ legis tramitem non seruauimus uestro ac missorum nestrorum uolumus emendare iudicio ubi dicit glo. hic papa se subiicit aliorum iudicio quod facere potest, non tamen eum possunt deponere 9. q. 3. nemo secundum Hug. possunt, quia & seipsum potest deponere, ut 21. distinct. ut autem. Secundo arguunt ex gloss. in c. si papa dist. 40. ubi sic dicitur, papa a nemine potest iudicari ut 9. 3. nemo, quod intellige si se subiiciat alteri, ut 2. q. 7. nos si. Tertio ex gl. in ca. in synodo, ubi dicit, quòd papa posset dare tantum Imperatori quòd deponeret ipsum & de consensu Cardinalium, immo in omnibus potest se subiicere, ut 2. q. 7. nos. Item arguitur quarto ex eo quòd summi pontifices de obiectis criminibus coram concilio se purgasse leguntur, ubi uidebantur se iudicio conciliorum submittere, ut in c. mandastis 2. q. 5. & per

Arg. primum

Secundū

Tertium

Quartū

Quintum alia capitula eiusdem quæstionis. Quinto arguitur ex c. cum ex iniuncto. quasi ad finem de hæreticis, ubi habetur, quòd prælatus sponte de sua ignorantia confessus subditorum se accusationi supponit, & ita in simili uidetur dicendum de papa. Sextum Sexto ratione sic. Adrianus papa propter hæreticorum & scismaticorum ac tyrannorum terrores uitandos se & totam ecclesiam subiecit Carolo magno Imperatori quò ad ordinationem sedis apostolicæ & inuestituras episcoporum, ut in cap. Adrianus distinct. 63. Cuius exemplo Leo papa idem fecit in synodo generali 63. distinct. c. in synodo, quia se supposuit iudicio Ludouici Imperatoris 2. q. 7. nos si. quod maxime confirmatur per glo. ibidem quæ supra in tertio argumento inducta est. Septimũ Septimo ut allegat in glo. dicti capi. nos si. papa potest renunciare papatui & seipsum deponere. ergo etiam alterius iudicio subiicere & ab aliis deponi. Ad illas obiectiones facile respondetur. Ad primũ Ad primam de c. nos si. 2. q. 7. respondetur tripliciter. Primo quòd uerbum illud iudicio exponit, id est discretioni secundum Vincentium & Archydiac. & non iurisdictioni seu potestati Imperatoris. Ad discretionem enim illorum dicebat papa se uelle omnia illa emendare non autem ait quòd iurisdictione illorum emendaret. Item licet dicat quòd mittat nuncios qui inquirant, & examinent quæ iudicata erant, non tamen dicit quòd illorum auctoritate reuocarentur. Secundo respondetur quòd papa ibi loquitur sic ex quadam humilitate, ut dicit dominus Aluarus libro de statu & planctu ecclesiæ. arg. 33. non autem ex debito. Tertio potest responderi iudicio nostro & bene quòd aliud est submittere causas aliquas super quibus papa habet controuersiam contra aliquem, utputa super iuribus Italicis aut causarum particularium respicientium personam papæ inquantum est homo priuatus & singularis persona, aut etiam concernentia singulariter iura ecclesiæ Romanæ, aut etiam in quibus ipse papa prius iudicauit & ex benignitate sua aut humilitate uellet reuocare arbitrium aliquorum. quod dicimus pro tanto quia ipse ad hoc non obligaretur iudicio aliquorum submittere, ut eorum sententia terminarentur. Et est aliud submittere se siue causam tangentem personam suam & dignitatem papalem iudicio alicuius qui posset iudicare eum aut punire, aut deponere. Primum potest & de hoc intelligitur c. illud nos si. & similia, non autem secundum nec de tali loquitur præfatum cap. Ad secundum Ad secundam glo. de cap. si papa, respondetur quò ad ipsam glo. quòd intelligenda est sicut dictum est de cap. nos si. Ad tertiũ Ad tertiam glo. de cap. in synodo breuiter respondemus cum domino Aluaro ubi supra, quòd falsa sunt ibi notata per Ioannem qui certe in multis aliis male loquitur & sentit de ecclesia. Ad quartum Ad quartam quæ sumitur de purgationibus factis per summos pontifices, ut in c. mandastis, & in cap. auditum 2. q. 5. cap. nos si. 2. q. 7. supra respondebimus. Etiam constat quòd ex huiusmodi purgationibus quas sponte fecisse aliqui pontifices leguntur: non sequitur, quòd personas suas submiserint iudicio cuiuscunque concilii quod eos posset punire, aut deponere. Cum etiam purgationes illæ licet sint factæ in præsentia præfatorum non tamen coram eis sicut coram iudice superiore cui se papa submiserat. unde bene considerata argumenta illa nihil faciunt ad propositum aduersariorum. Ad quintum Ad quintam de ca. cum ex iniuncto. respondetur primo quòd in illo cap. non habetur, quòd prælatus sine licentia papæ possit non suo iudici submittere se, sed tantum

quòd

quòd possit se purgationi subditorum supponere & illos ad sui accusationem admittere, sed hoc non est se illis submittere, unde non est ad propositum. Secundo respondetur quòd illud c. non loquitur de Romano pontifice, sed de aliis inferioribus prælatis. tales enim non habent supremam potestatem in ecclesia nec apicem principatus eius, nec illud inconueniens, & absurditas sequeretur ex eorum submissione, quæ sequeretur in papa si se submitteret, ut patet ex dictis. Ad sextam de c. Adrianus respondetur negando consequentiam, quia ex subiectione illa quam rationibus prædictis de apostolicæ sedis ordinatione fecit Carolo magno dando ei, ut cum aliis in electione interesset, non sequitur propter hoc quòd papa potestati aut iudicio Imperatoris subiecerit personam suam, sicut nec hodie est papa subiectus dominis Cardinalibus quamuis uocem habeant in electione ipsius papæ. Ad ca. autem nos si incompetenter 2.q.7. supra responsum est quòd ly iudicio exponitur id est discretioni secundum Vincentium & Archydia. & non iurisdictioni uel potestati Imperatoris. Ad glo. c. si papa, cum aliis respondetur quòd papa non potest se subiicere iudicio alterius & quauis se submittat de necessitate stare non tenetur, nec etiam de iure ad illud teneretur per iura & rationes superius allegatas. Ex quibus omnibus habetur quòd de iure concilium etiam congregatum auctoritate papæ nullo modo potest se intromittere de persona papæ non tantum in ciuilibus puta aliquid statuendo quod teneatur de necessitate seruare, sed etiam de criminalibus de persona eius iudicando, aut condemnando nisi in casu hæresis stricte sumptæ sicut dictum est. Et si hoc concilium non potest facere etiam papa uoluntarie se submittente nulli dubium quòd minus potest papa illud expresse prohibente quòd aliquid contra eius personam statuat, aut se intromittat, aut aliquid contra sedis apostolicæ priuilegia agat aut disponat. Ad septimam de renunciatione, respondetur negando consequentiam: quoniam non est simile nec sequuntur illa inconuenientia, nec repugnantia ibi quæ hic. Ex quibus manifeste confutatur præsumptio & temeritas Basilien. qui uerum & indubitatum Romanum pontificem dominum Eugenium sanctæ memorię citare suspendere ac deponere tentauerunt, in quo imitati sunt Dioscorum qui concilio congregato excommunicare præsumpsit Leonem Romanum pontificem. Quam præsumptionem intantum sancti patres apud Calcedoniam detestati sunt ut inquit Nicolaus in epistola ad Michaelem Imperatorem, ut in c. tantum distinct. uigesimaseptima habetur ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cetera sine ulla restitutione idcirco potissimum damnarent, quia ponens in cœlum os suum lingua eius transeunte per terram excommunicationem in sanctum Leonem papam dictauit, ita ut in sententia contra eum prolata hoc uidentur præcipue commemorare scilicet patres concilii Calcedonen. dicentes: quoniam in secundis excessibus præcipue priorem iniquitatem ualde transcendit. præsumpsit enim excommunicationem dictare aduersus sanctissimum & beatissimum archiepiscopum ecclesiæ Romanæ Leonem, &c.

Ad sextū.

Ad septimum

Cap. CVI. De remediis contra papam moribus suis prauis scandalizantem ecclesiam.

AVDIENTES tam aduersarii quàm etiam alii fideles simplices id quod dictum est uidelicet quòd Romanus pontifex extra casum hæresis pro sui principatus sublimitate iudicem non habeat in terris qui facta sua mala iudicet aut puniat. Quærunt quid fiendum sit contra papam si contingeret eum aut moribus cum scandalo etiam fidelium incorrigibiliter deformatum aut potestate sua abutentem, & dilapidatorem esse ecclesiæ aut non nisi per simoniam uelle beneficia ecclesiastica conferre. Quibus respondemus plura ad hoc esse remedia. Primum est, humilis admonitio & fraterna charitatiua correctio, quæ ut in superioribus diximus etiam ad superiores se extendi; deberet autem ipse in tali casu tam per dominos Cardinales prælatos quàm per alios notabiles prælatos & dominos ac uiros religiosos dulciter admoneri exhortari & obsecrari ut dignaretur uitam suam, quæ multis est in scandalum corrigere & emendare & ut tenetur sic uiuere, ut eius uita cunctis sit in exemplum sanctitatis commemorando etiam exhortationis gratia aliqua dicta de sacra scriptura. Sicut est illud quod dominus ait apostolis Math. 18. Qui autem scandalizauerit unum ex his paruulis qui in me credunt expedit ei, ut suspendatur mola asinaria collo eius & demergatur in profundum maris. quanto magis in damnatione est qui uniuersam ecclesiam scandalizat. Item aliqua de sanctis patribus & doctoribus, sicut est illud beati Gregorii quod habetur in c. præcipue 1. q. 3. Scire debent prælati quòd si peruersa unquam perpetrant tot mortibus digni sunt quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant quãto per praua quæ faciunt non soli moriuntur. Secundum remedium est, ubi præcedens locum non inueniret, deuota oratio. Orandus enim est Deus in illo casu pro domino papa per totam uniuersitatem fidelium hoc constituentibus prælatis ecclesiæ, ut illum dominus aut illuminaret, aut de medio tolleret. Hoc remedium communiter assignant doctores, quod remedium non paruę uirtutis censendum est: quoniam si iuxta scripturam sanctam Iaco. 5. Deprecatio unius iusti assidua multum ualere dicitur, quanto magis oratio iustorum omnium qui per orbem diffusi Christi sponsam exornant. De hoc ponit exemplum sanctus Thom. in libro de rege & regno dicens, quòd si omnino contra tyrannum auxilium humanum non possit haberi recurrendum ad regem omnium Deum qui est adiutor in opportunitatibus & tribulatione, eius enim potentiæ subest ut cor tyranni conuertat in mansuetudinem. iuxta illud Salomonis. Cor regis in manu Dei est & quocunque uoluerit uertet illud, ipse est qui cor regis assueri crudele conuertit in mansuetudinem quia iudæis mortem parabat, ipse est qui Nabuchodonosor crudelem in tantam deuotionem conuertit ꝙ factus est diuinæ potentiæ prædicator. hæc ille. Hoc remedio adiuta est ecclesia contra Anastasium secundum, qui orationibus iustorum percussus interiit, dum enim assellaret emisit intestina, de quo in c. Anastasius distinct. 19. cum gl. Item hoc remedio usus est beatus Hylarius qui contra Leonem papam secundum alios Liberium orando præualuit. Tertium remedium ubi præcedentia occulto Dei iudicio non iuuarent, hoc superesset uidelicet resistentia. resistẽdum enim esset in faciem per duos Cardinales mala eius opera exprobrando ac rationibus conuincendo, & etiam scandalis & quæ papa uellet attentare se opponendo sicut Paulus restitit Petro, quia non ambulabat ad ueritatem

euangelii.

euangelii. ad Gal.2. Et sicut episcopo uel abbati seu priori dilapidatori ecclesiæ subditi resisterent & contrauenirent, & ita in proposito, ut si papa prout exemplificat dominus Petrus de Palude thesaurum ecclesiæ uellet dare parentibus suis aut ecclesiam sancti Petri destruere & ædificare palatia parentibus suis, aut dare patrimonium sancti Petri quod non licet uel aliquid huiusmodi quod tamen non est uerisimile posse contingere non esset ei permittendum, sed esset ei resistendum, & non obediendum sine tamen ipsius depositione. Similiter si uellet contra statum uniuersalis ecclesiæ generaliter aliquid attentare, sicut si uellet omnes episcopos deponere aut similia ex quibus uniuersalis turbaretur ecclesia. Et hoc modo dicunt Hostien. & Innocentius & Archydia. quòd non esset papa sustinendus id est permittendus hoc facere, sed ei tamen cum humilitate & reuerentia resistendum foret. Quarto attento quòd ut dicit sanctus Thom. in 2. 2. q. c. arg. 2. papa potest incurrere symoniam sicut & quilibet alius homo, & oppositum dicere sit erroneum, ut idem dicit in quarta distinct. 25. tale remedium posset dari uidelicet non acceptare ea quæ male & contra reuerentiam & legem Dei gesta essent per eum, ut promotiones prouisiones beneficiorum collationes manifestę symoniacæ factas: quoniam cum tales in ecclesiam non per Christum qui est ostium, sed aliunde intrare præsumpserint non pastores ecclesiarum, sed fures & latrones arbitrandi sunt ipsa ueritate testante Ioan. 10. Amen amen dico uobis quòd qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde ille fur est, & latro. Vnde Grego. papa septem falsas talium iudicat ordinationes in cap. ordinationes 1. q. 1. Quintum remedium est conuocare concilium generale, quæ conuocatio esset faciéda per Cardinales ubi ipse papa id nollet congregare, aut per alios illis negligentibus, & hoc non ad deponendum papam, quia iuxta superius probata talem potestatem habere non posset. Sed ad tria prædicta faciendum cum maiori solennitate & auctoritate, uidelicet primo ad monendum & exhortandum papam de correctione sua denunciando ei qualiter perniciosę uitæ suæ, exemplo uniuersam ecclesiam scandalizaret & conturbaret quæ exhortatio sic a tota ecclesia facta non dubium quin magnæ efficaciæ & uirtutis esset ad eius animum in bonum commouendum. Hoc remedio usum uidetur esse concilium congregatum contra Marcellinum. de quo habetur distin. 21. in c. nunc autem, qui cum audiret patres congregatos cum Dei charitate sciscitantes si res ita se habere sicut fama ad eos deduxerat quòd Idolis thurificasset, ille cum omni humilitate confessus est reatum suum adiiciens se paratum obedire quid illi uoluissent imponere. Secundum quod concilium facere deberet, ubi primum non sufficeret est deuotissimis precibus & ieiuniis & operibus rectis diuinæ clementiæ aures propulsare, ut dignaretur ecclesiæ suæ misereri ut eorum pontificem aut illuminare dignaretur, aut auferre de medio. Hoc plane remediũ esset magnæ uirtutis. Tum quia si dominus pollicetur Math. 18. ꝙ si duo consenserint super terram de omni re quacunque petierint fiet eis a patre meo qui est in cœlis. quanto magis ubi tot & tanti patres ecclesiæ congregati uno animo, & una communi intentione consentientes concurrerent, & potissime de re maxime necessaria ecclesiæ ipsi uniuersali. Credendum nanque est quòd nisi peccata nostra obsisterent quòd Deus preces ecclesiæ suæ non despiceret nec pateretur sponsam suam pro qua mortem amarissi-

siam pertulit per unius hominis malitiam funditus demoliri aut in tanta necessitate relinquere. Tertium quod concilium deberet facere ubi priora occultis nobis causis usquequaque non perficerent etiam cum inuocatione brachii secularis utputa Imperatoris. uel aliorum principum prouidere de modo & forma resistendi malis quæ papa tentaret facere ne ecclesia periclitaretur ut dictum est. Sextum remedium, ubi occulto Dei iudicio omnia præcedentia non haberent locum esset ad tempus patienter tolerare quod diuina iustitia tolerat: quoniam non est uerisimile quòd talis diu a Deo toleraretur. Sicut exemplum de Ioanne 12. de quo supra locuti sumus experientia nos docet. Vnde psalm. 36. Inimici uero domini mox honorificati fuerunt in exalta. defi. quemad. fu. defi. Huiusmodi autem habendæ patientiæ causa posset assignari: quoniam ut inquit Grego. libr. 25. moral. pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo gregis etiam uiri boni delinquat uita pastoris, quia secundum meritum plebium disponuntur corda regentium. Vnde idem Greg. in ca. ex merito 7. q. 1. ait. Ex merito plebis nonnunquam episcopi deprauantur, & secundum merita aut demerita populorum disponitur a iusto iudice uita prælatorum. unde in ultione peccati populorum quandoque permittitur regnare malos, secundum illud Oseæ. 13. Dabo uobis regem in furore meo. Et Ioan. 34. dicitur. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Item Hieron. & habetur in c. audacter 8. q. 1. Audacter fortasse aliquid dicimus tamen quod scriptum est non semper princeps populi & iudex ecclesiæ per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Merito ergo tolerandum esset. Tum quia forte tale malum in capite in ecclesia meritis subditorum eueniret. Tum, quia ut dicit Augustinus non est magnum tolerare qui a domino toleratur. nec etiam timenda uidetur ex huiusmodi tolerantia imminere periclitatio totius ecclesiæ uniuersalis sicut aduersarii aliquando arguunt. Tum quia non est uerisimile quòd ob turpem uitam aut mores unius summi pontificis ecclesia ipsa cum qua Christus pollicitus est esse tanquam protector fortis usque ad consummationem seculi debeat omnino perire. Sicut enim ait Leo papa sanctissimus scribens ad pulcherrimam Augustam. Non deserit ecclesiam suam diuina protectio dicente domino. Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Idem scribens clero & plebi ciuitatis Constantinopolitanæ ait. Nolite arbitrari dilectissimi quòd sanctæ ecclesiæ suæ desit aut defutura sit diuina protectio. Tum etiam, quia non est diffidendum in simili articulo de clementia Saluatoris qui etsi aliquãdo permiserit nauiculam ecclesiæ suæ multis persecutionum procellis agitari nunquam tamen passus est illam perpeti naufragium assecurante & dicente domino Math. 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ecce remedia ad quæ conuenientius, & consultius in articulo necessitatis siue casus prædicti confugiendum foret quàm usurpando diuinum iudicium & inuoluendo se infinitis difficultatibus multiplicando scandala scandalis tentare ad ueri & indubitati pontificis Romani depositionem, cuius rei practica non modo diuinæ maiestatis cuius iudicium usurparet esset offensiua, sed etiam nimis difficilis, & scismatis introductiua quæ longe scandalosior, & damnosior ecclesiæ esse posset quàm uita turpis unius pontificis. Quocirca sancti patres maximo studio prohibuerunt ne oues pastorem suum nisi ex fide exorbitauerit reprehendere

dere

dere audeant. unde sanctus Anacletus in epistola quam omnibus episcopis & sacerdotibus Christi scribit ita ait. Doctor uel pastor ecclesiæ si a fide exorbitauerit erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quàm distringendus. Idem Fabianus papa omnibus episcopis scribens. Idem papa Eusebius, ut in c.oues 2.q.7. Quorum omnium patrum sententiam beatus Gregorius complexus ita ait in moralibus ubi supra. Certum uero est quòd ita sibi inuicem & rectorum merita connectantur & plebium, ut sæpe ex culpa pastoris deterior fiat uita plebium, & sæpe ex merito plebium mutetur uita pastorum. Sed quia rectores habent iudicem suum magna cautela subditorum est non temere iudicare uitam regentium, neque frustra per semetipsum dominus æs nummulariorum fudit & cathedras uendentium columbas euertit, nimirum significans quia per ministros quidem uitam iudicat plebium, sed per semetipsum uitam examinat ministrorum. Et infra. Dum igitur salua fide res agitur uirtutis est meritum si quid prioris est toleratur, debet tamen humiliter suggeri si fortassis ualeat quod displicet emendari. hæc Gregorius. Et hæc pro nunc sufficiant.

Cap. CVII. Quòd ad Romanum pontif. pertineat determinare ea quæ fidei sunt & sacræ scripturæ sensus interpretari atq; aliorum patrũ ecclesiæ dicta uel opuscula approbare, uel reprobare.

ELVCIDATA superioritate principatus quam Romanus pontifex habet in ecclesia Dei, facile est intelligere ad Romani pontificis auctoritatem spectare tanquam ad generalem totius orbis principalem magistrum & doctorem determinare ea quæ fidei sunt, & per consequens ædere symbolum fidei, sacræ scripturæ interpretari sensus, & doctorum singulorum dicta ad fidem spectantia approbare uel reprobare. Quod nos & rationibus & auctoritatibus ostendimus. Primo commemoramus quod alias circa principium huius secundi probauimus quòd quemadmodum in omni republica bene ordinata dandus erat unus præsidens in ea qui totam rempublicam possit auctoritate sua mouere ad omnia maxime sine quibus salus reipub. stare non posset: ita etiam in communitate ecclesiæ necessario erat dandus unus princeps qui ea quæ maxime conferunt ad salutem fidelium, & consecutionem ultimi finis cuiusmodi est notitia credendorum, & agendorum sua auctoritate, & magisterio totam ipsam Christianam rempublicam moueret & dirigeret cum Romanus pontifex sit huiusmodi præsidens super totam rempublicam Christianam, ipsius erit ea quæ fidei sunt sine qua impossibile est placere Deo. ad Hebræ. undecimo Christiano populo insinuare, & determinare. Ostenditur etiam hoc quia primum in unoquoque genere iuxta Aristo. sententiam 10. Methaphy. est metrum & mensura omnium sequentium, & cum Romanus pontifex primus & maximus sit prælatorum in ecclesia ad ipsum maxime pertinebit, ut sit metrum & regula ac scientia credendorum ac omnium quæ ad directionem fidelium in uitam æternam necessaria

sunt. Quocirca dicit Nicolaus papa in epistola quam scribit Phocio patriarchæ. Constat enim sanctam Romanam ecclesiam per beatum Petrũ principem apostolorum qui dominico ore primatum ecclesiæ suscipere promeruit omnium ecclesiarum caput esse & ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilibus & ecclesiasticis institutionibus quas secundum canonicas & synodicas sanctorumq; patrum sanctiones inuiolabiliter atque irrefragabiliter retinet requirere & sectari. hæc ille. Hinc apostolica sedes per sanctos patres magistra ac mater fidei nominatur. unde in cap. omnes dist.22. inquit gloriosæ memoriæ Nicolaus papa. Fidem quippe uiolat qui aduersus illam agit quæ est mater fidei & ille contumax inuenitur qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur. unde & ipse sanctus Ambro. in se omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur ecclesiam. Item hac ratione dicit Stephanus papa 5. in c. enimuero dist.19. Enim uero in speculum & exemplum sancta Romana ecclesia posita est omnibus quicquid statuit & quicquid ordinauit perpetuo & irrefragabiliter obseruandum est. Cuius priuilegii apostolici throni gratia inquit beatus Cyrillus in libro thesaurorum ut membra maneamus in capite in nostro apostolico throno Romanorum pontificum a quo nostrum est quærere quid credere & quid tenere teneamur, ipsum rogantes, ipsum ueneranter præ omnibus: quoniam ipsius solius est reprehendere corrigere, statuere, disponere, soluere & ligare loco illius qui ipsum ædificauit & elegit & nulli alii quod suum est plenum sed ipsi soli dedit. hæc ille. Ceterum hanc Romani summi pontificis prærogatiuam designatam legimus Exod. 18. ubi Moysi qui dux & rector iudæorum fuit, sicut papa Christianorum secundum illud Bernardi ad Eugenium lib.2.c.6. Quis es,&c. Et inter alia dicit. Potestate Moyses, sic dictum legitur. Esto tu in populo in his quæ ad Deũ pertinent, ut ostendas eis cerimonias & ritum colendi Deum. Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de lege & cultu Dei reseruabantur Moysi determinandæ, sic omnia quæ sunt fidei Christianæ reseruantur Romano ponti. determinanda diffinienda & mandanda teneri ac obseruari. hinc est quòd cum Christus aliis apostolis imperaret ut laxarent retia soli Petro inquit. Duc in altum Lucæ 15. id est in profundum disputationum, ut ait gl. Ambrosii, & habetur in c. non turbatur uigesimaquarta q.1. Vnde quia causa fidei ad sedem apostolicam est referenda Paulus super quæstione legalium detulit ad Petrum, ut habetur Act. 15. Item beatus Hieron. mittit ad Roma. ponti. Damasum papam professionem fidei suæ examinandam corrigendam & emendandam dicens in c. hæc est fides 24.q.1. Hæc est fides papa beatissime quam in catholica ecclesia didicimus quamque semper tenuimus in qua si minus perite aut parum caute aliquid positum est emendari cupimus a te qui Petri sedem tenes & fidem: si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobetur quicunque me culpare uoluerit se imperitum aut maleuolum, uel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit. Secundo præfatæ apostolicæ sedis prærogatiua sic ratione ostenditur. Vna fides debet esse totius ecclesiæ secundum illud 1. Corin. 1. Idipsum dicatis omnes & non sint in uobis scismata. hoc autem seruari non posset nisi quæstio fidei exorta determinaretur tenenda per unum qui toti ecclesiæ præest, ut sic eius sententia a tota ecclesia firmiter teneatur. Hinc Innocen. papa Siluano seni Valentino & ceteris qui in Milmitana synodo interfuerunt

tersuerunt

terfuerunt scribens inquit. Dilectissimi fratres in domino salutem, diligenter & congrue apostolici consultis honoris archam super anxiis rebus quæ sint tenenda sententia antiquæ f. regulæ formam secuti quod totum semper ab orbe mecum nostis esse seruatum. uerum hæc missa facio. nec enim hoc uestram credo latere prudentiam quod etiam actione firmastis scientes quia per omnes prouincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quotiens fidei ratio uentilatur arbitror omnes fratres nostros coepiscopos non nisi ad Petrum i. sui nominis & honoris auctoritatem referre debere, ueluti & nunc rettulit uestra dilectio. hoc habetur in c. quotiens 24. q. 1. Hinc etiam maximus in epistola missa orientalibus dicit. Omnes fines orbis terræ qui dominum sincere receperunt & ubique terrarum catholici ueram fidem confitentes in potestatem Romanorum pontificum tanquam in solem respiciunt & ex ipso lumine catholicæ & apostolicæ fidei respiciunt ueritatem, nec immerito, quia Petrus legitur primo perfectam fidem esse confessus domino reuelante cum dicit Math. 16. Tu es Christus filius Dei uiui. hæc ille. Item hoc testatur Nicolaus papa in epistola quam scribit Phocio patriarchæ monacho, ut habetur in quarta actione octaui concilii Icomenici. Quia uniuersitas credentium ab hac sancta Romana ecclesia quæ caput est omnium ecclesiarum doctrinam exquirit integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt, & gratia Dei redépti exorant: oportet nos quibus commissa est solicitos esse & ad speculationem dominici regis tanto feruentius anhelare quantum hunc auidi lupi ad dilaniandum hinc inde patientia ora exquirunt, &c. Amplius de hac apostolicæ sedis prærogatiua. Maximus papa ait. Decebat tantæ dignitatis, & sapientiæ uirum non ab alio mysterii cœlestis arcana requirere nisi ab eo potissimum quem non potuit caro & sanguis instruere, sed cui dominus ipse sua decrata dignatus est aperire, beatus es inquit Symon bariona quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Hunc enim præ ceteris mortalibus de toto terrarum orbe conditor orbis elegit cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo priuilegii iure concessit, ut quisquis diuinum aliquod aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum doctrinamq; recurrat, nec illi humiliter offerre quod soluendum est erubescat, etiam & si ipse quod quæritur non ignorat. Nunquid enim angelus de cœlo ueniens erat nescius docere Cornelium, quomodo uidelicet id quod sibi agendum esset addisceret destinauit ad Petrum. Mitte inquit uiros in ioppen & accersi Symonem quendam qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi quid te oporteat facere. Poterat plane sanctus angelus docere hominem gentilem quid sibi opus esset ad salutem, sed eius nolebat usurpare officium cui docendi nouerat fuisse commissum. Quid ergo mirum si sacerdos licet sanctitate conspicuus, licet eloquiis diuinis uehementer instructus ad apostolorum principis magisterium misit ad quem etiam angelus docendi gratia primitias gentilium Cornelium destinauit. Pauli enim ad Galat. hæc sunt uerba, Paulus ait apostolus non ab hominibus aut per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem qui suscitauit eum a mortuis, hic itaque qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo & Deo patre fuerat factus apostolus, atque ab auctore sapientiæ sufficienter instructus, ad Petri tamen magisterium uenit & non in transcursu sed per plures dies apud eum ueluti in schola permansit. ueni

inquit Hierosolymam uidere Petrum & mansi apud eum 15. diebus, per my sticum hebdoadis & octoadis numerum ueteris testamenti simul & noui didicit sacramentum. hæc ille. Præterea in testimonium huius prærogatiue Romanus pont. est quòd ubicunque erat Petrus præsens omnes apostoli illi in prædicando & dubia determinando deferebant. unde in die penthecostes primum sermonem fecit Act. 2. Stans Petrus cum undecim eleuauit uocem suam & locutus est, &c. In quæstione etiam de obseruantia legalium Petrus quæstionem determinauit licet Iacobus pronunciauerit Act. decim. quint. ubi dicitur quòd cum magna inquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos, glo. interlin. præ omnibus prius loquitur, & ut ait glo. omnes alii in sententiam Petri transierunt. ita ut Hieron. dicat scribens ad beatum Augustinum epistola 22. quòd Petrus princeps fuerat illius decreti, legem post euangelium non esse seruandam. Ceterum huius prærogatiuæ argumentum capitur manifeste ex eo quòd beatus Hieron. in epistola ad Augustinum ait quæ incipit, simul tres epistolas. Tantæ Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in epistola sua scripserit. deinde post tres annos ueni Hierosolymam uidere Petrum & mansi apud eum diebus 15. Rursum in consequentibus. Post annos decimoquarto ascendi iterum Hierosolymam cum Barnaba assumpto & tito, ascendi autem secundum reuelationem, & exposui eis euangelium quod prædico inter gentes, ostendens non habuisse securitatem euangeli prædicandi nisi Petri & qui cum eo erant sententia roboratum fuisset. statimq; sequitur, seorsum autem his qui uidebantur aliquid esse ne forte in uacuum currerem aut cucurissem. Hæc Hieronymus. Item eiusdem prærogatiuę argumentum colligitur ex eo quòd beatus Hieronym. lib. de uiris illustribus lib. 5. cap. 8. dicit. Marcus inquit discipulus & interpres Petri iuxta quod Petrum audierat referentem rogatus Romæ a fratribus breue scripsit euangelium, quod cum Petrus legisset approbauit & ecclesiis legendum sua auctoritate tradidit. hæc ille. Ecce quòd apostolica sedes habet approbare & auctorizare scripta doctorum. Amplius testimonium huius insignis prærogatiue magisterii apostolicæ sedis habetur ex beato Aug. Tum ex eo quòd dicit contra epistolā fundamenti cito post principium, euangelio non crederem nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret auctoritas. Tum ex eo quod dicit in lib. de q. ue. & no. test. q. 79. quòd sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterii ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Tum ex eo quod scribit ad Glorium & Eleusium quòd in Romana ecclesia apostolicæ cathedræ semper uiguit principatus. Omnibus iam dictis & bene consideratis & catholice ponderatis manifesta luce sequuntur corollarie sequentes propositiones.

Corollariū primū

Primo quidem elicitur corollarie quòd ad Romanum pontificem pro sublimitate magisterii apostolicæ sedis pertineat symbolum fidei ordinare. Hoc autem iuxta beatum Thom. in secunda 2. q. 2. artic. ultim. sic probatur. Quoniam noua æditio symboli necessaria est ad uitandum insurgentes errores, ad illius ergo auctoritatem pertinet sententialiter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. hoc autem pertinet ad auctoritatem summi pontificis, ut dictum est ad quem maiores & difficiliores ecclesiæ quæstiones referuntur, ut in cap. multis distinct. decimaseptima habetur, & in cap. rogamus uigesimaquarta quæstione prima ergo ad solam auctoritatem Romani pontificis pertinet noua æditio symboli.

boli. Ostendit etiam præfatum corollarium sanctus Thom. ubi supra ex eo quòd æditio symboli facta est in synodo generali, sed huiusmodi synodus auctoritate solius summi pont. potest congregari, ut habetur in decretis dist.17.ergo æditio symboli ad auctoritatem Romani pont.pertinet. hæc ille. Ex præfatis infertur secundo corollarie, quòd ad Romanum pon.pertineat interpretari sacram scripturam & dubia declarare quæ emergunt circa ius naturale siue diuinum. Hoc autem corollarium sic ex superioribus deducitur. Pro quo primo notatur quòd determinare dubia in talibus potest esse dupliciter. Vno modo scilicet inquisitiue, sicut potest quilibet ex ingenio, uel habitu inquirere de dubiis alicuius scientiæ, & isto modo declarare potest pertinere ad quemcunque doctum in aliqua scientia & uocatur determinatio siue declaratio magistralis. Alio modo potest accipi declarare cum aliqua auctoritate, sic scilicet quòd declaratio debeat pro uera teneri, uel opinari ita quòd non liceat oppositum tenere, uel opinari. Et isto modo potestas siue auctoritas declarandi prædicta dubia est solum apud summum pontificem simpliciter. Similiter est distinguendum de interpretatione diuinæ legis aut sacræ scripturæ, quia quædam fit per modum disputationis, & inquisitionis scholasticæ perquirendo quis sit sanus intellectus ipsarum nihil ad uerba legis uel scripturæ adiiciendo, uel subtrahendo. Alius est interpretationis modus per modum determinationis obligatorie ad tenendum intellectum siue sensum datum per interpretationem. Primus modus est magistrorum quorum tamen interpretatio neminem cogit ad sic tenendum. Secundus uero modus interpretationis est Romani pontificis cuius determinatio obligat omnes ad sic tenendum, & obseruandum. Quod ratione potest sic ostẽdi, oportet ponere in ecclesia unum caput ad quod pertineat determinare & declarare & interpretari illa quæ sunt dubia circa quæcunque ad fidem pertinentia siue sint speculatiua siue agibilia, sed constat ꝙ in ecclesia non potest esse aliquod tale caput nisi solus papa. ergo &c. minor patet ex superioribus. maior probatur: quia oportet ponere ecclesiam sic dispositam a Deo ꝙ tota cõitas uniuersalis ecclesiæ maneat in unitate fidei & in una sententia de fide. Vnde apostolus 1. Corin.1. Obsecro uos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes & non sint in uobis scismata: sitis autem perfecti in eodem sensu,& in eadem sententia, sed hoc non potest esse nisi tota communitas ecclesiæ recursum habeat ad unum caput scilicet ad præsidentem apud quem esset auctoritas declarandi & interpretandi dubia circa ea quæ sunt fidei. pertinet ergo ad Romanum pontificem declarare dubia & interpretari circa ea quæ fidei sunt siue iuris naturalis, & diuini. Vnde August. contra Manichæos, & habetur cap. palam distin.11. Palam est quòd in re dubia ad fidem ualeat auctoritas ecclesiæ catholicæ quæ ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque in hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie & tot populorum consensione confirmatur. hæc Augu. Hinc est sicut superius dictum est quòd orta quæstione an legalia deberentur obseruari cum euangelio consuluerunt Petrum & alios apostolos qui erant in Hierusalem,& Petrus sicut princeps apostolorum, & præsidens supra totam communitatem ecclesiæ decreuit & declarauit legalia non esse obseruanda, ut patet Act. 15. Ceterum ex superioribus elicitur tertio corollarie quòd ad Romanum pontificem pertineat dicta siue opuscula do

Secũdum

Tertium

ctorum singulorum in his quæ ad fidem pertinent approbare uel reprobare patet manifeste ex dictis. habetur etiam hoc expresse in cap. si Romanorum dist. 19. ubi sic ait Nicolaus papa. Si Romanorum pontificum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur, uel reprobantur ita quod uere sedes apostolica approbauit hodie teneatur acceptum, & quod illa reppulit hactenus inefficax habeatur, &c. ubi gl. Argumentum quod approbat uel reprobat & nos approbare, uel reprobare debemus 24. q. 1. hæc est fides, & 35. q. 9. ueniam.

Cap. CVIII. Quòd decreta, siue decretales Romanorum pontificum sunt a cunctis fidelibus uenerabiliter suscipienda.

EX his quæ de apostolicæ sedis iudicio & magisterio multis sanctorum patrum testimoniis firmauimus apertissime confutatur error aduersariorum qui apostolicæ sedis decretales siue decreta contemnunt quæ in canonibus conciliorum non includuntur. Contra hunc errorem cum sit perniciosissimus, & ad infinita scismata ianua, sunt multorum sanctorum patrum argumenta præter ea quæ in superioribus diximus in hoc secundo libro circa cap. 48. & 50. In primis est argumentum quod clarissimę memorię papa Nicolaus omnibus archiepiscopis per galliam cóstitutis scribens facit, ut in c. si Romanorum distinct. 19. ita dicens. Si Romanorum pon. decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur, uel reprobantur ita quod uere sedes apostolica approbauit hodie teneatur acceptum & quod illa reppulit hactenus inefficax habeatur: quanto ergo potius quæ papa pro catholica fide pro sanis dogmatibus pro uariis, & multifariis ecclesiæ necessitatibus & fidelium moribus diuerso tempore scribit omni honore debent præferri & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione, uel dispensatione magistra reuerenter assumi, quamquam quidam nostrum scripserint non esse decretalia priscorum pontificum in toto canonum codicis corpore descripta, & ideo inter canones non assumenda cum ipsi ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt omnibus illis indifferenter utantur, & solum nunc ad diminutionem sedis apostolicæ potestatis & ad suorum argumentum priuilegiorum minus accepta esse perhibeant. Item si ideo non decretales epistolas priscorũ pontificum Romanorum admittendas esse dicant, quia in codice canonum non habentur ascriptæ: ergo nec sancti Grego. nec ullius alterius qui ante ipsum fuit uel post ipsum est aliquod institutum uel scriptum recipiendum est eo quòd in codice canonum non habeatur ascriptum. ergo doctrinam eorum & sanctiones quæ ab omni lingua uenerantur, quia in codice canonum non habentur ascriptę de codicibus tradant suis, ut quid membranas occupant postquam non habẽtur receptæ? Sed quare multum immoremur cum nec ipsas scripturas diuinas ueteris & noui testamenti iã recipiemus si istos duxerimus audiendos. etenim neutrum horum in codice canonum ecclesiasticorum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti qui ad resistendum potius quàm ad obediendum parati sunt asserentes ꝙ inter canones inueniatur ca. papę Innocentii, cuius auctoritate doceatur a nobis utrunque testamentum esse recipiendum quamquã in ipsis prius canonibus nullũ eorum

rum ex toto contineatur insertum quibus ad hoc asserendum est: quoniam si uetus nouumq; testamentum sunt recipienda non quòd codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quòd de his recipiendis sancti Innocentii papæ prolata uidetur esse sententia. Restat nimirum quòd decretales epistolæ Romanorum pontificum sint recipiendæ, etsi non sint canonum codici compaginatæ: quoniam inter canones ipsos unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit nouerit sibi ueniam denegari, ait enim capitulo quinto suorum decretalium. Ne quid uero sit quod prætermissum a nobis forte credatur omnia decreta constituta tam beatæ recordationis Innocentii quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita a uestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit ueniam sibi nouerit denegari deinceps. Dicendo uero omnia decretalia constituta nullum de decretalibus constitutis prætermisit quod non mandauerit esse custodiendum, & rursus asserendo omnium prædecessorū nostrorum nullum pontificum Romanorum qui ante iam fuerunt excepit cuius illa non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri ut si quis in illa commiserit ueniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaque nihil interest utrum sint omnia decretalia sedis apostolicæ constituta nec ne inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, & illa eis intersint quæ firmitatem his quæ desunt & uigorem suum assignant præsertim cum synodalia gesta inter quæ ipsi canones statuti sunt in codice canonum non habentur sed a nobis omni cultu debito uenerantur. Consonat autem huic beatissimo Leoni papæ & facundissimus & sanctus in decretis suis Gelasius papa ita inquiens. Decretales epistolas quas beatissimi papæ diuersis temporibus ab urbe Roma pro diuersorum patrum consultatione dederunt uenerabiliter suscipiendas decreuimus. In quo notandum quòd non decretales dixit epistolas qua inter canones habentur, uel quas moderni pontifices ediderunt, sed quas beatissimi papæ diuersis temporibus, ab urbe Roma dederunt. dicens autem diuersis temporibus, & illa tempora uir sanctus comprehendit quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebat. His itaque diuina fauente gratia prælibatis ostendimus nullam esse differentiam inter illa decreta quæ in corpore canonum habentur sedis apostolicæ præsulum & ea quæ præ multitudine uix per singula uoluminum corpora reperiuntur, cū omnia & omnium prædecessorum suorum decretalia constituta decretales epistolas quas beatissimi papæ diuersis temporibus ab urbe Roma dederunt fore uenerabiliter uenerandas suscipiendas & custodiendas eximios præsules Leonem scilicet & Gelasium mandasse probauimus. Secundo contra præfatum errorem aduersariorum est dominus Aymarus archiepiscopus Remen. in libro suo de synodis c.3. ubi pro auctoritate decretalium summorum pontificum multa sanctorum patrum testimonia inducens ait. De auctoritate autem ipsorum pontificalium decretorum nulla nobis dubitatio relinquitur cum & ipsa uniuersalia concilia auctoritatem exinde perceperint nec aliunde synodicam firmitatem obtinere potuerint. Hoc ergo & nos irretractabiliter obseruare debemus, ut apostolici patres no-

Alii textus habét cap. 10.

bis ex apostolica auctoritate præceperunt per quam & aliorum statuta nobis ad seruandum canonizasse leguntur. Nempe beatissimi patres nostri Damasus & Leo papa magnus quorum alter secundum uniuersale concilium alter quartum primo Calcedonen. apostolica auctoritate firmauerunt, ipsi inquam eadem auctoritate eadem etiam auctoritate & uoce ita generaliter decreuerunt. Omnia inquiunt decretalia prædecessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis ita omnibus episcopis & generaliter a cunctis sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit ueniam sibi deinceps nouerit denegari. Item Damasus alibi omnibus episcopis scribens. Obseruetur inquit ab omnibus, ut illa semper quæ apostolica institutione & patrum traditione sunt constituta sub metu irrefragabili auctoritate teneātur. Item papa Gelasius scribens uniuersis episcopis per Siciliam constitutis ait. Cum decreta uenerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur atque sine eorum dispendio etiam illa quæ pro alicuius utilitatis fortasse compendio uideantur laxanda credamus: cumq; nobis cōtra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & cū sedes apostolica superior his omnibus fauente domino quæ paternis canonibus præfixa pio deuotoq; studeat tenere proposito, satis indignum est quenquam uel pontificum uel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare quam beati Petri sedem & sequi uideat & docere satisq; conueniens sit ut totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet quam illic uigere conspiciat ubi dominus ecclesiæ totius posuit principatum dicente scriptura. Ordinate in me charitatem. Item omnia cum ordine fiant. hæc ibi. Item Agatho qui sextam synodum uniuersalem per legatos suos instituit, & institutam apostolica auctoritate firmauit, omnibus episcopis eadem auctoritate nunciauit sic inquiens. Omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius Petri diuina uoce firmitate. Item successor eius beatus Nicolaus papa primus synodo uniuersali præsidens generali eiusdem synodi iudicio decreuit ut etiam anathema esset quicunque decreta a Romano pontifice contempsisset. Sanctus quoque Adrianus papa etiam reges anathematizauit quicunque sedis apostolicæ decreta uiolare non formidant. His ergo testimoniis satis edocemur quām indubitanter apostolicis institutis obedire debemus. Hæc omnia præfatus dominus Aymarus. Tertio contra præfatum errorem aduersariorum arguit papa Nicolaus scribens ad Phocium patriarcham Constantinopolitanum cuius epistola in sancta octaua uniuersali synodo fuit recepta & approbata cum omnibus gestis eius circa Constantinopolitanam & contra dictum Phocium ac Michaelem Imperatorem fautorem eius. In qua epistola prout colligitur ex ipsa actione 8. concilii sic habetur. Decretalia autem quæ a sanctis pontificibus sedis Romanæ ecclesiæ sunt instituta cuius auctoritate, atque sanctione omnes synodi & sancta concilia roborantur & inde stabilitatem sumunt, cur uos non habere, uel obseruare dicitis nisi quod uestræ ordinationi contradicunt. Et infra, & si ea non habetis de neglectu atque incuria estis arguendi, si habetis & non obseruatis de temeritate estis corripiendi & increpandi, & habetur in c. si decreta distinct. 20. Quarto contra præfatum errorem est cap. in canonicis scripturis distinct. decimanona quod est beati Augustini, in quo uidetur inter canonicas scripturas episto-

læ apostolicæ sedis annumerare. Item quinto contra eundem errorem est cap. decretales distinct. 20. ubi habetur quòd decretales epistolæ canonibus conciliorum pari iure exequantur glo. Archydia. In obseruantia & auctoritate, & exequantur. s. in auctoritate, in reuerentia, in obseruatione. Hug. Sexto contra præfatum errorem uidetur esse articulus condemnatus in concilio Constantien. ubi inter alios articulos Ioan. Vicleff fuit condemnatus ille. Decretales epistolæ sunt Apocryphæ & seducunt a fide Christi & clerici sunt stulti qui student eas. Quia plura dicta sunt de præceptis apostolicis suscipiendis supra circa cap. 48. ista pro nunc sufficiant.

Cap. CIX. Quòd sedis apostolicæ iudicium in his quæ fidei sunt & ad humanam salutem necessaria errare non possit.

EX his quæ in superiori capitulo dicta sunt datur nobis luce clarissima intelligere quòd tanta soliditate ueritatis apostolicum thronũ clementia diuinitatis firmauerat quòd iudicium eius in his quæ fidei sunt errare a ueritate non possit, decebat sane ut sedes illa quæ superni dispositione consilii magistra fidei, & cardo omnium instituebatur ecclesiarum in his quæ fidei sunt hominumq; necessaria saluti ab ipso omnium auctore Deo cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur hoc singulari infallibilitatis munere donaretur. in cuius rei sacramentum primo illius sedis pontifici diuinæ dispensationis nomen firmitatis imponitur scilicet Petrus quod syra lingua rupes interpretatur. Vnde beatus Gregorius Eulogio episcopo Alexandriæ scribens epistola centensima octuagesimaprima. Quis nesciat sanctam ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra uocaretur cui ueritatis uoce dicitur. Tibi dabo claues regni cœlorum, cui rursum dicitur. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. hæc Gregorius. Quod autem hoc quod diximus sit priuilegium & munus amplissimum apostolicæ sedis multipliciter & etiam efficaciter probamus. Primo auctoritatibus. Secundo rationibus in sequenti cap. Auctoritate primo illa Saluatoris promissione quæ cassa esse non potest qua Petro locutus est dicens. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quam Christi promissionem de firmitate fidei apostolicæ sedis accipiendam esse sancti doctores in religione & sapientia clarissimi contestantur. Ait enim beatus Cyrillus Alexandrinus patriarcha, ut inducitur in glo. continua secundum hanc domini promissionem ecclesia apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione immaculata manet super præpositos & episcopos & super omnes primates ecclesiarum & populorum in suis pontificibus in fide plenissima & auctoritate Petri & cum aliæ ecclesiæ quorundam errorum uerecundatæ sint stabilita ipsa impassibiliter regnat silentium imponens & omnium obturans ora hæreticorũ & nos necessitate salutis nõ decepti superbia nec uino superbiæ ebriati typũ ueritatis & sanctæ apostolicæ traditionis una cum ipsa confitemur & prædicamus. hæc Cyrillus. Secũdo beatus Chryso. dictus

os aureum ibidem super Math. hoc idem confirmans ait. Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam: hæc enim promittit quæ sunt propria Dei solius scilicet peccata soluere & ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum & tentationum procellas. Item ad idem est Origenes qui ut deducit sanctus Thomas super Math. tam de Petro quàm de ecclesia uniuersali præfatum Christi uerbum Math. 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam exponens ita dicit. Non autem exprimitur utrum Petro non præualebunt aut ecclesiæ quam ædificat super petram. tamen manifestum est quod nec aduersus Petrum, nec aduersus ecclesiam portæ præualebunt inferorum. Hæc ille. Quod autem de Petro petra uerbum Christi intelligatur idem manifestat dicens. Vide quátam potestatem habet petra super quam ædificatur ecclesia, ut eius iudicia maneant firma quasi Deo iudicante per eam. Secundo apostolicæ sedis iudicium in his quæ fidei sunt esse indefectibile manifeste probatur ex promissione illa Christi qua Petro pro sede sua loquens ait Lucæ 22. Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quòd autem de fide Petri in apostolica sede indefectibiliter semper mansura intelligendum sit sancti testantur doctores. Imprimis beatissimus Leo in sermone secundo ordinationis suæ eandem Christi pollicitationem pertractans. Ego rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, &c. ita ait. Specialis cura a domino Petri suscipitur & pro fide Petri proprie supplicatur tanquam aliorum status certior sit futurus si mens principis uicta non fuerit. in Petro ergo omnium fortitudo munitur & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur per Petrum apostolis conferatur. Hæc ille. Item ad idem est Agapto papa in suggestione quam Constantino Imperatori scribit quæ a tota sexta synodo uniuersali fuit uenerabiliter acceptata. Hæc apostolica Christi ecclesia per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed ut ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorũ Christi principibus illibata fidetenus manet secundum ipsius domini Saluatoris dictam pollicitationem qua suorum discipulorum principi in sacris euangeliis fatus est. Petre inquiens ecce Sathan expetiuit ut cribraret uos sicut qui cribrant triticum, ego autem pro te rogaui, ut non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque uestra tranquilla clementia quoniam dominus & Saluator omnium cuius fides est qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Hæc ille. Eadem sententia etiã est Lucii papæ cuius pars ponitur in c. a recta 24. q. 1. Aliqua hic dicit glossator quæ si uidisset ad longum textum Lucii non ita fuisset interpretatus. & iste frequenter est error istarum glossarum decreti qui error potissime inde contingit, quia originalia sanctorum patrum per glossatorem non sunt uisa, sed detruncata prout iacent in decreto. Item beatus Bernardus domino Innocentio papæ scribens hoc insigne apostolicæ sedis priuilegium ex eodem Saluatoris uerbo attestatur his uerbis. Oportet ad uestrum referri apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei ea præsertim quæ de fide contingunt. dignum nanque arbitror ibi

Ab aliis auté Agotho dicitur

potissimum

potissimum resarciri damna fidei ubi fides defectum habere non posset: hæc quippe prærogatiua est huius sedis: cui enim alteri dictum est. Ego pro te rogaui Petre ut non deficiat fides tua? hęc Bernardus. Item idem Bernardus uel Ioa. Damia. in sermone Ioannis Baptistæ qui incipit. Hodie dilectissimi: dicit sic. Decimus honor est assertio matris ecclesiæ, texitur ora chlamydis unguentumque profusum in capite extremamque uestimenti fimbriam inundanter effundit: illa enim magistra, & regina omnium ecclesiarum Romana ecclesia cui dictum est. Ego pro te rogaui ut non deficiat fides tua: in honore beati Ioannis baptistæ post saluatoris nomen consecrata est & signata: dignum namque erat ut sponsæ sequeretur auctoritas, & singularem amicum eius illuc proueheret ubi principatum ipsa conscendit. Item hoc idem ex præfata redemptoris nostri promissione ostendit Leo papa nonus in libro quem contra Michaelem constantinopolitanum fecit ubi cap. 7. ita dicit. Taliter sancta ecclesia supra petram id est Christum & super Petrum cepham filium Ioannis qui primo Symon dicebatur ædificata est quòd inferi portæ disputationibus, scilicet hæreticorum qui uanos ad interitum introducunt nullatenus foret superanda: sic pollicetur ipsa ueritas per quam sunt uera quæcunque sunt uera portæ inferi non præualebunt aduersus eam: cuius promissionis effectum se precibus impetrasse a patre ipse filius protestatur dicendo ad Petrum. Symon ecce Sathanas expetiuit ut cribraret uos sicut triticum: ego autem rogaui pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ qui orationem illius cuius uelle est posse audeat in aliquo uanam putare: nonne a sede principis apostolorum Romana uidelicet ecclesia tam per eundem Petrum quàm per successores suos reprobata atque conuicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri quę nec defecit nec usque in finem deficiet sunt confirmata, hæc ille. Item in synodica eiusdem Leonis ad Petrum anthiochenum patriarcham sic scribitur. Ab apostolica sede nostram catholicam consulendo perpendimus tuam prudentiam nolle deuiare a Dominico, & omnium sanctorum patrum concordi decreto quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum ecclesiis sancta Romana ecclesia, & apòstolica sedes caput præponitur ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium ecclesiarum diffiniendę referantur: sic omnia ueneranda concilia: sic leges humanæ promulgant: sic ipse sanctus sanctorum, & rex regum dominus dominantium confirmat quatenus ibi principalis dignitatis, & totius ecclesiæ disciplinæ uenerabilis apex præfulgeat, & præcellat ubi ipse uertex & cardo apostolorum Petrus carnis suæ resurrectionem beatam in nouissimo die expectat. nimirum solus est ille pro quo ne deficeret eius fides dominus, & saluator asseruit se rogasse dicens. Symon ecce Sathan expetiuit uos ut cribraret sicut triticum ego autem rogaui ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos Quæ uenerabilis, & efficax oratio obtinuit quòd hactenus fides Petri non defecit nec defectura creditur in throno illius in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum uariis concutienda fidei periclitationibus sicut hucusque confirmare non cessauit, hæc ille. Item patet hoc professione octauæ synodi in qua lectus est libellus Adriani papæ qui acceptus est cum omni laude in quo sic dicitur. Prima salus est re-

& fide regulam custodire deinde a constitutis Dei, & patrum nullatenus deuiare: unum quippe horum ad fidem pertinet alterum ad opus bonū. sicut enim scriptum est. Sine fide impossibile est placere Deo: sic rursus legitur. Fides sine operibus occisa est. Et quia non potest domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. hæc quæ dicta sunt rerū probantur effectibus: quia in sede apostolica immaculata est semper catholica seruata religio & sancta celebrata doctrina. Hæc ibi. Item ipsa synodus octaua acceptans doctrinam, & sententiam apostolicæ sedis ita inquit. Quoniam sicut prædiximus sequentes in omnibus apostolicam sedem, & obseruantes omnia eius statuta speramus, ut in una communione quam sedes apostolica prædicat esse mereamur in qua est uera, & integra & uera Christianæ religionis soliditas: promittentes etiam sequestratos a communione ecclesiæ catholicæ, id est non consentientes sedi apostolicæ eorum nomina inter sacra non recitanda esse misteria, hæc ibi. Item quod prædicta promissio Christi. Luc. 22. Ego pro te rogaui, &c. intelligenda sit de fide Petri pro sede sua testantur doctores famosiores in ecclesia Dei qui exposuerunt bibliam. Vnde magnus Albertus super Luc. tractans uerbum prædictum ita formaliter dicit: ut non deficiat fides tua scilicet finaliter. Hic argumentum efficax pro fide Christi, & successore ipsius quia fides eius finaliter non deficiet Naum. i. Non adiiciet ultra ut pertranseat per te Belial uniuersas interiit. Item dominus Hug. cardinalis super eundem locum ait. Argumentum pro ecclesia Romana. Item ad hoc est glo. in cap. quodcunque 24. quæst. 1. quę dicit sic. Nisi erraret ecclesia Romana quod non credo posse fieri: quia Deus non permitteret, hæc gl.

Cap. CX. In quo rationibus præfatum apostolicæ sedis priuilegium probatur, & confirmatur.

POSTQVAM sacræ scripturæ auctoritatibus iuxta sanctorum patrum, & doctorum expositiones ostendimus apostolicam sedem in iudicio eorum quæ fidei sunt & ad salutem fidelium necessaria stante diuina pollicitatione errare non posse: reliquum est ut etiam rationibus illud confirmemus. Primo sic ex superioribus. Sedis illius iudicium in his quæ fidei sunt credendum est indefectibile ad cuius auctoritatem, & magisterium pertinet determinare, & diffinire ea quæ credenda proponenda sunt populo Christiano symbolum ædere fidei dubia quæ in sacra scriptura emergunt declarare, & interpretari. hoc patet: immo tanquam primum principium uidetur clarissimum: quia alias nihil quod illius sedis auctoritate, & iudicio esset de fide de condemnatione errorum de sacramentis de canonizatione sanctorum de interpretationibus dubiorum difficilium foret firmum aut certum: sed dubium aut fallibile quod inconuenientissimum, & periculosissimum in religione Christiana esset: sed apostolica sedes est ad quam pertinet determinare ea quæ fidei sunt symbolum fidei ædere, & dubia in sacra scriptura emergentia interpretari ut supra in cap. 187. patet. ergo sequitur quòd eius iudicium in his quæ fidei sunt errare non possit. Præterea confirmatur ista ratio sic. Assensus omnis qui est circa aliquid cum possibilitate ad oppositum includit formidinem

nec est assensus firmus nec firmiter quis assentit per illum: quia assentit cũ possibilitate ad oppositum unde firmus, & inuariabilis assensus circa aliquid requirit quòd oppositum eius non possit esse uerum sed omnino falsum:propter quod demonstratio quæ causat assensum inuariabilem est ex necessariis,& quę non possunt aliter se habere. Similiter fides uirtus theologica est ex necessariis, & cui non potest subesse falsum: quia innititur primæ ueritati alias non faceret assensum firmum, & inuariabilem si ergo sedes apostolica siue ecclesia Romana cuius auctoritas, & principatus in sede apostolica locatus est a Christo in his quæ fidei sunt errare posset,& deuiare tunc credentes illud crederent possibile tamen falsum esse, & non necessario infallibiliter uerum, & per consequens cum formidine & cum dubio erroris possibilis:& ita credentes fluctuarent, & essent dubii in fide & ita infideles:& sic multa inconuenientia sequerentur quæ unusquisque cognoscere potest. Secundo sic. Illius sedis iudicium quod nunquam in fide defecit nec defectuosum est uidetur esse indefectibile iudicium in his quæ fidei sunt. sed sedis apostolicæ iudicium nunquam in fide defecit nec defectuosum est. ergo sedis apostolicæ iudicium indefectibile est in his quæ fidei sunt. consequentia patet. maior etiam. minor uero patet multorũ sanctorum patrum testimoniis. Inquit enim Eusebius papa in c. in sede 24. q. 1. In sede apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio. Item beatus Sixtus papa,& habetur in cap. memor. 24 q. 1. idem testatur dicens. Memor sum me sub illius nomine ecclesiæ præsidere cuius a domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides nullam hæresim fouet sed quidem omnes hæreses destruit. Hæc ille. Item beatus Hieronymus, in ca. hæc est fides 24. q. 1. ad idem est ita dicens. Sancta Romana ecclesia quæ semper immaculata permansit domino prouidente,& beato Petro opem ferente in futurum manebit siue ulla hæreticorum insultatione, scilicet pręualente atque firma,& immobilis omni tempore persistet. Hoc etiam Pelagius papa in ca. quamuis dist. 21. testatur dicens. Est ergo prima apostoli Petri sedes Romana ecclesia non habens maculam nec rugam nec aliquid huiusmodi. Hæc etiam apertissime testantur auctoritates sanctorum patrum positæ in præcedenti capitulo. Tertio confirmando iam factam rationem sic. Illius sedis iudicium in his quæ fidei sunt est indefectibile quod nulla malitia hominum ualet extingui. sed sedes apostolica siue Romana ecclesia nulla hominum malitia ualet extingui. ergo sedis apostolicæ iudicium est indefectibile. consequentia est bona. maior uero manifesta. minor autem probatur auctoritate Pelagii papæ qui, ut habetur in capit. pudenda 24. quæst. prima ita ait. Cum ecclesia una sit nulla alia esse constat nisi quæ in apostolica est radice firmata, & fundata. Et infra recitans uerba Augustini sic subiungit. Sed nullo modo potest dici ecclesia in qua scisma est restat, ut quoniam ecclesia nulla esse non potest ea sit quam in sedis apostolicæ per successiones episcoporum radice constitutam nullorum hominum malitia etiam si nota excludi non possit sed pro temporis ratione toleranda iudicetur nullo modo ualeat extinguere, hæc ille. Quarto sic. Sedis illius iudicium in his quæ fidei sunt est indeuiabile cui quicunque repugnans quocunque tempore censendus est hæreticus, sed quicunque repugnat in his quæ fidei sunt apostolicæ sedi hæreticus est censendus. ergo apostolicę sedis iudiciũ in his quę

fidei sunt est indeuiabile, consequentia uidetur bona.maior patet. minor uero est beati Hieronymi in cap.hæc est fides 24.quæst.prima qui ad Damasum scribens ita dicit. Hæc est fides papa beatissime quam in catholica didicimus ecclesia quamque semper tenuimus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est a te emendari cupimus qui Petri, & sedem & fidem tenes.si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur quicunque me inculpare uoluerit se imperitum, & maleuolum uel non etiam catholicum sed hæreticum comprobabit, hæc ille. Item minor illa probatur auctoritate beati Cypriani martyris, qui ut habetur in cap. aduocauit 24.quæst.1.dicit sic. Aduocauit ad se Cyprianus episcopum Satyrum nec ullam putauit ueram nisi uere fidei gratiam percunctatusque est ex eo utrum nam de catholicis episcopis esset hoc est si cum Romana ecclesia consentiret, hæc ille. Quinto sic. Illius sedis iudicium credendum est in ecclesia esse indefectibile in his quæ fidei sunt a qua quisque diuisus efficitur extra ecclesiam Dei,sed diuisus ab apostolicæ sedis iudicio efficitur extra ecclesiam . ergo &c.consequentia est bona.maior non indiget probatione.minor uero est beati Cypriani,& habetur in ca.qui cathedram distinct.94.Qui cathedram Petri super quam ecclesia fundata est deserit in ecclesia se esse non confidat. Item minor illa est beati Hierony.in cap. quoniam uetus oriens 24.quæst.prima ubi scribens Damaso papæ ita dicit. Cum successore piscatoris, & discipulo Christi loquor: ego nullum præuium nisi Christum consequens beatitudini tuæ,id est cathedræ Petri communione consentior super illam petram ecclesiam fundatam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus est:si quis in archa non fuerit peribit regnante diluuio. Et infra. Non nouimus uitalem:miletum respuo: ignoro paulinum,quicunque tecum non colligit spargit,hoc est qui Christi non est,antichristus est,hæc Hieronymus. Item eadem sententia colligitur ex cap. scisma.24.quæst. prima.Sexto sic.Illius sedis iudicium est censendum in his quæ fidei sunt indefectibile ad quod summarum diffinitiones causarũ grauioresque quæstiones cuiusmodi sunt quæstiones fidei sunt referendæ,& indeterminationem sumpturę.sed ad apostolicam sedem sunt omnes causæ fidei referendę, & diffiniendę. ergo apostolicæ sedis iudicium in fide deficere non potest, consequentia est bona.& maior est manifesta: quoniam sicut in disciplinalibus fit resolutio usque ad prima principia quæ falsa esse non possunt ita causæ fidei referendæ sunt ad thronum qui in iudicio suo errare non potest:quia alias nihil diffinitum per apostolicam sedem aut terminatum teneretur firmum,& indubitatum, & ita sequeretur scisma, & hæresis inter fideles,& ita fides prima periret.minor uero patet ex cap.quotiens 24. quæst.prima, ubi ita inquit tex. Quotiens fidei ratio uentilatur arbitror omnes fratres coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctoritatem referre debere ueluti nunc rettulit uestra dilectio quòd per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Item eadem sententia est Papæ Pelagii in quadam epistola in qua in cap.multis dist.17. ita inquit. Maiores uero & difficiliores quæstiones, ut sancta synodus statuit,& beata consuetudo exegit ad apostolicam sedẽ semper referantur. Item beatus Gregorius, & habetur in præceptis distinct.12. Nulli dubium est quòd non solum pontificalis causatio sed omnis

Alii præuium Alii communioné cõsortior

nis sanctæ religionis relatio ad sedem apostolicam quasi ad caput ecclesiarum debeat referri, & inde normam assumere, unde sumpsit exordium ne caput institutionis uideatur omitti: cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolicæ petræ soliditate diuelli, hæc Grego. Idem etiam habetur in cap. maiores, extra de bap. & eius effect. unde in Calcedonen. concilio audita epistola quam Leo papa scripsit Flauiano episcopo contra errorem Euticis episcopi ita declamauerunt. Hæc est patrum fides: hæc apostolorum fides: omnes ita credimus: orthodoxi ita credimus: anathema est qui non ita credit: Petrus per Leonem ita allocutus est, hæc ibi. Septimo sic. Illius sedis iudicium est indefectibile in his quæ fidei sunt cuius sanctiones omnes accipiendæ sunt tanquam ipsius Petri diuina uoce firmatæ sed sic est de apostolicæ sedis sanctionibus. ergo &c. consequentia est bona. maior est manifesta. minor uero est in forma beati Agathonis in cap. sic dist. 19. Ad hoc etiam facit ca. in canonicis, ea. di. Item Adrianus papa scribens imperatori Basilio dicit sic. Quoniam tranquillissime imperator audistis uocem Dei per apostolicæ sedis officium tibi delatam &c. Octauo sic. Illius sedis iudicium credendum est in his quæ fidei sunt indefectibile ad quod omnes doctores quantumcunque docti aut sancti dicta sua referunt, & examini, & correctioni submittunt. sed sedis apostolicæ iudicium est huiusmodi. ergo &c. consequentia est bona. maior manifesta, alias sancti doctores hoc facientes possent grauiter errare. minor uero patet ex multis. Primo ex submissione quam facit beatus Hiero. in cap. hæc est fides 24. quæst. prima de qua supra. Secundo ex submissione quam facit beatus August. scribens ad papam Bonifacium libellum quem contra duas Pelagianorum epistolas intitulauerat. ubi ita dicit. Hæc ergo quæ in istis ut dixi duabus epistolis eorum ista disputatione respondeo ad tuam potissime dirigo sanctitatem non tam discenda quã examinanda: ubi si forte aliquid displiceat emendanda constitui. Item idẽ legimus beatum Anselmum fecisse in epistola de incarnatione uerbi. ubi ita scribit Vrbano papæ. Domino & patri uniuersæ ecclesiæ in terra peregrinationis summo pontifici Vrbano Anselmus uita peccator habitu monachus debitam subiectionem &c. Et infra. Quoniam diuina prouidentia uestram elegit sanctitatem cui & fidem & uiam Christianam custodiendã, & ecclesiam suam regendam committeret ad nullum rectius refertur si quid contra catholicam fidem in ecclesia ut eius auctoritate corrigatur: nec ulli alii tutius si quid contra errorem respondetur ostenditur ut eius prudentia examinetur: quapropter sicut nulli dignius possum ita nulli libentius præsentem epistolam quàm uestræ destino sapientiæ: quatenus si quid in ea corrigendum est uestra censura castigetur: & quod regulam ueritatis tenet uestra auctoritate roboretur, hæc Anselmus. Idem beatus Bernardus fecisse legitur, ut patet in ca. præcedenti. Item patet ex his quæ inducit in fine epistolæ cuiusdam quam super celebratione conceptionis beatæ uirginis scribit ad canonicos Lugdunen. Idem etiam beatus Thomas facit ut patet in principio gloss. continue super euangelia. Hanc etiam obseruantiam reuerentiæ ad apostolicam sedem quasi omnes doctores scholastici tractatores diuinarum scripturarum legimus tenuisse, & tenere ut omnia dicta sua correctioni apostolicæ sedis submittant. Nono sic. Illius sedis iudicium est in his quæ fidei sunt indefectibile per quod approbata

non licet reprobare sed ab omnibus sunt reuerenter suscipienda: sed sedis apostolicę iudicium est huiusmodi: ergo &c. consequentia est bona. maior etiam patet. minor uero habetur in cap. Si Romanorum distin. 19. ubi sic dicitur. Si Romanorum pontificum cum decreto ceterorum opuscula doctorum approbantur uel reprobātur ita quod uere sedes apostolica approbauit hodie teneatur acceptum &c. hæc ibi. Inducit etiam hoc glossa in c. Hæc est fides 24. q. 1. & in ca. Veniam 35. q. 9. in fi. Decimo sic. Illius sedis iudicium credendum est in his quę fidei sunt esse indeuiabile quam omnes sancti sequuntur, & uniuersales synodi amplectuntur, & uenerantur ut magistram fidei regulam, & apicem totius ecclesiasticæ disciplinæ: sed sedes apostolica est huiusmodi: ergo &c. consequentia est bona. maior uidetur clarissima: quoniam alias uideretur sanctorum patrum fides uacillare nisi sedis illius magisterium, & iudicium in fide firmum esset, & inobliquabile. minor uero colligitur ex Agapponis papæ epistola ad imperatorem Constantinum quæ lecta in sexta synodo ut supra retulimus acceptata est: in qua post superiora uerba ita de sede apostolica loquens inquit. Cuius auctoritatem utputa apostolorum principis semper omnis catholica Christi ecclesia, & uniuersales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutę sunt: omnesque uenerabiles patres apostolicam eius doctrinam amplexi per quam & probatissima Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem doctores orthodoxi uenerati atque secuti sunt: hæretici autem falsis criminationibus atque derogationum odiis insecuti, hæc ille. Item in gestis Calcedonensis concilii sic legitur. Vnde reuerendissimi episcopi clamauerunt, ut leo sic credimus: qui contradicunt anathema sunt. Leo recte exposuit, & infra uniuersi reuerendissimi episcopi clamauerunt: iustę persuasioni acquiescimus uniuersi: hoc omnes credimus hoc sequimur hoc tenemus quod patris omnium nostrum Leonis confessio habet, hæc ibi. Item hoc profitetur octaua synodus: in qua patres lecto decreto a Romano pontifice Adriano eis transmisso ita aiunt. Quoniam sicut prædiximus sequentes in omnibus apostolicam sedem, & obseruantes omnia eius constituta speramus, ut in una communione quam sedes apostolica prædicat esse mereamur: in qua est integra, & uera Christianæ religionis soliditas. hæc ibi. Item huius rei testimonium faciunt patres in concilio uniuersali Lugdunen. ut habetur in ca. Fideli. de sum. tri. & fi. ca. lib. 6. in quo sic dicitur. Hoc firmiter tenet, & prædicat & profitetur & docet sancta Romana ecclesia inter omnia fidelium, & magistra. unde in c. Omnis dist. 22. beatus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur ecclesiam. Vndecimo arguitur sic. Illius sedis iudicium est inobliquabile in his quæ fidei sunt cuius auctoritate, & iudicio roborantur, & firmantur canones sanctorum conciliorum: sed auctoritate, & iudicio sedis apostolicæ firmantur, & roborantur canones sanctorum uniuersalium conciliorum: ergo necessario uidetur asserendum quòd iudicium apostolicæ sedis in his quæ fidei sunt sit indefectibile, consequentia est bona. maior uidetur manifesta. minor patet etiam ex ca. Confidimus 25. q. 1. & ex. §. his ergo. ibidem & ex ca. Significasti. extra de elect. Patet etiam ex illa laudabili obseruantia sanctorum patrum in conciliis uniuersalibus qua semper soliti sunt petere confirmationem canonum suorum a Romano pontifice utpote a principe totius ecclesiæ: sicut nos in tertio huius operis dante Christo exemplificabimus

de

de mulieris. Duodecimo arguitur sic. Cum impossibile sit sine fide placere Deo, ut inquit apostolus ad Heb. 11. sitque fides primum fundamentum totius Christianæ religionis, ut ait Chryso. necesse est ut illa sit stabilis, & incommutabilis sicut firma Petra in ædificio ecclesiæ. unde supra petram ecclesia dicitur fundata. Math. 16. & quoniam diuersæ quæstiones insurgũt & emergunt dubia inter fideles circa fidem & impugnationes hæreticorũ necessarium fuit dare unum tribunal siue unum supremum iudicium notũ & certum in ecclesia Dei, & duraturum cum ea usq; ad consummationem seculi quandiu scilicet nobis est colluctatio aduersus potestates tenebrarum: ad quod iudicium in omnibus arduis, & maximè circa fidem, & doctrinam posset facile haberi recursus: cuius iudicio, & determinationi omnes firmiter parere deberent. Hoc etiam patet: quoniam aliter nulli determinationi siue diffinitioni uel declarationi quæ in ea fieret circa ea quæ fidei sunt firmiter adhæreretur, & ita non uideretur ecclesiæ sufficienter fore prouisum in his quæ necessaria sunt ad salutem. contra illud Esa. 5. Quid est quod debui facere uineæ meæ, id est ecclesiæ & non feci? sed hoc tribunal siue supremum iudicium non uidetur posse regulariter esse uniuersale concilium. ergo uidetur q͏ sedes siue cathedra apostolica sit huiusmodi tribunal cuius iudicio omnes causæ maiores determinandæ ueniant, & finiendę in ecclesia Dei. consequentia est bona. maior etiam probata est. minor uero ostenditur ex multis. Primo quia multa concilia etiam uniuersalia in his quæ fidei sunt, & necessaria ad salutem errasse leguntur, & habuisse iudicia defectibilia: sicut patet de Ariminen. concilio quod fuit numerosissimum utputa DCCCXXX. episcoporum, patet idem de Ephesino secundo quod Leo papa condemnauit, & in eius correctionem Calcedonen. concilium instituit. Sedes autem apostolica nunquam in his quæ fidei sunt errasse perhibetur ut sancti patres firmiter ac multipliciter attestantur, sicut superius induximus in hoc capitulo, & præcedenti. Dicit etiam beatus Ambro. super Mar. & habetur in cap. non turbatur 24. q. 1. Non turbatur nauis quæ Petrum habet, turbatur autem quæ Iudam habet. Item August. in sermone quarto de sancto Petro hanc prærogatiuam apostolicæ sedis luce clariorem faciens dicit sic. Nauis Petri in altum huius seculi ita natat ut pereunte mundo omnes quos suscipit seruat illęsos, cuius figuram iam uidemus in ueteri testamento. Sicut enim Noe archa naufragante mundo quos susceperat cunctos incolumes seruauit ita & ecclesia Petri conflagrante seculo omnes quos amplectetur reseruabit illęsos. Hæc August. Secundo q͏ tribunal præfatum sit apostolica sedes regulariter, & non uniuersale concilium ex eo colligitur q͏ tale tribunal debet esse fixum in ecclesia: & continue permanens cum quasi omni die sit necessarium, hoc autem nõ potest uniuersali cõcilio conuenire: quoniã raro & non modo nũc sed etiã antiquo tempore leguntur celebrata: sedes autẽ apostolica semper fuit fixa: non. n. moritur ut supra ostendimus: iuxta cap. gratiose, extra de rescrip. Tertio hoc idem colligitur ex illa sanctorum patrum professione catholica qua super apostolicam sedem dicunt, & prædicant ecclesiam esse fundatã ut Cyprianus, Hieronymus, Augustinus quos superius induximus. ergo magis uidetur congruere dispositioni diuinæ quòd ecclesia iudicium sumat a cathedra Petri quàm cathedra ipsa ab ecclesia. Quarto hoc idem colligitur ex eo quòd sancti doctores, & canones etiam summarum dispo-

sitiones causarum & maxime fidei ad apostolicam sedem:ut supra ostendimus:mandant esse referendas : nusquam autem mandat eas ad uniuersale concilium deferri. Quinto quia quæstio fidei melius uidetur determinari per principem qui ecclesiæ præest quàm per multitudinem : quod sanctus Thom.in secunda, secundæ.quæst.ar.10.& in 4.contra gentiles probat ex eo:quia una debet esse fides totius ecclesiæ secundum illud.1.Corin.1.Idipsum dicatis omnes,& non sint in uobis scismata, quæ fidei unitas seruari non posset nisi quæstio de fide exorta determinaretur per eum qui toti ecclesiæ præest ut sic eius sententia a tota ecclesia teneretur firmiter.Hæc sanctus Thom.Hinc beatus Maximus in epistola , orientalibus directa dicit. Omnes fines orbis qui Deum sincere receperunt , & ubique terrarum catholici Christi fidem confitentur:in ecclesiam Romanorum pontificem tanquam in solem respiciunt,& ex ipso catholicæ , & apostolicæ fidei recipiunt ueritatem.nec immerito Petrus legitur primo perfectam fidem esse professus domino reuelante Math.16. Tu es Christus filius Dei uiui. unde.& ei dominus dicit. Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua,hæc ille. Item Nicolaus papa in epistola quam scribit Phocio patriarchæ ut habetur in actione quarta octaui concilii Icomenici ad propositum dicit. Quia uniuersitas credentium ab hac sancta Romana ecclesia quæ caput est omnium ecclesiarum doctrinam exquirit integritatem fidei deposcit: criminum solutionem qui digni sunt & gratia Dei redempti exorant:oportet nos quibus commissa est solicitos esse &c . Item Gelasius papa in epistola ad Anastasium imperatorem. Vna est Christiana fides quæ est catholica:catholica autem ueraciter illa est quæ ab omnium perfidorum atque ab eorum successoribus consortibus sincera pura immaculata communione diuisa est : hoc est quod sedes apostolica magnopere taxauit , ut quia mundo radix est apostoli gloriosa confessio nulla rima prauitatis nulla prorsus contagione macularetur:nam nisi(ut Deus auertat:quod fieri nō posse confidimus)tale aliquid proueniret uel cui iam resistere auderemus errori uel unde correctionem errantibus posceremus , hæc ille . Ex quibus patet quàm temeraria quamq́ue a Christi , & sanctorum patrum doctrina aliena assertio aduersariorum sit asserentium apostolicæ sedis iudicium in his quæ fidei sunt non esse certum non esse firmum:sed defectibile sed deuiabile:& de facto quandoque deficere & errare. Qui error perniciosissimus , utpote qui sedis apostolicæ diffinitiones fidei declarationes hæreticorum damnationes canonum confirmationes sanctorum canonizationes dubias,& ambiguas,& per consequens suspectas de falsitate reddēs fidem eneruat,& Christianam religionem maculat.Hic error fuit communis omnibus hæreticis,ut depressa apostolicæ sedis auctoritate licentiori præsumptione,& audacia in suis crassarentur erroribus.

Cap. CXI. In quo obicitur contra ea quæ dicta sunt tam de infallibilitate iudicii apostolice sedis in his quæ fidei sunt:quàm de firmitate fidei semper futura in ecclesia Romana.

ADVERSVS præfatam conclusionem quam de priuilegio apostolicæ sedis,& Romanæ ecclesiæ auctoritatibus,& rationibus efficaciter

ficaciter firmauimus est multa turba aduersariorum, & inimicorum apostolicæ sedis qui nituntur illam multis rationibus impugnare. Et primo nituntur infirmare fundamenta conclusionis nostrę præfatę. Primo sic. Quia auctoritas illa Luc. 22. in qua Christus orasse dicitur ne fides deficeret nó potest de fide personali Petri intelligi: quia statim illa defecit in ipso negando Christum. Et si dicatur quòd intelligatur de perseuerantia finali Petri non ualet: quia dubium est ꝙ talis perseuerantia finalis in fide competat semper aliis summis pontificibus. unde uidetur ꝙ auctoritas illa accipienda sit de fide uniuersalis ecclesiæ quæ nunquam defecit: & non de fide personali Petri. ergo falsè funditur in auctoritate præfata aliqua firmitas iudicii sedis aut alicuius ecclesiæ Petri, consequentia uidetur bona.

Arg. primũ quod cũ sequentibus soluetur ca. 112.

Secũdo sic. Auctoritas illa non potest intelligi de fide ecclesiæ Romanæ. ergo conclusio præfata non habet firmitatem ueritatis. consequentia est bona. antecedens probatur: quoniam quando Christus dixit illa uerba Petro: Petrus non magis erat caput ecclesiæ Romanæ quam Antiochenę sed tunc habiturus erat primo sedem in Antiochia. & postea in Roma. cum ergo in prędictis uerbis non plus fiat mentio de Roma quàm de Antiochia: quia uerba generalia ad omnia particularia æqualiter se habent, sed uerba prædicta non debét intelligi de Antiochia quia fides illius ecclesiæ iam defecit. ergo nec de Romana ecclesia debent intelligi.

Secundũ

Tertio sic. Doctores exponentes uerba illa scripturæ non exponunt ea de ecclesia Romana prout ecclesia Romana est pars distincta contra alias ecclesias: sed exponunt uerba scripturæ de materia illa loquentia de ecclesia catholica, & apostolica quæ comprehendit omnem ecclesiam tenentem fidem apostolorum siue sit Romæ siue in hispania siue in gallia. unde non dicunt doctores inquiunt aduersarii quòd Romana ecclesia errare non possit uel nunquam errabit contra fidem: licet aliquando affirment ꝙ nunquã inueniatur errasse secundũ se totam quàuis aliquando pro maiori parte errauit sicut tempore Liberii postquã consensit perfidiæ arrianorum.

Tertium

Quarto sic. Illud quod promittitur toti & non alicui parti non debet attribui alicui parti etiam principali, sed nunquam errare contra fidem toti congregationi fideliũ promissum fuit a Christo, & nulli parti fuit hoc promissum. ergo non debet hoc alteri ecclesiæ particulari catholicorum attribui: cum ergo Romana ecclesia sit pars ecclesiæ non tota ecclesia non posse errare contra fidem non est attribuendum Romanæ ecclesiæ.

Quartũ

Quinto sic. Cum dicis ꝙ Romana ecclesia non potest deficere in fide: quæro a te quid intelligis per ecclesiam Romanam. Aut enim intelligis papam seu multitudinem Romanorum siue clericorum siue laicorum in partibus Romanis degentium. Et hoc modo non est uerum: quia omnes Romani habentes domicilia Romæ possunt contra fidem errare sicut & omnes hierosolymorum errauerunt. Aut uocas ecclesiam Romanam clericos titulos habentes in Roma. hoc modo etiam non uidetur uerum ꝙ ecclesia Romana non possit errare in fide: quia tales clerici habentes titulos Romæ non uidētur esse magis electi a Deo quam qui habuerunt titulos hierosolymis, sed omnes isti errauerunt. ergo &c. Aut tertio uocas ecclesiam Romanam papam cum cardinalibus uel papam solum uel collegium solum cardinalium. Nec hoc uidetur uerum ꝙ ecclesia Romana non deficiat in fide immo uidetur temerarium dicere ꝙ papa cum duobus cardinalibus si non essent plures non possit contra fidẽ erran-

Quintum

re. Aut quarto uocas ecclesiam Romanam illos qui tenent fidem quam apostoli fundauerunt,& prædicauerunt Romæ: tunc bene uerum uidetur quòd ecclesia Romana hoc modo sumpta quæ est ecclesia uniuersalis errare non possit: sed hoc cum non plus comprehendat Romanos quàm hispanos non est ad propositum. Sexto sic. Papa potest errare in fide, & hæretica pollui prauitate. hoc manifestum est. Tum ratione: quia papa cum sit uiator,& non sit per papatum in fide confirmatus potest errare. Tum auctoritate. ut in cap. Si papa distinct. quadragesima. Tum exemplis: sicut patet de Marcellino,& Anastasio secundo. ergo sequitur quòd & possit in iudicio errare,& ita non est uerum quòd iudicium apostolicæ sedis sit indefectibile, & indeuiabile in his quæ fidei sunt. Septimo arguitur. Possibile est quòd Romanus pontifex incidat in hæresim damnatam, & quòd talem hæresim diffiniat in iudicio cum complicibus suis. ergo apostolicæ sedis iudicium in tali casu errabit in fide. Octauo arguitur de declaratione illa quam Anastasius fecit: de qua habetur dist. 19. in cap. 1. secundum ecclesiæ catholicæ consuetudinem: in qua quos Achatius post sententiam in se prolatam sacerdotes uel leuitas ordinauerat Anastasius acceptis beneficiis rite fungi debere decreuit. Hæc autem rescripta dicit Gratianus illicita,& non canonice sed contra decreta suorum prædecessorum esse data,& uidetur apostolica sedes hic errasse. Nono arguitur ex historia Stephani papæ qui collecto concilio formosum papam condemnauit, & omnes ordinationes eius irritas esse decreuit. Et de Ioanne nono qui confirmauit ordinationem,& collecta synodo Rauennæ synodum quam fecerat. Stephanus contra Formosum reprobauit. Decimo arguitur de Ioanne 22. nulla uidetur tergiuersatione negari quin doctrina sua de paupertate Christi,& apostolorum eius, & de abdicatione paupertatis omnium temporalium in speciali,& in communi de paupertate euangelica doctrinæ Nicolai tertii,& aliorum summorum pontificum dicatur aduersari: cũ ergo illa ad fidem pertineant uel ad bonos mores notum est quòd altera istarum doctrinarum continetur sub hæretica prauitate quodcunque autem detur est contra conclusionem præfatam. ergo &c. Quod uero doctrina Ioannis 22. de paupertate Christi, & apostolorum &c. aduersetur doctrinæ Nicolai tertii patet. Nam papa Ioannes 22. in declaratione quadam sua quæ incipit. Cum inter nonnullos: declarat primo quòd pertinaciter asserere redemptorem nostrum,& dominum Iesum eiusque apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi sit hæreticum, hæc declaratio uidetur manifeste repugnare declarationi, & determinationi domini Nicolai tertii qui in decretali sua quæ incepit. Exiit qui seminat: quæ declaratio per Bonifatium papam est inserta in sexto libro decretalium,& ab uniuersali ecclesia recepta. in qua declaratione præfatus dominus Nicolaus ita dicit. Porro cum ipsa regula expresse contineat quòd fratres nihil sibi approprient nec domum nec aliquam rem: sitque declaratum per eundem antecessorem nostrum Gregorium nonum,& nonnullos alios hoc obseruare debere tam in spirituali quàm in communi, quam sic artam abdicationem uenenosis obtrectationibus aliquorum insensata deprauauit astutia: ne fratrum eorundem claritas talium imperitis sermonibus laceretur: dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in spirituali quàm in communi propter Deum meritoria est & sancta quã & Christus

Sextum

Septimũ

Octauum

Nonum

Decimũ

stus uiam ostendens docuit & exemplo firmauit:quamq; primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserunt ita uolentes perfecte uiuere per uitæ atque doctrinæ ipsorum alueos deriuarunt,hæc ibi.Sed huic declarationi in qua asserere uidetur dominus Nicolaus, & diffinire quòd Christus,& apostoli perfectionis ostendentes uiam non hab uerunt aliqua iure proprietatis in spirituali nec etiam in communi manifeste uidetur repugnare declaratio præfata Ioannis 22.ergo &c. Præterea dominus Ioannes uidetur reuocasse in constitutione sua quam determinauit dominus Nicolaus tertius:uidelicet quòd fratres minores in rebus oblatis eis nihil iuris,& domini: habent nisi solum usu n fructum denudatum ab omni iure, & dominio ac proprietate tam in speciali quàm in communi. Cõfirmatio

Cap. CXII. In quo obiectionibus præfatis aduersariorum respondetur.

PRÆFATIS aduersariorum obiectionibus non obstantibus quibus non erit difficile respondere tenendum uidetur saluo semper meliori iudicio:quòd sicut supra probauimus apostolica sedes ad quam pro principatus sui sublimitate pertinet quæ ad fidem, & totius Christiani populi doctrinam,& religionem expectant sententialiter diffinire,& interpretari non possit errare attento diuinæ pollicitationis impermutabili decreto in his quæ de fide tenenda, & credenda apostolatus sui iudicio publice Christiano populo decerneret siue diffiniret. Tum quia ut argutum est alias non esset firma,& indubitata credulitas in his quæ circa fidem per ecclesiam statuerentur cum omnia huiusmodi per Romanos pontifices statuta sint. Tum quia constat quòd auctoritate ecclesiæ quæ maxime in Romano pontifice utpote ipsius ecclesiæ capite & principe collata est libri canonis habent robur.unde quòd illis libris sit credendum firmiter non constat nisi per auctoritatem ecclesiæ. unde August.contra epistolam fundamenti. Euangelio non crederem nisi auctoritas ecclesiæ catholicæ me moueret credere quòd ecclesia in electione sacræ scripturę canonicę fuerit spiritusancto directa.ergo similiter credendum est quòd Romanus pontifex in iudicio eorum quæ fidei sunt spiritusancto regatur, & per consequens in illis non erret alias posset quis eadem facilitate dicere quòd erratum sit in electione quattuor euangeliorum, & epistolarum canonis, & in approbatione uniuersalium conciliorum, & aliorum librorum doctorum approbando aliquos,& aliquos reprobando: quod tamen ut patet distinct.15.per Romanos pontifices, scilicet Gregorium, & Gelasium delasium determinatum legitur: & ita nulla fides maneret certa credendorum quo nihil periculosius aut etiam absurdius posset in Christiana religione excogitari. Non ergo uidetur quòd Romanus pontifex in his quæ apostolatus sui iudicio credenda fide aut detestanda diffinit aut iudicat errare possit. Quare dicendum est ad rationes in oppositum. Ad primam cum dicitur quòd auctoritas illa Luc.22. Ego pro te rogaui, &c. non accipienda uenit de fide Petri, respondetur quòd hoc falsum est, quod patet manifeste tam ex ipsis domini saluatoris, uerbo quàm ex sanctorum patrum, & doctorum expositionibus. Ex textu qui- Ad primũ

dem euangelii patet: ait enim Christus ad Petrum. Ego pro te rogaui Petre. Ecce quod dicit pro te in speciali: ut non deficiat fides tua. Ecce quod dicit fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Clarum est autem quòd pro illius fide personali rogabatur qui post lapsum conuersus confirmare iubetur fratres suos. hic autem Petrus erat & non alius: nec congregatio ipsa uniuersalis ecclesiæ, quia uerba illa non possunt adaptari illi. Tum quia fides illius non deficit. Tum quia ipsa non dicitur aliquando conuersa. Tum quia ipsa non dicitur proprie fideles in fratres habere sed potius in filios. Quod uero aduersarii dicunt quòd fides Petri statim defecit: respondetur quòd si ad horam defecit non tamen finaliter, & hoc est quod Christus rogauit. unde non dixit ei dominus. Ego pro te rogaui Petre, ut non neges seu ut nó cadas sed ut non deficiat fides tua scilicet finaliter. unde Beda in gl. non dicit non tenteris sed non deficiat fides tua ut post lapsum negationis ad pristinum statum peniténdo resurgas, hęc ille. Hoc etiam innuitur manifeste in uerbis sequentibus saluatoris cum ait. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, in quo casu manifeste innuit saluator quòd aliquando Petrus erat casurus siue negaturus non ergo rogat ne caderet: sed ne in casu maneret: quod ipsius rogatu adimpletum est quòd postea nunquam amplius cadat. Et ita patet ex ipso euangelii textu & saluatoris uerbo quod ad litteram loquitur dominus de fide personali Petri. Hoc etiam apertissime ostenditur ex sanctorum patrum expositionibus quas induximus supra in cap. 109. unde Leo papa exponens textum hunc sermone secundo consecrationis suæ ita inquit. Spiritualis cura a domino Petri suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur tanquam aliorum status certior sit futurus si meus principis uicta non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitatur &c. Ecce testimonium clarissimum huius quod diximus. Quod uero consequenter dicunt aduersarii quòd expositio data de fide personali finali Petri non ualeat: quia ut aiunt fides personalis in aliis pontificibus successoribus Petri non super habuit aut habet finalem in fide perseuerantiam est stultum dictum: quoniam textus præfatus de personali fide Petri loquitur non de fide personali aliorum pontificum. Pro quo notandum quòd Romanus pontifex succedit beato Petro non in gratiis, & prærogatiuis personalibus sed in sede & officio pontificatus, & per consequens in priuilegiis sed & officii. Habuit autem Petrus priuilegium post resurrectionem Christi ut in fide finaliter non deficeret siue erraret: & non solum ipse hoc habuit: sed etiam ceteri apostoli qui cum Christo manserunt. unde ut dicit beatus Chryso. quòd pro omnibus etiam rogauit cum ait Ioannis. 18. Pater sancte serua eos in nomine meo. unde communis doctrina sanctorum habet quod omnes apostoli confirmati fuerint post resurrectioné. unde gl. super illud psal. 74. Ego confirmaui columnas eius dicit sic. Quæ in passione nutauerunt. i. apostolos qui confirmati sunt in resurrectione. In hoc autem priuilegio Romanus pontifex nó succedit Petro sicut nec alii episcopi aliis apostolis. Et ideo quod aduersarii inducunt de fide aut oratione personali Romanorũ pontificũ non facit ad propositũ: habuit aũt amplius singulariter Petrus super oés alios apostolos, ut priuilegiũ non errandi in fide se extenderet ad sedem siue cathedram eius ita quod in cathedra sua semper catholica uigeret doctrina, & in sede sua iudiciũ in his quæ fidei sunt ab omni macula

erroris

erroris esset alienum: prout superius multis sanctorum patrũ sententiis firmauimus. Hæc autem prærogatiua non est data sedibus aliorum apostolorum quoniam omnes aliquo modo uerecundatę sunt: sicut patet de Achaia ubi prædicauit beatus Andreas, de Asia ubi prædicauit Ioannes euangelista. de India ubi Thomas, de Ethiopia ubi Mathæus, de alia India ubi beatus Bartholomęus de Hierosolyma ubi Iacobus. Omnes istę quasi funditus defecerunt a fide. sola Romana ecclesia immaculata permanet, & opitulante Deo permanebit semper. Ad secundam obiectionem cum dicitur quòd præfata auctoritas non potest intelligi de ecclesia Romana &c. respondetur negando hoc assumptum quoniam falsum est. Et ad probationem cum dicitur quòd quando Christus dixit illa uerba Petro, Petrus non erat magis caput Romæ, &c. respondetur quòd probatio illa nulla est: quoniam licet Petrus tunc nullius ecclesiæ caput actu esset sed esset bene futurus caput: nihilominus quando Christus orauit pro fide Petri orauit pro fide ecclesiæ suæ quæcunque futura esset cui Petrus tanquã princeps, & caput præesse deberet. unde cum Petrus præsedit ecclesiæ Antiochenę, ecclesia antiochena habuit eam prærogatiuam. cum uero Petrus inde transtulit sedem suam translata est in ecclesiam Romanam dicta pręrogatiua quæ sedem ipsam Petri diuina prouidentia disponente interuenientibus ipsius beati Petri meritis inseparabiliter sequitur, & cõcomitatur. unde beatus Leo in sermone secundo consecrationis suæ ita inquit. Manet ergo dispositio ueritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine perseuerans suscepta ecclesiæ gubernacula non relinquit: sic enim est ordinatus, ut ante petra dicatur dum fundamentum pronunciatur dum regni cœlorum ianitor constituitur dum ligandorum soluendorumque arbiter ad mansuram etiam in cœlis iudiciorum suorum diffinitionem pręficitur qualis ipsa mihi esset societas per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus, & infra. Si quid itaque a nobis recte agitur recteque discernitur si quid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur illius est operum atque meritorũ cuius in sede uiuit potestas, & excellit auctoritas. hoc enim obtinuit dilectissimi illa confessio quæ a Deo patre apostolico inspirata cordi omnium humanarum operationum in terra transcendit, & firmitatem quæ nullis impulsionibus quateretur recepit. hæc ille. Item Nicolaus papa ad Michaelẽ imperatorem sic scribit. Petrus confirmatæ petræ quæ Christus est structuram uniuersalis ecclesiæ inconcussam, & fide clare solidatam ita præcibus suis munire non cessat ut errantium uesaniam recte fidei norma reformare festinet ut non intrepide eam consolidantes remunerare procuret quatenus portæ inferi malignorum spirituum suggestiones atque hæreticorum impetus non præualeant eiusdem ecclesiæ unitatem infringere. Ad tertiam obiectionem cum dicitur quòd doctores exponentes uerba illa Christi non exponunt ea de ecclesia Romana, &c. respondetur negãdo hoc tanquam falsum, & iniquum: quod patet ex testimoniis superius inductis pro ueritate conclusionis sanctorum patrum. s. Cyrilli, Chrysostomi, Hieronymi, Leonis, Agapitonis, Bernardi Anselmi Alberti magni, sancti Thomæ, & aliorum plurium doctorum: omnes enim isti loquuntur de ecclesia Romana prout est pars distincta tanquam caput, & magistra contra alias ecclesias. Ad quartam obiectionem cum dicitur: illud quod promittitur toti & non parti &c. respõdetur negando ꝙ non errare contra fidẽ non

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

sit promissum ecclesiæ Romanæ, hoc enim falsum est ut iam ostendimus in responsione ad secundam. Vnde beatus Cyrillus, ut supra induximus ita ait. Secundum hanc domini promissionem ecclesia apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione immaculata manet super omnes postpositas, &c. ut supra. Ad quintam cum quæritur quid uocatur ecclesia Romana cum dicitur ꝙ in fide errare non possit. Respondetur in primo ꝙ non accipitur hic ecclesia Romana ita extenso uocabulo pro fidelium illorum congregatione qui tenent fidem quam apostoli Romæ prædicauerunt. iste enim modus uocandi ecclesiam Romanam uidetur esse improprius. Tum quia alibi quam Romæ apostoli prædicauerunt fidẽ quã fideles per orbẽ dispersi tenent, & obseruant. Tum quia confessio etiam ipsa fidei qua Petrus Christum Deũ, & hominem confessus ait. Tu es Christus filius Dei uiui &c. super quã dicitur Christus ecclesiã suã ædificasse non primo Romę sed in Cæsaria Philippi facta est ut dicitur Mat. 16. Secundo dicitur ꝙ ecclesia Romana in qua religio Christiana a tempore apostolorũ Petri, & Pauli semper immaculata dicitur perstitisse, & usq; in finẽ seculi debere persistere uocatur cõgregatio populi fidelis Romani cũ suo pastore. Quod uero dicitur ex aduerso ꝙ oẽs Romani possunt errare sicut oẽs hierosolymitani. Respondetur ꝙ hoc falsum est, hæc. n. gratia data est ecclesiæ Romanæ quę nõ fuit data Hierosolymitanę, de qua gratia Agapto papa in suggestione quã Cõstantino imperatori scripsit ita dicit. Hæc apostolica Christi ecclesia per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse perhibetur &c. ut superius est inductum. Ad sextã obiectionem in qua arguitur. Papa potest errare in fide tenendo malã opinionẽ circa ea quæ fidei sunt. ergo similiter potest errare in iudicio male sententiando de fide, respondetur negando consequentiam: quia licet primum sit possibile secundum tamen non. Et ratio diuersitatis est: quia assistentia spiritussancti promissa a Christo non respicit personam papæ sed officium siue sedem, & ideo cum opinari sit personæ iudicare uero sit officii: licet esset possibile papam male opinari: errare tamen sententiando in iudicio de his quæ sunt fidei non est possibile stante diuina promissione. Pro quo notandum cum sancto Thoma in quodlibeto octauo: in quo quærens utrum omnes canonizati per ecclesiã sint in gloria uel aliqui eorum sint in inferno, dicit: ꝙ aliquid potest iudicari secundum se consideratum quod relatũ ad aliquid extrinsecum impossibile inuenitur. dico ergo ꝙ iudicium eorũ qui præsunt ecclesiæ potest errare in quibuslibet si personę eorũ tantũ respiciantur. Si uero consideretur diuina prouidentia quæ ecclesiam suã spiritusancto dirigit sicut ipse Christus promisit Ioan. 14. Docebit uos omnem ueritatem. s. necessariam ad salutẽ certum est ꝙ iudicium ecclesiæ uniuersalis in his quæ ad fidẽ pertinent errare est impossibile. unde magis standũ est sententiæ papę quam de fide in iudicio profert quàm quorumcunq; hominum sapientum in scripturarum opinionibus. nam & Cayphas cũ esset pontifex licet nequam: prophetauit. Ioan. 11. hęc sanctus Thomas. Plane huiusmodi dignitates in ecclesia sicut multum tributum est eis honoris, & reuerentiæ ita plurimum uirtutis sortitę sunt, & gratiæ singularis. unde Chrysosto. super illo uerbo Ioan. 11. ualde pulchre ad propositum loquitur. Vide inquit quanta pontificalis potestatis sit uirtus: quia enim qualitercunque dignus effectus est pontificari, & si indignus existens ore prophetauit nesciens

Ad quintum

Ad sextũ

sciens quid dicebat: ore enim illius solum usa est gratia spiritussancti: contaminatum autem cor non tetigit.& infra. Vides quanta spiritussancti uirtus a mente perniciosa uoluit uerba proferri prophetiæ plena magnæ, & mirabilis. Item beatus August. hunc locum tractans libro quæstionum ueter.& no. testamenti, & habetur in ca. dictum est a domino 1.q.1. ita ad propositum loquitur. Quanta autem sit dignitas sacerdotalis ordinis hinc aduertamus, dictum est autem de nequissimo Caypha interfectore inter cetera, hoc autem a semetipso non dixit sed cum esset princeps sacerdotum illius anni prophetauit per quod ostenditur spiritumsanctum gratiarum datorem non personam sequi aut digni aut indigni sed ordinem traditionis. Vbi ceterum in hoc loco bene aduertendum quòd non dicitur ꝙ papa errare non possit aut male sentire aut iudicare in his quæ fidei sunt: cum error ut dicit Augustinus nihil aliud sit quàm pro uero approbare falsum: sed dicitur quòd sententia quam in iudicio Romanus pontifex profert in his quæ fidei sunt errare non possit aut ꝙ sedis apostolicæ iudicium quod idem est errare non posit. Ita enim loquitur Hieronymus in ca. Hec est fides 24.q.1. cum ait ꝙ sit apostolatus tui iudicio &c. Eodem modo loquitur sanctus Tho. in præfato quodlibeto cum dicit: quòd magis standum est sententiæ papæ quam de fide in iudicio profert quàm &c. Hinc etiam Aga pro papa in ca. Sic. di. 19. inquit. Sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatę. Super quo dicit Archi. Caute dicit apostolicæ sedis, & non dicit apostolici. sedis autem apostolicæ sanctiones siue sententia in iudicio prolata a Romano pontifice intelligitur non qui occulte maliciose aut inconsulte per solum Romanum pontificem aut etiam quæ per ipsum cum paucis sibi fauentibus aliis in fraudem contemptis siue non uocatis ad partem profertur: sed quæ a Romano pontifice qui maturo, & graui uirorum sapientum, & maxime dominorum cardinalium primo concilio digesta, & maturata sancitur, & profertur. Nam ut ait Albertus magnus in quæstione de iustitia, & legibus habẽtibus auctoritatem secundũ consulta sapientum est determinare, & interpretari uel exponere: & ꝙ ita sit in rebus arduis dicitur ab apostolica sede emanare secundũ illud quod beatus Greg. ait in c. apostolicæ sedis 35.q.9. Apostolicę sedis sententia tanta semper consilii moderatione concipitur tanta patientiæ maturitate decoquitur tantaque deliberationis grauitate profertur ut nec mutari necessarium ducat nisi forte sic prælata sit ut retractari possit. &c. Quibus omnibus consideratis: uidelicet infallibilate diuinæ promissionis: efficacia orationis Christi meritorũ affluẽtia beatissimi apostoli Petri, & maturitate cõsilii ꝙ in huiusmodi arduis materiis quę fidẽ tangunt cũ dominis cardinalibus, & aliis doctis patribus Rom. pon. semper habet sine dubio tenendũ est hoc quod de apostolicæ sedis iudicio dictũ est: uidelicet ꝙ in his quæ fidei sunt deficere non possit. Ad septimã obiectionem cum arguitur de papa facto hæretico, & deficiente pro hæresi sua dupliciter respondetur. Quidam. n. uolunt dicere ꝙ casus non est possibilis quo ad hoc ꝙ papa posit diffinire hæresim. dicũt enim ꝙ in hoc casu Deus non permitteret eum diffinire hæresim aut aliquid contra fidẽ sed prohiberet eum aut per mortem aut per aliorum fidelium resistentiam aut per aliorum instructionem aut per internam inspirationem aut per alios modos secundũ quos Deus ecclesiæ sanctæ, & fidei ueritati multipliciter prouidere

Ad septimum

dimentum gratiæ siue obicem non præstarent. Quòd uero talis fuerit opinio huius Romani summi pontificis in hoc ca. & uerum dicat patet ex his, quæ inducuntur in glo. secundum Hug. glossa autem sic ait. Variis modis ponitur casus huius cap. Gratianus inducit quasi sit abrogatum & Maldensis consentit cum eo & omnes qui dicunt ueritatem sacramentorum non esse apud hæreticos ut 24. q. 1. scisma, & 1. q. 1. extra ecclesiam Hugo. dicit quod nec c. est reprobatum nec auctor pro his quæ continentur hic condemnatus fuit, quia nihil hic continetur quod non canonice dicatur, &c. Idem dicit dominus Archydiaconus. §. Quod uero immo dicit quòd ipse Gratianus fuit opinionis illius, quòd uera sacramenta non essent apud hæreticos quod falsum est, & ita uere uidetur errasse & non Anastasius in illo. unde Gratianus cum ait in §. præcedenti quòd hoc est quod dicitur quòd decretales epistolæ sunt paris auctoritatis cum canonibus siue quòd semper sunt accipiendæ, intelligendum sit de his sanctionibus, uel decretalibus epistolis in quibus nec præcedentium patrum decretis nec euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur uidetur male dicere in duobus. Primo ut dicit Archydiaconus in hoc quòd uidetur innuere quòd papa non possit facere contra decreta prædecessorum suorum, quod non est uerum de consti. c. 1. lib. 6. Secundo in hoc quod præsupponit quòd a sede apostolica possent emanare epistolæ decretales præceptis euangelicis contrariæ, quod est falsum iuxta prædicta & expresse contra ca. Sic dist. 19. Ad nonam obiectionem, quæ sumitur de factis. Formosi papæ & Stephani papæ, respondetur quod obiectio illa non militat contra propositum: quoniam altercatio illa non fuit in materia fidei aut circa ea quæ sunt necessaria ad salutem sed in quibusdam mundanis processibus & iudiciis. unde papa Formosus cum esset cardinalis degradatusq; fuisset usque ad habitum laicalem & iurasset nec ad episcopatum nec ad Romam reuersurum, Stephanus 6. papa credens quòd talis non potuisset reassumi ad papatum nec per consequens esse uerus papa condemnauit eum & ordinationes eius & sententias decreuit per consequens irritas esse. successor uero scilicet Ioannes nonus credens præfatum Formosum non obstantibus illis uerum fuisse pontificem confirmauit ordinationes illius & gesta contra illum in concilio Rauennę reprobauit. Ista erant in facto, non erat materia fidei. in illis enim quæ sunt facti ecclesia errare potest, ut dicit sanctus Tho. tam in quotlibeto 8. quam in 4. sententiarum distinct. 41. ubi ait quòd quamuis ecclesia dono & auctoritate diuina fulciatur, tamen inquantum est hominum congregatio aliquid ex defectu humano in actibus suis prouenit quod non est diuinum. Ad decimam obiectionem quæ sumitur ex declarationibus Ioannis 22. quæ uidentur contraria declarationi factæ per dominum Nicolaum tertium. respondetur quòd in ueritate non opponuntur, immo declaratio Ioannis 22. optime stat simul cum determinatione Nicolai. Pro quo notandum quòd diligenter perscrutati textum euangeliorum cum expositionibus sanctorum patrum & doctorum catholicorum duas paupertates legimus Christum ordinasse congruentes diuersis exercitiis perfectorum. Vnam uidelicet & primam pro illis qui prædicaturi mittendi erant in iudæam ad annunciandum aduentum regis, quæ est nihil proprium habere sub cœlo nec in speciali, nec in communi. de qua dominus mittens discipulos ad prædicandum Math. 10. dicit sic. Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam, in zonis ue-

Ad nonum

Ad decimum

ftris non petram nec duas tunicas, nec calciamenta neque uirgam, dignus est enim operarius cibo suo. hæc ibi. Hoc autem Christus præcepit ut ait Hieron. in gl. ne causa lucri & non causa salutis prædicare uiderentur. Itē glo. super illud. Dignus est enim operarius, &c. dicit sic. Ecce quare præcepit nihil ferre, quia omnia debentur eis. Et glossa Lucæ 10. dicit. Ecce qui sacculum & peram prohibuit sumptus ex prædicatione concessit, de Christo etiam dicitur. Math. 8. Filius hominis non habet ubi caput reclinet glo. inquit Hieronymi. Quid me propter lucra seculi uis sequi cum ita pauper sim ut nec hospitiolum quidem habeam nec necessario utar tecto. Secunda paupertas est pro illis qui fixi erant mansuri in congregatione, & ista est nihil habere in proprio, sed bene in communi, de qua Act. 4. sic dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una nec quisquam eorum quæ possidebat suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia, ubi glo. Bedæ pulchre ita ait. Qui ita uiuunt, ut sint omnia communia in domino cenobitę uocantur, quæ uita tanto felicior quanto statum futuri seculi imitatur, ubi omnia communia, quia Deus est omnia in omnibus. hæc ibi. Ergo Christus uolens utranque approbare paupertatem aliquando tenuit primam nihil penitus habens, nec in speciali, nec in communi uiuens tantum ex his quæ deuotę fœminæ sequentes eum administrabant ei & apostolis ut habetur Lucæ 8. super quo uerbo ita dicit glossa & creditur esse Bedæ. Antiquus mos erat iudæorum nec ducebant in culpam, ut mulieres sua substantia pascerent & uenirent doctores, quia uero in gentibus hoc poterat facere scandalum Paulus memorat se abstinuisse. ministrabant ergo domino carnalia cuius metebant spiritualia, ut formam daret prædicatoribus, quia uictu & uestitu debent esse contenti. hæc glossa. Secundam autem paupertatem approbauit aliquando & uerbo, & exemplo uerbo. unde Luc. 22. inquit apostolis. Quando misi uos sine sacculo & pera, & calciamentis nunquid aliquid defuit uobis? at illi dixerunt nihil, dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram, &c. ubi gloss. interlin. dicit. In hoc quoque nobis datur exemplum, ut nonnunquam causa instante de nostri propositi rigore sine culpa intermittere possimus. Ex qua glo. manifestum accipitur argumentum, quòd illud præceptum Math. 10. de non portando aurum & argentum, &c. super quo fit dispensatio non pertinet essentialiter ad perfectionem uitæ spiritualis, quia in tali non haberet locum dispensatio, quod multum militare uidetur contra fratricellos. Præterea etiam Christus exemplo firmauit præfatam paupertatem habens loculos in quibus seruabantur ea quæ ei dabantur ad sui & eorum necessitates subleuandas, de quibus Ioan. 13. ubi sic habetur. Christus dicit Iudæ quod facis fac citius. hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerat, & quidam putabant quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus. Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Super quo dicit beatus Augustinus super Ioannes, & habetur in cap. Habebat 12. q. 1. Habebat ergo & dominus loculos a fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ seruaretur a sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopię timorem iustitia deseratur. hæc August.

Item

Item idem Augustinus & habetur in cap.exemplum ea. cau. & q. Exemplum domini accipite conuersantis in terra, quare habuit loculos cui angeli ministrabant nisi quia ipsius ecclesia loculos habitura erat. Non potest autem dici quòd hic paupertatis modus perfectis non conueniat tanquam habere aliqua in communi deroget euangelicæ perfectioni. patet tam ex eo quòd Christus perfectissimus & apostolici eius sanctissimi eam obseruauerunt & obseruandam ecclesiæ reliquerunt iuxta iam dicta beati Augustini. Tum patet ex communi obseruantia omnium sanctarum religionum Basilii Augustini Benedicti quæ omnes aliqua habent in communi. Tũ patet ex declaratione quam Greg.9.in quadam decretali sua facit extra de exces.præla.cap.Nimis iniqua, ubi expresse asserit fratres prædicatores,& minores in altissima paupertate Christo pauperi famulari, & tamen constat ipsos prædicatores habere aliquid in communi etiam quò ad proprietatem aliqua, quod eorum regulæ & statui non repugnat. Hoc etiam Alexander quartus in condemnatione libelli contra statum prædicatorum & minorum uidetur sensisse, in quo loquendo de dictis fratribus ita subiunxit. Cum insuper iidem fratres omnia propter Deum reliquerunt exilia uitæ subsidia mendicantes ipsum Christum imitentur pauperem perfectionem euangelicam amplexando, propter quod euidenter patet eos non solum in statu saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis obseruantiam quæ quidem ipsius perfectionis euangelicæ tenet formam in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. hæc ibi. Vbi quidem expresse dicit prædicatores Christũ pauperem imitari ipsiusq; perfectionem euangelicam amplexari & in statu existere perfectorũ quòdq; ipsius religionis obseruantia perfectionis euangelicæ tenet formam, & tamen constat ipsos habere posse quò ad proprietatem aliqua iuxta eorum regulam in communi. Et ita patet quòd habere aliquid in communi non derogat perfectioni euangelicæ, quod etiam sanctus Tho.determinat in 2. 2. q.188.arg.7.inducens illud Prosperi de uita contemplatiua & habetur in c.expedit facultates ecclesiæ possidere & proprias perfectionis amore contemni, & infra. Quo facto satis ostenditur & propria debere propter perfectionem contemni & sine impedimento perfectionis posse ecclesiæ facultates quæ sunt profecto communes possidere. Attento ergo quòd Christus has duas paupertates & utrasque euangelicæ perfectionis diuersis temporibus docuit uerbo & firmauit exemplo patet quòd declaratio Ioannis 22. non contradicit declarationi domini Nicolai tertii, sed stant bene simul ad diuersa tempora dicta eorum referendo. uno. n. tempore Christus, & apostoli nihil habuerunt in speciali nec in cõi a mulieribus quæ Christũ sequebantur necessaria sumentes, ut dicit dominus Nicolaus papa. Alio uero tempore habuerunt in cõi aliqua utputa loculos, sicut dominus Ioannes papa 22. Et ita patet quid dicendum sit breuiter ad dictam obiectionem inquantum spectat ad præsentem locum. Quod uero secundo loco de eodem Ioannis uerbo inducitur q reuocauerit quod Nicolaus determinauit, dicimus quòd non est uerum quòd dominus Ioan.reuocauerit, sed bene declarauit id quod dom.Nicolaus dixerat, uidelicet q fratres minores in reb. oblatis eis nihil iuris & dominii habent nisi solum simplicẽ usumfructũ denudatum ab omni iure & dominio atq; proprietate tã in speciali, quã in cõi debere intelligi in rebus in quib. usus potest separari a dominio & proprie-

dus modus dicendi est asserentium totaliter oppositum, scilicet quòd Romanus pontifex iure sui principatus siue Vicariatus Christi habeat in toto orbe terrarum plenam iurisdictionem non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus adiicientes quòd omnium principum secularium iurisdictionalis potestas a papa in eos deriuata sit. Nos uero declinantes quātum in nobis fuerit has prædictas uias quæ nobis uidentur minus probabiles saluo semper apostolicæ sedis iudicio cuius ea quæ nunc & alias scripsimus emendationi & correctioni submittimus. Incedentes ergo media uia ponemus has duas conclusiones. Prima est contra primum modum dicendi quòd Romanus pontifex iure principatus sui habeat iurisdictionem aliquam in temporalibus in toto orbe Christiano. Hæc conclusio colligitur primo ex cap. Omnes distinct.22.in quo papa Nicolaus inquit ꝙ Christus beato Petro uitæ æternæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit, ubi glo.inquit. Argumentum quòd papa habeat utrunque gladium spiritualem scilicet & temporalem 63.dist.tibi domino,& 15.q.6. alius & ca. Nos sanctorum,& ca.Iuratos. Secundo patet conclusio auctoritate & testimonio beati Thomæ qui in fine secundi libri super sententias dicit quòd spirituali potestati potestas secularis in papa coniungitur qui utriusque potestatis apicem tenet scilicet spiritualis & secularis, hoc illo disponente qui est rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech & dominus dominantium cui potestas non auferetur & regnum eius non corrumpetur. hæc sanctus Thomas. Secunda conclusio contra secundum modū dicendi est, quòd licet papa habeat aliquo modo iurisdictionem in temporalibus in toto orbe Christiano, non tamen ita amplam siue plenariam, aut extensam sicut illi de secundo modo asserunt siue dogmatizant, sed quantum necesse est pro bono spirituali conseruando ipsius & aliorum siue quā tum ecclesiæ necessitas exigit aut debitum pastoralis officii in correctione peccatorum exposcit prout plenius explicabimus. Iuxta ergo has duas nostras conclusiones pro ampliori ueritatis illustratione duo impræsentiarum faciemus. Imprimis assignabimus modos secundum quos Romanus pontifex non uidetur dicendus habere iurisdictionem in toto orbe Christiano in temporalibus. Secundo explicabimus modos secundum quos uere Romanus pontifex ubique etiam in temporalibus habet iurisdictionem, ut in ca. proximo. Circa primum sit ista propositio. Papa non sic est dicendus habere iurisdictionem in temporalibus iure papatus, ut sic dicendus sit totius orbis dominus. Ista propositio licet nostro iudicio sit satis clara: nihilominus potest sic probari. Nihil quod est interdictum apostolis potest dici cōuenire Romano pontifici iure apostolici principatus. patet: quia cum Romanus pontifex succedat Petro in potestate & officio non potest habere iure papatus id quod Petro & omnibus apostolis fuit prohibitum & interdictum, sed apostolis est interdictus dominatus in temporalibus. ergo Romanus pontifex iure apostolici principatus non sic habet potestatem aut iurisdictionem in temporalibus quòd sit dominus orbis. consequentia est bona. maior patet: minor uero habetur Math.20. ubi Christus ait apostolis, Scitis quia principes gentium dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos maior fieri sit uester minister, & quicunque uoluerit inter uos primus esse erit uester seruus: sic filius hominis non uenit ministrari, sed mi-

Prima cō clusio auctoris

Secunda

Prima propositio

nistrare & animam suam dare in redemptionem pro multis. Et simile per omnia legitur Luc. 22. In quibus uerbis quòd dominatus fuerit interdictus apostolis patet. Ait enim beatus Bernardus in secundo libro de consideratione ad Eugenium papam sic. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus apostolus, quod habeo inquit, tibi do. quid illud? unum scio non est aurum, nec argentum cum ipse dicat aurum & argentum non est mecum: esto ut alia quacunque ratione hoc tibi uendices, sed non apostolico iure nec enim ille tibi dare, quod non habuit potuit, quod habuit dedit solicitudinem, ut dixit super ecclesias, nunquid dominationem audi ipsum non dominantes autem in clero, sed forma facti gregis, & ne dictum sola humilitate putes non etiam ueritate uox domini est in euangelio. Reges gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos benefici uocantur, & infert. uos autem non sic. Planum est apostolis interdicitur dominatus istum quomodo tu & tibi usurpare audes, aut dominans apostolatum aut apostolatus dominatum. plane ab alterutro proluberis si utrunque simul habere uoles perdes utrunque, alioquin non te exceptum illorum numero putes de quibus quæritur dominus. Ipsi regnauerunt & non ex me & principes extiterunt & non cognoui, at si interdictum audiamus forma edictum, qui maior est uestrum fiat sicut minor & qui præcessor est sicut qui ministrat: forma apostolica hæc est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio. hæc Bernardus. Item idem Bernardus infra. Exi inquam in agrum ager mundus est tibi creditus est exi in illum non sicut dominus, sed tanquam uillicus uidere & probare unde exigendus es reddere rationem. hæc ille. Patet etiam propositio prædicta ex donatione temporalium in Italia quam Constantinus dicitur fecisse beato Syluestro Romano pontifici, quoniam si Romanus pontifex iure sui principatus fuisset dominus temporalium non fuisset aliqua donatio facta Syluestro, sed potius restitutio eius quod suum erat, cuius tamen contrarium Romanus pontifex confitetur & Imperator Constantinus, de constantino habetur in capi. Constantinus distinct. 96. de Romano pontifice habetur in cap. Futuram duodecima q. 1. Secunda propositio. Romanus pontifex non dicitur sic principatum siue iurisdictionem plenariam in temporalibus in toto orbe Christiano habere ut nomen regis, aut Imperatoris orbis possit sibi uere in temporalibus usurpare. Patet ista propositio ex prima. patet etiam testimonio papæ Nicolai in c. Cum ad uerum distinct 96. ubi sic inquit. Cum ad uerum uentum est ultra sibi nec Imperator iura pontificatus arripiat nec pontifex nomen Imperatoris sibi usurpet: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus propriis & dignitatibus distinctis officio potestatis utriusque discreuit. hæc ille. Et idem ponitur in c. quoniā dist. 10. Tertia propositio. Romanus pontifex non dicitur sic habere potestatem secularem, aut iurisdictionem plenariam in temporalibus, ut quem admodum omnes dignitates ecclesiasticæ a sede apostolica pendere dicuntur ab ea iurisdictionem sumentes iuxta ca. Omnes dist. 22. & ca. Ita dominus dist. 19. ita principatus & iurisdictiones regum & principum secularium dependent ab ea. Patet ista propositio auctoritatibus & ratione. Auctoritate primo sic de Imperio quod sit a solo Deo & non a papa. ait enim Ioannes papa sic in ca. Si Imperator dist. 96. Si Imperator catholicus est filius est non præsul ecclesiæ, quod ad religionem competit discere ei competit non docere,

Secunda

Tertia

cere, habet priuilegia potestatis suæ quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, ubi dicit glo. ergo non a papa, nam imperium a solo Deo est. Secundo idem confitetur papa Innocentius in cap. Quæsitum 21. q. 4. Item tertio idem confitetur papa Innocentius tertius in ca. Solite de maio. & obe. ubi imperatori Constantino ita scribens inquit. Præterea nosse debueras quòd fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli, hoc est uniuersalis ecclesiæ id est duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis maiestas. Hoc etiam habetur in auct. quomodo oportet episcopos coll. in princ. Item Iustinianus Imperator scribit C. de ueteri iure enuc. in princ. Deo auctore nostrum gubernante Imperium quod nobis a cœlesti maiestate traditum est, &c. Ecce quòd a cœlesti maiestate sibi traditum dicit Imperium. nullus autem istorum aut pontificum, aut imperatorum confitetur quòd potestas imperialis absolute dependeat a papa, & ita dicendum est de aliis dignitatibus secularibus. Ratione uero præfata propositio probatur sic. Nullum prius dependet in esse a suo posteriori, sed potestas principum secularium siue regalis, siue Imperialis præcedunt tempore papatum, siue principatum apostolicum. ergo non potest dici cum ueritate quòd a principatu apostolico dependeat potestas iurisdictionis principum secularium. consequentia est bona. maior est manifesta. minor etiam patet ex illo apostoli 1. ad Corinth. 15. Non prius quod spirituale, sed quod animale est. Tum ex eo quòd prius fuerunt reges & Imperatores antequam Petrus fuisset factus papa, & etiam antequam claues regni cœlorum datæ essent ecclesiæ, ut manifestum est. Præterea fortificatur ista propositio, quia si sic omnes principes Christiani qui dominia sua non recognoscunt a Romano pontifice cuiusmodi est rex Franciæ, ut met testatur Innocentius tertius in cap. per uenerabilem, qui fi. sint legi. superiorem in temporalibus minime recognoscit, non essent in statu salutis, cum bona fide illa non possideant, quod esset grauissimum dicere & totum mundum conturbare. Quarta propositio. Romanus pontifex iure papatus non sic potestatem siue iurisdictionem in temporalibus habet quod de feudis principum secularium, aut de possessionibus directe se intromittere, aut iudicare ualeat regulariter. Patet hæc propositio tam ex præcedenti quàm ex confessione Romani pontificis Innocentii tertii, ut in ca. Nouit. extra de iudi. ubi ita ait. Non enim intendimus iudicare de feudo cuius ad ipsum s. regem spectat iudicium nisi forte iure communi per speciale priuilegium, uel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum. Patet etiam hæc propositio testimonio Alexandri tertii qui in c. Causam extra qui fi. sint legi. dicit sic. Nos attendentes quòd ad regem pertinet non ad ecclesiam de talibus possessionibus iudicare ne uideamur iuri regis anglicorum detrahere qui ipsarum iudicium ad se asserit pertinere fraternitati uestre mandamus quatenus regi possessionum iudicium relinquentes, de causa principali, &c. Hoc etiam apertissime ostendit beatus Bernardus in libro de consideratione ad Eugenium papam dicens. In criminibus non in possessionibus potestas uestra, propter illa siquidem has accepistis claues regni cœlorum. Et infra infert. Habent hæc infima terrena iudices suos reges, & principes terræ. Quinta propositio. Papa non ita iurisdictionem in temporalibus habet quòd a quocunque iudice seculari passim, & regulariter ad eum possit appellari. Ista propositio patet

Quarta

Quinta

testimonio Alexandri papæ qui in cap. Si duobus extra de appella. ad quæstionem qua quæritur si a ciuili iudice ante iudicium uel post ad papã fuerit appellatum an huiusmodi appellatio teneat respondet. tenet quidem in his qui sunt temporali iurisdictioni subiecti, in aliis uero etsi de consuetudine ecclesiæ teneat secundum iuris rigorem credimus non tenere, ubi glo. inquit. Et ita patet quòd iurisdictio temporalis non pertinet ad ecclesiam. Sexta propositio. Papa non habet ita iurisdictionem in temporalibus, ut ipse libere disponere possit ad arbitrium suum de bonis ecclesiasticorum. Ista propositio probatur. Pro quo notandum quòd bona ecclesiastica sunt concessa communitatibus & non personæ singulari, & ideo in bonis ecclesiasticis nulla persona singularis habet potestatem & dominium liberum, sed sola communitas, ut ecclesia uallis olotan. uel tolletan. habet dominium & proprietatem in ipsis locis sibi propriis. persona autem singularis non ut singularis, sed ut pars & membrum communitatis habet potestatem in illis utendi ad suam sustentationem secundum exigentiam, & decentiã personæ & status, in quo tamen est differentia, quia aliquod membrum est simplex, ut simplex canonicus & illud non habet nisi usum in bonis communitatis secundum exigentiam sui status modo prædicto. Est autem aliquod membrum quod habet administrationem, & dispensationem generalem omnium bonorum communitatis approprians cuilibet quod ei debetur secundum debitam iustitiæ proportionem disponens etiam pro cõmuni bono collegii bona fide, ut sibi uidetur expedire, & iste est episcopus in qualibet ecclesia cathedrali. unde in ca. Episcopus 12. q. 1. ex concilio Antiocheno ita habetur. Episcopus ecclesiasticarum rerum habet potestatem ad disponendum erga omnes qui indigent cum summa reuerentia & timore Dei, uerum quia non solum quælibet congregatio ecclesiasticorum uirorum est una spirituali unitate, immo omnes ecclesiasticæ congregationes habent quandam generalem unitatem inquantum sunt una ecclesia habens connexionem ad unum principale membrum cui utpote omnium capiti incumbit cura ecclesiæ generalis scilicet dominum papam, ideo ipse tanquam caput & supremum membrum est principalis ac uniuersalis dispensator omnium generaliter bonorum ecclesiasticorum spiritualium, & temporalium, non quòd sit dominus sed sola communitas ecclesiæ uniuersalis, ut compræhendit caput & alia membra, scilicet prælatos & simplices personas ecclesiasticas est domina & proprietaria. Ex quibus non solum patet ueritas propositionis præfatæ, sed etiam falsitas dicentium quòd nulla persona singularis alia a papa nec collegium aliquod uel communitas habet ius siue dominium in bonis ecclesiæ, sed dominus papa qui non solum est administrator & dispensator, sed uerus dominus & proprietarius bonorum ecclesiæ & de his ordinare & distrahere potest prout uult. Nam ut ait apostolus uniuersaliter de omnibus prælatis loquens 1. ad Corin. 15. Sic nos existimet homo, ut ministros & dispensatores. &c. Ministros & dispensatores dicit non dominos. unde ad hoc sanctus Thomas in 2. 2. q. 100. argu. 1. dicit, quòd quamuis res ecclesiæ sint papæ ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini & possessoris. Et in q. 175. arg. 8. ponit quòd prælatus bona ecclesiastica dispensationi suæ commissa quæ sunt eroganda pauperibus, uel in usum ministrorum, aut in cultum diuinum exponenda si infideliter dispensat non dubium ꝙ contra fidem dispensationis agat & mortaliter

liter

liter peccet & ad restitutionem teneatur. Vbi considerandum quòd papa non solum pro statu uniuersalis ecclesiæ aut sustentationem ministrorum & pauperum, sed etiam pro conuenienti statu personæ potest dispensare de bonis ecclesiæ, sicut declarauimus libro secundo c. 69. Septima propositio quòd papa non habet potestatem siue iurisdictionem in temporalibus, ut reges in bonis temporalibus habent dominium, nec ita ut sit regulariter eorum dispensator. Patet probatio primo quo ad dominium ex præcedenti, quia si in bonis clericorum papa non est dominus minus in bonis laicorum. Pro declaratione secundæ partis est considerandum quòd bona laicorum non sunt collata communitati sicut bona ecclesiastica, sed sunt acquisita singulis personis arte labore industria propria & personæ singulares quarum sunt habent in eis ius & potestatem & uerum dominium & potest quilibet de suo ordinare dispensare retinere alienare pro libito suo sine alicuius iniuria cum sit dominus, & ideo talia non habent ordinem, & connexionem inter se nec ad unum commune caput quod habeat ea ordinare, & dispensare sicut in ecclesiasticis cum quilibet rei suæ sit ordinator pro libito, & ideo nec seculares principes, nec papa habent dominium nec dispensationem in talibus. unde Imperator licet sit princeps summus & quasi caput inter seculares, ut in ca. In apibus 7. q. 1. non tamen habet potestatem sic liberam dispensandi, siue administrandi bona temporalia secularium sicut papa bona ecclesiastica. Et ita patet propositio quòd licet papa habeat auctoritatem & rationem capitis, non solum respectu clericorum, sed etiam respectu secularium non tamen sic libere potest dispensare, uel disponere de secularibus sicut de clericis. Octaua propositio. Romanus pontifex non habet ita plenam iurisdictionem in temporalibus, sicut in spiritualibus, ita quòd sicut deponere potest prælatum ecclesiasticum etiam sine culpa sua ita possit deponere principem secularem siue laicum. Istam propositionem declarat dominus Petrus de palude in libro suo de potestate ecclesiastica hoc modo. Vnde sciendum quòd cum papa possit deponere principem laicum & prælatum ecclesiasticum non tamen æqualiter, quia principem laicum siue uasallum, uel extraneum non potest deponere sine iusta causa & rationabili ita quòd ille sit indignus illo principatu & meruerit perdere & priuari, & si sine tali causa priuat ipsum non solum peccat conando, sed etiam nihil agit priuando, sicut non ualet sententia a non suo iudice lata, sed in prælatis ecclesiæ secus est, quia non sunt domini, sed procuratores. unde sicut administrator superior qui plenam potestatem habet potest instituere & destituere inferiores administratores & tenet quicquid facit etiam quando minus bonum instituit licet in hoc ipse peccet, ita papa ponendo & deponendo personas ecclesiasticas licet peccet nisi pro meliori ecclesiæ hoc faciat, tamen tenet quod facit. Intantum aut procedit ratio quæ dicit eos esse procuratores non dominos quòd sine omni peccato suo & alieno potest papa deponere minus bonum & ponere meliorem, quia in officiis reipublicæ quæritur utilitas publica non priuata. unde si prælatum non delinquentem & bonum amoueat & ponat meliorem non peccat, nec ille conqueri potest sicut nec procurator quando a domino reuocatur quia ab onere releuatur. Sed secus in principibus laicis qui sunt ueri domini eius quod habent, res autem sua non est alicui auferenda sine culpa sua. unde nec feudum a uasallo & multo mi-

Septima

Octaua

nus quod aliquis habet a nullo alio potest auferri sine culpa sua . hæc domi nus Petrus de palude.

Cap. CXIIII. In quo exponitur qualiter Romano pontifici iure principatus sui com petat iurisdictionem habere tempora lium in toto orbe Christiano.

POSTQVAM explicauimus quibus modis iudicio nostro non cõpetat Romano pontifici iure papatus iurisdictionem habere in temporalibus, iam perscrutandum est quod secundo loco polliciti sumus uidelicet qualiter sibi competat. Dicimus autem quòd Romanus pontifex licet non habeat potestatem regulariter siue directe ita plenam in temporalibus sicut in spiritualibus: nihilominus etiam habet potestatem in temporalibus ex consequenti & hoc proprio iure quãtum scilicet necessarium est ad conseruationem rerum spiritualium ad directionem fidelium in salutem æternam & ad correctionem peccatorum & conseruandam pacem in populo Christiano. Quod manifeste atque irrefragabiliter ex multis demonstramus, pro quo duodecim propositiones tanquam duodecim testimonia ueritatis huiusmodi ponemus. Prima propositio est. Romanum pontificem potestatem & iurisdictionem iure papatus sui habere in temporalibus aliquo modo colligitur ex eo quòd eius principatus directiuus & præceptiuus sit potestati seculari in administratione sui officii secundum exigentiam finis ultimi qui est ipsa beatitudo suprema ad quam omnes fideles dirigendi sunt. Quod sic ratione ostenditur. In omnibus artibus & potestatibus ordinatis ars siue potestas ad quam pertinet ultimus & principalis finis est præceptiua & imperatiua omnium aliarum artium siue potestatum quarum fines ad finem illius ordinantur sicut habetur 1. Ethy. Præterea patet, quia finis præcipit & dominatur atq; legem imponit his omnibus quæ sunt ad finem, ut secundum exigentiam finis debito ordine se coaptent & ad inuicem ordinentur secundum uniuscuiusque mensuram & modum, sed proprius finis qui intenditur per principatum papalem est felicitas suprema ad quam ordinatur homo per uirtutes theologicas, finis autem quem intendit potestas secularis est felicitas polytica ad quam ordinatur homo per uirtutes morales, sed nulli dubium quin finis spiritualis potestatis potior superior ac principalior sit fine ad quem dirigit & tendit potestas secularis. unde ista ordinatur ad illam. ergo potestatis spiritualis & maxime papæ qui est uniuersalis dux & rector populi Christiani est dirigere & regulare præcipere atque leges dare potestati seculari quibus in administratione sui officii dirigatur in finem ultimum felicitatis æternæ. Et secundum hoc Romanus pontifex se habet ad reges & principes tanquam architectonicus ad artifices. ille enim propter quid & regulas iudicandi scit, isti autem scilicet artifices mechanici tanquam experti in multis ipsum quia sciunt propter quid autem ignorant, propter quod debet illis papa leges dare secundum quas debent iurisdictionem suam exequi & populum regere in ordine ad beatitudinem supernaturalem. unde beatus Aug. hanc potestatẽ cognoscens & admirans in beato Petro apostolo in sermone quodam apostolorum Petri & Pauli qui incipit. Fortis & humilis, ita inquit. O mira potentia &

Prima propositio

ineffabilis

ineffabilis gratia Saluatoris, quis plebium piscatorem apostolorum facile crederet principem & regibus obsistere reges sanctificare regnis omnibus imperare mundum refrenare legibus dæmones calcare pedibus iubere uirtutibus cœlum hominibus aperire cum uellet claudere cum placeret immortale regnum conuersis donare negare peruersis merita mundi cognoscere culpas & crimina hominibus relaxare. hæc ille. Propter hanc rationem diximus supra primo libro huius summæ c.90. quòd potestas temporalis siue secularis in populo Christiano depédebat quodammodo triplici genere causalitatis a potestate spirituali s. efficientis formalis & finalis, uide ibi plene. Hac argumentatione usus uidetur Innocentius tertius in c. Solite de maio. & obe. ubi scribens Imperatori Constantinopolitano ita dicit. Potuisses autem prærogatiuã sacerdotii ex eo intelligere potius quod est dictum non a quolibet sed a Deo, non regi sed sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti de sacerdotibus uidelicet qui erant in anathot. Ecce constitui te super reges & regna ut euellas & dissipes ædifices & plantes. Ex quibus omnibus patet quod ueraciter Romanus pontifex apicem habeat potestatis tam spiritualis, quã secularis, uel temporalis licet temporalis non in omnibus secundum eundem modum, secundum quem habetur a principe seculari, sed modo digniori superiori, & perfectiori. non enim sic habet eam ut exerceat eius opera immediate nisi in aliquibus casibus qui tanguntur inferius, sed agit opera eius meliori modo s. imperando dirigendo & regulando & ad suum finem operibus eius utendo. Secunda propositio. Romanum pont. iure Vicariatus sui habere in temporalibus iurisdictionem suam aliquo modo ostenditur ex eo quod omniũ fidelium generaliter est a Deo pastor constitutus, dicente domino beato Petro & in eo successori suo. Pasce oues meas. Ioan. ult. super quo uerbo dicit gl. sic. Pascere est oues credentes ne a fide deficiant confirmare terrena subsidia si necesse est subditis prouidere & exempla uirtutum cum uerbo prædicationis impendere aduersarijs obsistere errantes subditos corrigere. hæc glo. Clarum est autem quòd pascere gregem dominicum terrena subsidia si necesse est subditis prouidendo aduersarijs resistendo & errantes corrigendo non solum exigit in pastore spiritualem potestatem, sed etiam temporalem. unde cum concessio alicui aliquo officio, aut regimine censeantur etiam concessa sine quibus officium siue regimen recte expediri non potest, de offic. dele. c. 1. & ca. Præterea, manifestum est quòd Romanus pon. apicem potestatis secularis aliquo modo dicendus sit habere. Hac argumentatione usus uidetur fuisse Innocentius tertius in ca. Solite de maio. & obe. ubi ad ostendendum Imperatori Constantinopolitano quòd iure poterat eum reprehendere & increpare ita ait. Nos autem etsi non increpando scripsimus potuissemus tamen rationabiliter increpare, nobis enim in beato Petro sunt oues Christi commissæ dicente domino. Pasce oues meas, nõ distinguens inter has oues & alias ut alienum se a suo demonstraret ouili qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores. hæc ille. Ex cura ergo pastorali quam Romanus pont. habet super omnes fideles cuiuscunque status dignitatis uel conditionis existant statim datur intelligi quòd apicem non tantum spiritualis potestatis, sed etiam temporalis aliquo modo habere dicendus sit. Tertia propositio. Romanum pont. temporalem etiam iurisdictionem iure principatus sui ostéditur habere ex

Secunda

Tertia

eo quòd omnis potestas se extendit ad cognoscendum de omnibus peccatis, non solum de his quæ sunt contra articulos fidei & sacramenta in quibus principaliter Christiana fundatur religio, sed etiam de omnibus peccatis mortalibus circa quascunque actiones personales etiam seculares commissis. Quod ratione ostenditur & auctoritate. Ratione sic. Cuius est finem considerare eius est iudicare de his quæ debent ad finem ordinari, quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem ex fine sumitur, sicut enim ad intendentem in aliquem finem spectat eligere ea quæ sunt congrua fini, ita tollere ea quæ finis consecutioni impedimenta præstant sicut patet in medico cuius non solum est iudicare & prouidere de adiuuantibus ad salutem quam inducere intendit, sed etiam remouere ea quæ impediunt, & similiter ita est in aliis, sed ita est quòd corpus ordinatur ad animam etiam secundum gentiles philosophos & temporalia ordinantur ad spiritualia, & omnes actiones Christianorum debent ordinari ad consequendum uitam æternam tanquam nostrum finem ultimum secundum fidem catholicam nobis expositam. ergo cuius uel quorum est considerare de salute animarum & de spiritualibus sicut est prælatorum curam & regimen animarum habentium, ut sunt papa archiepiscopi & episcopi, eorum est iudicare de actionibus spiritualibus hominum per quas possunt deuiare a salute sua peccando circa quamcunq; materiam siue contra articulos fidei siue sacramenta, siue contra bonos mores peccando in seipsum, uel proximum uerbo, uel facto seu quocunque alio modo. Secundo modo patet idem auctoritate domini Math. 18. ubi sic dicitur. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum, si te audierit lucratus es fratrem tuum, si te audierit adhibe tecum unum uel duos testes, ut in ore duorum, uel trium stet omne uerbum, quòd si non audierit dic ecclesiæ, si uero ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus. i. excommunicatus. Et cõstat quòd loquitur de iurisdictione ecclesiæ quam habent prælati. nam ibidem subditur. Amen dico uobis quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo. ergo sine ulla dubitatione ad prælatos ecclesiæ & maxime ad prælatum prælatorum pertinet iure sibi a Deo collato recognoscere & iudicare de peccato quocunque. unde beatus Paulus excommunicauit fornicatorem notorium ut legitur 1. Corinth. quinto. Cum ergo peccata huiusmodi contingant circa actiones personales hominum & contractus eorum etiam in temporalibus de omnibus his pertinet ad ecclesiam iudicare maxime si attenderetur actio per modum iniuriæ uel cuiuscunque alterius peccati tam inter laicos quàm inter clericos, uel inter clericum & laicum quicunque eorum sit actor uel reus. Nec potest dici in prædictis quòd reus trahatur extra forum suum, quia omnes Christiani inquantum Christiani sunt pertinent ad forum ecclesiæ, & hoc est quod expresse dicitur in can. 11. q. 1. quæcunque, ubi sic dicitur. Quæcunque contentiones inter Christianos ortę sunt ad ecclesiam deferentur & ab ecclesiasticis uiris terminabuntur, & si obedire noluerint quousque obediant a liminibus ecclesiæ excludantur. hæc ibi. Præterea nec propter hoc impeditur principum secularium iurisdictio. Tum quia ecclesia non impedit quin potestas secularis exerceat iudicium suum in reum secularem si ad iudicium suum sit euocatus. Est enim in optione actoris euocare reum ad hoc uel illud iudicium, & non ad utrumque simul. Tum secundo, quia multæ actiones sunt pure seculares

quæ

quæ cum respectum non habeant ad finem ultimum, aut promouendo, aut impediendo ad principes seculares tantum pertinent sicut de feudis & possessionibus & non ad ecclesiam, ut in cap. Nouit. extra de iudi. Tum tertio, quia alia correctionis censura utitur ecclesiasticus iudex & alia iudex secularis quarum utraque est populo Christiano ad correctionem uitiorum necessaria. Est uerum quòd dicit dominus Durandus quamuis hoc sit ius ecclesiæ sibi a Deo collatum tamen ipsa non semper usa est isto iure nec ubique partim ad uitandum scandalum ne putaretur quòd ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ aut gloriæ temporalis quàm correctionem uitiorum. partim propter audaciam aliquorum tyrannorum in quorum terris plures ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam uiolentam potentiam non permiserunt ecclesiam uti iure suo. Hac argumentatione est usus papa Innocentius tertius in cap. Nouit extra de iudi. ubi scribens prælatis regni Franciæ & ostendere uolens quòd dominus rex Franciæ non debebat sibi reputare ad iniuriam in controuersia quæ erat intra eum & regem Angliæ apostolico iudicio se submittere ita dicit. Nullus qui sit sanæ mentis ignorat quin ad nostrum iudicium spectat de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit per districtionem ecclesiasticæ censuræ coercere. Quarta propositio. Romanus pontifex uidetur iurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solum principes seculares circa usum suæ iurisdictionis delinquentes potest per censuram ecclesiasticam coercere, uerum etiam eos notabiliter negligentes a dignitate deponere. hæc propositio patet in cap. Alius decimaquinta q. 6. ubi Gelasius papa Imperatori Constantino ita scribit. Alius item pontifex Zacharias scilicet regem Francorum non tã pro suis iniquitatibus quàm pro eo quòd tantæ potestati erat inutilis a regno deposuit & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius loco substituit, omnesq; francigenas a iuramento fidelitatis absoluit. hæc ille. Pro cuius propositionis pleniori intellectu est considerandum iuxta dominum Petrũ de palude in tractatu suo de potestate ecclesiastica quòd licet papa non habeat confirmare omnem regem qui consensu populi a principio regimen sumpsit: nihilominus potest omnem talem deponere non solum propter hæresim, aut scisma, aut aliquod crimen intolerabile in populo, sed etiam propter insufficientiam, utpote si idiota sensu uel impotens uiribus in regno præesset, propter cuius insufficientiam regnum fidelium periclitaretur talis certum est quòd quia demeretur deponi, quia bonum commune est præferendum priuato, debet deponi per superiorem, & quia illi de regno siue sint proceres siue alii sunt inferiores eo, & inferior non potest iudicare superiorem. ideo non potest ab eis deponi, sed quia papa est superior eo in spiritualibus & per consequens in temporalibus inquantum necesse est pro bono spirituali conseruando ipsius & aliorum & ad minus ratione delicti & ille sana conscientia non potest retinere regnum ad quod est insufficiens & indignus per consequens papa potest eum monere ut regno cedat quod sine peccato non potest retinere, quod si nolit facere excommunicet eum, quia ad officium papæ spectat de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit per districtionem ecclesiasticam coercere de iudi. c. nouit. quòd si in excommunicatione perseueret potest, ut dictum est deponere & subditos eius ab eius subie-

Quarta

ctione absoluere sicut scismaticum propter contumaciam & inobedientiam pertinacem. Et ex hoc etiam quia excommunicatus legitimis actibus, & officiis publicis non debet fungi & scismatici cingulo militiæ sunt nudandi 19.q.1.qui contra 15.q.6.cap. penultimo. Sed si proceres siue electores prædicti non meruerunt perdere ius eligendi non potest sine eis papa alium substituere. Hæc ille. Verum glo. super illud c. alius exponens, a regno deposuit, dicit. i. proceribus deponentibus consensit omnino falsa uidetur: quoniam contradicit textui & intentioni Pelagii qui inducit illud ca. ad ostendendum excellentiam potestatis papalis quæ non ostenditur per hoc quòd dicitur consensisse proceribus deponentibus nisi consensus ille intelligatur dando auctoritatem. unde dominus Petrus de palude ubi supra dicit, quòd illud quod dicit glo. consensit, intelligendum sit quò ad institutionem quæ per proceres fieri potuit, sed depositio auctoritate papæ & non procerum facta fuit quæ a solo superiore fieri potuit, sed electio potuit ab inferioribus fieri. Confirmatur etiam propositio prædicta exemplo Innocentii quarti qui regi Portugalliæ qui prodigus & dilapidator erat & ecclesias monasteria pia loca & personas ecclesiasticas uiduas pupillos & orphanos grauabat & grauari sinebat, dedisse adiutorem & sibi administrationem regni interdixisse legitur, ut in cap. grandi. de supplen. negli. prælа. lib. 6. Et sic sacerdos apostolicus se habet ad reges & principes sicut architectus ciuilis ad alios artifices in ciuitate, ut inquit Henricus de gandauo quotlibeto 6. ar. 23. sicut enim architectonici est præcipere qui, & quales debent exercere scientiam medicinalem rhetoricam & sic de aliis in ciuitate & quosdam admittere & quosdam repellere, si sacerdos apostolicus debet considerare qui & quales regna & principatus regere debeant & bonos honorare malos autem & male gerentes deponere & alios loco illorum substituere. Hæc ille. De hac conclusione talis est domini Vlrici in summa sua sententia. ait enim. Si rex esset manifeste hæreticus, uel si interpellatus ab ecclesia negligeret: nihilominus regimen regni sui quantum ad ea quæ sunt fidei scilicet si non intenderet extirpationi hæreticorum potest ab ecclesia deponi a regia dignitate. hæc ille. Quinta propositio. Romanum pontificem inde iurisdictionem temporalem habere manifeste ostenditur quòd non modo excommunicare potest seculares principes sed etiam ipsis in contumacia perseuerantibus subditos eorum a sacramento absoluere ne eis fidelitatem obseruent. Hæc propositio patet ex canone Gregorii 7. in synodo præsidentis qui habetur in ca. Nos sanctorum 15. q. 6. & ex canone Vrbani 2. in ca. Iuratis ea. cau. & q. Sexta propositio. Romanum pontificem habere iurisdictionem in temporalibus ex eo ostenditur quòd utrunque gladium habere dinoscitur. Quòd autem gladius materialis quodammodo ad Romanum pontificem pertineat patet Ioan. 18. ubi dicit Christus Petro. Conuerte gladium tuum in uaginam, quod uerbum pertractans deuotissimus Bernardus ad Eugenium papam sic inquit. Quid tu denuo gladium usurpare tentas quem semel iussus es ponere in uaginam quem tamen qui tuum negat non satis uidetur mihi attendere uerbum domini dicentis. Conuerte gladium tuum in uaginam Ioan. decimo octauo, & Math. 16. Tuus ergo est ipse tuo forsitan nutu etsi non tua manu euaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, & de his dicentibus apostolis. Ecce gladii duo hic non respondisset dominus satis est, sed nimis

Quinta

Sexta

est,

est, uterque ergo ecclesiæ & spiritualis gladius & materialis, sed is quidem pro ecclesia ille uero etiam ab ecclesia exercendus, ille scilicet sacerdotis is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis & iussu Imperatoris. hæc ille. Nutus uero dicitur non tantum exhortatio, sed etiam dispositio. unde Leo papa 4. ut in c. Ergo 23. q. 8. contra saracenos iubet populum congregari & eis ad littus maris occurrere. Item in ca. Hortatu ea. cau. & q. Hortatu & precibus Adriani papæ exhortatus Carolus rex contra longobardos bellum suscepit. Ad idem beatus Greg. quosdam hortatur nobiles, ut milites congregent contra hostes & arma uiriliter præparent, ut in ca. Quidem ea. cau. & q. Item in registro etiam legitur quòd beatus Grego. ciuibus tusciæ, ut contra longobardos arma pararent mandauit & militantibus stipendia decreuit. Quòd etiam huius gladii materialis dispositio licet non materialis exercitatio conueniat clericis sanctus Thomas in 2. 2. q. 40. articu. 2. declarat ita dicens. Omnis persona uel ars, uel uirtus ad quam pertinet finis habet disponere de his quæ sunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda sicut ad finem ad bonum spirituale diuinum cui clerici deputantur, & ideo ad clericos pertinet disponere & inducere alios ad bellandum bella iusta. hæc sanctus Thomas. Pertinebit ergo dispositio etiam auctoritatiua gladii materialis aduersus infideles hæreticos scismaticos & tyrannos maxime ad Romanum pontificem qui dux & pastor & pugil est populi Christiani. Hac argumentatione utitur papa Bonifacius octauus in extrauaganti sua. Vnam sanctam, ubi sic ait. In hac equidem scilicet Romani pontificis potestate duos esse gladios spiritualem, s. & temporalem euangelicis dictis instruimur. nam dicentibus apostolis. Ecce duo gladii, &c. sicut prius inductum est de Bernardo sequitur. Oportet autem gladium esse sub gladio & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. nã cũ dicit apostolus. Non est ptãs nisi a Deo, quæ autem a Deo sunt ordinata sunt. non autem ordinata essent nisi gladius esset sub gladio & tanquam inferior reduceretur per alium ad suprema. nã iuxta beatũ Dionysium lex diuinitatis est infima per media in suprema reduci. Septima propositio. Rom. pont. iure diuino habere uidetur iurisdictionem temporalem aliquo modo uidelicet nobiliori & excellẽtiori quàm potestates seculares: quoniam ad eũ iure summi sacerdotii spectat declarare diffinire, & iudicare dubia & ambigua circa quascunque actiones hominum personales quæ inter iudices inferiores siue clericos, siue seculares uariantur. Hoc probat Innocentius tertius in c. per uenerabilem extra qui fi. sint legi. ex sacra scriptura ita dicens. Non solum in ecclesiæ patrimonio super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, uerum etiam in aliis regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem causaliter exercemus non quòd alieno iuri præiudicare uelimus, sed quia Deuteron. 17. continetur. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram & iudicium intra portas uideris uariari ueniens ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore qui iudicabunt iudicii ueritatem, & facies quæcunque dixerint tibi qui præsunt loco quem elegerit dominus sequerisq; eorum sententiam qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis Imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo decreto iudicis moriatur. Octaua propositio. Romanus pontifex iurisdictionem habet temporalem

Septima.

Octaua

ex consequenti adiunctam spirituali eo quod occurrente casu euidentis necessitatis pro defensione fidei contra hæreticos, aut contra inuasionem paganorum iure principatus sui quia caput est omnium fidelium & pater potest exigere decimas, uel decimatas portiones a singulis fidelibus secundum tamen debitam proportionem ne aliqui sine ratione plus grauarentur quam alii ad succurrendum communi ecclesiæ necessitati, & possit rebelles contradicentes per censuram ecclesiasticam compellere. Quod ratione probari potest sic. Quilibet Christianus ex perfectione Christianitatis siue Christianæ religionis tenetur honorare patrem & matrem non solum reuerentiam exhibendo, sed etiam necessaria ministrando & si necesse fuerit pro eorum salute omnia temporalia exponendo. Et si in hoc patrē & matrem carnales debeat honorare: multo fortius spiritualem scilicet Christum & eius Vicarium & matrem ecclesiam quando necessitas incumbit periculosa ecclesiæ siue Rom. pont. si pro salute eius indigeat bonorum temporalium administratione quilibet Christianus requisitus subuenire & assistere tenetur. Vbi considerandum ꝙ fideles non solum tenentur subuenire Romano pontifici in necessitatibus incumbentibus pro bono totius uniuersalis ecclesiæ, sed etiam in necessitatibus status sui apostolici & personæ, cum enim sit princeps totius uniuersitatis Christianæ multis opus habet.

Nona — Nona propositio. Romanus pontifex arguitur habere temporalem iurisdictionem, quia ipse iure suo legitimat ad seculares honores & dignitates, ut habetur in ca. per uenerabilem. extra qui fil. sint legi. ubi papa ita loquitur nobili N. montispessolani. Per uenerabilem fratrem nostrum Arelaten. archiepiscopum tua nobis humilitas supplicauit ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare quatenus eis quo minus succederēt natalium obiectio non noceret. Quòd autem super hoc apostolica sedes plenam habet potestatem ex illo arguitur quòd diuersis causis inspectis cū quibusdam minus legitime genitis non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensauit, sic ad actus spirituales illos legitimans ut possent in episcopos promoueri, ex quo uerisimiliter creditur & probabiliter reputatur ut eos ad actus legitimare ualeat seculares.

Decima — Decima propositio. Romanus pontifex arguitur inde habere iurisdictionem temporalem, quia ipse iure pontificatus sui negligentibus dominis temporalibus facere iustitiam subditis suis iniuriam patientibus potest supplere negligentiam illorum, & iustitiam reddere quibuscunque subditis negligentium dominorū. Ista propositio colligitur manifeste ex Innocentio tertio de foro compe. cap. Licet ubi Innocentius ita loquitur Vercellensi episcopo. Mandamus si quando a laicis uercellensibus litteras super rebus præcipue quæ forum seculare contingunt a sede apostolica contigerit impetrari eas surreptitias appellatione omissa decernas auctoritate nostra irritas & inanes dummodo consules & commune de se conquerentibus in iudicio seculari exhibeant iustitiæ complementum. hæc ibi. Super quo glo. dicit. Iste casus est in quo iudex ecclesiasticus potest immiscere se iurisdictioni seculari, cum iudex secularis negligens sit facere iustitiam. Plane cum teste beato Augusti. 4. de ciui. Dei remota iustitia regna non sint nisi latrocinia magna, spectat ad Romanum pontificem ne iustitia pereat.

Vndecima — Vndecima propositio. Romanum pont. habere potestatem & iurisdictionem temporalem inconuincibili testimonio arguitur ex eo ꝙ imperium Romanum a græcis transtulit

tulit in germanos,& potestatem ac ius eligendi regem imperatorem postmodum certis principibus contulit: sicut manifeste testatur Innocentius tertius in cap.uenerabilem,extra de elect.sic dicens. Cum ad eos, scilicet principes ius,& potestas huiusmodi ab apostolica sede peruenerit quæ Romanum imperium in personam Caroli a græcis transtulit in germanos. ubi dicit glo. Legimus in chronicis quòd cum Romana ecclesia opprimeretur ab Astulpho rege longobardorum periit auxilium a Constantino & Beroe filio eius imperatoribus constantinopolitanis, & cum nollent patrocinari ecclesiæ Stephanus papa secundus natione Romanus transtulit imperium in Carolum magnum qui fuerat filius Pipini quem Zacharias prædecessor eius substituerat loco regis francorum quem deposuerat: de quo 15.q.6.ca.alius.Hæc glo. Duodecima propositio.Romanus pontifex arguitur habere iure suo iurisdictionem temporalem in radice: quia uacante imperio ipse habet iurisdictionem in temporalibus ut in ca.licet de fo. compe. dicit Innoc.3.& in glo.etiam notatur. Et est hodie declaratum extra de re iudi.pastoralis in clem. Et ex hoc clare patet quòd papa iure suo iurisdictionem habeat temporalem, quia alias executionem in prædicto casu & in aliis non haberet nisi ei concederet imperator. De potestate quam habet circa infideles sit ista 13.propositio. Papa potest auferre dominium siue ius quodcunque quod habent infideles prælationis super fideles. Ista propositio est beati Thom.in secunda, secundæ quæst.10.ar.10. ita dicentis. Considerandum quòd dominium & prælatio introducta sunt ex iure humano:distinctio autem fidelium,& infidelium ex iure diuino. ius autem diuinum quod est ex gratia non tollit ius humanum quod est ex naturali ratione. Distinctio fidelium, & infidelium secundum se considerata non tollit dominium,& prælationem infidelium supra fideles,potest tamen iuste per sententiam uel ordinationem ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale ius dominii,uel prælationis tolli: quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere supra fideles qui transeunt in filios Dei:sed hoc quidem ecclesia quinque facit quandoque non facit. In illis enim infidelibus qui temporali subiectione subiiciuntur ecclesiæ, & membris eius hoc ius ecclesia statuit:ut patet in cap.mancipia, & ca.fraternitatem dist.54.quæ ambo sunt Gregorii papæ ut seruus Iudæorum statim factus Christianus a seruitute liberetur nullo precio dato si fuerit uernaculus,id est in seruitute natus. Similiter si infidelis existens fuerit emptus ad seruitium siue causa seruiendi: si autem fuerit emptus ad mercationem siue causa mercimonii puta ut uenderet eum alteri tenetur eum exponere ad uendendum infra tres menses nec iniuriam facit ecclesia quia cum ipsi Iudæi sint serui ecclesiæ, ecclesia potest disponere de rebus eorum:sicut etiam principes seculares multas leges ediderunt erga suos subditos in fauorem libertatis: in illis uero infidelibus qui temporaliter ecclesiæ non subiacent prædictum ius ecclesia non statuit licet posset instituere de iure & hoc facit ad scandalum uitandum sicut & dominus Math. 18.dicit quòd poterat se a tributo excusare: quia liberi sunt filii: sed ideo mandauit tributum solui ad scandalum uitandum. Ita etiam Paulus cum dixisset 1.ad Thim.5.quòd serui suos dominos honorarent subiunxit ne nomen domini de doctrina blasphemetur hæc sanctus Thom. Decimaquarta propositio. Papa ostenditur habere potestatem in temporalibus quia

Duodecima

Decima tertia

Decima quarta

potest punire Iudæos fore facientes tam pœna temporali quàm etiam indirecte pœna spirituali. Ista propositio manifeste habetur primo in c. Postulasti, extra de Iudæis. ubi Innocen. mandat quendam Iudæum qui manus insolentas iniecit in quendam clericum pœna pecuniaria puniri: & clerico læso satisfactionem congruam temporalem fieri: q si non fecerit Christianis præcipit ne cum præfato Iudæo antequam satisfaciat præsumant commercia exercere: ubi gl. dicit. Excommunicantur indirecte Iudæi. Secundo idem colligitur ex cap. Sæpe 28. q. 1. ubi ex concilio Toletano præcipitur, ut Iudæi qui consortia cum Christianis non uitauerint publicis cedibus deputentur. Decimaquinta propositio. Papa arguitur habere iurisdictionem in temporalibus: quia potest principes apostatantes a fide priuare dominio temporali quod habent super fideles. Ista propositio licet pateat ex his quæ dicta sunt in quarta propositione nihilominus sic ostenditur ex dictis sancti Thom. 2. 2. q. 12. ar. ult. sic dicentis. Ad ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis qui fidem nunquam perceperunt: secundum apostoli 1. ad Cor. 5. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? sed infidelitatem illorum qui fidé prius ceperunt potest sententialiter punire, & communiter in hoc puniuntur q subditis fidelibus dominari non possunt: hoc. n. uergere posset in magnam fidei corruptioné: quia ut dicitur Prouer. 6. Homo apostata in corde suo machinatur malum, & iurgia seminat intendens homines separare a fide: & ideo quanto citius aliqui per sententiam denunciantur excommunicari propter Apostasiam a fide ipso facto ipsi subditi sunt absoluti a dominio eorum & iuramento fidelitatis quo eis tenebantur, hæc sanctus Thom. Hoc etiam colligitur ex ca. Absolutos. extra de hæreti. & ex ca. Nos sanctorum: & ca. Iuratos 15. q. 6. Decimasexta propositio. Papa ostenditur habere etiam in temporalibus iurisdictionem quia potest contra infideles hæreticos aut tyrannos contumeliosos fidei Christianæ aut occupatores bonorum ecclesiæ aut perturbatores pacis, & quietis populi Christiani indicere bellum: non quidem ut occidant uulnerent uel mutilent: sed ut fidem defendant ecclesiam & patriam liberent & terram ab infidelibus occupatam reducant ad Christũ, & super hoc potest licite, & iuste dare indulgentias magnas arma ad hoc sumentibus. Hæc propositio satis patet tam auctoritatibus quam rationë ex his quæ inducta sunt circa sextam propositionem.

Decima quinta

Decima sexta

Cap. CXV. In quo ponuntur aliquæ obiectiones aduersariorum contra ea quę dicta sunt de potestate, & iurisdictione papæ in temporalibus.

ADVERSARII qui ab ecclesia omnino auferre potestatem in temporalibus moliuntur multipliciter arguunt contra prædicta nitentes probare quòd Romani. pon. auctoritas siue potestas nó in temporalibus sed in spiritualibus tantum sit: quorũ rationes potiores sunt quæ sequuntur. In sola & mera commissione regni cœlorum non uenit nec cadit commissio regni terrenorum: cum regnum cœlorum, & terrenorum ex opposito diuidantur sicut regnum carnale, & spirituale sed Christus cómisit Petro, & eius successoribus in persona ipsius claues regni cœlorũ & non

Arg. primum

non claues regni terrenorum prout patet Math. 16. c. ubi legitur ꝙ Petro dixit. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque &c. Claues inquit regni cœlorum, & non claues regni terrenorum nec unquam in scripturis euangelicis aut apostolicis reperitur ꝙ Christus commiserit Petro claues regni terrenorum: & quod non est scriptum non est nouis adinuentionibus præsumendum. unde non uidetur ꝙ Romanus pon. habeat potestatem uniuersalis iurisdictionis nisi in spiritualibus tantum. Secundo sic. Vicarius non habet maiorem plenitudinem potestatis quàm habuit homo Christus sed Christus non habuit nec habere uoluit huiusmodi potestatem siue dominium in temporalibus ergo nec eius uicarius. consequentia est bona. maior est manifesta. minor probatur multipliciter. Primo ex illo quod christus respondit cuidam Luc. 12. dicenti sibi. Magister dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatem, cui Christus sic respondit. Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos? quasi di. nullus. Secundo ex illo quod legitur Ioan. 6. Ioannes cum cognouisset: quia uenturi essent ut raperent eum & facerent eum regem fugit iterum in montem ipse solus: quod utique non fecisset si regnum terrenum quæsiuisset. Tertio ex illo quod homo Christus ait Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Tertio arguitur sic. Hę duæ potestates, scilicet temporalis, & spiritualis non possunt in una & eadem persona conuenire siue concurrere. ergo Romanus pontifex cum potestate in spiritualibus non potest habere potestatem in temporalibus. consequentia uidetur bona. antecedens patet: quia duæ species eiusdem generis non se compatiuntur in eodem subiecto: sicut homo, & asinus, albedo, & nigredo, hæ autem duæ potestates sunt huiusmodi: ergo &c. Quarto sic. Officia debent esse omnino impermixta alioquin sequeretur confusio: sed aliud est officium iurisdictionis spiritualis, & aliud est officium iurisdictionis temporalis. ergo hæc officia non debent misceri in unā & eadē persona. Quæ ratio aperte cōfirmari uidetur per ea quæ Nicolaus papa in ca. Cum ad uerum dist. 96. dicit ꝙ Christus actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discreuit. Quinto arguitur ex illo Mat. 22. ubi dicit Christus. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quę sunt Dei Deo, in quo innuere uidetur distinctionem prædictarum iurisdictionum spiritualis, scilicet, & temporalis & personarum in quas cadunt: quia temporalis cadit in Cæsarem: spiritualis uero in prælatos qui sunt uice Dei in terris: ergo prædicte duæ dignitates non debent esse in eadē persona. Sexto arguitur ex lege illa imperatoris in qua dicitur. Sic enim magna dona a Deo collata sunt sacerdotiū, & imperium ut diuinis sacerdotiū & imperium humanis præesset: ergo potestas ecclesiæ se extendit solū ad diuina, & spiritualia: secularis uero ad temporalia. termini autem antiqui transgredi non debent. secundum illud Prouerb. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Septimo sic ad Thitum. 2. dicitur Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus: sed nemo in ecclesia magis debet militare Deo quàm papa. ergo minus implicare se debet negociis secularibus: ergo papa nō habet iurisdictionem tēporalem. Octauo sic. Iudex secularis de re spirituali iudicare non potest de iudi. ca. Decernimus sic uidetur ꝙ iudex ecclesiasticus de temporalibus se intromittere non potest ut contrariorum eadem sit disciplina secundum philosophum, & ff. de his qui sunt sui, uel alie. iuris lib. 1. §. uidemus. Nono. Habere iurisdictionē

Secundū

Tertium

Quartū

Quintum

Sextum

Septimū

Octauum

Nonum

in temporalibus contradicit perfectioni apostolicæ: ergo uidetur quod habere iurisdictionem in temporalibus nullo modo conueniat Romano pontifici qui singulariter dicitur apostolicus. consequentia bona uidetur. antecedens patet ex illo Math. 19. Si uis perfectus esse uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus & sequere me, & illud Luc. 14. Omnis ex uobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.

Decimũ Decimo sic. Si iurisdictio temporalis esset in Romano pontifice sequeretur quòd superflueret aut in eo aut in principibus secularibus sed neutrũ est dicendum: cum Deus & natura nihil faciant frustra 3. de anima. ergo uidetur quòd Romanus pontifex solum in spiritualibus habeat iurisdictionem, & in temporalibus solum principes seculares. consequentia tamen uidetur bona.

Cap. CXVI. In quo respondetur obiectionibus præfatis.

SANE considerantibus nobis ea quæ in superioribus de ordine, & unitate ecclesiæ enucleauimus necessarium dicendum uidetur saluo semper meliori iudicio quod ante diximus: uidelicet quòd in hierarchia ecclesiastica militantis ecclesię potestas spiritualis principetur seculari potestati, cum enim ut inquit philosophus, primo poli. quandocunque aliquid constituitur ex pluribus ordinatis ad inuicem siue ex coniunctis sicut homo ex corpore, & anima: siue ex diuisis sicut exercitus ex militibus in omnibus est inuenire principans & subiectum quemadmodum in Armonica musica est unus sonus principalis, & in mixto unum elementum prædominans: & in homine anima corpori: & intellectus appetitui sensibili: & in domo uir uxori: & uniuersaliter masculus fœminæ, & homo bestiis: sed cum ex spiritualibus, & temporalibus quasi duobus lateribus compaginetur totum corpus uniuersæ reipublicæ Christianæ ut inquit Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis, & spiritualia præferantur terrenis sicut anima corpori: necesse est dicere quòd potestati seculari principetur potestas spiritualis, ita quòd ad hierarcham huius hierarchiæ ecclesiæ militantis (qui post Christum est Romanus pontifex cui in beato Petro Christus tradidit ambas claues) regimen totius ecclesiæ non tam in spiritualibus quàm etiam in temporalibus aliquo modo pertineat iuxta id quod dicitur dist. 22. c. Omnes, ubi Nicolaus Papa dicit quòd beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit, ubi glo. dicit. Argumentum quòd papa habet utrumque gladium. scilicet spiritualem, & temporalem, quod uerum est prima auctoritate, & superiori sed iurisdictionis executionem habet in spiritualibus: in temporalibus autem non nisi in casibus de quibus superius dictum est. Vnde dicendum est ad

Ad primũ obiectiones aduersariorum. Ad primam negatur assumptum simpliciter positum & maxime in eo in quo est potestas spiritualis regiminis ecclesię secundum plenitudinem sicut in papa dicimus: sicut in parte exposuimus supra quòd sicut in collatione principalis intelligitur accessorium etiam si de illo nulla fiat expressa mentio, & in collatione maioris intelligitur collatio minoris quod ordinatur ad illud: & in collatione regiminis intelligũtur collata omnia ea sine quibus recte expediri siue exequi non potest regimen illud: ita in collatione potestatis spiritualis papæ sicut capiti, & rectori

ctori totius politiæ Christianæ necessario uenit subintelligenda collatio potestatis secularis quantum necessarium est ad conseruationem bonorum spiritualium, & directionem fidelium in regnum cœlorum. unde in collatione clauium cœlestium maxime quo ad clauem iurisdictionis inter uenit traditio clauium terrenorum in uim cuiusdam necessariæ consequentiæ modo quo dictum est superius. nec oportebat aliquid exprimere de collatione regni terreni siue iurisdictionis temporalis: quia ut diximus in collatione principalis, scilicet potestatis regni cœlorum satis intelligebatur. Quod uero dicitur quòd hæc duo ex opposito diuiduntur, respondetur quòd non est uerum sicut infra uidebitur in responsione ad tertiam obiectionem. Ad secundam obiectionem in qua dicitur quòd Christus non habuit potestatem nec dominium: respondetur quòd falsum est: quoniam qui dicit Christum non habuisse potestatem temporalem, & spiritualem sicut etiam dicit dominus Ioan.22. in decretali illa. Quia uir reprobus contradicit sacræ scripturæ in multis locis: sed maxime illi Math.ulti. ubi legitur Christus dixisse. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, & Apoc.1. dicitur princeps rerum terræ. Et ad Heb.1. dicitur quod sumptum est de psal.8. Constituisti eum super opera manuum tuarum. ubi dicit glo. Ecce potestas Christi ostenditur: ut enim in opere domini nihil excipitur: ita nec a Christi potestate, hæc glo. Verum sicut dicit dominus Durandus bene contingit quòd habens potestatem, & auctoritatem iurisdictionis non utitur ea in propria persona nec decet quantum ad omnia: immo minora debent committi minoribus, & mediocria mediocribus, & maior supremis: sicut consultum fuit Moysi a ietro. Exo.18. quòd constitueret iudices qui minora, & faciliora tantummodo iudicarent, & difficiliora remitterent Moysi iudicanda. Et apostoli dixerunt Act.6.ca. Non est æquum nos relinquere uerbum Dei, & ministrare mensis. Et per hunc modum Christus licet haberet omnem potestatem: tamen summum opus ad quod uenerat fuit nos instruere de uita sua & de redēptione nostra per ipsum facienda: propter quod circa ista quasi totaliter uacauit dimittendo minora quæ per alios fieri poterant. Vnde Ambro. super illud Ioan.18. Regnum meum non est de hoc mundo dicit. Bene terrena declinat quia propter cœlestia descendit. Ad probationes quòd Christus non habuerit potestatem respondetur ad primam quæ est Luc.12. dicendo quòd illa non probat propositum aduersariorum: quoniam illud Christus non dixit quia negaret se habere potestatem omnium sed propter duo. Primo quia dedignabatur executionem habere in tam paruis rebus, & ille poterat recurrere ad minores quorum erat talia immediate exequi. Hanc rationem tangit beatus Ambro. in glo. ita dicens. Non dignatur esse iudex litium aut arbiter facultatum qui uiuorum, & mortuorum habet iudicium, & meritorū arbitrum 1. ad Cor.6. Secularia iudicia si habueritis &c. Secundo quia diuidere communitatem officium erat diaboli non Christi. Oseæ 13. Ipse inter fratres diuidit, scilicet diabolus 1. Corint.19. Non enim dissensionis est Deus sed pacis. Hanc rationem tangit gl. quæ super illud. Quis me constituit. ita dicit. Non sum dissensionis Deus sed pacis, & unitatis qui ueni hominem pacificare cum angelis, ut multi unum corpus, & animam unam habeant: non ut diuidantur sed ut habeant omnia communia ne quis sit egens inter eos: ille qui non colligit mecum est fraternitatis diuisor: dissensionis

Ad secundum.

auctor. hæc glosſ. Ex quo patet quòd auctoritas præfata in qua aduerſarii plurimum confidunt in nullo ſuffragatur eis. Ad ſecundam probationé quę ſumitur ex illo Ioan. 6. ꝙ fugit Chriſtus ne facerent eum regem: reſpondetur ꝙ nihil facit pro aduerſariis, quod patet ſic ex expoſitione ſancti Tho. ſuper hunc locum. Quærit enim ſanctus Tho. cum ipſe Chriſtus eſſet rex quare fugit. ad hoc inquit triplex ratio aſſignatur. Vna quia derogaſſet dignitati eius ſi regnum ab homine accepiſſet qui ſic erat rex ut eius participatione reges omnes eſſent Proue. 8. Per me reges regnāt. Alia ratio quia pręiudicaſſet ſuæ doctrinæ ſi claritatem & robur ab hominibus accepiſſet. ſic enim operabat, & docebat ut totum diuinæ uirtuti aſcriberetur, & non ſolum fauori humano Ioan. 5. Claritatem ab hominibus non accipio. Tertia ratio eſt ut erudiret nos mundanas contemnere dignitates Ioa. 13. exemplum enim dedi uobis &c. Ad tertiam probationem quę ſumitur ex illo Ioan. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo: reſpondetur ꝙ auctoritas iſta bene intellecta in nullo ſuffragatur aduerſariis: quoniam per illam non negat ſe Chriſtus regem eſſe: immo poſtea expreſſe conceſſit nam cum Pilatus dixiſſet ei. Ergo rex es tu: reſpondit. Tu dicis quia rex ſum ego: ego enim (inquit) ad hoc natus ſum & ad hoc ueni in mundum ut teſtimonium perhibeam ueritati. Nec dicit: regnum meum non eſt in hoc mundo: cum regnum eius ſit in cœlo & in terra: ſed dicit non eſt de hoc mundo: non. ſ. electione mundana nec ſucceſſione humana. Pro cuius auctoritatis pleniori intelligentia, ut intelligant aduerſarii nihil habere fauoris eſt notandum: ꝙ ut dicit ſanctus Thom. ſuper Ioan. exponens hunc locum ꝙ regnū dicitur quandoque populus illius qui regnat quandoque ipſa regia poteſtas. Primo ergo modo accipiendo regnum exponit Aug. di. Regnū meum. id eſt fideles mei Apoca. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum: non eſt de hoc mundo, ſcilicet per effectum & imitationem erepti quidem per gratiæ collationem. ſic enim nos eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit nos in regnum claritatis ſuæ. Chryſoſt. autem exponit accipiendo regnum ſecundo modo dicens. Regnū meum, id eſt poteſtas mea, & auctoritas qua ſum rex non eſt de hoc mundo. i. non habet originem ex cauſis mundanis, & electione hominum ſed aliunde. ſ. ab ipſo patre Daniel. 7. Poteſtas eius quæ non auferetur & regnum eius quod nō corrumpetur. Et infra concludit. Regnū meum non eſt hinc. i. non habet principium de hoc mundo: eſt tamen hic: quia attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, & pſal. Poſtula a me & dabo tibi gentes, & poſſeſſionem tuam &c. Patet ergo ꝙ in Chriſto fuit poteſtas, & auctoritas iuriſdictionis temporalis licet parum uſus fuerit iuriſdictione temporali. Et dico parum: quia quando fecit quaſi flagellum de funiculis & eiecit uendentes & ementes de templo, & nummulariorum menſas euertit Ioan. 2. uidetur uſus fuiſſe poteſtate. unde Iudæi dixerunt ei. In qua poteſtate hoc facis. Verumtamen eſt quia principaliter uenerat nos redimere, & ſaluare quaſi omnes actus eius uerſabantur circa eruditionem noſtram & pauci aut nulli circa exercitiū cuiuſcunq; iuriſdictionis: non quia utranque poteſtatem non haberet ſed ut ſaluti noſtræ totaliter intenderet: ſicut dicitur Ioan. 3. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum ut iudicet mundum ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Expleto autem ſacramento ueſtræ ſalutis per mortem Chriſti, & eius reſurrectionem Chriſtus commiſit Petro regimen eccleſiæ totum quod neceſ-

ſarium

sarium erat & expediebat ad regimen totius ecclesiæ. Et quia utraque potestas spiritualis, & temporalis est ad hoc necessaria: ideo utranque potestatem contulit Petro, & de potestate quidem spirituali nullus Christianus dubitat. de potestate temporali patet Act. 5. ubi legitur ꝙ Petrus damnauit iudicialiter animam & Saphirā pro crimine furti & mendacii. unde super illud. Dixit autem Petrus ad Ananiam dicit gl. quasi princeps omnium loquitur. Et super illud. quare posuisti in corde tuo hāc rem: non es mentitus hominibus sed Deo. dicit glo. quæ est Bedæ sic. Non causā quæstus tam seueram præuaricationis dedit sententiam: sed præuidens futura Zizania quæ simplicitatem ecclesiæ prauis moribus adulterarent nulla reos passus est penitentia curari sed ad timorem posterum noxium germen radicitus amputauit, hæc gl. Item beatus Aug. in lib. de mirabilibus sacræ scripturæ tractans hoc uerbum dicit. Ecce quanta est apostolica uirtus in Christo sanum Ananiam dum Petrus arguit per sermonis tantum imperium morte ligauit, & tabitam mortis uinculo ligatam eadem imperii potestate dissoluit. ideoque prius Ananias, & Saphira in conspectu ecclesię cito mortui sunt ut apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur, hæc ille. Ratio autem alibi legitur quòd ipse Petrus usus fuerit hac potestate: quia propter paucitatem credentium super quos fuit sibi data potestas tota intentio Petri. & aliorum apostolorum, & discipulorum fuit ad conuertendum alios ad fidem per prædicationem, & miraculorum operationem. unde Marc. ul. dicitur. Illi autem profecti prædicauerunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante &c. Multiplicatis autem fidelibus posteriores, & successores non indebite, & incongrue aliquando exercuerunt, & usi fuerunt quando hoc expedire iudicabant, unde Christus, & apostoli multa exequenda, & ordinanda dimiserunt suis successoribus secundum diuersa tempora, & diuersos status ecclesiæ quæ ipsi per seipsos tunc non execu. i sunt nec ordinarunt: quia tunc opus non erat: sicut pulchre ostendit August. in epistola ad comitem Bonifacium. Ad tertiam obiectionem cum dicitur quòd hæ duæ potestates non possunt conuenire in una persona: respondetur negando hoc. Et ad probationem cum dicitur quòd duæ species eiusdem generis &c. respondetur quòd hæc ratio deficit: quia hæc propositio non est uniuersaliter uera sed solum in illis in quibus ex speciali ratione reperitur repugnantia essendi simul. Verbi gratia. in omnibus naturis per se existentibus est repugnantia essendi in eodem subiecto: quia quælibet ex natura sua nata est constituere proprium suppositum ut homo, & asinus. Item in oppositis ubi repugnantia ex natura oppositionis est ita ut non solum sint distinctæ sed etiam contrariæ, & ideo in quocunque genere inuenitur oppositio inter aliquas species: omnes species illius generis sunt incompatibiles: sicut in albedine, & nigredine, & de omnibus mediis coloribus quia omnes habent oppositionem inter se saltem imperfectam. natura enim contrariorum est ut inuicem se expellant. unde contraria sunt quæ maxime inter se distant, & eidem susceptibili uicissim insunt: non simul sicut philosophus dicit in prædicamentis. sed illę formæ quæ sic sunt distinctæ quòd non sunt contrariæ sed disparatę sunt compassibiles in eodem subiecto: sicut quantitas, & qualitas quæ distinguntur genere generalissimo in homine. Species etiam generis proximi possunt esse simul: ut patet in uirtutibus tam moralibus quàm intel- Tertium

lectualibus, potest enim idem homo simul habere uirtutes, scilicet temperantiam iustitiam, & fortitudinem & sic de aliis: immo qui habet unam perfecte, & complete habet omnes: sicut patet. 6. Ethi. Patet ergo quòd non est bonum argumentum. Istę formæ sunt distinctę; ergo non sunt compassibiles in eodem subiecto. Sic ergo in proposito quia iurisdictiones temporalis, scilicet & spiritualis licet sint distinctę, nó sunt tamen cótrariæ: quod patet: quia unum contrarium non ordinatur ad aliud immo corrumpit ipsum. iurisdictio autem temporalis ordinatur ad spiritualem sicut supra ostendimus. Item una iurisdictio iuuat, & confortat alia & per consequens non sequitur q̃ propter earum distinctionem sint incompassibiles in eadé persona. Quod etiam patet de facto: quia in eadem persona Christi fuit utraque iurisdictio: quia dictum est. Domini est terra & plenitudo eius orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo psalm. 23. Patet etiam ex alio: quia si non essent compassibiles sequeretur quòd nulla persona ecclesiastica posset habere aliquam iurisdictionem temporalem nec castrum nec uillam nec aliquod aliud: quod est ualde absurdum. Patet ergo quòd istę iurisdictiones sunt compassibiles non obstante earum distinctione adinuicé. unde tempore legis naturæ simul ambæ currebant regnum & sacerdotium, & omnes primogeniti regum sacerdotes erant & reges & iurisdictionem in temporalibus, & spiritualibus exercebant: sic ambæ simul cucurrerút in lege Mosayca usq; ad Samuelem sub quo populus petiuit sibi regem quem quantum erat ex parte populi dominus concessit eum in onus propter peccata eorum. unde dixit dominus Samueli. Non obiecerunt te sed me ne regnem super eos. disponente æterna prouidentia quæ etiam mala nostra & ea quæ procedit pro peccatis nostris in bonum conuertit. Hoc factum est in præsagium eius quod erat futurum Deo ordinante in noua lege ut sacerdotes expediti a iudiciis temporalium assuescerent imminente tempore aduentus Christi uacare spiritualibus, qui ueniens rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech qui simul erat rex & sacerdos Dei altissimi sacerdotium quod per accidens secundum prædicta seruile factum erat in lege Mosayca in qua sacerdotes subditi erant regibus ad libertatem sacerdotii legis naturæ reduxit: in qua in eadem persona utraque dignitas iuxta cursum legis naturæ debuit residere: sed post Christi aduentum cum tempus erat uacandi spiritualibus dispositiue a Deo regimen & auctoritas temporalium, & iurisdictio omnis circa illa & executio commissa est imperatoribus, & principibus secularibus remanente sola prima auctoritate, ut dictú est apud sacerdotes tanquam apud illos quorum debet esse nobilior exercitatio, & qui sunt in gradu maiori, & altiori agentibus regibus, & principibus temporalia negocia qui tanquã minores, & inferiores occupati sunt circa inferiora, ut super illud 1. Cor. 6. Si secularia negocia habetis cótemptibiles qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicandum. dicit glo. maiores spiritualibus intendere debent. Sunt ergo dignitates prædictę distinctę non ex natura rei sed propter diuinam dispositionem & tamen non sic penitus distinctę sunt quin superior iurisdictio remaneat penes papam licet differenter ut diximus in spiritualibus, & temporalibus: quia in spiritualibus habet executionem regulariter, & immediate in temporalibus uero non regulariter sed in casibus assignatis. Ad quartam rationem cum
Ad quartum dicitur q̃ officia debeant esse distincta &c. respondetur q̃ istud habet lo-

cum

cum quando plures intromittunt se simul de eodem negocio:quod non est in proposito:quia de spiritualibus nullus potest se intromittere nisi iudex ecclesiasticus,de temporalibus uero non intromittunt se simul iudex ecclesiasticus,& laicus iudex:quia nullus pro eadem causa debet trahi ad diuersa iudicia:sed in optione actoris est recurrere ad unum eorum & ille solus habet tunc cognoscere de illo negocio,& iudicare.& sic nulla est cófusio. Ad quintam qua dicitur ꝙ dominus ait.Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari &c.Dicendum ꝙ auctoritas illa in nullo fauet aduersariis:quoniam secundum ueritatem tex.euangelii non fuit intentio Christi in illo loco facere distinctionem prædictarum iurisdictionum nec assignare personas in quas cadunt:sed respondere tentatiuæ quæstioni Iudæorum : qui cum reputarét se solos esse de populo Dei aliis existentibus Paganis, & Idolatris non credebant aliqui eorum ꝙ tenerentur Cæsari Pagano Imperatori ad soluendum censum sed immunes esse a censibus , & tributis qui uacabant cultui Dei ueri,& ideo cum herodianis qui erant de gente imperatoris uenerunt ad Christum proponentes ei hanc quæstionem. Licet censum dare Cæsari uel non?ut si diceret non : accusarent eum apud imperatorem,si diceret sic:accusarent eum apud principes sacerdotum tanquam dicenté contra libertatem cultus Dei. Iesus autem sciens nequitiam eorum ostenso sibi numismate census insculpto imagine Cæsaris: respondit . Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo. reddite Cæsari censum sibi debitum & Deo cultum in oblationibus, & sacrificiis secũdum ritum legis loquebatur.ergo de redditione debitorum, & non de distinctione iurisdictionum,& personarum in quas cadunt. Ad sextam cum dicitur ꝙ imperium humanis præest &c.respondetur ꝙ uerum est quòd sacerdotium est a Deo ut præesset diuinis,& spiritualibus quantum est de prima & principali intentione sacerdotii:sed quia diuina & spiritualia perturbantur,& quandoque impediuntur per abusum hominum circa temporalia:ideo ad sacerdotium secundario & ex consequenti pertinet impediméta,& perturbationes tollere,& impeditores, & perturbatores gladio spirituali ferire . Isti sunt enim ueri termini iurisdictionis spiritualis,& temporalis a fundatione quos transgredi non licet:quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia de quibus nihil nouit.iurisdictio uero spiritualis se extendit primo,& principaliter ad spiritualia:secundario & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem quatenus abusus hominum circa ea potest impedire finem. Ad septimam respondetur ꝙ ratio non procedit:quoniam licet secundum sanctum Tho.in 2.2.q.7.ca.86.ar.2.causa cupiditatis ingerere se negociis secularibus religiosis,& clericis sit prohibitum:causa tamé charitatis se negociis secularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam,& ministrando, & dirigendo . unde in decretis dist.88.c.decreuit inquit Melchiades papa . Decreuit sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere aut negociis secularibus se immiscere nisi propter curam pupillorum aut orphanorum aut uiduarum aut si forte episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum solicitudinem eum habere præcipiat. Non ergo derogat dignitati summi pontificatus si causa charitatis, & urgente necessitate ad conseruationem spiritualium ad correctionem uitiorum ad punitionem malefactorum ac ma-

Ad quintum

Ad sextũ

Ad septimum

nutentionem pacis,& iustitię in populo Christiano aliquando de negociis secularibus se intromittat ut director,& præceptor. Ad octauam cum dicitur q iudex secularis &c.respondetur q ratio non procedit,quia non est similis ratio de iudice seculari,& ecclesiastico:quia iudex secularis est omnino incapax ecclesiasticæ uel spiritualis iurisdictionis, ut in cap.decernimus,de iudi. allegato ex opposito.unde nec spiritualia possidere potest ca. causam de rescrip.unde punitus est lepra Ozias qui officium sacerdotum sibi usurpare uoluit Paralippon.26.iudex autem ecclesiasticus est bene capax iurisdictionis temporalis.Primo enim ab initio causę etiam temporalis iurisdictionis omnes tractabantur coram sacerdotibus , ut in c.Per uenerabilem,qui fi.sint legi.nec etiam istæ duæ iurisdictiones contrariantur ad inuicem:immo ut supra diximus simul concurrere possunt in una & eadem persona. Ad nonam obiectionem cum dicitur : quòd habere iurisdictionem in temporalibus repugnat ecclesiasticæ perfectioni: respondetur quòd hoc falsum est . Et ad probationem cum inducitur illud Math.19.Si uis perfectus esse: respondet sanctus Tho.in 2.2.q.184.arg.7.q abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter considerari potest.Vno modo secundum q est actu:& sic in ea non consistit essentialiter perfectio sed quoddã perfectionis instrumentum:& ideo nihil prohibet statum perfectionis esse sine abrenunciatione propriorum. Alio modo potest considerari secundum præparationem animi,ut scilicet homo sit paratus, si opus fuerit omnia dimittere uel distribuere, & hoc directè pertinet ad perfectionem, hæc sanctus Thom.Cum autem potestas iurisdictionis possit stare in persona domini papæ cum hac animi præparatione:patet q possit cum apostolica perfectione.unde Christus perfectissimus fuit, & tamen in eo utraque potestas fuit ut dictum est.Multi enim sancti prælati ex deuotione fidelium habuerunt multam temporalem iurisdictionem : quorum tamen perfectioni, & bonitati nihil ex hoc derogatum esse creditur. Ad decimam cum arguitur q superfluerent iurisdictiones secularium principum:respondetur negando hoc q superfluerent iurisdictiones:immo sunt necessariæ:sicut alias in 1.li.ostendimus. Tum quia cum iurisdictio temporalis plenaria non ponatur in Romano pontifice regulariter quantum ad immediatam executionem siue exercitationem : sed in aliquibus casibus ut dictum est ad bonum & perfectum regimen populi Christiani necessariæ sunt potestates seculares quarum est intendere immediate istis temporalibus ea administrando & gubernando.unde 1.Petri 2.dicitur de potestate seculari:quòd est ad uindictam malefactorum laudem uero bonorum.Tum secundo ut potestas spiritualis absoluta in uilioribus,& secularibus negociis liberior sit ad uacandum spiritualibus:& ne propter administrationem temporalium,& inferiorum a gubernatione impediantur spiritualium , & superiorum . unde hac ratione distincta dicuntur a Deo esse harum dignitatum officia : ut in cap. Cum ad uerum dist.96.habetur. Et tantum dictum sit pro isto secúdo libro huius præsentis summæ de ecclesia.

Ad octauum

Ad nonũ

Ad decimum]

Secundi Libri Finis.

DE VNIVERSALIBVS CONcilιis, & de eorum auctoritate

LIBER TERTIVS.

Cap. I. Quid concilii nomine importetur.



ECVRSIS pro nostri paruitate ingenii primis duobus libris huius nostri operis uidelicet primo libro de uniuersali ecclesia, & secundo de ecclesia Romana, & eiusdem pontificis primatu. Reliquum est iuxta propositi nostri formam opitulante nobis gratia saluatoris librum tertium subiungere de uniuersalibus conciliis. Præmittimus in primis quid concilii nomine importetur. Pro quo sciendum quòd prout ex Isidoro nostro libro Ethic. & capit. canones distinct. 15. colligere possumus, triplex est huius nominis concilii interpretatio. Primo quidem concilium quasi consilium dicitur a considendo quasi considium d litera in l. mutata, & hoc quia in concilio consident maiores secundum morem tractantium grauiter, & maturæ res ad uniuersitates pertinentes, hinc dicit Isidorus ubi supra. Synodus ex græco interpretatur comitatus uel cœtus. Concilii uero nomen tractum est ex more Romano. Tempore enim quo causas agebant conueniebant omnes in unum communique intentione retractabant, scribitur etiam primo Machab. decimoquarto quòd seniores in plateis sedebant, & de bonis terræ tractabant. Secundo concilium dicitur a communi intentione. unde Isido. ubi supra uel concilium dictum est a communi intentione eo quòd in unum dirigant omnem mentis intuitum. Cilia enim secundum Papiam sunt uelamina oculorum dicta a celando oculum. Concilium ergo dicitur a con & cilium, quia omnes in concilio congregantur ut in unum conueniant omnemque mentis intuitum dirigentes ad unum, scilicet ad utilitatem publicam, unde Synodus dicitur a syn quod est simul, & odos quod est uia, quia omnes ad eundem finem tendunt. unde sequitur in decreto. Cœtus conuentus est uel congregatio a coeundo uel a côueniendo in unum. hinc etiam conuentus est nuncupatus quia ibi homines conueniunt sicut conuentus est cœtus, sic & conciliorum a societate multorum in unum appellatur, hæc ibi. Tertio dicitur concilium a consulendo quasi consilium & hoc rectè: quoniam consilium concilii antonomaticè dicitur concilium. Ad hoc enim uiri sapientes ad concilia uocantur, ut super agendis consulant. Cum enim in rebus agendis multa incertitudo inueniatur quia actiones sunt circa singularia contingentia quæ propter sui uariabilitatem incerta sunt & in dubiis atque incertis ratio non proferat recte iudicium absque inquisitione præcedente. ideo necessaria est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis, & hæc inquisitio concilium uocatur. Ex hac triplici nominis concilii interpretatione posset una diffinitio magistralis elici communis ad omnia concilia tam ecclesiastica siue generalia siue particularia, siue secularia aut laicalia, quæ imperatores aut reges cum maioribus proceribus aut principibus, & magi

Vnde concilium dicatur.

stratibus regnorum pro arduis causis agunt.unde de 2.Paralip.in ca.3.ita legitur.Misit quoque rex Ezechias ad omnem Israel, & Iudam & scripsit epistolas ut uenirent in domum domini in Hierusalem,& infra. Inito ergo cósilio regis,& principum & uniuersi cœtus Israel decreuerunt ut facerét &c.Vnde etiam in c.Canones dist.15.inquit Isidorus quòd nomen concilii tractum est ex more Romano. tempore enim quo causis agebant conueniebant omnes in unum communique intentione tractabant. Descriptio uero magistralis talis esse potest.Concilium est congregatio siue conuentus hominum prudentium:publica auctoritate conuocatorum:ad tractandum communi intentione de rebus necessariis siue commodis reipublicæ siue uniuersitatis.Tanguntur autem in hac diffinitione quattuor causæ ipsius concilii. Primo materialis ex qua corpus concilii consurgit cum dicitur quòd est congregatio siue conuentus hominum.i.habentium rationē. Solius enim rationalis naturæ est ratiocinari,& inquirere de agendis.Bruta autem animalia non consilio sed naturæ impetu se mouent.unde Tullius in rhetoricis diffiniens consilium inquit.Consilium est aliquid faciendi uel non faciendi recte excogitata ratio. Additur autem prudentum quoniam hominum imprudentium congregatio non est digna nomine cócilii. Cum enim prudentia recta ratio sit agibilium (ut 6.Ethicorum dicitur)maxime ad prudentiam pertinet consilium. unde prudens ut ibidem Aristoteles dicit est bene consiliatiuus.Econuerso uero imprudens siue fatuus male consiliari potest, propterea dicitur Ecclesi.8. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent. propria ergo materia ex qua corpus concilii instituendum uenit est conuentus uirorum prudentum, quocirca sapiens ecclesiasticus inquit cap.6. In multitudine presbyterorum prudentum sta: & sapientiæ illorum ex corde coniungere. Secundo tangitur causa effectiua auctorizans concilium cum dicitur auctoritate publica conuocatorum. Profecto cum ad potestatem publicam potissime pertineat eorum consideratio quæ uniuersitatem respiciunt ad ipsam maxime pertinet siue in uno resideat sicut in regno: siue in pluribus, ut in aliis politiæ speciebus concilium conuocare efficere,& auctorizare. Tertio tangitur quasi causa formalis cum dicitur communi intentione.Plane quemadmodum forma dat esse rei & nomen ita communis intentio dat esse & nomen concilii ipsi congregationi.unde ut ait Isidorus ubi supra qui sibimet dissentiunt non agunt concilium: quia non consentiunt in unum. Quarto tangitur causa finalis concilii cum dicitur ad tractandum de rebus necessariis siue commodis uniuersitatis,hic profecto esse debet principalis finis synodalis congregationis uirorum prudentum siue patrum, hæc duo præcepta Plato dedisse legitur teste Tul.lib.de officiis uolentibus prodesse reipublicæ unum est ut utilitatem ciuium sic tueantur, ut quocunque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum præceptum est ut totum corpus, Reipublicæ curent nec partem tueantur,& alias deserant.

Descriptio concilii

Cap. II. De origine celebrationis conciliorum in ecclesia.

PERCVRRENTIBVS diligenter scripturam sanctam facile erit reperire unde conciliorũ celebratio in ecclesia Dei originé habuerit.

fuerit. Inuenimus siquidem quòd a patribus in ueteri testamento quòd & ab apostolis in nouo deriuatum est exemplum celebrationis conciliorum in ecclesia. De ueteri quidem testamento exemplũ colligitur ex illo Num. 16. ubi dicitur, uiri proceres synagogæ: qui tempore concili per nomina uocabantur. In nouo uero testamento exemplum celebrationis conciliorum ab apostolis habemus qui ut colligitur ex libro actuum, & ex traditione patrum plures synodos ad nascentis ecclesiæ informationem instituisse referuntur. Prima autem synodus ab apostolicis celebrata fuit illico post Ascensionem domini super electione Mathiæ, subtracta enim corporali, & uisibili præsentia saluatoris nostri ab ecclesia intelligens beatus Petrus adesse Christus quo pontificatus sui fungeretur officio a maioribus incipiens curauit in primis ne sacer ille numerus duodenarius quo consecratus erat numerus apostolorum diminutus maneret. Vnde apostolorum collegium, & Christi discipulos alloquitur ut Lucas euangelista, & scriptor ueridicus testatur Actuum 1. Viri fratres oportet impleri scripturam quam prædixit spiritussanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum, qui annumeratus erat nobis, & sortitus est nomen ministerii huius. Et infra. Oportet ergo ex his uiris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, sequitur testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis &c. Vbi notandum pro in posterum dicendis quòd in hac prima synodali congregatione quam apostolos legimus celebrasse non solum apostoli interfuerunt sed etiam laici, & etiam fœminæ quæ communi nomine dicebantur discipuli domini quod aperte habetur ex textu eiusdem cap. ubi enumeratis apostolis sequitur, hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus, sequitur in diebus illis, glossa interli. cum essent apostoli in cœnaculo superiori. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit. Erat turba hominum quasi centum uiginti. Secunda synodus ab apostolis celebrata fertur cum septem dyaconi electi dicuntur ad dispensationis quotidianæ ministerium, de quo Act. 6. sic dicitur. In diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur græcorum aduersus Hebræos eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ eorum: conuocantes autem apostoli multitudinem discipulorum dixerunt. Non est æquum relinquere nos uerbum Dei & ministrare mensis. Considerate ergo fratres uiros ex uobis boni testimonii septem plenos spiritusancto, & sapientia quos constituamus super hoc opus: ubi aduertendum quod conuocari per duodecim apostolos ad hanc synodum siue ad hoc concilium fuerunt laici qui discipuli domini uocabantur quibus apostoli libertatem dederunt eligendi eos qui necessariorum dispensationis ministerio superintenderent. Tertiam synodum apostolos hierosolymis celebrasse legimus quando audientes quòd Samaria ad prædicationem Philippi qui erat unus de septem dyaconibus recepissent uerbum Dei miserunt ad eum Petrum, & Ioannem ut acciperent spiritum sanctum: scilicet in uisibili signo: non enim in quenquam eorum uenerat, scilicet uisibiliter, ut habetur Act. 8. Circa quam synodum (si synodus appellanda ueniat ut nunc loquimur de synodo) est etiam aduertendum quòd in ea non legitur aliqua conuocatio facta quorumcunque aliorum qui absentes essent hierosolymis. Quartam synodum ab apostolis celebratam dicunt ubi cum fidelium populus apostolica præ-

dicatione conualeſceret augereturque in dies congregatur eccleſia, & apoſtolis concilium agentibus, primo diſcipuli uocati ſunt Chriſtiani qui prius communi nomine diſcipuli appellabantur, de hac ſynodo mentionem facit gloſſa decreti in capi. Sacroſancta diſtinctione uigeſimaſecunda. Intra quam ſynodum hoc uenit notandum primo quòd in ea non fuerunt niſi Paulus, & Barnabas apoſtoli. Quintam ſynodum ſiue quintum concilium celebraſſe dicuntur ſuper quæſtione de obſeruatione legalium, de qua Act.15. ubi ſic dicitur. Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum qui crediderunt dicentes quòd oportet circuncidere eos: præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. conueneruntque apoſtoli, & ſeniores iudeæ, ubi dicit glo. hic datur exemplum faciendi conuentus ad diſcernendum ea quæ ſunt fidei, ſequitur, cum autem magna inquiſitio fieret ſurgens Petrus dixit ad eos, ubi dicit glo. præ omnibus quaſi princeps Petrus loquitur. Circa quam ſynodum eſt notandum quòd ut colligitur ex littera ipſa ad hanc ſynodum licet grauis eſſet quæſtio in materia fidei non tamen conuenerunt, niſi quattuor apoſtoli, ſcilicet Petrus, Paulus, Barnabas, & Iacobus, ut colligitur ex ca.2. ad Gal. nec etiam alii ſeniores quã prouinciæ Iudeæ. Sexta ſynodus quæ ab apoſtolis Hieroſolymis celebrata dicitur fuit ſuper abolenda ſuſpitione quorundam Iudæorum qui Paulum legales cerimonias quas Idolatriam reſpuere putabant, de qua ſicut Act.21. habetur. Cum Paulus ueniſſet Hieroſolymam, & introiſſet ad Iacobum omnes collecti ſunt ſeniores qui dixerunt illi, uides frater quot milia ſunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes emulatores ſunt legis. audierunt enim de te quia diſſenſionem doceas a Moyſe eorum qui per gentes ſunt Iudæorum dicens non debere eos circuncidere pueros ſuos nec ſecundum conſuetudinem ingredi debere, quid ergo eſt utique oportet conuenire multitudinem audient enim te ſuperueniſſe hoc ergo fac quod tibi dicimus, ſunt nobis uiri quattuor uotum habentes ſuper ſe his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende cum illis ut radant capita ſua, & ſciant omnes quia quæ de te audierunt falſa ſunt: ſed ambulans, & ipſe cuſtodiens legem, hęc ibi. Circa quam ſynodum aduertendum eſt primo ꝙ in ea non uidetur interfuiſſe Petrus nec alii diſcipuli, niſi illi duo, ſcilicet Iacobus epiſcopus Hieroſolymitanus, & Paulus. Secundo quòd iſta congregatio facta eſt per Iacobum, & ſub eo & non niſi ſub ſenioribus qui erant Hieroſolymis, tertio quòd ſolum uidetur facta pro tollenda ſuſpitione quam ex Iudæis credentes habebant de Paulo. Septima ſynodus legitur congregata ſub Paulo in mileto ſuper regimine eccleſiæ, in qua congregaſſe dicitur maiores natu eccleſiæ, id eſt presbyteros epheſios quos ipſe Paulus ibi uenerando nomine appellat epiſcopus, quibus ait Act.20. Attendite uobis, & uniuerſo gregi in quo uos ſpiritusſanctus poſuit regere eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſuo ſanguine. Circa quam ſynodum eſt aduertendum quòd in ea ſolus Paulus interfuit de numero apoſtolorum, & ſub eo celebrata eſt ad quam tantum presbyteros epheſi legitur conuocaſſe. Octaua ſynodus quam apoſtoli celebraſſe dicuntur fuit illa in qua apoſtoli in unum conuenientes ſymbolum ediderunt, ut enim ex maiorum traditione accepimus apoſtoli diſceſſuri ab inuicem cum uellent iuxta præceptum domini ad ſingulas proficiſci nationes, normam ſibi futuræ prædicationis, & fidei regulam credentibus ſtatuere curarunt.

Vnde

Vnde conuenientes in unum, & singuli singulas proferentes sententias symbolum fidei tradiderunt quod uniuersalis tenet ecclesia. Sic enim beatus clemens discipulus, & successor apostolorum in decretis suis testatur. Item Leo papa primus pulcherrimæ Augustæ scribens ita inquit. Catholici symboli breuis, & perfecta confessio duodecim apostolorum totidem signata est sententiis. Item beatus Ambrosius clauem regni cœlorum deputans esse fidem apostolorum. Clauem inquit istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam duodecim enim apostolorũ symbolo fides sancta concepta est: qui ueluti periti artifices in unum cõuenientes clauem suo concilio conflarunt. Clauem enim quandam ipsum symbolum dixerim per quod reserantur diaboli tenebre ut lux Christi adueniat &c. hæc ille. Notandum est quòd glossa ordinaria super Act. apostolorum nõ ponit nisi quattuor synodos apostolis celebratas. Quarum prima ut habetur super cap. 21. est habita pro electione alterius apostoli loco Iudæ. secunda super electione septem dyaconorum, tertia de circuncisione non imponenda illis qui credebant de Iudæis uel gentibus, quarta de non prohibendis primo tempore Iudæis legalibus cerimoniis initiari ubi necessitas exigeret.

Cap. III. De multiplici specie conciliorum in ecclesia.

TRES communiter species apud doctores inuenimus distinctas conciliorum ecclesiasticorum quorum forma, & exemplum præcessit in conciliis per apostolos celebratis, uidelicet uniuersale siue generale prouinciale, & episcopale. Generale autem siue uniuersale concilium inuenitur quandoque distingui dupliciter secundum quòd ratio uniuersalitatis potest dupliciter accipi uno modo uidelicet ex parte conuocandorum siue conuenientium ad concilium, & sic uniuersale conciliũ dicitur quod est plenarium: quod iuxta beatum Aug. libro de unico baptismo dicitur quòd celebratur conuocatis episcopis de uniuerso orbe Christiano, & de tali uniuersali concilio militat illa diffinitio quę ponitur in gl. ca. primi dist. 17. ubi dicitur concilium uniuersale est quod a papa uel eius legato cum omnibus episcopis. i. cum episcopis de uniuerso orbe Christiano congregatis constituitur. Et loquendo hoc modo de uniuersali cõcilio plenitudo illius dicebatur consurgere ex quinque sedibus patriarchalibus uidelicet Constantina Alexandrina Antiochena Hierosolymitana, & Romana. quando omnes illas fidei lumen irradiabat. unde in nona actione octaui concilii legitur, patres eiusdem concilii in receptione patriarchæ Alexandrini qui ultimo uenit dixisse. Glorificamus Deum uniuersorum qui quod deerat uniuersali concilio suppleuit, & nunc eam perfectissimã demonstrauit. Forma uero huiusmodi concilii uniuersalis præcessisse uidetur aliquo modo in concilio primo ab apostolis celebrato Act. 1. quod beatus Petrus uniuersalis ecclesiæ pontifex omnibus apostolis præsentibus celebrauit. Alio modo ratio uniuersalitatis in concilio accipitur non ex parte conuocandorum sed ex parte auctoritatis in eo præsidentes, quæ tanta est ut legem ponere, & præcipere possit toti uniuersitati fidelium, & hoc modo concilium uniuersale dicitur quod papa totius ecclesiæ princeps, & rector per se aut legatum suum speciali commissione

Conciliũ generale seu uniuersale.

pro rebus totam ecclesiam concernentibus conuocatis prælatis ecclesiæ, & si non in omnibus, quia hoc semper non bene possibile est nec etiam necesse (ut infra ostendemus) celebrat. & hoc modo loquendo de uniuersali concilio uniuersalia concilia multa dicuntur quæ celebrata sunt per summos pontifices cum episcopis tantum Italiæ sicut patet in gestis conciliorum de concilio celebrato per beatum Siluestrum papam post nicenam synodum 270. patrum. In quo confirmata est fides nicenæ synodi, & Arrius condemnatus. Item patet de synodo celebrata Romæ per Symachum papã in qua dicitur symachus papa in generali concilio præsidens, & sic de multis aliis ad quæ & si de toto orbe Christiano prælati non conuenerint nec fuerint uocati, sed tantum de patriarchatu Romano. nihilominus uniuersalia ueraciter dicuntur, propter auctoritatem Ro. pon. siue patriarchæ, qui cum non tantum sit Romanus patriarcha: sed etiam totius orbis. unde in cõcilio calcedonensi beatus Leo Papa uocatus est Icomenicus, id est patriarcha quare in ca. conuenientibus 1.q.7.glo. diffiniens synodum uniuersalem dicit sic. uniuersales synodi dicuntur in quibus Ro. pon. uel eius legatus interest quocirca talium uniuersalium conciliorum canones siue synodicæ diffinitiones non tantum subditos Romano patriarchatui ligant: sed uniuersos fideles qui mediate aliis patriarchatibus, & potestatibus subsunt. Forma uero huius concilii generalis præcessit in secundo concilio apostolorũ q̄ beatus Petrus præsentibus solum tribus aliis apostolis, scilicet Paulo Iacobo, & Barnaba legitur celebrasse. Est autem hic aduertendum quòd & si concilium plenarium tempore quo catholicæ fidei lumen partes orientales illustrabat diceretur quod ex quinque patriarchalibus sedibus consurgebat, a tempore tamen quo fidei splendor occubuit in partibus orientalibus concilium patriarchatus Romani in quo Christianæ religionis claritas sincera semper perseuerat uniuersale est, non tantũ ex parte auctoritatis Ro. pon. quæ ad uniuersam ecclesiam extenditur: sed etiam ex parte conuocatorum siue conuenientium: quia ex uniuerso orbe Christiano congregantur cum ad solum patriarchatum Romanum ecclesia redacta sit dicente beato Hiero. super psal. ca. 33. Ecclesia non in parietibus consistit sed in dogmatum ueritate: ubi uera fides est ibi est ecclesia. Et Chrys. super Mat. ubi fides est ibi ecclesia ibi sacerdos ibi baptismus ibi Christianus. ubi fides non est ibi ecclesia non est. Et Amb. super epistolam ad Thim. primam ca. 1. Scribo tibi ut scias quam ecclesiam ordines quæ est domus Dei, ut cum totus mundus Dei sit ecclesia: tamen domus eius dicatur cuius hodie rector est Damasius. {Mundus enim in præuaricatione est diuerso turbatus errore. ideo illic necesse est dicatur domus Dei, & ueritas. ubi secundum uoluntatem suam timetur. Non est autem prætereundum pro pleniori noticia huius nominis uniuersalis concilii quòd cum uniuersalis ecclesia catholica dicatur largo modo loquendo catholicum siue uniuersale potest dici concilium quod ab eius unitate non discessit. Quocirca dicit dominus Aimarus archiepiscopus remensis in libro suo de synodis cum duarũ aut trium prouinciarum episcopi conueniunt, & ea statuunt quæ catholicæ ecclesiæ conueniunt fortassis tale concilium uniuersale dici potest quamuis non sit ab uniuersis præsulibus actum. sufficit enim quòd ab unitate uniuersorum fide & traditionibus non discrepat, hæc ille. Sed hoc in loco cum distinguamus species conciliorũ non loquimur ita generaliter de uniuersali

concilio, quia hoc modo omnia concilia patriarchalia & etiam multa prouincialia dicerentur uniuersalia quæ ab uniuersalis ecclesiæ traditionibus non discreparunt. Præterea non obuiat prædictis q̃ aliquando reperiatur concilium unius nationis aut regionis dici uniuersale sicut in concilio Africano dicitur quòd ne fatigandi sit anniuersaria congregatione necessitas, placuit ut quotiens causa communis totius Africæ hoc exigeret tunc uniuersale congregemus. Causę autem cum communes non fuerint in suis prouinciis iudicentur: quoniam tale non dicitur concilium uniuersale simpliciter uniuersalis ecclesię. Necquo ad congregatos cum non de uniuerso orbe congregentur, nec quò ad auctoritatem cum non auctoritate speciali Roma. pon. per ipsum papam aut eius legatum præsidentem fulciatur sed uniuersale dicitu secundum quid s. unius nationis, aut regionis. Secunda species conciliorum nominatur concilium prouinciale, ut in c. Porro distin. 3. Et hoc subdiuiditur quia aliquod est prouinciæ decretæ, siue delegatæ legato a latere papæ siue alteri ad hoc misso quod ipse iure legationis aut specialis commissionis celebrat cum primatibus & metropolitanis, & episcopis & clericis etiam exemptis prouinciæ seu prouinciarum intra suæ legationis terminos contentarum iuxta ea quæ leguntur & notantur de offi. dele. ca. ult. & eo. tit. c. 2. in 6. Aliud dicitur concilium prouinciale limitatę prouinciæ s. cui præest patriarcha uel legatus maior natu seu primas, aut metropolitanus qui tale debet celebrare concilium cum episcopis sibi subiectis abbatibus & clericis suæ prouinciæ non exemptis, ut in cap. 1. de offi. dele. cum notatis ibidem per Host. & Ioan. an. Vnde de hoc prouinciali concilio loquens glo. 1. c. dist. 17. dicit, concilium prouinciale est quod metropolitanus uel primas facit cum suis suffraganeis, ut dist. 18. c. 5. & 92. distin. 100. si quis episcoporum. Sub hac specie concilii prouincialis comprehenditur concilium patriarchale quod ab aliis patriarchis celebratur quàm a Romano patriarcha, quia cum papa non solum sit patriarcha urbis, sed orbis concilium eius cum solis episcopis patriarchatus Romani celebratum habet rationem uniuersalis ex parte auctoritatis, ut supra diximus. Forma autem huius concilii prouincialis præcessisse uidetur in concilio quod Paulus in mileto conuocatis maioribus natu prouinciæ ephesinæ dicitur celebrasse, de quo Act. 20. Tertia species conciliorum dicitur concilium episcopale siue synodus episcopalis quam celebrat episcopus in dioecesi sua cũ abbatibus & clericis sibi subiectis de quo in c. quando dist. 38. & 18. q. 2. abbates. Forma autem huius concilii præcessisse uidetur in concilio quod beatus Iacobus dicitur celebrasse Hierosolymis cum senioribus pro abolenda suspitione orta contra Paulum, de quo Act. 20. & supra in præcedenti ca. dictum est. Est autem hic aduertendum quòd gl. in c. Conuenientibus 1. q. 7. omnes synodos reducens ad duas species dicit quòd synodorum aliquæ sunt uniuersales quibus interest Romanus pontifex uel eius legatus. aliæ sunt locales quas congregant primates, uel metropolitani absque præsentia papæ uel eius legati, ubi nota quòd glo. præfata omnia concilia præter uniuersalia quæ dicit esse quæ Romanus pontifex per se uel eius legatum celebrat uocat localia quod ideo iudicio nostro facit, quia auctoritas illorum conciliorum localium certis limitibus artatur ultra quos non extenditur. Non sic autem de uniuersalibus cum auctoritate illius fulciantur qui totius orbis Christiani caput & antistes est.

Cócilium prouinciale

Cócilium episcopale

Cap. IIII. De tempore quo uniuersalia concilia in ecclesia celebrari inceperunt.

CONSEQVENTER uidendum relinquitur de tempore quo in ecclesia celebratio conciliorum ceperit. Pro cuius pleniori noticia memorari necesse est distinctionem conciliorum uniuersalium quam in superiori cap. designauimus. Diximus autem quòd concilium uniuersale uno modo dicebatur ab uniuersitate orbis quod scilicet papa cum episcopis de toto orbe Christiano celebrat quod plenarium concilium uniuersale iuxta beatum Aug. appellauimus. Alio modo dictum est concilium uniuersale ab uniuersalitate auctoritatis quia scilicet tantæ auctoritatis est ut de uniuersalibus rebus tractet & omnes fideles ad legum suarum obseruantiam astringat, & hoc est quod papa celebrat cum prælatis alicuius prouinciæ, aut prouinciarum & si non de toto uniuerso Christiano euocentur. Qua distinctione memorata dicendum uidetur ꝙ si fiat sermo de conciliis uniuersalibus primo modo s. quæ plenaria dicantur & quo tempore inceperint, tunc dicendum est ꝙ talium conciliorum celebratio a tempore Constantini Imperatoris inceperit, nullo quippe tempore per ante aliquod cōcilium legitur celebratum ad quod omnes episcopi orbis conuenerint, aut conuocati sint licet aliqua similitudo præcesserit in aliquibus synodis celebratis per apostolos. unde beatus Isidorus li. 6. ethi. c. 17. & habetur in c. Canones dist. 15. de hoc loquens ita dicit. Canones conciliorũ a tempore Constantini Imperatoris ceperũt, in præcedentibus namq; annis persecutione feruente docendarum plebium minime dabatur facultas. unde Christianitas in diuersas hæreses scissa est, quia non erat episcopis licentia conueniendi in unum nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse.n. dedit facultatē Christianis libere congregari. hæc ille. Si uero fiat sermo de conciliis uniuersalibus secundo modo dictis tunc dicendum est ꝙ non a tempore Constantini Imperatoris inceperunt, sed multo tempore ante celebrari ceperunt, ut partim in 2. c. supra ostendimus de tempore apostolorum. Post tēpora etiam apostolorum ante tempus Constātini Imperatoris plura concilia celebrata fuisse antiquæ hystoriæ nos docent. unde tempore Victoris papæ super q.º illa qua s. die paschalis solennitas celebranda foret, ut ex hystoria ecclesiastica colligitur li. 5. Tres synodos legimus celebratas. unam in Asia in qua iussu eiusdem papæ nimia multitudo episcoporum congregata est ut Policrates ephesi episcopus per epistolam suam ad Victorem papam insinuat ita dicens, nos intemeratum paschæ colimus dicit nec addentes, nec auferentes aliquid & infra. Poteram etiam præsentium episcoporum facere mentionē quos ipse uoluisti, ut uocarem sicut & feci quorum nomina si scribam nimia multitudo est qui omnes scientes paruitatem meā sensu suo confirmant quæ scripsimus. Secunda synodus tempore eiusdem pontificis etiam ipso præsidente celebrata est Romæ super eadem materia, de qua synodo scriptum est illud c. decreti celebritatem de consec. dist. 3. Tertia synodus celebrata dicitur in Cæsarea palestinæ, ut in eodem li. ecclesiasticæ hystoriæ habetur cui frater Martinus in hystoria sua summorum pontificum dicit eundem papam Victorem interfuisse. Ceterum tempore Cornelii papæ qui præcessit tempora prælati Constantini Imperatoris leguntur duo concilia

sia celebrata contra nouatum presbyterum qui negabat lapsos per pœnitentiam posse salutem consequi: quorum unum celebratum est Romæ quod dicitur fuisse celeberrimum, ut refert Cæsarien.lib.6.ecclesiasticæ hystoriæ, in quo præfatus Nouatus damnatus est & diffinitum est inter alia eos qui lapsi fuerunt per pœnitentiæ sacramentum posse consequi medelam salutarem. Secundum concilium super eadem materia celebratum est auctoritate eiusdem papæ Cornelii de quo florentissimæ memoriæ Dionysius Alexandrinus commemorat in epistola ad præfatum papam Cornelium, ut idem Eusebius refert libr. suprascripto ut dicat se ad illud inuitatum a multis episcopis. eo quòd ibi nouati dogma quidam asserere conarentur. Præterea tempore Dyonisii papæ duo leguntur celebrata præclara concilia contra Paulum Semosetanum asserentem Christum tantum hominem esse. Primum celebratum est Antiochiæ, in quo apostolicæ sedis legatus fuit episcopus ostien. ut ex 6. lib. ecclesiasticæ hystoriæ habetur. Secundum etiam celebratum est Antiochiæ, in quo præfatus Paulus arguitur manifesteq; conuincitur. Item tempore Marcellini papæ qui iussu Diocletiani, & Maximiniani Imperatorum compulsus Deorum templum ingressus metuq; pœnarum Idolis thura obtulit. congregata est Romæ solennis synodus, de qua in c. nunc autem distinct.21. Ista sufficiant ad ostendendum quæ concilia generalia, & quæ non a tempore Constantini Imperatoris incepisse dicantur.

Cap. V. Quid per diffinitionem dicatur uniuersale concilium catholicæ ecclesiæ.

QVONIAM tantum de conciliis uniuersalibus instituimus loqui relictis aliis conciliorum speciebus quid per diffinitionem sit concilium uniuersale catholicæ ecclesiæ explicemus. iuxta autem ea quæ in 1. c. superius dicta sunt talis potest magistralis descriptio concilii uniuersalis catholicæ ecclesiæ dari. Concilium uniuersale catholicæ ecclesiæ est congregatio maiorum prælatorum ecclesiæ auctoritate Roman. pon. speciali conuocata ad aliquid communi intentione solenniter tractandum in religione Christiana papa ipso in concilio præsidente uel aliquo loco sui. Ista diffinitio siue descriptio uidetur conueniens ac sufficiens cum contineat ea quæ ad integritatem essentialiter faciunt uniuersalis ecclesiastici concilii & ea per quæ congregatio uniuersalis concilii distinguitur a quacunque alia congregatione. Tangitur autem in primis materia ex qua principaliter corpus uniuersalis concilii consurgit & constituitur cum dicitur. Congregatio prælatorum cuiusmodi sunt episcopi & alii superius ascendendo: quoniam ut infra plenius ostensuri sumus, soli tales prælati pro eorum singularitate dignitatis & auctoritatis in ecclesia pertinent ad corpus uniuersalis concilii. Cuius rei illustre satis testimonium est quòd cum de uniuersalibus conciliis fiat mentio in corpore decreti, ut distin. 15. per totum tantum episcoporum concilia esse dicuntur. Ex quo satis aperte colligitur ꝙ minus conuenienter diffinitũ sit conciliũ uniuersale cũ dicitur ꝙ sit cõgregatio ex omni statu hierarchico ecclesiæ catholicæ. &c. quoniã nõ requiritur ad esse cõcilii uniuersalis hoc ꝙ de omni statu Hierarchico prælati uocentur, sed sufficit ꝙ maiores prælati uocentur sicut infra plenius

Concilii uniuersalis diffinitio

demonstrabimus. Ex hac etiam parte colligitur non sufficienter diffiniri cõcilium uniuersale cum a quibusdam magistris diffinitur, quòd concilium sit societas fidelium in unum propositum & propter unam communem intentionem congregatorum. patet quoniam hæc diffinitio ita conuenit congregationi laicorum fidelium sicut prælatorum, ut quilibet doctus uidere potest. Secundo tangitur causa efficiens auctorizans concilium cum dicitur auctoritate regulariter singulariter residet auctoritas conuocandorum conciliorum uniuersalium, ut nulla prælatorum congregatio quæ non fuerit apostolicæ sedis auctoritate conuocata siue fulta nomen concilii uniuersalis mereatur habere. unde beatus Marcellus papa & martyr scribens Maxentio episcopo, ut habetur in c.1.17.dist. dicit. Synodum episcoporum absque huius sedis auctoritate quamquam quosdam episcopos possitis congregare non potestis regulariter facere, ubi gl. inquit ar. q talis congregatio episcoporum non dicitur synodus. Dicitur autem speciali auctoritate ad differentiam aliorum conciliorum patriarchalium siue prouincialium quæ de licentia generali & dispositione iuris sine alia licentia papæ celebrantur certis temporibus designatis dist.18. quasi per totum. Tertio tangitur quasi causa formalis concilii uniuersalis cum dicitur communi intentione sicut supra tetigimus c.1. Et beatus Isido. inquit in c. Canones dist. 15. qui sibi dissentiunt non agunt concilium. Quarto tangitur in prædicta diffinitione causa finalis uniuersalis concilii cum dicitur ad aliquid tractandum in religione Christiana quod scilicet sit utile & salutare toti uniuersali ecclesiæ utputa quod ad fidei illuminationem, ad componendum mores, ad augmentum religionis Christianæ, ad decorem & incrementum diuini cultus & pacem populi Christiani pertineat. Quinto tangitur ritus cerimonialis qui obseruatur in diffinitionibus & constitutionibus synodalibus cum dicitur solenniter per quod distinguitur congregatio concilii uniuersalis a congregatione consistoriali siue aliorum prælatorum congregationibus quas quãdoque Romanus pontifex facit in curia arduis rebus concurrentibus sine solennitate & cerimoniis in synodis generaliter consuetis obseruari. Sexto tangitur director atque gubernator concilii cum subditur papa in concilio est. Necesse quidem est ut multitudo congregata ad aliquid agendum habeat aliquem directorem & ducem & per hanc particulam distinguitur uniuersale concilium a congregationibus acephalis, quæ sine præsidente aut capite aliquo legitimo congregantur. distinguitur etiam per hoc a congregationibus prælatorum in quibus præsident aut patriarchæ, aut primates, aut metropolitani siue episcopi qui non specialiter destinati sunt ad præsidendum loco papæ, sed præsident iure legationis uel propriæ dignitatis, ut notatur dist.17. in summa.

Cap. VI. Cuius auctoritate concilium uniuersale congregandum sit.

SI quis attente diuinam scripturam & sanctorum patrum canones ac instituta perlegerit, manifeste intelliget ad solius Romani pontificis auctoritatem spectare regulariter uniuersalem synodum congregare. Sacra autem scriptura in primis hoc nos docet 1. Machab. 4. ubi inter alia quæ Symoni sacerdoti magno totius populi & omnium sacerdotum consen-

su attributa sunt hoc est tanquã singulare summi pontificis priuilegiũ,ut cõuentus sine ipso non fieret in regione. Cũ autẽ iuxta apostolũ sacerdotiũ ueteris legis figura sit noui testamenti,& summus sacerdos noui testamẽti excellentioris sit dignitatis. credendũ est ꝙ simile priuilegiũ diuina institutio ne habeat ipse summus sacerdos in noua lege s. Roma.pont.ut s.absq; eius auctoritate conuentus non fiat uniuersalis in ecclesia. Secundo idem ostenditur ex canonibus sacrorum conciliorum. Vnde synodus Alexandrina in qua fuit Athanasius scribens papæ Felici de huiusmodi priuilegio apostolicæ sedis celebre testimonium faciens ita inquit. Scimus in nicena magna synodo circa 318. episcoporum ab omnibus esse concorditer roboratũ non debere absque Roma.pon.sententia concilia celebrari nec episcopos condemnari. Tertio hoc patet auctoritate multorum sanctorum patrum quæ Gratianus inducit dist.17.per totum quorum sanctorum patrum testimonia uenerabilis memoriæ dominus Aymarus archiepiscopus remensis in libro suo de synodis c.18.aliqua commemorans ita inquit. Ne mireris quòd ipsorum conciliorum auctoritatem Rom.pon.ascribamus. nam nulla concilia rata leguntur quæ apostolica auctoritate fulta non fuerint ut Damasus papa in decretis suis c.9.asserit cui Athanasius & Iulius papa Nicenum quoque concilium & reliqui quoque patres astipulantur. Sanctus quoque Marcellus papa & martyr in decretis suis c. 5. Ipsi inquit apostoli, & eorum successores domino inspirante constituerunt,ut nulla fieret synodus præter Romanæ sedis auctoritatem. Nam illius sedis episcopus iudex est totius ecclesiæ,nec aliquod iudicium ualet absque legitimo iudice. ubi nota quòd domino inspirante apostoli illud constituerunt. Quarto idem testatur Pelagius papa scribens omnibus episcopis qui illicita uocatione Ioan. Constantinopolitanum episcopum uniuersalem uocauerunt qui ita inquit. Relatum est ad apostolicam sedem Ioannem Constantinopolitanum episcopum uniuersalem se scribere uosq; ex hac sua præsumptione ad synodum conuocare generalem,cum generalium synodorum conuocandi auctoritas apostolicæ beati Petri apostoli sedi singulari priuilegio sit tradita, & nulla unquam synodus rata legatur quæ apostolica auctoritate non fuerit fulta, quapropter quicquid in prædictó uestro conuenticulo quia synodus totaliter præsumpta esse non potest. statuistis ex auctoritate sancti Petri apostolorum principis & domini Saluatoris uoce qua beato Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit. præcipio omnia quæ ibi statuistis uana & cassa esse, &c. Ceterum quòd ad Romani pontificis maxime auctoritatem pertineat congregatio uniuersalis concilii. Rationibus clarissime ostendimus sic, Illi soli uidetur competere omnia agere & disponere quæ uniuersam ecclesiam respiciunt sicut est congregatio & conuocatio uniuersalis concilii in qua de uniuersali cura ecclesiæ tractatur. Sed soli pontifici Romano est commissa huiusmodi cura uniuersalis ecclesiæ utpote principi pastori & totius populi Christiani patri: ergo sequitur quòd ad illius solius auctoritatem regulariter spectat uniuersalis concilii conuocatio siue congregatio. Hac ratione utitur ad idem probandum. Felix papa in epistola quam synodo Alexandrino scribit ita dicens. Solummodo Iesus Christus huic sanctæ sedi apostolicæ hoc facere commisit utpote qui solus atque præ omnibus princeps apostolorum creditus est atque percipere meruit a

rege regum Christo Deo claues regni cælorum. hæc ille. Secundo confirmatur ista ratio sic. ut ait Arist. 1. eth. secundum ordinem finium est ordo actiuum & agentium respectu ergo finis ultimi totius populi Christiani consideratio pertinet ad eum qui toti Reipublicæ Christianæ præsidet, sed solus post Christum Romanus pontifex præsidet uniuersali ecclesiæ utputa princeps pastor & rector illius. ergo illius solius erit regulariter uniuersalia concilia congregare cum illorum congregatio maxime concernat bonum uniuersitatis Christianorum. hac ratione utitur ad hoc idem probandũ beatus Tho. in 2.2.q.1.c.ult. Tertio arguitur sic. ad illius solius auctoritatem uidetur pertinere congregare uniuersalia concilia cui omnes de tota ecclesia obedire tenentur. patet quia alias conuocatio redderetur illusoria nisi conuocanti deberetur obedientia, sed soli Romano pontifici omnes de ecclesia tota ad uniuersalia concilia conuocanti obedire tenentur utpote superiori & inter omnes primatum habenti, ut in c. obedientiam distinct. 93. ergo &c. hac ratione utitur Iulius papa ad idem probandum in epistola orientalibus directa in qua ut habetur in c. Dudum 3.q.6. sic ait. Dudum a sanctis apostolis successoribusq; eorum in antiquis decretum est statutis quæ hactenus sancta & uniuersalis ecclesia tenet apostolica non oportere. i. non conuenire sine sententia Romani pontificis concilia celebrari uel episcopum condemnari. quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem omniũ ecclesiarum esse uoluerunt, & sicut beatus Petrus primus fuit omnium apostolorum, ita & hæc ecclesia suo nomini consecrata domino instituente prima sit & caput ceterarum. Quarto sic. Illi soli uidetur conuenire auctoritatiue congregare uniuersalia concilia in ecclesia Dei qui in omnes prælatos euocandos ad concilia potestatem habet coercendi eos ad ueniendum & puniendum negligentes aut contemnentes uenire 18. distinct. per totum, Sed solus Romanus pontifex est huiusmodi cum ipse loco Christi iudex sit ordinarius super omnes ecclesiæ prælatos iurisdictionem habens, ut testatur beatus Greg. in c. De constantina distin. 22. & in c. Si episcoporum c. 21. q. ult. ergo &c. Quinto sic. Ad solius principis auctoritatem pertinere uidetur omnes alios primates aut maiores sui principatus ad generalia concilia conuocare hoc nos docet experientia. patet etiam ex primo Mach. c. 30. in principio quod supra in primo c. inductum est. Sed Roma. pont. est princeps episcoporum qui principaliter aduocandi sunt: ergo solius Roma. pont. auctoritate illi conuocandi sunt & synodaliter congregandi. consequentia est manifesta. Sexto sic. Ad eum qui maioris dignitatis est in ecclesia particularis capituli conuocatio, ut notat Inno. de ma. & obe. c. 1. & ad eum qui maioris est dignitatis in prouincia pertinet prouincialis concilii conuocatio utputa ad Metropolitanum ut colligitur ex ca. Propter ecclesiasticas, & ca. Si episcopus, & ca. Si quis episcoporum distin. 18. ergo pariformiter ad eum qui maioris dignitatis est in ecclesia uniuersali pertinet iure singulari uniuersalis concilii conuocatio, sed talis est solus Romanus põtifex: ergo &c. Septimo hoc idem ostenditur manifeste ex eo quòd si non soli Rom. pon. esset reseruatum conuocare uniuersale concilium, sed quilibet in ecclesia ex maioribus posset congregare concilium facillime scisma oriri posset in ecclesia Dei: ergo pro seruanda ecclesiæ unitate credendum est ita diuinitus ordinatum esse ut uni qui totius ecclesiæ caput & rector est conuocandorũ conciliorum auctoritas singulariter reseruaretur. Et hæc ratio uidetur assignari

signari a beato Hieron. ad Euandrum presbyterum & habetur in ca. Legimus dist.93.& ideo in scismatis remedium factum est a diuina sapientia, ut unus electus sit qui ceteris præponitur ne unusquisque ad se trahens ecclesia Christi rumperetur in frusta. Ex quibus clarissime colligitur quòd congregatio quæ auctoritate papæ conuocata aut fulta non fuerit uno & indubitato papa in Petri cathedra existente nec nominari uniuersale concilium posse nec auctoritatem aliquam habere. unde papa Pelagius in cap. Multis distinct. 17. scribens episcopis qui conuenerant ad illicitam uocationem Ioan. Constantinopolitani ita inquit. Multis denuo apostolicis & canonicis atque ecclesiasticis institutis instruimur regulis non debere absque Roma.pont.sententia concilium celebrari. Quapropter ut iam dictum est recte non concilium, sed uestrum conuenticulum, uel conciliabulum cassatur & quicquid in eo actum est irritum habeatur & uacuum. hæc ille.

Cap. VII. In quo ponuntur aliquæ obiectiones contra prædicta in præcedenti ca. de auctoritate conuocandorum uniuersalium conciliorum.

ARGVVNT quidam aduersariorum obiiciunt plurima circa ea quæ de auctoritate Roma. pon. in congregandis uniuersalibus conciliis dicta sunt. Primo sic ex illo Act. 6. ubi dicitur. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt. non est equum &c. ubi manifeste inquiunt probari quòd auctoritas conuocandi concilium non erat solius Petri, sed totius collegii apostolici & per consequens patet quòd non solius Roma. pon. sit congregare concilium uniuersale. Secundo sic. multa uniuersalia concilia in Dei ecclesia utpote Nicenum Constantinum Ephesinum Calcedonense leguntur Imperatores congregasse sicut patet in c. Canones distin. 15. & in c. Sexta dist. 16. sed de hoc non reprehenduntur Imperatores tanquam usurpatores auctoritatis alienæ, sed potius leguntur commendari, quia illud fidei aut Christianæ religionis zelo succensi egisse creduntur. ergo non uidetur quòd solius Roma. pon. auctoritate uniuersalia concilia congregentur. Tertio sic. casu occurrente in quo ecclesiæ imminenti periculo obuiare non posset nisi mediante uniuersali concilio & papa nollet id in ueritate conuocare. nulli dubium esse debet quin alius a papa concilium uocare posset. alias in manu unius hominis esset fidem Christianam & statum uniuersalis ecclesiæ subuertere quod minime est dicendum ergo, &c. Quarto sic. in casu quo papa de hæresi uehementer infamatus & suspectus esset alteri quam papæ uidetur competere conuocare uniuersale concilium, quia non uidetur conueniens quòd papa in proprio facto tribueret auctoritatem. ergo &c. Quinto sic. in casu in quo papa efficeretur hæreticus non dubium quin ad alium spectaret conuocatio concilii uniuersalis sicut patet tempore Marcellini papæ de fama decurrente per ecclesiam quòd thurificasset idolis illico congregati sunt episcopi ad uidendum de hoc, ut habetur in cap. Nunc autem distinct. 21. ergo idem quod prius. Sexto sic. in casu quo duo contenderent de Papatu iuxta cap. Si duo distinct. 79. necessaria uidetur congregatio concilii uniuersalis, ut sit iudex quis eorum sit uerus papa & tamen non uidetur ad.

Arg. primum

Secundū

Tertium

Quartū

Quintum

Sextum

contendentes spectare congregatio concilii uniuersalis. ergo ad alios & ideo id quod prius. Septimo sic. dato quòd papa esset mortuus naturaliter aut ciuiliter aut renunciasset & Cardinales nolentes procedere ad electionem non prouiderent ecclesiæ uidetur quòd concilium uniuersale deberet conuocari, ut hinc ecclesiæ necessario prouideretur, & tamen non auctoritate papæ congregaretur cum papa non esset. ergo idem quod prius.

Septimũ

Octauum Octauo sic. possibile est quòd papa incurreret amenciam ita ut amens factus inhabilis redderetur ad regendum uniuersalem ecclesiam, sed in tali casu uidetur uniuersale concilium congregandum ad consulendum uniuersali ecclesiæ & non per papam patet ex casu: ergo idem quod prius.

Nonum Nono sic. possibile est, ut post mortem papæ simul cum eo omnes Cardinales morirentur possent enim simul occidi & tamen ad prouidendum ecclesiæ necessarium uidetur, ut fieret uniuersale concilium, & non posset per papam nec Cardinales, ut patet ex casu. ergo auctoritate alterius & ita idem quod prius.

Decimũ Decimo sic. contingit quandoque super diuersis agitarī causas contra papam, sed uidetur quòd tunc eius auctoritate non esset congregandum concilium, sed ab alio. ne in causa propria, &c. ergo idem quod prius.

Cap. VIII. In quo respondetur ad obiectiones iam factas.

PRÆFATIS obiectionibus perfacile est respondere si sanctorum dicta recte accipiantur. patrum enim sanctorum dicta attribuentia Romano pon. auctoritatem congregandi uniuersale concilium accipienda ueniunt cum unus & indubitatus Romanus pon. residet in apostolica sede & de congregatione non locali ad certum locum tantum, sed de congregatione auctorizatiua ad disponendum & ordinandum aliquid in uniuersali ecclesia ab omnibus fidelibus obseruandum quod iuxta sanctorum patrum sententias, ut prædiximus in præcedenti c. ad eum qui præsidet Reipublicæ Christianæ & cui creditum est regimen & gubernatio illius cuiusmodi est Romanus pon. singulariter spectare uidetur. Ait enim Pelagius papa in epistola quam scripsit uniuersis episcopis Synodorum congregandarũ auctoritas apostolicæ sedi priuata commissa est potestate. Nec ullam synodum generalem ratam esse legimus quæ eius non fuerit auctoritate congregata, uel fulta. hoc attestantur canones. hoc hystoria ecclesiastica roborat. hoc sancti patres confirmant. hæc ille. dicendum ergo est ad rationes in oppositum.

Ad primũ arg. Ad primam respondetur negando consequentiam. quoniam ad hoc quòd alii apostoli cum Petro dicuntur turbam discipulorum ad synodum conuocasse sicut nunc faceret papa cum Cardinalibus non sequitur quòd Petri auctoritate principaliter facta non fuit illa conuocatio licet non exprimatur expresse. maior plane fuit reuerentia apostolorum ad beatum Petrum utpote ad caput & principem eorum quod scriptura illa commemorat. Maxime cum beatus Cyrillus in lib. thesaurorum dicat ꝙ apostoli in euangeliis & epistolis affirmarunt in omni doctrina Petrum esse loco domini in eius ecclesia eidem dantes locum in omni capitulo & cõgregatione in omni electione & confirmatione.

Ad secundum Ad secundam rationem respondetur quòd Imperatores illi non congregauerunt uniuersalia concilia nisi

lia nisi prius habitis consensu & auctoritate Romanorum pontificum. unde Arch. in rosario in c. mandattis secunda q. 5. ubi dicit tex. Valentinianus Augustus nostra auctoritate synodum congregari iussit super uerbo, nostra auctoritate dicit sic ubicunque inuenies Imperatorem concilium congregasse intellige secundum illud. unde Imperatores magis fuerunt executores uoluntatis & auctoritatis Romanorum pontificum in congregatione conciliorum quàm ex eorum auctoritate congregatores. unde in ca. Sexta synodus distin. 16. dicitur sic. Synodus uniuersalis Constantinopoli celebrata est & græco sermone conscripta temporibus papæ Agathonis exequente piissimo principe Constantino. ecclesia enim illis temporibus non erat ita potens, ut de facto posset compellere nolentes uenire & securum accessum dare de longinquis partibus uocatis & congregandis & ideo apostolica sedes per principes faciebat sæpe quod per seipsam facere commode nõ poterat. postea uero cum disponente domino potuit per se non per principes, sed per ipsam fecit & facit. Nec obstat quòd in c. Adrianus distin. 63. dicitur quòd Carolus rex Francorum constituit synodum cum Adriano papa quia non est intelligendum quòd rex Carolus concurrerit auctoritatiue cũ papa ad constitutionem synodi cum ad hoc nullam haberet auctoritatem, sed bene concurrit deliberatiue ut sit sensus quòd rex & papa simul deliberarunt ut synodus congregaret, sed tamen solius Adriani papæ auctoritate constituenda & celebranda. unde Arch. in rosario super hunc locum super uerbo constituit, dicit sic. Constituit de auctoritate papæ ar. 2. q. 5. mandastis, & dist. 17. c. Hinc. unde melius dixisset econuerso s. Adrianus cõstituit cum Carolo. hæc ille. Ceterum etiam notandum quòd etsi aliquando Imperatorum iussu legatur conuenisse episcopos non tamen talium episcoporum conuentus concilia uniuersalia uenient dicenda nisi fulta essent auctoritate Romani pontificis, ut aperte colligitur ex c. Bene quidem dist. 96. & ex ca. Multis dist. 17. Et ideo optime dicit Pelagius papa in auctoritate supra posita quòd nullam synodum generalem ratam legimus quæ non fuerit apostolica auctoritate congregata uel fulta. Nota alternatiuam unde episcopi qui conuenerant Romæ ad præceptum regis theodorici tempore Symachi papæ. uidentes quòd congregatio illa ad præceptum regis facta nõ poterat dici synodus nisi auctoritate Romani pontificis fulciretur. dixerunt oportere ipsum symachum papam synodum conuocare quæ conuocatio siue congregatio non potest intelligi nisi auctoritatis suæ interpositio cum iã localiter essent ubi debebant congregari. aliud enim est præcipere ut congregentur prælati ad aliquem locum quod quandoque leguntur fecisse imperatores & frequenter faciunt reges in suis regnis, & aliud est congregare concilium uniuersale. hoc enim non solum dicit congregationem prælatorum ad certum locum, sed auctorizationem quandam siue influxum auctoritatis ad diffiniendum disponendum & ordinandum ea quæ sunt ecclesiæ commoda & necessaria eis dare quam auctoritatem Imperatores dare non possunt quibus cum sint laici de disponendis ecclesiasticis rebus nõ est data facultas, ut in d. c. bene quidem dist. 96. Ad tertiam rationem plura dicenda ueniunt. Primo quòd casus ille non uidetur admissibilis. non enim uidetur possibile quòd possint pericula talia in ecclesia contingere quibus prouideri non posset nisi per concilium generale, siue uniuersale. Quod patet ex duobus. Primo quia ut aduersarii arguunt sequeretur ꝙ

Ad tertiũ

in potestate unius hominis puta unius principis potentis impedire ne celebraretur concilium uniuersale esset Christianam fidem & uniuersalis ecclesiæ statum subuertere. Tum secundo quia cum propter bellorum dissidia impediri posset celebratio uniuersalis concilii, sicut Isido. dicit. factum esse ante tempora Constātini, ut in c. Canones dist. 15. habetur tunc possibile esset fidem & ecclesiæ statum periclitari quod maxime falsum est cum sit contra illam Christi pollicitationem dicentis. Ego autem uobiscum sum usque ad consummationem seculi Math. ult. unde dicitur quòd nullus casus posset contingere in ecclesia cui per Romanæ ecclesiæ diligentiam prouideri non posset. in cuius manifestissimum testimonium sancti patres docuerunt ad apostolicam sedem in maioribus causis recurrendum esse, ut in c. rogamus 24. q. 1. Et etiam cum ratio fidei uentilanda uenit ut in c. quotiens ea. causa, & q. unde beatus Thom. in q. de potentia quæst. decima ar. 4. dicit, quòd ad explanationem fidei faciendam non est necessarium quòd papa uniuersale concilium congreget cum quandoque id prohibeant bellorum dissidia. Secundo respondetur quòd difficile ualde esset piis mentibus ad credendum quòd aliquis uerus Romanus pontifex certificatus periclitari fidem & uniuersalis ecclesiæ statum nisi concilium generale celebraretur nollet concilium uniuersale congregare cum de Romano pontifi. e semper bene præsumendum sit ut in c. non nos 40. dist. & papa dicat in c. officii nostri 24. quæst. 1. sibi maiorem cunctis Christianæ religionis zelum incumbere. Tertio dicitur quòd dato quòd talis casus immineret ecclesiæ uniuersali tunc si papa requisitus per dominos Cardinales & per alios catholicos maxime ecclesiæ prælatos & principes nollet congregare uniuersale concilium nec dare auctoritatem congregandi, quia talis habendus esset suspectus de hæresi, & per consequens dubius in papatu. iam ad alios pertineret uniuersale concilium congregare. sicut in responsione ad quartam rationem dicturi sumus quòd uero papa in prædicto casu suspectus in fide redderetur probatur aperte ex c. error 83. dist. ubi dicit Inno. Error cui non resistitur approbatur, & ueritas cum minime defensatur opprimitur negligere quippe cū possis perturbare peruersos nihil aliud est quam fouere, nec caret scrupulo societatis occulte qui manifesto facinori desinit obuiare. In hoc ergo casu quando papa nollet concilium congregare ad Cardinales spectaret cō uocatio concilii uniuersalis ad faciendum ea quæ in tali casu necessario essent facienda.

Ad quartum

Ad quartam respondetur quòd ratio non uidetur facere ad propositum quoniam ut diximus nos non loquimur de congregatione uniuersalis concilii super facto papæ, sed super diffinitione & constitutione canonum & legum ad regimen uniuersalis ecclesiæ & directionem & reformationem omnium fidelium quorum princeps pastor & director ac magister est Rom. pon. unde ad eius tantum auctoritatem spectat sicut ad principem ecclesiæ congregare uniuersale concilium. Ad huiusmodi nihilominus respondemus quòd in casu in quo papa diffamatus esset uehementer & maxime apud graues & doctos uiros de hæresi, quæ infamia sine scandalo ecclesiæ uel periculo fidei dissimulari, aut tolerari non posset, talis uidetur nostro iudicio practica seruanda ut primo per Cardinales requireretur aut per aliquos alios fideles illis negligentibus ut aboleret a se prædictam infamiam publice catholicam fidem confitendo maxime circa articulum siue articulos de quo uel quibus diffamabatur, & huiusmodi confessionem per

bullas

bullas denunciaret illis apud quos eis infamia decurrit. Istam practicā pro parte principaliori legimus obseruatam circa apostolum Paulum Act. 20. qui cum diffamatus esset apud credentes ex iudæis quòd prædicaret legem Moysi non esset seruandam consilio beati Iacobi & seniorum qui Hierosolymis congregati erant cum eo ingressus templum & purificatus more iudæorum aboleuit infamiam suam sicut supra commemoratum est ca. 2. Si uero contingeret quòd papa requisitus nollet hoc facere. tunc requirendus esset ut congregaret concilium uniuersale, aut auctoritatem daret illud congregandi. Si hoc faceret tunc concilium congregatum inquireret de ueritate. Si uero nec congregare, nec congregandi auctoritatem dare uellet tunc iudicio nostro domini Cardinales qui præstantiora membra ecclesiæ Romanæ sunt quibus potissime incumbit necessitatibus ecclesiæ uniuersalis prouidere & imminentibus periculis obuiare deberent conuocare & cōgregare prælatos ecclesiæ ad inquirendum de ueritate infamiæ an scilicet papa ueraciter esset hæreticus an non. Vbi uero Cardinales hoc nollent facere Imperator, aut principes Christiani possent hoc facere. uel etiam ipsimet prælati ecclesiæ intelligentes talem uehementem suspitionem de papa. possent seipsos congregare sicut factum est tempore Marcellini papæ, ut habetur in cap. nunc autem distinct. 21. Congregatis autem prælatis & aliis qui uocati essent in aliquo loco requirendus esset papa ut auctoritate sua auctorizet illam congregationem sicut factum legitur in præcedenti casu Symachi papæ. de quo in c. hinc etiam distinct. 17. Si uero papa uellet auctorizare congregationem sicut fecit Symachus papa bene quidem. Si uero nollet tunc congregatio prælatorum illa deberet procedere ad inquisitionem ueritatis etiam papa nolente. Et si quæras qua auctoritate. Respondetur quòd tam auctoritate iuris diuini quàm humani diuini quidem quod habetur Ioan. 12. ubi dicitur. Qui spernit me & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Vnde sanctus Thom. super epistolam ad Gal. super illud apostoli in 1. cap. Si quis uobis euangelizauerit præter id quod accepistis anathema sit, quærit cum par in parem non habeat imperium, & multo magis non habeat in superiorem uidetur quòd apostolus non potuerit excommunicare apostolos qui erant sibi pares, & angelos qui sunt superiores, & respondendo dicit ad hoc sic dicendum quòd apostolus protulit hanc sententiam non propria auctoritate, sed auctoritate euangelicæ doctrinæ, cuius doctrinæ auctoritas habet, ut quicunque contra illam dicunt excludendi & repellendi sunt, ad hoc inducit auctoritatem illam Ioan. 12. supra positam. Secundo auctoritate iuris humani siue canonici c. si papa, quod est sancti Bonifacii papæ & martyris dist. 40. quia cum huius criminis scilicet hæresis in papa competens iudex uideatur esse concilium uniuersale dumtaxat ut colligitur distinct. 17. c. hinc ipso facto quòd papa non uult dare auctoritatem congregationi, ipsum ius intelligitur dare sibi auctoritatem, alias frustratoria esset prouisio iuris quod in casu hæresis disposuit ꝙ concilium uniuersale possit iudicare papam hæreticum si per negationem papa pertinaciter in hæresi sua persistente auferretur. Nā frustra essent iura nisi eis assignaretur minister ut dicit tex. de elect. ubi periculum lib. 6. Auferretur autem proculdubio iuris dispositio si in casu illo concilium procedere non posset. Inquisitione autem debite facta, & in-

uento quòd papa ueraciter in hæresim lapsus fuerit tunc concilium deberet illum informare de ueritate ostendendo per sacram scripturam, aut per uniuersalis ecclesiæ determinationem erroneum esse quod teneret, & requirere illum charitatiua admonitione ut dictum errorem ab iuraret siue reuocaret fidei ueritatem publice confitendo. Et fortassis expediret ad maiorem cautelam assignare sibi terminum infra quem reuocaturus esset præfatum errorem. quod si infra terminum sibi assignatum fecerit nihil potest concilium ulterius contra ipsum, ut expresse notauit Hug. in c. nunc autem dist. 21. & in ca. si papa distinct. 40. super uerbo, a fide deuius. Sed ipsemet papa in foro conscientiæ quantum culpabilem se fuisse cognosceret per confessorem suum animæ suæ prouideri faciat de pœnitentia salutari ar. distinct. 21. nunc autem. Si uero hoc agere papa noluerit. tunc procedendum est contra eum, ut in sequenti responsione dicetur. Ad quintam rationem respondetur sub tali distinctione aut est notorium papam esse hæreticum utputa quòd inciderit in hæresim damnatam illam publice asserendo & prædicando, aut non est notorium. Si notorium ut diximus tunc uidetur iudicio nostro talis practica obseruanda, debent enim domini Cardinales aut etiam alii catholici illum monere ut abneget prædictum errorẽ in quem lapsus est fidem catholicam inuiolatam integramq; profitendo, sicut tenetur facere quilibet bonus fidelis, ostendendo illi per sacram scripturam aut uniuersalis ecclesiæ determinationem quòd id quod tenet sit erroneum & a fide catholica alienum, & si paratus sit corrigi & abnegatis erroribus fidem Christi tenere & confiteri. tunc ut in responsione præcedentis rationis diximus uniuersale concilium non habet in eum aliquam auctoritatem. Si uero nollet reuocare errorem, sed pertinax & incorrigibilis in eo persisteret. tunc primo Cardinales ab eo recedere debent iuxta illud Ioan. in canonica 2. c. 1. de Christi fide loquentis. Si quis uenerit ad uos & hanc doctrinam s. Christi non habet nolite eum recipere in domum nec ei aue dixeritis, ubi gl. ordi. dicit. nolite &c. i. non tantum non assentiatis, sed nec ad horam recipiatis. hoc etiam colligitur ex ca. Anastasius distinct. 19. Secundo ipsi Cardinales debent denunciare prælatis ecclesiæ casum præsentem & conuocare eos ut ueniant sicut tenentur ad succurrendum ecclesiæ in hoc horribili casu & prouidendum ecclesiæ quia iam ille a petra fidei super quam fundata est ecclesia Math. 16. pertinaciter & incorrigibiliter cadendo cecidit. tunc uero ut in præcedenti casu diximus concilium prælatorum congregatum debet iuris auctoritate procedere ad depositionem illius ut quibusdam placet uel ut nobis plus gratum est iuxta iam dicta ad declarationem ꝙ ille non sit amplius papa & ꝙ uacet apostolica sedes. huiusmodi enim criminis proprius iudex est uniuersale concilium, ut dictũ est. Si uero non sit notorium papam esse hæreticum, sed solum apud aliquos graues tantum & bone fidei homines fama siue præsumptio processerit tũc procedendum uidetur ut in responsione ad quartam rationem dictum est. Ad sextam rationem respondetur dupliciter. Primo quòd si certum sit ꝙ alter contendentium sit uerus & apostolicus, utputa quia a duabus partibus cardinalium electus cum alius per consequens esse non possit nisi intrusus & per consequens non apostolicus, sed apostaticus siue prophanus, ut in ca. factus est 7. q. 1. tunc cum non occurrat dubitatio rationalis quis sit uerus papa non est necessaria uniuersalis concilii, conuocatio ad iudicandum

Ad quintum

Ad sextũ

candum

candum de electione illius quæ præsumitur iam canonica, sed ad condemnatiouem intrusi & ad mandandum quod omnes fideles pareant & obediant uero apostolico iuxta c.si quis pecuniam distin.79.sicut factum legitur tam tempore Damasi papæ contra Vrsinum quàm tempore Cornelii contra Nouatianum,& de tali contentione non intelligitur c.si forte duo, ut dicit Gratianus & bene in.§.sequenti ibidem.Secundo respondetur si fieret cōtētio inter aliquos super iure electionis quæ illarum electionum fuerit canonica. tunc iudicio nostro si contendentes uellent se submittere iudicio alicuius sapientis,uel aliquorum,ut staretur iudicio illorum tunc nō uideretur necessaria concilii uniuersalis conuocatio, sicut factum est tempore quo Symachus & Laurentius contendebant de papatu, ubi cum neutra pars alteri cedere uellet constituerunt,ut lis iudicio regis Theodorici finiretur. qui Rauennæ positus dum utriusque partis legatos audisset decreuit, ut qui prior ordinatus esset,aut quem maior pars cleri & populi simul elegisset in sede apostolica sederet.ubi uero contendentes nollent se submittere iudicio aliquorum sapientum tunc congregandum foret concilium generale ut de iure electionis discernat & iudicet, quia ut in præfato cap.si forte dicit glo.Concilium est iudex in isto casu. Hic autem insurgit quæstio. Si ambo contendentes essent in possessione papatus ita quòd uterq; pro summo pontifice haberetur a catholicis uiris. uidetur nobis saluo meliori iudicio quòd ambo deberent congregare prælatos suarum obedientiarum ad aliquem locum & ex ambobus congregatis concilium constitutum iudicaret. Si uero præfati contendentes hoc facere nollent, tunc domini Cardinales deberent etiam contradicentibus contendentibus concilium congregare. Vbi uero ipsi nollent aut negligentes forent, ipsi prælati ecclesiæ habentes zelum dei posset se congregare ad incendium ecclesiæ extinguendum, aut ipse Imperator cuius interest ut pax sit in urbe, & fortius in toto orbe, quæ esse non potest stante contentione super summo pontificatu dicente Christo Math.undecimo. Omne regnum in se diuisum desolabitur. Sed de his fortassis aliquid plus dicemus auxiliante domino in sequenti li. ubi de scismate erit sermo. Ad septimam rationem respondetur quòd in illo casu ubi Cardinales ad electionem procedere non uellent iam prouisum est a iure sufficienter in cap. fundamenta de elect. lib. 6.& cap. ne Romani c.10.in clementis. Nihilominus ubi Cardinales fugerent uel deficerent tunc pro maiori securitate uideretur conuocandum uniuersale concilium, & hoc per Imperatorem aut clerum Romanum & ibi prouidendum esset necessitati ecclesiæ, cum in talibus necessitatibus, quæ respiciunt totam rempub. deficientibus ordinariis ad ipsam rempublicam spectare uideatur prouisio. Ad octauam rationem respondetur quòd cum in casu in quo papa factus esset demens dementia incurabili per naturam iudicandus ueniat quasi mortuus cum non possit agere siue exercere actus officio summi pontificatus incumbentes ar.de cle.egro cap.primo libr. 6. Tunc domini Cardinales debent hoc demandare prælatis ecclesiæ & inuitare eos, ut conuenientes in unum consulant quid agendum sit an scilicet alius eligendus sit, cum ecclesia quasi uacare uideatur in præfato casu, uel dandus sit illi adiutor. Ad nonam respondetur sicut ad septimam. Ad decimam uidetur respondendum quòd in casu illo auctoritate papæ concilium conuocandum esset si sine concilio causa illa terminari non pos-

Ad septimum

Ad octauum

Ad nonū

Ad decimum

set, iuxta ea quæ legimus de papa Sixto in c. mandastis 2. q. 6. Et de papa Symacho. §. hinc etiam distin. 17.

Cap. IX. De causis congregationis uniuersalium conciliorum.

POSTQVAM ostendimus qua auctoritate regulariter uniuersalia concilia congreganda sunt, iam uidendum est quibus de causis congreganda ueniunt cum non leui causa, sed pro grauissimis & arduis prælati a suis ecclesiis & euocandi & fatigandi sint. Decursis autem pluribus hystoriis, inuenimus patres ecclesiæ multis de causis conciliariter conuenisse. Primo quidem ut super tractandis & disponendis in uniuersali ecclesia maturius & sanius concilium haberetur. Si enim ut inquit sapiens ecclesiastici 37. ante omnem actum præcedere debet consilium stabile: multo amplius hoc obseruandum est ubi de maximis rebus, & uniuersam rempub. Christianam tangentibus agendum uenit. Ad habendum autem maturum sanumq; consilium super huiusmodi rebus plurimum operatur multitudo sapientum, secundum illud Prouerb. 11. Vbi multa consilia ibi salus. Et ecclesiastici 6. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & maxime hoc obseruatum a patribus legimus in materiis fidei quia in his periculosissime erratur, ut ait beatus August. Hanc causam celebrationis concilii tangit beatus Cyprianus in epistola quam ad Stephanum ipse & synodus quædam scribit dicens. Cyprianus & ceteri Stephano fratri salutem. Ad quædam disponenda & concilii communis examinatione limanda necesse habemus conuenientibus in unum plurimis sacerdotibus cogere & celebrare concilium. Item Theodosius Imperator mandato dato, ut episcopi conuenirent ad celebrandum secundam synodum Ephesinam rationem assignans dicit, quia scilicet Leo papa cogitabat non esse tutum absque sancta synodo & ubique sanctarum ecclesiarum præsulibus huiusmodi quæstionem de fide enodare necessarium duximus uestram conuenire fraternitatem. unde & glo. in c. Anastasius distinct. decimanona dicit, quòd ubi de fide agitur papa debet requirere conciliorum episcoporum, quod potissimum uenit intelligendum quando ipsa fidei quæstio prius non fuerit per ecclesiam per se uel in simili determinata siue diffinita, foretq; tantæ difficultatis, ut papa cum collegio suo non uideret plene quid in ea parte tenendum esset. Et sic in his semper tenenda est illa regula c. de quibus causis distinct. uigesima, ubi Inno. ita consulit, de quibus causis nulla soluendi ligandiq; auctoritas in libris noui & ueteris testamenti uel quattuor euangeliorum in scriptis apostolorum non appareat ad diuina recurrite scripta græca si nec in illis ad catholicæ ecclesiæ hystorias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mittite, si nec in illis sanctorũ exempla perspicaciter recordamini, quòd si in omnibus his inspectis huius quæstionis qualitas non lucide inuestigatur. Senioris prouinciæ congrega & eos interroga. facilius namque inuenitur quod a pluribus quoq; senioribus quæritur, uerus etiam promissor ait. si duo ex uobis uel tres in unũ cõueniunt super terram in nomine meo de omni re. q. p. n. a. p. me. qui in ce. est. hæc ille. Hac de causa beatus Petrus & aliqui apostoli celebrasse leguntur concilium Hierosolymis cum quæstio de obseruatione legalium mota esset

ta esset quæ ibi gratia spiritussancti aspirante diffinita est, ut habetur Act. decimoquinto. Secundo congregata leguntur concilia uniuersalia ad solenniorem & abundantiorem auctoritatem reprobationis hæresum & condemnationis hæreticorum, plane cum de publicis latronibus, & hostibus reipub. uenit iustitia exequenda solitum est tam ad eius pleniorem notitiam quam ad maiorem malefactorum confusionem & aliorum turba aut campana populum conuocare ita conuenienter conuocatur concilium uniuersale quando reprobationis & condemnationis iudicium contra hæreticos exercendum est quorum errores, & potentes habent actores & plures fautores per diuersas orbis partes, qua de causa plura concilia & potissime septem præclara & principalia celebrata leguntur. Quorum primum est Nicenum 318. patrum in quo Arrii episcopi Alexandrini qui tres gradus posuit in trinitate scilicet patrem maiorem, filium minorem, & spiritumsanctum creaturam uel seruum, error condemnatus est. Secundum fuit Constantinopolitanum 150. patrum, in quo error Macedonii Constantini episcopi conuincitur qui negabat spiritum sanctum esse Deum. Tertium est Ephesinum primum 300 patrum in quo Nestorii impietas iudicatur qui dicebat beatam uirginem Mariam non Dei, sed tantummodo hominis genitricem, ut aliam personam carnis, aliam personam faceret deitatis. Quartum concilium fuit Calcedonense 500. 30. patrum in quo error Eutic. reprobatus est, qui asserebat Christum post humanam assumptionem non ex duabus naturis existere, sed solam diuinam naturam permanere. Quintum fuit Constantinum, in quo perfidia multorum hæreticorum condemnatur maxime Theodori Mosothoni qui asserebat alium esse uerbum, & alium Christum. Negabatq; sanctam Virginem Mariam Dei genitricem fuisse. Sextum fuit etiam Constantinum 150. patrum, in quo stulticia Macharii Antiocheni episcopi & sociorum eius, qui unam tantum uoluntatem & operationem in Christo falsa suspitione astruebant confutatur. Septimum concilium est Nicenum secundum 367. patrum, in quo hæresis execrantium Imagines sanctorum in ecclesia dicentium illas nec colendas, nec uenerandas fore abrasa est. Tertio concilia leguntur congregata gratia scismatis extirpandi, sicut octauum concilium uniuersale 300. patrum Constantinopoli celebratum, in quo scisma de depositione Ignatii & ordinatione Focii ortum patres congregati extirparunt. Focium anathematizantes & Ignatium restituentes. Hac etiam ratione legimus Romæ congregatum concilium cum de papatu contenderet Vrsinus quidam cum Damaso papa, in quo confirmato in apostolica sede Damaso. Vrsino depulso sedatum est scisma ut Eusebius in ecclesiastica tradit hystoria. Item eadem ratione cõgregata legitur synodus tempore regis Theodorici, in quo de cõtendentibus de papatu Symacho & Laurentio scisma ortum est quod in cap. Symachus secunda quæst. septima fuit extirpatum. Præterea ætate nostra tribus contendentibus de papatu s. Benedicto 13. & Ioan. 23. & Gregorio duodecimo Synodus congregata est Constantiæ in natione germanica, in quo uno, scilicet Gregorio renunciante si quid iuris habebat aliis duobus depositis, scilicet Ioanne & Benedicto data est pax ecclesiæ. Quarto congregata leguntur concilia ad reductionem, siue confutationem hæreticorum per uiam disputationis, qua de causa tempore, & consensu beati Syluestri papæ, iussu Constantini Imperatoris dicitur Ro-

mæ conuenisse magnum episcoporum conuentum, ut cum iudæis disputaretur de lege utrum scilicet Christianorum fides legi iudæorum præferenda esset ubi longa concertatione expleta cum pro fide Christi erat conclusum augusta Helena cum tribus millibus iudæorum ad fidem Christi côuersa baptismum suscepit. Hac etiam de causa diebus nostris congregata est synodus Basilien. pro reductionem Bohemorum ubi data Bohemis licentia disputandi & dicendi libere quicquid uellent in defensionem errorum suorum assignatisq; per synodum quattuor doctoribus catholicis qui in publica congregatione illis responderent longissima concertatio facta est nobis ibi semper præsente. sed quanquam manifestissime conuicti essent, fóretq; condescensum illis in multis gratia lucrificandi eos. nihilominus recesserunt peccatis eorum promerentibus ita sordidi sicut uenerunt. Hac etiam de causa congregata est Florentiæ synodus amplissima diebus nostris sub sanctæ memoriæ Eugenio pro reductione græcorum ubi interfuit Imperator græcorum, et patriarcha Constantinopolitanus cum multis aliis prælatis orientalis ecclesiæ, ubi operante Saluatore nostro qui uera pax est sublato de medio pariete qui occidentalem orientalemq; diuidebat ecclesiam unio & concordia côclusa est inter eos licet heu ab omnibus in partibus orientalibus non fuerit acceptata. Quinto concilia leguntur congregata cum ecclesia habet magnos & potentes hostes & perturbatores. Tunc enim summus pontifex ecclesiæ princeps, ac rex regum terræ Dei Vicarius solitus est congregare conuentum patrum & principum ecclesiæ, de quibus in psalm. Constitues eos principes super omnem terram ad punitionem illorum. Hac de causa Gregorius tertius cum Imperatorem Leonem huius nominis tertium hæreticum incorrigibilem comperisset super depositione Imaginum Christi & beatæ uirginis ac sanctorum quas omnes destrui ac incendi fecerat in urbe Constantinopolitana, congregato concilio Romæ quasi mille episcoporum Romam & Italiam totam ab eius obedientia & potestate discedere fecit & uectigalia interdixit & illum anathematizans uenerationem Imaginum confirmauit. Item hac de causa Gregorius septimus contra Imperatorem Henricum huius nominis 3. quia Romanæ ecclesiæ scindere unitatem moliebatur, congregauit Romæ concilium 110. episcoporum & illum ibi excommunicauit. Item hac de causa Innocentius quartus Imperatorem Fredericum huius nominis 2. ecclesiæ hostem rebellem. contumacem & incorrigibilem comperiens concilium congregauit Lugduni & ibi illum ab Imperio deposuit. Sexto legitur congregatum uniuersale concilium gratia supernæ reuelationis impetrandæ a Deo super arduis in ecclesia constituendis. Hac de causa congregata legitur synodus prima ab apostolis, ut scilicet quis ad integritatem apostolici collegii loco iudæ proditoris assumendus esset orationibus a Deo cognoscerent. unde dicitur act. 1. Et statuerunt duos sanctus Ioseph, qui cognominatus est iustus & Mathiam & orantes dixerunt. Tu domine qui nosti corda hominum ostende quem elegeris, &c. Septimo congregata leguntur concilia cum magna imminet Christianæ reipub. necessitas aut persecutio cui non nisi a totius ecclesiæ auxilio subueniri posset. Hac quidem causa inter alias maxime Vrbanus secundo audiens ciuitatem sanctam Hierusalem ab infidelibus captam in Christiani populi dedecus, & confusionem concilium generale conuocat in Claromonte Aluerniæ,

&in

& in subsidium illius passagium tansmarinum ordinatur. Octauo leguntur concilia congregata ad maiorem firmitatem fidei, & acceptationem plenariam tam constitutionum quàm diffinitionum factarum in præcedentibus conciliis unde post Nicenam synodum congregata est Romæ per beatum Siluestrum synodus 277. patrum in qua roborata est fides synodi Nicenę, & Arrius condemnatus: in qua sic ait beatus Siluester. Quicquid in Nicena synodo constitutum est: ad robur sanctæ matris ecclesiæ catholicæ, & apostolicæ a sanctis sacerdotibus 318. nostro ore consortes firmamus: & omnes qui ausi fuerint dissoluere diffinitionem sancti magni concilii quod apud Nicenam congregatum est sub præsentia piissimi, & uenerandi principis Constantini Augusti anathematizamus: & dixerunt omnes episcopi placet. Item sexta synodus apud Constantinopolim celebrata ut habetur distin. 16. cap. quoniam, sic inquit. Confirmamus & ceteros, scilicet sanctorum patrum canones, & synodos, scilicet Nicenam Anthiritianam Antiochenam &c. Nono congregata leguntur concilia gratia inquirendę ueritatis super suspitione hæresis orta de Romano pon. Hac de causa congregatum legitur concilium tam tempore Symachi papæ de quo in. §. hinc etiam dist. 16. quàm tempore Marcellini papæ quæ sacrificauerat Idolis, de quo in cap. nunc autem dist. 21. Decimo congregatum legitur concilium purgationis gratia quam papa uoluit facere, ut quia si infamia fuit publica purgatio etiam omnibus nota esset. Hac ratione Damasus papa, & Leo quartus, & Sixtus Roma. pon. bonę famæ suæ curam gerentes ad sedandũ scandalum concilia congregasse leguntur: sicut de beato Damaso habetur 2. quæst. 7. nos circa finem. De Leone 4. habetur 2. quæst. 5. omnibus, circa finem. De Sixto Papa in cap. mandastis 2. quæst. 7. Vndecimo congregandum uenit uniuersale concilium: quando uehemens dubitatio curreret de iure electionis alicuius in summum ponti. iuxta glo. in cap. si forte duo distinctio. 79. hac de causa plura congregata sunt concilia a sanctis patribus quæ supra gratia extirpandi scismatis descripsimus. Duodecimo concilia aliquando celebrata leguntur: & celebranda rationabiliter ueniunt: ad efficaciorem ac solenniorem, & uniuersaliorem reformationem ecclesiæ fiendam. quanquam enim summus pontifex pro singularitate principatus sui omnem legem condere & dare posset toti ecclesiæ iuxta cap. sunt quidam 25. quæst. prima. Nihilominus sæpe (& hoc rationabiliter) patres ecclesiæ synodaliter conuocat ut leges ad reformationem pertinentes condendę illorum concilio, & approbatione formatę plus habent auctoritatis, & apud fideles acceptabiliores fiant. Hac de causa plura sunt congregata concilia, in quibus canones continentes plura utilia ad correctionum uitiorum, ad componendos mores, ad honestatem uitæ, ad pacem populi Christiani sunt instituti. Ex quibus pro magna parte corpus decreti conflatum est: intra quæ est synodus illa singularis quam Romæ Gregorius septimus celebrauit ad reformationem ecclesiæ: in qua anathematizauit symoniacos, clericis uxorem habentibus interdicit diuina: laicis eorum missas audire prohibuit, & inuestituras ne a laicis susciperent sententiam excommunicationis adhibuit.

Cap. X. De utilitate celebrationis conciliorum.

QVANQVAM ex supradictis satis perspicuum sit ꝙ plurimũ utilitatis afferat sanctæ ecclesiæ ipsa uniuersalium conciliorum celebratio:nihilominus ad pleniorem huius rei notitiam aliqua quasi repetentes ex præcedenti c.dicimus maxime ualere ad sex. Primo quidem ualet celebratio uniuersalium conciliorum ad conseruandam Christianam religionem in unitate fidei quæ primum uinculum est societatis Christianæ,ut dicit beatus Chrysostomus. Hanc utilitatem conciliorum uniuersalium assignat beatus Isido.in ca.canones dist.15.ita dicens. Canones generalium conciliorum a temporibus Constantini imperatoris ceperunt. In præcedentibus namque annis persecutione feruente docendarum plebium minime dabatur facultas.unde Christianitas in diuersas hæreses scissa est: quia non erat eis licentia conueniendi in unum: nisi tempore supradicti imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregari. Item hac de causa Martianus imperator scribens ad omnes ubique terrarum episcopos,ut ad synodum calcedonen.ueniant,ita ad propositum loquitur. Omnia ad ueram fidem & Christianam orthodoxam religionem tunc præponenda aliis rebus existimauimus. Deo.n.propitio existente,& nostrũ imperium,& communes causas meliores fore contendimus. Quia ergo dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt:sicut indicant etiã litteræ sanctissimi archiepiscopi felicissimæ ciuitatis Romæ,placuit nobis propere sanctum concilium fieri quatenus concordantibus patribus,& ueritate examinata,& uacante omni studio quo quidam iam abusi religionem turbauerunt orthodoxam uera atque saluberrima fides sit omni mundo manifestissima,& de cetero omnis quæstio, & dubitatio auferatur, & infra quisquis enim in generalem futuram synodum & omni mundo utilem peccat equidem contra Deum & diuinitatem nostram offendit,hæc ille. Secundo ualet ad faciliorem,& firmiorem illucidationem ueritatis in dubiis. faciliorem quidem,quia quod a pluribus sapientibus quæritur facilius inuenitur,ut ait Inno.in cap.de quibus distin.20. Firmiorem etiam dicimus quia tanto firmius siue grauius est iudicium quanto plurium sententiis cõfirmatur,& approbatur assensu.unde in ca.extra conscientiam dist.64.dicit Inno. Integrum iudicium est quod plurimorum sententiis confirmatur.unde beatus Aug. dicit lib.primo de bapt.contra donatistas antiquos patres fluctuasse in fide quousque totius orbis concilio firmarentur. Ait enim sic. Iam ne uidear humanis argumentis illud agere quoniam quęstionis huius obscuritas prioribus ecclesiæ temporibus ante scisma donati magnos uiros, & magna charitate præditos patres episcopos ita inter se compulit salua pace disceptare atque fluctuare,ut conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta mutarent donec plenario orbis concilio quod saluberrime sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur,hæc ille. Hinc etiam Theodosius imperator scribens Dioscoro archiepiscopo Alexandrino.ut conueniret cum suis metropolitanis Ephesi sine dilatione sic inquit,festinesque cum uniuersis sanctis episcopis quos cõuenire per sacras nostras epistolas sanximus ad prædictã ciuitatẽ,& subtilissime inuestigãtibus,& quærentibus omnis de medio error cõtrarius auferatur:catholica aũt doctrina & orthodoxa fides solidetur,& quiete fulgeat ꝙ uniuersi in posterũ inconcussum,& intemeratũ custodiant. Plane cum congregatio tãtorum patrũ ecclesiæ quibus ait dominus in euangelio Mat.5.uos estis lux

mundi

mundi.nil aliud uideatur esse quàm multorum luminarium cógregatio.bene facit ad illuminationé populi Christiani,& decorem uniuersalis ecclesię synodalis patrum congregatio. unde bene conuenit proposito illud eccle. 43.species cœli.i.ecclesię gloria,stellarum.i.doctorum,mundum illuminās ubi glo.ordinaria ita dicit. Species cœli.i.ornatus ecclesiæ, sanctorum plenitudo quos Deus excelsus ordinauit,ut prædicatione euangelii mundum illustrarent. Tertio conciliorum uniuersalium celebratio utilis est ad culturá agri dominici,ut canon concilii Constantien.dicit frequens.Sunt quidem patres in concilio congregati ministri operarii agricolæ de quo dominus ait Ioan.15.pater meus agricola est,quorum ministrorum officiū est errorum uepres de agro dominico euellere,plantare fidem,& euulsis uitiorum radicibus uirtutes inserere.unde dominus Hieremię in figuram Romani pontificis qui congregator,& director conciliorum uniuersaliū est uidetur dixisse illud Hiere.primo.Ecce constitui te super gentes , & regna , ut euellas,& destruas,& disperdas,& dissipes, ædifices,& plantes, ut testatur papa Inno.in cap.solite,extra de maio.& obe.unde Adrianus papa loquens patribus in concilio quod Romæ congregauit:ita ait ad propositum.Cum debeamus ó fratres,& filii dilectissimi dominici agri strenui,& fideles esse cultores,& spiritalibus ad purgasionem ipsius cœlestium præceptorū uti ligonibus oportet ut siqua in eo spinosa siqua germinare uenenosa conspicimus pari labore unanimique zelo hæc radicitus extirpare studentes arripiamus examinis rostrum,& falcem iudicii concordi sententia proferamus ne quæso in nos exprobranter dicatur.Messis quidem multa,operarii aūt pauci:hæc ille.Quarto celebratio conciliorum uniuersalium utilis est ad tyrannorum,& infidelium superbiam humiliandam plurimū profecto ut intelleximus a fide dignis qui fuerunt infideles in orientalibus partibus,scilicet.Turci atterrentur audientes apud Christianos uniuersalia concilia congregari,& ita faciunt ubicunque latitent,& hoc rationabiliter: quoniā ecclesia Dei ut dicitur Cantico.6.Terribilis est ut castrorū acies ordinata.Castra sunt doctores patres ecclesię cógregati quibus tanquā militibus Christi,& propugnatoribus munitur protegitur,& defensatur ecclesia.De quibus dicitur Zacha.9.Circundabo domū meam.i.ecclesiam ex his qui militant mihi,uidelicet prælatis doctoribus,& principibus fidelibus qui eā defendendo Christo militare prohibentur.unde Paulus apostolus scribés Thimotheo ait.labora sicut bonus miles glo.in prædicando euangeliū contra hostes ad Thim.2.ca.2.Quinto celebratio conciliorū est utilis ad refrenādum exorbitantias quorundam pontificum qui pontificatū suū aut spretis sanctorū patrum regulis pro uoluntate exercent aut symoniaca prauitate dehonestant aut seculi uanitate,& uita scandalosa confundunt. huius causā cógregatum legitur concilium episcoporū Italiæ Romæ per imperatorem cótra Ioanné papā duodecimum qui uenator,& lubricus publicus,& incorrigibilis erat. ut enim ait Hormisda papa in epistola decretali ad episcopos per hyspaniam constitutos difficile est ut cuiusquam cor sic prauis cogitationibus induretur,ut in se patiatur culpandus fieri cum nouerit se iudiciis subeundum concilii. Sexto ualet uniuersalium conciliorum celebratio ad omnium quasi scandalorum quæ suscitantur in ecclesia extinctionem. Istud plane ut priora exempla nos docent,ultimum refugium ecclesiæ in omnibus magnis angustiis suis,sicut in præcedenti cap.exemplariter deductum

papa sanctæ sedis assuit, pro qua huius formæ sequens consuetudinem nos direxit: qui sanctissimus non dubitans se in his adesse quos præcipue cognoscit omnia quæ ad fidei catholicæ sinceritatem, & quæ ad sancti Petri apostoli pertinent reuerentiam agere quæ etiam per nos ad uestram beatitudinem congruas sanctorum patrum conciliis direxit epistolas quas recipere, & recenseri percipite. Hoc autem quòd præsentia Romani pontificis, non necessario requiritur in conciliis uniuersalibus sed bene eius auctoritas, satis uidetur aperte colligi ex eo quòd forma auctoritatum sanctorum patrum de quibus distinct. 17. per totum, superius inductarum in cap. 6. non habet quòd absque præsentia Romani pontificis non debeant uniuersalia concilia celebrari, sed bene quòd absque eius auctoritate aut sententia celebrari non debent, & hoc bene ostendit glo. decreti in cap. 1. dist. 17. ubi distiniens concilium uniuersale dicit illud esse quod a papa uel eius legato cum omnibus episcopis constituitur, id est celebratur. huiusmodi uero consuetudinis quia antiquis superioribus temporalibus summi pontifices præsentialiter non intererant uniuersalibus conciliis maxime tempore quo imperatores plurimum dominabantur in orbe: triplex ratio assignari potest. Prima ne Romanis pontificibus inferretur aliqua uiolentia in conciliis per imperatores aut alios tyrannos, sicut de papa Felice legimus: quòd quia celebrato concilio excommunicauit Vrsacinum, & Valentem Constantino imperatori in perfidia arriana consentientes depulsus de sede, & ab ipso imperatore decollatus: martyrio coronatus est. Similisque uiolentia legitur facta in secundo synodo Ephesina legatis apostolicæ sedis ubi Fabianus qui uices beati Leonis papæ agebat interfectus fuit. Secunda ratio, ut Romanus pontifex qui solitus est uniuersalium conciliorum confirmare sententias, & canones, ut infra ostensuri sumus ex gestis conciliorum cum plena libertate quæ plurimum est necessaria in hac parte in propria sede existens quæ sibi confirmanda uiderentur confirmaret, & quæ non confirmanda essent libera potestate uacua auctoritate relinqueret aut cassaret. Tertia ratio est propter necessitates incumbentes tam ecclesiæ quàm ciuitati Romanæ: quibus Romani pontificis pręsentia maxime est præsidio, & auxilio. Hanc rationem assignat Leo papa patribus in concilio Calcedonensi congregatis sic loquens de imperatore Martiano. Amplectendum est clementissimi imperatoris plenum religione consilium quo sanctam fraternitatem uestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandum ecclesiasticam pacem maluit conuenire beatissimi Petri apostoli iure atque honore seruato adeo ut nos quoque ad hoc inuitaret ut uenerabili synodo nostram sententiá præbeamus: quod quidem nec necessitas temporis nec ulla poterat consuetudo permittere: me tamen in his fratribus, hoc est Paschasio, & Licentio episcopis, Bonifacio, & Basileo presbyteris qui ab apostolica sede directi sunt synodo uestræ, uestra fraternitas confidat præsidere nec iniunctam uobis præsentiá meam existimet. Item præfati legati ad synodum præfatam ita dixerunt. Notum est nempe ad hoc amabili concilio ad beatum, & apostolicum, & catholicum papam Leonem sacras esse litteras destinatas quæ habent, ut huic sacro concilio se præsentare dignaretur: sed quoniam nec antiqua consuetudo neque generalis, temporis necessitas permitteret nostram paruitatem huic sancto concilio pro se pręsidere præcepit. Ideoque ne-

cessarium est hæc quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari.

Cap. XII. Qui ad uniuersalia concilia necessario uocandi sunt.

CAVSIS & utilitatibus celebrationis generalium conciliorum iam explicatis. Inquiramus qui ad generalia concilia sint euocandi. In qua quæstione dicendum est solos ecclesiæ prælatos maiores necessario ad illa uocandos esse. Quod primo multis patrum testimoniis ostendemus. Secundo rationibus. Primo hoc colligitur ex illa diffinitione concilii generalis quam ponit glossa in cap. 1. distinct. 17. ubi dicitur. Concilium uniuersale est quod a papa uel eius legato cum episcopis celebratur. Item hoc ostenditur ex canonibus ubi de synodis uniuersalibus antiquis fit mencio: in quibus omnibus soli episcopi uidentur nominari. unde in cap. omnia distinct. duodecimo dicit beatus August. Omnia talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur: nec in conciliis episcoporum statuta inueniuntur. Item in cap. canones dist. 15. habetur quòd prima synodus, scilicet Nicena fuit 318. episcoporum. Secunda. s. Cōstantina fuit 150. episcoporum. Tertia quæ fuit prima Ephesina 200. episcoporum. Quarta quæ fuit Calcedonen. fuit 500. & 30. sacerdotum: quod exponendum est, id est episcoporum: quia hi ut habetur, infra patres uocantur: patres autem conciliorum soli episcopi dicuntur ut patet eadem di. ca. Sancta Romana, & in c. sexta synodus di. 16. ubi patres uocantur qui in ca. canones, nominati sunt episcopi, & hoc conuenientissime: quia ita a spiritu sancto nominati leguntur psal. 44. ubi ità inquit ecclesiæ militanti. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, ubi glo. Hiero. de episcopis hoc exponens inquit. Fuerunt in ecclesia apostoli patres tui: quia ipsi te genuerunt. nunc autem quia ipsi recesserunt a mundo habebis pro his episcopos qui a te creati sunt. Sunt enim ut hi patres tui quia ab ipsis regeneraris. Item huius testimonium colligitur apertissime ex cap. synodum dist. 17. ubi beatus Marcellus papa synodum uniuersalem uocat synodum episcoporum. Item hoc habetur expresse ex illo quod in gestis Calcedonen. concilii legitur quòd catholici episcopi uidentes quosdam ægiptiacos non episcopos qui de Alexandria cum Dioscoro hæretico calcedoniam uenerant tentantes interesse concilio clamauerunt dicētes quòd concilium episcoporum esset & alii expelli deberent. Ceterum hoc etiam arguitur ex eo quòd Leo Papa Ephesino concilio scribens postquam de Euticis errore, & suorum complicum locutus est sic subiunxit: uerum quia & talium non est intelligenda curatio pie ac religiosæ Christianissimus imperator habere uoluit episcopale concilium ut pleniori iudicio omnis posset error aboleri. Item in epistola quam Christianissima pulcherrima Augusta ad consulem bitiniæ stratigium ut curam haberet circa disciplinam synodi perhibendam antequam placeret ei & patribus de Nicena ad Calcedoniam mutare concilium sic dicitur. Quidam autem sicut agnouimus cum sint soliciti conturbare, & confundere Deo placitam disciplinam superuenientes in Nicena clerici ac monachi ac laici tumultus facere tentant necessario has pias

lis.

litteras ad tuam direximus claritatem: quatenus cum omni uirtute eos qui præter nostram euocationem aut permissionem suorum episcoporum ibidem commorantur: clericos monachos atque laicos quos nulla ratio ad concilium uocat omnino ualeas remouere & ab ipsis locis expellere, hæc ibi. Item ut habetur in prima actione Calcedonen. synodi Abbas Martinus requisitus ab Euchico, ut se subscriberet in gestis concilii Ephesini non acquieuit dicens, non est meum subscribere: episcoporum tantum est & eorum qui digni sunt, Præterea secundo loco clarissime demonstratur rationibus, solos episcopos, siue prælatos maiores necessario conuocari debere ad concilia uniuersalia. Primo sic. Illi soli ueniunt necessario conuocandi ad uniuersalia concilia cum quibus tractanda ueniunt quę uniuersitatem Christiani populi respiciunt qui constituti singulariter leguntur Christiani populi principes, & rectores, patet hoc quia statuere corrigere, & reformare cum sint actus iurisdictionis, ut de re. eccle. non ali. cap. si. ad superiores pertinent, sed episcopi soli sunt huiusmodi, ut patet ex auctoritate inducta prophetę cum gloss. psalm. 44. Constitues eos principes super omnem terram. ergo ipsi soli episcopi ad uniuersalia concilia ueniunt uocandi. Secundo sic confirmando rationem iam factam. Illi ueniunt solum uocandi necessario super rebus uniuersitatis qui maiores sunt de uniuersitate, cum uniuersitas ipsa tota conuocari non possit: quia in maioribus minores contineri uidentur, ut notatur extra de his quæ fi. a ma. par. cap. quasi per totum, sed episcopi soli sunt huiusmodi in Repu. Christiana, unde patres ecclesiæ uocati sunt: ut in cap. canones distinct. 15. & columnæ ecclesiæ Dei, & legati, & apostolorum successores, ut ait Anacletus in cap. accusatio 2. q. 7. ergo ipsi soli necessario &c. Tertio sic. Illi soli ueniunt ad uniuersale concilium uocandi quibus specialiter a Christo credita est potestas judiciaria in causis discernendis, patet, sed episcopi soli qui apostolorum sunt successores eorum loca tenentes in ecclesia sunt huiusmodi, iuxta cap. in nouo distinct. 21. ergo &c. quibus solis dictum est Math. 18. Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata, & in cœlis. ergo hoc idem quod prius. Quarto sic. Illi soli uidentur uocandi necessario ad uniuersale concilium qui ex iuramento tenentur ad illud uenire, & quibus pœna iuris uenit infligenda si uenire contemnant, sed soli episcopi sunt qui ad uniuersale concilium uocati iurant uenire: ut in cap. Ego. n. extra de iureiuran. Ipsi etiam sunt quibus uenire negligentibus pœna infligitur, ut ca. placuit dist. 18. ergo ipsi soli uidentur necessario uocandi. Quinto abbates, & alii inferiores prælati non sunt necessario uocandi ad concilium prouinciale: nec tenentur ad illud uenire: nisi ex aliqua magna causa, & specialiter uocati: sed archiepiscopus, uel episcopus infra sex menses tenetur omnibus abbatibus prouinciæ suæ uel diocesis denunciare, ut ea seruent quæ in concilio statuta sunt, ut in ca. si episcopos, & in c. discernimus di. 18. ergo multo minus euocandi ueniũt ad uniuersale concilium, consequentia est manifesta. Sexto sic. si inferiores prælati essent necessario uocandi ad concilium uniuersale sequeretur q ipsius non uocatis redderetur concilium siue synodus nulla, sed hoc est manifeste falsum. ergo illud &c. Septimo sic. Si inferiores prælati essent de necessitate uocandi ad concilium uniuersale, ut habentes uoces diffinitiuas sequeretur q cũ ipsi essent plures numero quàm episcopi, si differẽtia

esset inter eos, & episcopos tota auctoritas synodi uniuersalis deueniret siue reuolueretur ad interiorum uota prælatorum: cum a maiori parte concluderetur: sed hoc absurdum, & inconuenientissimum esset. ergo illud etiam ex quo sequitur. Octauo non parum fauet proposito quòd prælati maiores iuxta theologorum sententias superiores angelos habent custodes & illuminatores, & per consequens illorum iudicia maiori, & pleniori, credenda sunt firmari ueritate, & auctoritate.

Cap. XIII. In quo ponuntur obiectiones contra iam dicta.

ADVERSVS ea quæ iam de euocandis ad uniuersalia concilia dicta sunt, ab aduersariis multipliciter obiicitur. Primo ex illo Actuum 15. in synodo per apostolos celebrata hierosolymis dicuntur tam apostoli quàm seniores conuenisse, & ita uidetur quòd ad concilium uniuersale non solum episcopi, & qui loco apostolorum sunt, sed etiam presbyteri qui ibi uidentur dicti seniores uocandi sunt. Secundo sic ex cap. conuenientibus prima quæst. 7. ubi quædam Petrus archidyaconus, & quidam Petrus presbyter, & quidam abbas interfuisse dicuntur secundæ synodo Nicene tenentes locum Adriani papæ. Tertio ex cap. Adrianus dist. 63. episcopis religiosis, & abbatibus. Quarto ex c. sequenti in synodo ea. dist. ubi synodo celebrate Romæ sub Leone papa dicuntur interfuisse totus clerus, & populus Romanus. Item quinto sic obiiciunt presbyteri curati sunt prælati, & habent curam animarum sicut episcopi, & sicut præsidet episcopus in suo episcopatu: ita archidyaconus in archidyaconatu suo, & curatus in parochia sua. ergo uidetur quòd ipsi ita sint uocandi ad concilium sicut prælati maiores, & confirmatur ex cap. concilia distinct. 17. ubi concilia dicuntur synodi sacerdotum, & in §. hinc etiam ea. di. dicitur quòd imperator sacerdotes conuenire præcepit ad urbem. Sexto. Domini cardinales presbyteri, & dyaconi non sunt de numero prælatorum maiorum ut colligitur tam ex textu quàm ex gloss. capit. quanquam 2. q. 7. & tamen si uerum est quòd soli prælati maiores uocandi essent necessario ad concilium uniuersale. Cardinales præfati non uenirent uocandi quod uidetur esse falsum. Septimo sic. Vbi est eadem ratio ibi uidetur esse idem ius, sed causa & ratio quare in antiquis conciliis soli episcopi uocabantur erat ex eo quòd in fide, & doctrina religionis Christianæ amplius essent eruditi, & in moribus plus compositi: ac in regimine subditorum plenius circumspecti: sed hæc quandoque, & frequenter concurrunt abundantius in aliis prælatis inferioribus: in doctoribus. & eruditis religiosis, abbatibus, prouincialibus, ministris atque prioribus. ergo uidetur quòd tales eodem iure uocandi essent. Octauo. Quæ in uniuersali concilio agenda sunt omnes fideles uidentur respicere, & tangere. ergo uidetur ut ab omnibus approbentur quæ in eis cōstituenda sunt & oēs debeant conuocari cum regula iuris sit. Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. Nono Concilium uniuersale reprę sentat uniuersalem ecclesiam, sed uniuersalis ecclesia dicitur collectio omnium fideliū ut in ca. ecclesia, de conse. distinct. prima ergo uidetur quòd ad hoc quòd tale concilium ueraciter uniuersalem ecclesiam reprę sentans recte celebretur

Arg. primum / Secundū / Tertium / Quartū / Quintum / Sextum / Septimū / Octauum / Nonum

breturzomnes fideles,aut ſaltem de quolibet ſtatu aliqui:debeant neceſſario ad illud uocari. Decimo arguitur quòd in concilus uniuerſalibus primis leguntur non modo epiſcopi ſed etiam monachi, & presbyteri, & etiam laici ſubſcripſiſſe,ſicut poteſt colligi ex ſexta,& octaua ſynodo.ergo uidetur ita eſſe obſeruandum in aliis. Decimũ

Cap. XIIII. In quo ponitur ſolutio ad obiecta ſacta.

VT plenior habeatur ueritatis notitia,& clarius ſatisfiat obiectionibus factis ex aduerſo. Conſideranda ſunt quæ in ſuperioribus tetigimus, ubi deſcripſimus concilium uniuerſale, ſynodus uniuerſalis congregatur principaliter ad ordinandum auctoritatiue aliquid in eccleſia Dei.& quia ad hoc recte faciendum neceſſario præire oportet maturum conſilium:quoniam ut dicit quidam ſapiens. Diu deliberandum eſt quod conſtituendum eſt ſemel. Hinc duæ uoces diſtinguuntur in concilio,ſcilicet uox conſultoria ſiue conſultiua,& uox deciſiua ſiue diffinitiua. prima uox eſt proprie eorum qui prudentia præcellunt:quæ mater eſt cóciliorum,& ſapientia ad altiſſimarum rerum quę in conciliis uniuerſalibus ſæpe conſiderandæ ueniunt cognitionem illuſtrat. Secunda uox eſt eorum qui poteſtate clauium auctoritatem in eccleſia ſuperiorem tenent,& quoniam prælati maiores in eccleſia utrunque habent utpote qui apoſtolis ſuccedunt:quibus dominus ait Math.18.quæcunque ligaueritis ſuper terram &c.Ipſi ergo de iure conuocandi ſunt ad uniuerſale concilium utpote quibus ex officio conuenit intereſſe:quod nulli alii licitum eſſe uidetur quoniam ut in cap.ſatis euidenter dicitur diſt.96. Illicitum nanque eſt eũ qui non ſit in ordine ſanctorum epiſcoporum eccleſiaſticorum intereſſe tractatibus, & ſunt uerba Theodoſii imperatoris ſanctæ ſynodo Epheſinæ ſcribentis. Secundo conſiderandum quòd licet prælati maiores uocandi ſint de iure ad concilium uniuerſale,poſſunt etiam alii uocari per ſummũ pontificem ad uoces conſultiuas,qui aut pro ſingularitate prudentiæ eorum & experientia in agendis dubiis occurrentibus, aut doctrina diuini uel humani iuris Idonei quemadmodum multi magiſtri,& doctores excellentes in eccleſia ſunt.ſiue ſint ſeculares ſiue religioſi qui non ſunt prælati,quemadmodum non tantum factum tempore præterito legimus, ſed etiam in diebus noſtris tam in concilio Conſtantien. quàm Baſilien.uidimus practicatum quibus interfuimus :quod etiam opportunum erit continuare plus uel minus ſecundum cauſas propter quas congreganda ueniunt talia concilia, & hoc quia in his noſtris diebus prochdolor multi domini epiſcopi ſiue prælati maiores nó tanta prudentia,& ſapientia ſplendent, quanta pro ſingularitate dignitatis qua ceteris eminent refulgere deberent, & ita hoc modo plures non prælati uocantur ad conſiliandum ſuper rebus agendis uel inquirendis ueritatibus ad concilium uniuerſale qui de iure nec uenire nec intereſſe habent, & tales ſolam uocem conſultiuam habere debent:epiſcopi uero & conſultiuam, & deciſiuam. Non negamus tamen quin papa uocans aliquas perſonas notabiles inferioris ſtatus ad concilium uniuerſale: utputa prælatos minores aut alias perſonas doctas: poſſet illas gratioſe honorare dando eis auctoritatem ut

etiam habeant uocem diffinitiuam cum episcopis, sicut forte factum est cũ abbatibus,ut in cap.Adrianus & in cap.in synodo distinct.64. Sed hoc nec regulariter fiendum est,ne ex consuetudine prætendant ius habere in diffinitionibus uniuersalis concilii, nec etiam cum multis hoc agendum est: alias iudicio nostro:saluo semper meliori:plura inconuenientia sequi possent.Primum est quia ut dictum est in præcedenti ca.frequenter contingeret ut iudicium uniuersalis ecclesiæ non ad uota dominorum maiorũ prælatorum sed inferiorum reuolueretur , & tota uniuersaliis concilii auctoritas sederet apud inferiores , & minores in ecclesia: quod quantum esset periculosum & quàm absurdum unusquisque bene doctus,& sanus mente intelligit. Intelleximus tamen cum in Basilien . concilio fuimus quosdam nouellos magistros non ætate sed doctrina ad hoc summa uiolentia intendere :cognoscentes quòd admissis nouellis doctrinis eorum de auctoritate conciliorum & admissione inferiorum prælatorum ad uoces diffinitiuas,maior pars ecclesiæ esset semper apud eos quotienscunque celebrarentur uniuersalia concilia : a quo periculo dignetur ecclesiam suam sanctam Christus custodire . Secundum inconueniens quod sequeretur si alii quam episcopi admitterentur in multitudine ad uoces diffinitiuas est.Quia hoc dato esset in potestate unius principis in cuius terra celebraretur concilium uniuersale diffinire quicquid uellet in concilio : siue aduersus papam: siue clericum:siue alios principes seculares , cum mittere posset tot doctores magistros, & abbates presbyteros curatos qui supergrederentur multitudinem episcoporum. Practicam hanc sacrilegam partim oculis nostris aspeximus dolenter in Basilien.concilio . Quid autem hoc magis inimicum fidei, & unitati ac paci ecclesiæ esse potest ? plane nihil. Præterea tertium inconueniens quod sequeretur est.quòd si inferiores prælati in conciliis uniuersalibus haberent uoces diffinitiuas quemadmodum domini episcopi,iã in regimine uniuersalis ecclesiæ inferiores æquarentur superioribus quod nec natura patitur nec ratio admittit:nec dispositioni diuinæ consonare potest. Tenendum est ergo , & diligenter obseruandum ut ad concilium uniuersale non nisi prælati ad uoces diffinitiuas regulariter admittantur,his habitis ad rationes iam deueniendum est. Ad

Ad primũ primam respondetur negando consequentiam si ex illo uellet aduersarius arguere quòd seniores illi qui cum apostolis conuenisse dicuntur habuerit uoces diffinitiuas in illo concilio:maxime quia seniores illi qui etiam ibi dicuntur presbyteri dubium est an fuerint laici uel sacerdotes , cum glo. super uerbo presbyteros,dicit ætate uel gradu. Sciendum ergo uidetur quòd seniores illi licet conuenerint cum apostolis in concilio consultando. nihilominus determinatio , & diffinitio facta fuit per apostolum Petrum.Nam ut ait Hiero.in epistola ad Augu. Petrus princeps fuit illius decreti. unde glo.super uerbo,tacuit omnis multitudo , dicit concordans Petro.Et ita etiam exponit magister Nicolaus de Lira , nec obstat quod sequitur:uisum est spirituisancto,& nobis quia hoc non arguit quòd omnes habuissent in decreto auctoritatem diffiniendi:quod solis maioribus conuenit:sed bene ꝙ omnes concurrerint in consultando,& discernendo quid conueniebat. Præterea nec obstat ꝙ in persona omnium scripta legatur epistola quam ad fratres Antiochiæ existentes mittebant,quoniam ut ibidem dicit gloss.& commemorat dominus Hugo cardinalis in expositione,

Idem

Ideo titulus communis ponitur in epistola ne aliquo dissensionis occasio relinqueretur, id est ut daretur intelligi ꝙ omnes in illa sententia conuenirent ratione cuius communis sensus nomine omnium scripta est epistola illa, non autem ex hoc quòd omnes habuerunt uoces diffinitiuas in illo concilio. Ad secundam rationem respondetur quòd tex. præfatus nõ est ad propositum: quoniam illi dicuntur ibi a papa missi tanquam eius legati ut locum eius tenerent in concilio hoc autem fieri bene potest auctoritate papæ quemadmodum etiam alii etiam minores ut dyaconi loca tenere possunt aliorum patriarcharum in conciliis, ut colligitur in cap. præcipimus dist. 92. quod est factum in sexta synodo, & ex cap. 1. 94. dist. quod est Symachi papæ. Ad tertiam respondetur negando consequentiam: quia licet abbates leguntur interuenisse in præfato concilio generali cum episcopis: differenter tamen, primo quia episcopi sunt hi qui de iure & officio interesse debebant, abbates uero sunt hi qui de gratia summi pontificis uocabantur. Secundo quia in concilio episcopi habebant uoces consultiuas, & diffinitiuas, abbates uero consultiuas tantum: uel si etiam diffinitiuas hoc erat ex beneplacito Romani pontificis quod fieri potest sicut supra diximus. Ad quartam dicitur quòd nullo modo facit ad propositum: quoniam clerus totus, & populus non est uocatus ad consulendum siue diffiniendum aliquid synodaliter: sed ad hoc ꝙ ipsius præsentibus, & gratum habentibus Leo papa cum maiori solennitate daret regi Carolo patriciatus dignitatem, & ordinationem apostolicæ sedis, & ita non est ad propositum. Ad quintam respondetur negando assumptum. non enim uidetur concedendum iuxta sanctum Thom. tam in 2. 2. quam in quotlibetis, & ut nos supra induximus lib. 1. huius nostræ summæ cap. 78. quòd archidyaconi, & presbyteri curati ita prælati ueniant dicendi sicut episcopi, quia episcopi sunt qui principaliter habent curam populi: presbyteri autem uel archidyaconi habent aliquas subministrationes sub episcopis. unde super illud primæ Corinth. 12. alii opitulationes alii gubernationes, dicit gloss. sic opitulationes, id est eos qui maioribus ferunt opem, ut Titus Paulo uel archidyaconi episcopis, gubernationes, id est minorum personarum ut presbyteri qui plebi documento sunt. unde & hoc ipsum ostenditur in ordinatione sacerdotum de quibus episcopus ita dicit. quanto fragiliores sumus, scilicet apostolis: tanto magis his auxiliis indigemus. unde in ca. cunctis, ex auctoritate Clementis papæ, omnibus presbyteris, & dyaconibus & reliquis clericis attendendum præcipitur, ut nihil absque proprii episcopi licentia agatur, & idem in cap. non debere. distinct. 80. unde patet quòd ad episcopos principaliter pertineat regimen ecclesiæ, ipsi enim sunt ueri, & principales prælati, & ideo ipsorum tantum est habere uoces diffinitiuas in conciliis uniuersalibus, in cuius signum cum diffinitio aliqua fienda est in concilio uniuersali, ipsi soli regulariter ornamentis pontificalibus induuntur, utpote ad quos iudicium illius tribunalis tantum spectat. Ad confirmationem autem inductam ex cap. concilia, respondetur ut ibi glo. exponit quòd per sacerdotes intelliguntur episcopi. Ad sextam de cardinalibus respondetur ꝙ licet non omnes ipsi sint episcopi: sunt tamen quasi unũ corpus cum Romano pontifice summo episcoporũ. unde cum persona papæ qui caput conciliorum est intelligendi ueniunt ipsi cardinales cum sint spiritualia membra eius: ut notat Hostien. in cap. antiqua

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

de priuile.& non minus quam ipsi episcopi uocem diffinitiuam habent in concilijs.unde simul cum episcopis,id est pontificalibus uestibus,& mitris in diffinitionibus synodalibus concurrunt. Preterea licet non omnes cardinales sint episcopi ut dictum est nihilominus habent episcopalem iurisdictionem. unde in cap. in nomine domini. Cardinales episcopi uocantur,ut ait glo.super uerbo cardinales episcopi,succedunt etiam apostolis in dignitate apostolica, sicut in primo huius operis declarauimus,qui principalem locum in ecclesia tenent.

Ad septimum

Ad septimam respondetur negando assumptum,uidelicet quod ideo principaliter ad concilium euocandi sunt uniuersale, quia in lege domini fuerint plenius eruditi &c. hoc enim falsum est,licet tales esse deberent iuxta cap.qui ecclesiastici dist.36.Sed hoc debetur eis iure dignitatis eorum, sunt enim principes ecclesiæ a Deo constituti psal.44.

Ad octauum

Ad octauam respondetur negando consequentiam,& cum dicitur quòd regula iuris est Respondetur dupliciter. Primo quòd ab omnibus intelligitur approbatum quod a potioribus siue maioribus in uniuersitate approbatur. Secundo respondetur quòd regula illa non facit ad propositum cum non habeat locum nisi ubi iura aliquorum tangerentur cum aliquo præiudicio.unde Inno.notat in cap.ueltra & in cap.2.de offi. leg.dicens quòd cum episcopus uel legatus uelit facere statutum tangens iura aliorum,hoc debet facere cum eorum assensu etiam si sint laici: uel si non consentiant saltem debent esse præsentes, hoc autem non est in concilijs uniuersalibus ubi regulæ uiuendi, & doctrinæ nemini præiudiciales sed salutares instituuntur.

Ad nonũ

Ad nonum respondetur negando consequentiam, dicimus enim quòd ad hoc quòd concilium uniuersale repræsentet uniuersalem ecclesiam non requiritur præsentia omnium fidelium, hoc enim est impossibile nec aliquo tempore factum legitur, sed sufficit quòd in eo sint maiores siue potiores Reip.Christianæ cuiusmodi sunt prælati maiores ut dictum est.unde facta in concilio per tales tota ecclesia fecisse dicitur,ut aperte colligitur ex cap.confidimus 25.quæstione prima.

Ad decimum

Ad decimam respondetur quòd licet in aliquibus concilijs legantur interfuisse presbyteri aut monachi siue etiam laici, non tamen ad diffinitiuas uoces admissi: sed uel ad consultatiuas, uel ut testes essent, quod manifeste colligitur ex uarietate formarum subscriptionum quibus utuntur isti & illi. Forma autem episcoporum subscriptionis est talis. Flauius episcopus Constantinus iudicans subscripsi. Forma uero presbyterorum archimandritarum sic. Faustus presbyter archimandrita monasterii sancti Dionisii subscripsi ecce quòd non ait sicut episcopus iudicans subscripsi.Imperatores uero subscribentes non dicebant se diffinire uel iudicare,sed diffinita,& iudicata suscipere,ut patet ex subscriptionibus Imperatorum in octaua synodo. De ista autem materia etiam aliquid in sequenti cap.dicetur.

Cap. XV. Qui admittendi sunt ad concilium uniuersale, & qui non.

POSTQVAM ostendimus qui regulariter ad uniuersalia cõcilia necessario uocandi sunt:& qui non. Quoniam multi etiam non uocati ueniunt petentes admitti, iam enucleemus qui,& quibus

de

de causis admittendi ueniant,& qui non. In primis notum est hæreticos non esse admittendos ad concilium iuxta ca.cum quibus 23.q.3.ubi Gelasius papa dicit non esse ecclesiastici moris cum his qui pollutam habent communionem permixtamque cum perfidis miscere concilium. De fidelibus uero ꝙ omnes petentes admitti admittendi sint uidetur aliquibus de numero nouellorum magistrorum inducentibus pro se & practicam aliquorum antiquorum conciliorum,& aliquas persuasiones,ex practica quidem conciliorum arguentes inducunt primo ꝙ in concilio celebrato per apostolos super electione Mathiæ de quo Actio.1.non solum interfuerunt apostoli,sed etiam laici,& mulieres uidentur admissi.ut uidetur colligi ex littera illius c.Secundo inducunt idem ex concilio secundo apostolorum, ubi multitudo discipulorum uocata legitur ut eligerent aliquos ad quotidianæ dispensationis ministerium peragendum ut habetur Actuum 6.Tertio inducunt practicam conciliorum modernorum,scilicet Pisani.Constantini,& Basilien.in quibus indifferenter abbates:magistri,doctores,licentiati,etiam baccalarii:presbyteri,religiosi,procuratores, immo etiam quasi quicunque uolebant admissi fuerunt. Quarto ratione sic ad concilium uniuersale.in quo decidendæ ueniunt arduæ causæ uidentur omnes admittendi quorum res agitur,& uertitur interesse propriæ salutis: sed huiusmodi sunt omnes fideles.ergo nullus fidelis qui interesse uult debet excludi siue non admitti. Quinto quilibet filius tenetur pro sua facultate succurrere matri suæ in angustiis constitutæ,sed omnes fideles sunt filii matris ecclesiæ,ut patet. ergo omnis fidelis tenetur pro sua possibilitate subuenire sanctæ matri ecclesiæ, sed uniuersale concilium ad hoc congregatur: ut necessitatibus ecclesiæ subueniatur. ergo ad illud debent admitti omnes qui opem uolunt conferre. Sexto confirmatur sic ratio ipsa,quilibet homo sanus mente uidens domum propriam uel domini sui ardere debet occurrere uel cum aqua uel cum aliqua alia re ad extinguendum incendium, sed domus propria siue domini nostri Dei est uniuersalis ecclesia ergo incenso in illa scandalo debent omnes fideles concurrere iuxta illud prophetæ psal.78.zelus domus tuæ comedit me.& opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me:sed hic concursus fit in concilio uniuersali: ergo ad id sunt admittendi omnes fideles concurrentes ad patrocinium conferendum.In oppositum tamen uidentur esse quæ dicta sunt in præcedenti cap. Præterea si passim omnes fideles petentes admitti ad concilium admittendi essent,maxime ad uoces diffinitiuas,& consultiuas plura mala sequerentur, ut perturbatio pacis:scandalorum materia,seditiones:rixæ contentiones,difficultas aliquid recte concludendi orientur: quoniam ut ait beatus Chrys.in prin.supra Ioan.in commento litterali.Multitudo mater est seditionis, & contumaciæ paucitas magistra disciplinæ, & Augustinus contra Iulianum lib.2.ar.2.dicit in causa iudicandi amoto strepitu turbarum honorandam esse paucitatem quam ratio eruditionis libertasque sublimat. Respondendo ergo ad hanc quæstionem uidetur nobis dicendum quòd nullo modo conueniat admittere omnes qui admitti postulant ad uniuersale concilium ad uoces diffinitiuas nec etiam consultiuas:nisi ut supra diximus. Et tamen notandum quòd reuoluentibus nobis multas historias, & practicas obseruatas in multis conciliis cognoscimus occurrisse in facto quòd in multis & uariis de causis aliquis præter prælatos superiores

Ratio prima quorũdã &c.
Secunda
Tertia
Quarta
Quinta
Sexta

quos supra diximus in his quæ pertinent ad corpus uniuersalis concilii admissi,& possunt admitti ad uniuersalia concilia. Primo quidem modo ad plenius consulendum in agendis, & disponendis in conciliis uniuersalibus ut aliqui prudentes, & experti uiri in notitia rerum tractandarum in concilio, ut etiam si disponeretur uia in Hierusalem: aut de bello contra turcos,admittendi uenirent homines, qui in dispositione rerum necessariarum pro tali negocio essent docti & experti. Secundo leguntur admissi gratia disputationis tantum ut si contra hæreticos disputatione agendum esset, ut aliqui doctissimi magistri, & doctores: sicut diebus nostris primo uidimus Basileæ cum contra Bohemos disputabatur, secundo Florentiæ ad disputandum cum græcis:hoc etiam superioribus temporibus legimus latius pertractatum super quæstione de gradibus consanguinitatis per Alexandrum papam secundum de quo in cap.ad sedem 35. quæst.5.ita papa loquitur,ad sedem apostolicam perlata est quæstio nouiter orta de gradibus consanguinitatis quam quidam legum,& canonum imperiti excitantes &c.sequitur,infra hanc quæstionem discutere curauimus in synodo habita in lateranensi consistorio conuocatis ad hoc opus episcopis, & clericis atque iudicibus diuersarum prouinciarum,hæc ibi.Tertio admissi leguntur aliqui tanquam iudices discretiui:ad discernendum inter altricantes aliquos super aliqua profunda siue ardua quæstione.unde in synodo illa amplissima celebrata Romæ,in qua cum coram imperatore Constantino,& Helena disputandum ueniret inter Christianos, & Iudæos tempore beati Siluestri:quæ lex:an scilicet Christianorum an Iudæorum præferenda ueniret.Iudices duo positi sunt non suspecti,scilicet Crato philosophus qui nihil terrenum habere uolebat, & zenosmo qui consul existens nunquam munus ab aliquo suscepit.Legimus etiam in concilio Calcedonensi in disputatione contra Dioscorum iudices discretiuos positos fuisse.unde de eis in actione 16.sic habetur. Gloriosi iudices dixerunt ex his quæ gesta sunt uel ab unoquoque deposita ante omnia quidem primatum, & honorem præcipuum secundum canones antiquos Romæ Deo amantissimo archiepiscopo conseruari oportet. Item in octaua synodo actione 1. sic habetur Imperatores nostri miserunt nos seruos suos qui senatores eorum senatus uocamur qui uoluntate Dei honoratus est secundum omnia ut simus discreti eorum quæ geruntur auditores. Quarto admissi leguntur ad uniuersalia concilia,& etiam admitti possent ad conseruationem fidei,& defensionem,& gestarum rerum pleniore acceptationem. Hoc modo imperatores,& principes quandoque leguntur ad uniuersalia concilia admissi,ait enim Martianus imperator in Calcedonen. concilio. Nos ad conseruandam fidem non ad potentiam ostendendam exemplo gloriosissimi principis Constantini synodo inter esse uolumus ut inuenta ueritate nō ultra multitudo prauis doctrinis attracta discordet. Quinto admittuntur aliqui ad concilium gratia protectionis synodi, & libertatis illius, ut princeps uel eius locum tenens in cuius territorio synodus celebratur: maxime quando synodum extra terras ecclesiæ Romanæ celebrare contingit. Sexto admittuntur aliqui ad concilium gratia doctrinæ, & eruditionis, hac ratione non modo clerici sed etiam laici admitti possunt: cum aut de fide agitur aut de gradibus consanguinitatis,ut erudiantur. Vnde Nicolaus papa in cap.ubi distinct.96.inquit. Vbi nam legistis imperatores

ante-

antecessores uestros synodalibus interfuisse conuentibus nisi forsan ubi de fide tractatum est: quæ uniuersalis est quæ omnium communis est quæ non solum ad clericos uerum etiam ad laicos, & ad omnes pertinet Christianos. Septimo admittuntur aliqui qui habent aliquid opponere: utputa aut querelas, ut qui habent causas litigiosas uel qui super aliquibus grauibus occurrentibus causis circa materias super quibus synodus est congregata petunt sibi per synodum prouideri, uerum isti nec diffinitiuam nec consultiuam uocem habent in concilio, sed expositiua tantum. unde expositis uerbo de scripto quæ exponere uoluerunt non habent amplius synodo interesse. Octauo aliqui leguntur admissi ad concilia ad ampliorem notitiam iustitiæ, & ueritatis, hac de causa Innocen. in capi. ad apostolicæ, de sententia, & re iudi. lib. 6. dicit. Si diceret, scilicet ipse Fredericus quòd in nullo contra iustitiam ecclesiam læserat, uel quòd nos eum contra iustitiam læsissemus, parati eramus conuocare reges prælatos, & principes tam ecclesiasticos quam seculares ad aliquem tutum locum ubi per se uel solennes nuncios conueniret &c. Nono admissi leguntur aliqui ad concilia gratia ministerii, ut officiales notarii, & procuratores. unde plurima uerba leguntur in gestis conciliorum quæ sunt uerba notariorum referentium tam dicta patrum quàm etiam Imperatorum. Decimo admissi leguntur aliqui ad maiorem solennitatem eiusdem: sicut patet in synodo Romæ celebrata in qua Leo papa clero, & populo simul conueniente dat regi Carolo patritiatus dignitatem ut in cap. synodo distinctio. 63. hoc etiam patet in synodo Romæ celebrata in qua Nicolaus papa formam electionis Romani pontificis disponens in cap. in nomine domini distinctione uigesima tertia. In talibus enim synodus ad quæ non fiebat conuocatio episcoporum, de diuersis prouinciis admittebantur quandoque alii inferiores ut dyaconi presbyteri, & monachi: sicut in prædictis conciliis legitur factum pro honore, & amplitudine concilii. Vndecimo reperiuntur aliqui admissi ad concilium ut sint testes gestorum in conciliis per subscriptiones eorum sicut in quinta, & octaua synodis legitur quòd presbyteri monachi dyaconi lectores subscripserunt, & imperator ac senatus. Duodecimo leguntur aliqui admissi gratia sanctitatis, cum scilicet aliquid orationum suffragio a Deo postulandum occurrit. exemplum huius colligitur ex primo concilio apostolorum in quo cum orationibus impetrandum foret admissi sunt omnes 120. qui cum apostolis erant in cenaculo ac concilium illud: ut omnium orationibus interuenientibus facilius eorum petitio exaudiretur. His habitis facile respondetur ad rationes factas in oppositum, uerum pro solutione obiectionum quæ sumuntur ex pratica, & forma præteritorum conciliorum. Notandum quòd de modo celebrandi concilia uniuersalia quo ad personas maxime uocandas uel admittendas præter episcopos nulla certa forma data est, cuius ratio esse uidetur: quia forma & modus celebrationis uniuersalium conciliorum pendet omnino ex dispositione papæ qui auctoritate, & potestate est supra uniuersalia concilia ut extra de elect. ca. significasti, qui pro rerum, & casuum uarietate potest illos uel illos uocare uel admittere, & ideo ex modo uel ex forma seruata in uno concilio uniuersali uel in alio: siue per apostolos, & patres succedētes non potest capi efficax argumentum: quia uariæ formæ leguntur obserua- Ad rōnes factas in opposit̄i.

te circa personas instantes admittendas uel non admittendas, ut iam uisum est. Et maxime hoc uerum est ex forma obseruata in quibusdam concilius quæ non pro grauibus causis, & uniuersalibus sed particularibus, & non ad diffiniendum uel statuendum aliquid uniuersaliter pro tota ecclesia celebrata sunt. Quare licet primitiua ecclesia celebrando aliqua concilia exemplum nobis dederit ut nos occurrentibus necessitatibus illa celebremus, ut ait glo. act. 15. non tamen obligamur ritum tunc obseruatum nunc obseruare, sicut nec ritum tunc circa sacramentorum dispositionem obseruatum obseruare tenemur, sicut patet de usu sacramenti eucharistię quod institutum, & celebratum post cœnam legitur. & apostolis traditum Luc. 22. quod tamen nos non nisi ieiuni celebramus, & sumimus iuxta c. liquido de conse. di. 2. ubi Aug. ita inquit. Placuit spiritu sancto ut in honore tanti sacramenti prius in os Christiani corpus dominicum intraret quàm ceteri cibi unde ad argumentum quod sit Christus post cœnam siue cibum sumpsit sacramentũ: ergo nos ita debemus facere. Respondit sanctus Tho. in 4. ꝙ non sequitur: quia non oportet ꝙ ecclesia seruet ordinem sumendi quem Christus seruauit: quia non oportet quod conuenit principio uel generationi alicuius rei ꝙ competat ei quando iam est in esse perfecto, & similiter non oportet, ut quod conuenit sacramẽto in sui institutione quòd competat ei quantum ad suum usum. Similiter dicere possumus de ordine & forma celebrandi concilia. Non enim oportet ꝙ ritus obseruatus per apostolos in conciliis suis seruetur per omnia nunc a nobis. quia aliquid fuit tunc conueniens quando erat paruula, & in principio sui quod nunc nõ conueniret ecclesia perducta ad perfectiorem statum multa uarietate ordinum ac officiorum distributum. Ad argumenta autem duo prima sumpta ex practica conciliorum obseruata per apostolos. Respondetur negando consequentiam factam tum ratione iam dicta: tum quia nunc non occurrit circa omnes qui admitti petunt ad concilia eadem ratio propter quã apostoli alios quàm apostolos, & ecclesiasticos admittebant ad concilia sua. Ad tertium quod inducitur de concilio Constantien. & Basilien. Respondetur primo ꝙ consequentia non ualet ut patet ex dictis. Secundo dicitur ꝙ paruum aut nullum argumentum faciunt obseruata in præfatis conciliis, tum quia Pisanum & Constantien. quantum ad eorum principium antequã forent omnes tres obedientię congregatę cum fuerint celebrata in scismate non fuerunt uniuersalia concilia habita a tota ecclesia Basilien. uero cum fuerit toti ecclesiæ scandalosum: quod maxime euenit ex hac indiscreta admissione multorum ad uoces diffinitiuas in concilio: non est habendum in memoria alicuius auctoritatis. Ad quartam respondetur sub tali distinctione aut in concilio uniuersali in quo aliquis de inferioribus petit admitti tangitur res, & salus illius in particulari, utputa quia est accusatus de aliquo crimine, & proceditur contra eum, tunc concedimus ꝙ admittẽdus est omnis talis ad respondendum pro se uel ad indulgentiam petendũ: quod etiam ut ait glo. in cap. conuenientibus 1. q. 7. conceditur, & tamen non propter hoc dicuntur admitti in concilio ad uoces consultatiuas uel diffinitiuas. Si uero non agitur de salute illius in particulari sed in communi cum omnibus aliis fidelibus, tunc non est necessarium illum admitti sed sufficit quòd superiores, & potiores in quibus uirtute omnes alii continentur intersint concilio, alias quilibet fidelis, & etiam mulieres admittende

Ad duas primas

Ad tertiã

Ad quartam

tende uenirent ad quæcunque concilia in quibus tractaretur de salute fidelium aut rebus uniuersitatum quod est absurdum. Ad quintam respondetur negando consequentiam. quoniam licet omnes fideles qui se offerunt ad subueniendum necessitatibus ecclesiæ occurrentibus admitti. debeant ad succurrendum ecclesiæ, & cum magna charitate suscipi. quando iuxta conditionem status eorum & facultates in subsidium ecclesiæ se offerunt utputa si agendum esset contra hæreticos & infideles manu armata aut passagium fiendum in terram sanctam offerrent se aut bona sua. non tamen ex hoc sequitur quòd admittendi ueniant in concilio prout hic loquimur de admissione uidelicet ad uoces diffinitiuas uel etiam consultatiuas habendum in eo, quia si hoc daretur, ut iam diximus nimis confusa esset synodalis congregatio. Ad ultimam rationem simili modo respondetur.

Ad quintam

Ad sextã

Cap. XVI. An omnes prælati maiores totius orbis Christiani necessario uocandi ueniant ad concilium uniuersale.

VISO qui ad uniuersalia concilia de per se & necessario uocandi ueniunt, quia scilicet prælati maiores. consequenter enucleandũ uenit, an necessario omnes prælati maiores orbis uocandi sint, & interesse debeant uniuersali concilio. Ad cuius quæstionis determinationem repetenda nobis est distinctio concilii uniuersalis quam supra posuimus. diximus enim quòd uniuersale concilium ad præsens capitur dupliciter. Vno modo dictum ab uniuerso, sicut prouinciale a prouincia, & hoc modo concilium uniuersale dicitur quod papa uel eius legatus cum patribus de toto uniuerso celebrat, quod iuxta August. appellamus plenarium concilium. Alio modo dicitur uniuersale ab uniuersitate auctoritatis quæ est supra totam ecclesiam. Primo modo loquendo de uniuersali concilio quod dicitur plenarium. dicimus ad perfectionem huius concilii omnes episcopos orbis conuocandos esse, & si non particulariter in communi saltẽ conuocando & inuitando Patriarchas omnes & primates ut ipsi cum episcopis quos duxerint eligendos (quia nec est possibile nec etiam utile omnes simul conuenire) ueniant ad concilium. hoc satis aperte probatur ex gestis octaui concilii. ad quod Basilius Imperator dicitur architectos ecclesiastici tabernaculi a finibus orbis conuocasse. Item legitur ibi ꝙ in aduentu Vicarii patriarchæ Alexandriæ qui deficiebat patres istius concilii dixerunt. Glorificamus Deum uniuersorum qui quod deerat uniuersali concilio suppleuit, & nunc perfectissimum demonstrauit, hæc ibi. Vnde Abbas Anastasius in epistola ad Adrianum papam de octaua synodo loquens ait sic. Facta est ergo hæc sacrosancta synodus anno imperii Basilii pii principis tertio qui uniuersos patriarchales thronos sic ut aliorum nulla in eorum loci seruitoribus præsules habens uniuersalis non inconuenienter ab omnibus appellatur. uniuersalis est enim primo quia catholica fides in ea & sanctæ leges quæ non solum a sacerdotibus, sed ab uniuersis Christianis coli debent & uenerari & contra hostes earum consona uoce defendi. deinde quia cum in Christus in corpore suo quod est ecclesia tot

patriarchales sedes quot in cuiuscunque mortalis corpore sensus latuerat profecto generalitati nihil deesset ecclesiæ, si omnes illæ sedes unius fuerint uoluntatis sicut nihil deest motui corporis si omnes sensus integre communisque fuerint sanitatis. inter quas uidelicet sedes quia Romana præcellit uisui non immerito comparatur, qui profecto cunctis sensibus præeminet acutior illis existens & communionem sicut nullus eorum cum omnibus habens, hæc ibi. Ex quibus patet quòd concilium uniuersale non dicitur quia omnes orbis præsules præsentialiter conueniant, sed repræsentatiue tantum. unde ipsi patres aduenientes & si pauci respectu aliorum tamen cum uniuersitatem aliorum repræsentent auctoritatem concilii adimplent cum nomine aliorum ueniant. unde in secundo concilio Africano dicitur quod legati aliorum nomine plenam tribuunt concilio auctoritatem. Et inde est quòd quicquid per præsentes conclusum fuerit uniuersali consensu dicitur conclusum, ut ex c sicut distin. 19. colligitur ubi beatus Gregorius post commemorationem quinque primorum conciliorum uniuersalium ita inquit. Cunctas uero personas quæ præfata ueneranda concilia respuunt respuo quæ uenerantur amplector, quia dum uniuersali sunt consensu constituta se & non illa destruit quisquis præsumit, &c. Licet enim omnes prælati orbis in illis conciliis congregati non fuerint quia tamen præsentes repræsentabant omnes qui uocati erant omnium illorum auctoritatem siue consensum habuisse iudicantur unde in quodam concilio tolletano sic dicitur. Si quis autem tam nostrarum quàm eorum qui nunc ex prouincia sanctæ synodo defuerunt huic salubri ordinationi obuiare præsumpserit conuictus totius fraternæ charitatis habeatur extraneus. censentur enim illi præsentes aliis rite ad synodum expectantibus uocatis omnem auctoritatem habere, hæc ibi. hoc uniuersalitatis modo prima 8. concilia uniuersalia dicta sunt: quoniam ad ea de uniuerso orbe Christiano patres conuenerunt, & licet pauci numero omnes tamen auctoritatis repræsentatione fuerunt, quia primum fuit 318. patrum. Secundum 150. Tertium 200. Quartum 230. æque tamen dicuntur fuisse uniuersalia, & plenaria concilia, tum ex præsentia auctoritatiua apostolicæ sedis quæ in totum orbem habet primatum. tum ex repræsentatione in præsentibus consensus omnium episcoporum orbis, quod etiam manifeste colligitur ex actione tertia septimæ synodi ubi in epistola quam orientales episcopi scribunt Cæsario Constantinopolitano patriarchæ ita habetur. Si uolueritis celebrare synodum ne molestia uobis appareat trium apostolicarum sedium patriarchalium & sanctissimorum episcoporum qui sub ipsis degunt absentia non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex dominantium illis terribilibus minis & mortiferis penis. hoc autem subtilius est considerandum etiam ab ipsa sacra & uniuersali sexta synodo in qua nullus eorum qui per idem tempus in his partibus episcopi erant conuenisse repertus propter obscenorum obtinentiam, sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit synodo præiudicium nec uires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis præcipue cum sanctissimus & apostolicus papa Romanus concordauerit & in ea inuentus sit per apocrisarios suos, & nunc sanctissime hoc cum Dei adiutorio similiter fiet, hæc ibi. Vbi non est prætereundum quòd in his conciliis uniuersalibus in partibus ori est talibus celebratis pauci, aut nulli de latinis fuerunt

ſunt præter legatos papæ. Secundo autem modo loquendo de uniuerſali concilio dicto non ab uniuerſitate orbis ita quòd de uniuerſo orbe patres uocati ſint aut conuenerit, ſed ab uniuerſitate poteſtatis, quomodo dicitur uniuerſale concilium quod papa per ſe uel legatum ſuum celebrat aliquibus prælatis uocatis de rebus quæ uniuerſalem eccleſiam reſpiciũt, dicimus quòd non eſt neceſſarium ad illud uocare omnes prælatos orbis ſiue epiſcopos de toto orbe, ſed ſufficit uocare aliquos de aliquibus prouinciis, & eos de quibus pro qualitate negociorum & temporum opportunitate Romano pontifici uidebitur expedire & fuerit facultas nunc de multis, nunc de paucioribus prouinciis ſiue etiam de una tantum, ut in c. Guiliſanus 23.q.4.dicit papa cum epiſcopis quos congregare potui. Hoc autem etiam exemplo oſtendimus. Primo quidem exemplo & practica conciliorum celebratorum tempore eccleſiæ primitiue per apoſtolos. licet enim beatus Petrus primus a Chriſto ſummus eccleſiæ uniuerſalis pontifex conſtitutus plura legatur cum apoſtolis concilia etiam uniuerſalia celebraſſe, ut ſuperius c.2. commemorauimus, non tamen omnibus apoſtolis præſentibus illa celebraſſe legitur, nec abſentes apoſtoli qui illis temporibus per iudæam diſperſi erant ad prædicandum conuocati nec adueniſſe leguntur, ſed ſolum cum his qui Hieroſolymis erant apoſtolis, & ſenioribus legitur celebraſſe. immo in concilio quod in materia fidei ſuper quæſtione de ceſſatione legalium celebratum eſt, ſolum beatus Petrus, & Iacobus qui Hieroſolymorum epiſcopus erat, & Paulus & Barnabas qui ad habendum determinationem præfatæ quæſtionis uenerant Hieroſolymam, conueniſſe leguntur. Secundo hoc idem colligitur ex practica aliorum conciliorum quæ per ſanctos patres celebrata leguntur. tempore enim Cornelii papæ cum noua hæreſis inſurgeret, negantium indulgentiam aſſequi poſſe poſt lapſum cuius auctorem Nouatum presbyterum fuiſſe ferunt congregata eſt ſynodus celeberrima Romæ ab ipſo beato Cornelio in qua Nouatus ipſe cum ſuis complicibus ab eccleſia proiectus eſt, & diffinitum eſt eos qui lapſi fuerunt indulgentiam conſequi poſſe, ad quam tamen ſynodum non omnes patriarchæ nec epiſcopi orbis uocati leguntur. Præterea idem patet de ampliſſima ſynodo Romæ celebrata per beatum Syluestrum poſt Nicenam ſynodum 277. epiſcoporum, in qua confirmatis regulis Niceni concilii & damnato arrio multa eccleſiaſticis profutura diffinita ſunt, & tamen ad hanc ſynodum non leguntur epiſcopi de toto orbe congregati. Idem eſt etiam de ſynodo tempore Cæleſtini papæ congregata Romæ celeberrima quæ Neſtorium uelut hæreticum damnauit, de qua ſynodo beatus Cyrillus Alexandrinus epiſcopus in ſynodica epiſtola ad eundem Neſtorium ſic ait. Ecce itaque cum ſancta ſynodo quæ apud amplam urbem Romam congregata eſt præſidente ſanctiſſimo & uenerandiſſimo fratre & conſacerdote noſtro Celeſtino epiſcopo his ſcriptis ſynodicis te iam tertio conuenimus, &c. & ita de multis aliis, &c. quæ uniuerſalia & celeberrima ad quæ non de toto orbe Chriſtiano leguntur conuocati prælati, ſed de aliquibus tantũ prouinciis de quibus conuenientius atq; facilius poterant conuenire, & tamẽ in ipſis de fide quæ uniuerſalis eſt actum eſt, & inſtituta ſunt multa ad quorũ obſeruantiam tota eccleſia eſt aſtricta ſicut de cõciliis multis exempla adducere poſſemus faciliter ſicut de celebratis ſub Hylario papa, ſub Felice tertio, ſub Gelaſio, ſub Symacho, ſub Stephano 3. ſub

Nicolao 1. ſub Gregorio 7. ſub Calixto 2. ſub Innoc. 2. ſub Eugenio 3. ſub Alexandro 3. ſub Innoc. 3. & Clemente 5. Exemplum etiam quòd ad ſynodum generalem ſolum patres unius prouinciæ ſunt euocati poteſt colligi ex concilio illo apoſtolorum quod congregatum fuit ſuper quæſtione legalium Act. 15. ubi cum apoſtolis ſeniores tantum prouinciæ Iudeæ dicuntur conueniſſe. nec alii abſentes apoſtoli aut diſcipuli ſunt uocati. ſicut ſuperius circa 2. c. notauimus. Eſt autem notandum circa uniuerſalia concilia quæ plenaria dicuntur ad quæ de toto orbe patres uocabantur. ꝙ quia talia plurimum habebant difficultatis & laboris, non niſi pro maximis rebus & arduis congregabantur, utputa quando hæreſes exorte magnos habebant auctores & fautores aut multitudinem epiſcoporum ſicut contigit de præfatis octo uniuerſalibus conciliis & ideo raro leguntur a patribus celebrata prout ex temporibus ſummorum pontificum colligi poteſt. unde a primo concilio Niceno quod celebratum fuit ſub papa Syluestro uſque ad ſecundum quod celebratum eſt Conſtantinopoli ſub Damaſo papa fluxerunt 52. anni. A ſecunda ſynodo uſque ad tertiam quæ fuit Epheſina prima quæ celebrata fuit ſub Celeſtino papa fluxerunt anni 60. A tertio uero concilio uſque ad quartum in Calcedonia, quod celebratum fuit tempore Leonis papæ primi fluxerunt ſecundum aliquos 30. ſecundum alios 19. anni. A quarta uſque ad quintam ſynodum quæ eſt celebrata Conſtantinopoli fluxerunt anni 128. A ſexta uſque ad ſeptimam quæ celebrata fuit in Nicena urbe tempore Adriani papæ fluxerunt 110. A ſeptima uſque ad octauã quæ celebrata eſt in Conſtantinopoli tempore Adriani 2. fluxerunt anni 82. Et ita patet quàm raro celebrabantur temporibus illis concilia illa generalia cum ſpacio quingentorum quadragintaquinque annorum tantum octo concilia plenaria celebrata legantur.

Cap. XVII. In quo ponuntur obiectiones aliquæ contra prædicta.

ADVERSVS ea quæ iam dicta ſunt uidelicet quòd conciliũ quod Romanus pontifex non uocatis omnibus epiſcopis orbis, ſed aliquibus tantum celebrat uniuerſale concilium dicatur, obuiatur per aduerſarios multipliciter. Primo ex diffinitione illa poſita in glo. c. 1. diſt. 17. ubi ſic dicitur. Concilium uniuerſale eſt quod papa uel eius legatus cũ omnibus epiſcopis conſtituit. ergo uidetur quòd de ratione uniuerſalis cõcilii ſit ut omnes epiſcopi conueniant ad illud uel ſaltem uocentur. Secundo ſic. uniuerſale concilium dicitur repræſentare uniuerſalem eccleſiã ut colligitur tam ex cap. confidimus 15. q. 1. quàm ex c. ſicut diſt. 15. ergo neceſſarium uidetur quòd in eo concurrat uniuerſitas prælatorum in quibus ceteri contineri & repræſentari uidentur. Tertio ſic. cum Romanus põtifex non ſit uniuerſalis dicendus iuxta c. ubi diſt. 99. non uidetur quòd ipſe ſine epiſcopis totius uniuerſi poſſit conſtituere uniuerſale conciliũ. Quarto ſic. ſi papa paucis epiſcopis uocatis de una uel duabus, aut tribus prouinciis excluſis omnibus aliis intra tamen eccleſiæ unitatem exiſtentibus poſſet celebrare uniuerſale concilium. tunc totus ſtatus tam fidei quàm uniuerſalis eccleſiæ qui conſueuit declarari & diſponi in conciliis uniuerſalibus

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Quartũ

bus plenariis per hunc modum indirecte ad uotum papæ & paucorum reuolueretur quod uidetur nimis periculosum, ut quòd fides nostra committatur arbitrio unius hominis, ut inquit Arch. in gl. c. Anastasius distinct. 19. Quintum
Quinto sic. si papa cum paucis episcopis de una uel duabus, uel tribus prouinciis potest facere concilium uniuersale tantæ auctoritatis sicut plenarium, tunc sequeretur quòd frustra fierent & facta essent concilia plenaria. quoniam magis uiderentur esse in fatigationem ecclesiæ quàm utilitatem, quod tamen non est dicendum cum in maxima ueneratione habita sint. iuxta c. sicut dist. 15. & c. octo dist. 16. Sexto sic. si prælati qui habiles sunt & de officio interesse tenentur uniuersali concilio si non uocantur uidentur posse agere de contemptu iuxta c. quod sicut de elect. sed hoc non esset nisi quòd omnes prælati tales sunt uocandi, &c. Sextum

Cap. XVIII. In quo datur responsio ad superiora obiecta.

SANE sicut supra diximus dicendum uidetur quòd & fide congruo omnes episcopi qui habiles sunt & intra unitatem ecclesiæ constituti si commode fieri posset ad uniuersale concilium inuitandi essent. nihilominus tamen non omnes necessario de toto uniuerso Christiano sunt semper uocandi. Nam ut testatur beatus Thomas in quæstionibus de potentia q. 10. ar. 4. Constantinus Augustus sub quo celebrata est synodus 6. dixit quòd propter imminentia bella uniuersaliter episcopos congregare non potuit. unde non interfuerunt nisi 150. & tamen uniuersalis synodus inter alias est appellata, ut in c. sexta dist. 16. dicendum ergo est ad rationes in oppositum factas. Ad primam quæ fundatur in glo. c. 1. distinct. 17. dicimus quòd loquitur de uniuersali concilio primo modo dicto scilicet plenario, nec tamē uniuersalis illa cum dicitur cum omnibus episcopis orbis quia fortassis nūquam adhuc tale concilium fuit aut futurum est in quo omnes episcopi orbis personaliter conuenirent, sed magis uidetur accipienda ut distribuat pro singulis regionibus orbis Christiani, ut sit sensus concilium uniuersale est quod papa uel eius legatus cum episcopis totius orbis Christiani cōstituit. iuxta modum loquendi beati Aug. uerum quia in tali concilio etiā omnes episcopi iuris interpretatione interesse intelliguntur, ut supra exposuimus potest adhuc sustineri prædicta diffinitio uniuersalis concilii plenarii in prædicta gl. ut intelligatur cum omnibus episcopis scilicet uel personaliter, uel repræsentatiue constituitur. Ad secundam respondetur quòd prælati illi per summum pon. ad concilium uocati cum intentione uel eius auctoritate aliquid disponant in uniuersali ecclesia licet pauci sint respectu aliorum. nihilominus tamen papa uel eius auctoritate fulti repræsentant etiam uniuersalem ecclesiam quemadmodum concilium populi in ciuitate repræsentat totum populum, ut notat glo. super Rubri. C. quæ sit longa consuetu. Episcopus enim est in ecclesia & ecclesia in episcopo, ut inquit Cyprianus in ca. scire debet 7. q. 1. papa etiam singulariter dicitur figurare ecclesiam, ut dicit Aug. iuxta cap. quodcunq; 24. q. 1. hinc est quòd id quod princeps totius reipub. Christianæ cuiusmodi est papa facit cum prælatis aliquibus iuxta discretionem secundum temporum dispositionem, & tractandarum rerum qualitatem concluserit ordinauerit totius ecclesiæ

Ad primū

Ad secundum

Ad tertiũ auctoritate dicitur esse factum. Ad tertiam rationem respondemus; quemadmodum tetigimus in secundo lib. quòd papa ueraciter potest dici uniuersalis episcopus siue patriarcha cum sit episcopus totius orbis. unde in Calcedonen. concilio acclamatum est Leoni papæ per patres eiusdem concilii, apostolicus Icomenicus id est uniuersalis siue orbicularis, ut etiam testatur beatus Gregorius in registro, & beatus Thomas in tractatu suo contra errores græcorum. Non est autem credendum quòd sancta synodus uniuersalis præfata falsæ hoc attribuisset beato Leoni papæ. uerum summi pontifices noluerunt uti hoc uocabulo du[illegible] ci de causa. Primo ratione humilitatis, ut dicit sanctus Thomas uidebatur enim in superficie sua uerbum hoc superbæ appellationis, ut ait beatus Greg. ut supra. Secundo ne daretur intelligi quòd papa esset præfectus cuilibet particulari ecclesiæ, ut specialis illius ecclesiæ rector. Sic enim ut arguit beatus Grego. cessarent omnium aliorum pontificum auctoritates & administrationes, & ista est intelligentia cap. nullus, & cap. ecclesiæ distin. 99. Ad quartam rationem respondetur negando consequentiam, quia ubicunque cum papa concurrit non modo sacrum dominorum Cardinalium collegium sed etiam condecens multitudo prælatorum synodaliter conuocatorum nõ est uerum quòd fides & status uniuersalis ecclesiæ arbitrio unius hominis committatur, & ita non facit ad propositum quod dicit Arch. quia ista repugnant, scilicet quòd congregatio multorum prælatorum concurrit cum papa quod ratio concilii importat, ut supra diximus ut communi eorum assensu cum omni libertate proferatur diffinitio fidei & dispositio status ecclesiastici, & quòd solius papæ arbitrio ista dicantur committi. Secundo dicimus quòd falsum est quòd semper solitum sit de fide & statu uniuersalis ecclesiæ in conciliis uniuersalibus disponi ita quòd non alibi: quoniam frequenter per solam apostolicam sedem fit & factum est, ut supra tetigimus iuxta cap. quoties 24. q. 1. & c. hæc est fides. Ad quintam respondetur quòd non ideo conuocantur uniuersalia concilia quòd in eis sit plenior auctoritas aut clauium potestas quàm in sola apostolica sede in quam totius ecclesiæ Deus principatum locauit, ut in c. nolite errare distinct. 11. & in c. basilicas, de consecra. dist. 1. Sed conuocantur propter multa alia, ut superius ostendimus cap. decimo inter quæ fit propter maiorem auctoritatẽ reputationis, quia quæ multorum sapientum studio diu deliberata atque approbata sunt, & communi consensu tantorum patrum diffinita maioris auctoritatis reputantur. unde glo. super illud Actuum 15. Placuit nobis collectis in unum. dicit glo. interli. ut maior sit auctoritatis. Ad sextam respondetur quòd episcopi absentes a concilio aut fuerunt per papam aut alium de mandato eius uocati aut non. si sic & non uenerint non possunt agere de contemptu, si non fuerunt uocati & constat de uoluntate quòd ipsis etiam non uocatis haberentur ualida quæ ibi facta sunt non possunt agere de contemptu, quia papa est qui robur conciliis tribuit & firmitatem iuxta cap. significasti. de elect. unde quod inductum est de cap. quod sic. non est ad propositum.

Margin notes: Ad quartum — Ad quintum — Ad sextũ

Cap. XIX. De qualitate prælatorum ad uniuersalia concilia conuocandorum.

Ostenso

OSTENSO iam non omnes prælatos maiores ecclesiæ necessario conuocandos ad uniuersalia concilia nec bene possibile fore omnes conuocare, sed oportere sæpenumero aliquos conuocare alijs prætermissis, conueniens duximus, ac de qualitate conuocandorum capitulum hoc subiungeremus. Requiruntur autem potissime in conuocandis prælatis ad uniuersalia concilia quattuor scilicet Sapientia, Vitæ sanctitas, Experientia, & zelus ad bonum reipub. unde Constantinus Imperator pro sexta synodo congreganda scribens Agapitoni papæ ita dicit. Adhortamur uestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam sacram dirigere uiros utiles & modestos notitiam habentes totius Deo inspirante doctrinæ & peritiam irrepræhensibilem habentes dogmatum induentes personam uestræ apostolicæ sedis. hæc ille. Merito ergo dicimus quòd in conuocandis requiritur primo sapientia. Sane cum inquiente Tullio lib. de senectute. Magnæ res non uiribus gerantur, sed consilio & auctoritate, liquet oportere esse præditos uocandos ad uniuersalia concilia. in quibus cum de rebus maximis tractandum ueniat, uiros oportet esse multa sapientia præstantes. unde Tobiæ quarto dicitur Consilium a sapiente semper require. Ecclesiastici octauo. Os prudentis quæritur in ecclesia, & cap. 9. dicitur, cum sapientibus, & prudentibus tracta. Quante autem sapientiæ lumine fulgere debeant patres ad uniuersales synodos conuocandi, qui & doctrinæ lumen & normam uitæ ceteris daturi sunt. beatus Dionysius docet dicens eos qui alios superuehere lumen habent oportet doctissime claritatis esse repletos, & aliorum esse doctores septima q. 1. cap. conuenientibus. Secundo uocandi ad concilia debent pollere uitæ sanctitate, ut ueraciter eorum conuentus, conuentus sanctorum patrum nominari possit ac de eo dici cum propheta. Confitebor tibi domine in toto corde meo in concilio iustorum & congregatione, ut enim inquit Ambr. in libr. de offic. talis debet esse consiliarius qui nihil nebulosum habeat nihil fallax, nihil simulatum, quod uitam eius atque mores refellat. nihil improbum aut maliuolum quod auertat consultantes. Sane non erunt conuenientes consiliarii cum tractandum de reformatione ecclesiæ uenerit, homines uani, carnales, auari, qui iuxta Greg. præsentia appetunt, æterna despiciunt iniusta agunt, & iusta derident, sua quærunt, non quæ Iesu Christi, & hoc est quod sapiens Ironice inquit. Cum uiro irreligioso tracta de sanctitate, cum iniusto de iustitia ecclesiastici 37. Quocirca dicitur ibidem. Noli consiliari cum socero tuo. Socer est mundus, qui pater est carnis, quæ uxor est spiritus. per quem intelliguntur carnales homines amatores terrènorum. de quibus Iob in persona ecclesiæ dicit orans. consilium impiorum longe fac. Consilium impiorum ut ait Greg. est terrenam gloriam quærere, æternam negligere. Laborandum ergo est ut cum sanctis uiris habenda sint consilia: quoniam sanctitas plurimum conducit ad bene consulendum quod sapiens testatur cum ait Ecclesiastici 37. c. Cor boni consilii statuę tecum, & subdit. anima uiri sancti enunciat aliquando uera quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum glo. tanquam magistri. Tertio patres uocandi ad concilium debent esse experti maxime in illis super quibus quærendum est concilium. quia unusquisq; in ea re quam expertus est aptius consulere potest. unde dicit Valerius maximus. Suæ artis unumquéq; & auctorem &

disputatorem optimum esse non dubitamus. quoniam in multis expertus, ut ait sapiens. Ecclesiast.34.cogitabit multa,& qui multa didicit enarrabit intellectum,qui non est expertus pauca recognoscit.'Hinc reprobatur iuuenum concilium, quia inexperti sunt, sicut patet in Roboam qui relicto senum consilio, & iuuenum adhærens consilio pro magna parte regnum amisit tertio Regum 11. propter quod dicitur Ecclesiastici 15. quam speciosum caniciei iudicium & presbyteris cognoscere consilium, quàm speciosa ueteranis sapientia & gloriosus intellectus & consilium corona senum in multa peritia & gloria illorum timor Dei, ubi inquit gl. audiant presbyteri & ecclesiarum præpositi,quia non licet eis ignorare legis scientiam & sapientiam. Ex quo loco satis aperte colligitur quantam impietatem in ecclesiam sanctam committant, qui aut diuina sapientia uacuos, aut moribus deprauatos, aut pueros ecclesiis præficiunt prælatos. qualis enim synodus constituetur ex istis. quale ecclesiæ regimen ab istis spectabitur &c. De hac impietate beatus Bernardus loquitur. quenam maior impietas quàm ponere super unum puerum onus angelicis humeris formidandum. Ex hoc etiam cap.ostenditur aperte quàm digne reprehendendi ueniant, qui ad uniuersalia concilia homines inhabiles, sine scientia, sine moribus, sine experientia, sine auctoritate admittunt, & maxime ad uoces diffinitiuas cũ episcopis qui error in Basiliensi concilio scandala grauissima peperit in populo Christiano. Quarto uocandi ad concilium uniuersale sunt habentes zelum domus Dei, ut sint de numero eorum de quibus in psalm.6?.dicitur Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria, &c. Siquidem debent habere zelum ad reformationem morum ad correctionem uiciorum & ad augmentum diuini cultus. De hoc zelo exemplum habemus in filiis Israel, qui ut dicitur Iudicum 20. congregati 400.milia dixerunt quòd non redirent domum donec ulciscerentur scelus commissum in uxorem leuitæ in Gabaa.

Cap. XX. De punitione prælatorum qui uocati ad concilium uenire contennunt.

VERVM quia sæpenumero euenit ut prælati ad concilia euocati uenire negligant siue contennant. consequens est ut de talium punitione aliquid subiungamus. Sane prælati ad concilium uenire admoniti ut uult glo.in c.si episcopus dist.18.nullo legitimo interueniente impedimento si uenire contempserint multipliciter ueniunt rationabiliter puniendi & potius quàm qui prouincialius conciliis, de quibus iura loquũtur expressius, interesse recusant. Vnde Imperator Theodosius scribens Dioscoro, ut ueniret ad uniuersalem synodum ita ait. Si quis uero tam necessariam & uere Deo amicam synodum prætermiserit & non omni uirtute secundum prædictum tempus ad præfinitum locum peruenerit nullam excusationem neque apud Deum neque apud nostram inueniet pietatem, sacerdotalem enim conuentum non nisi quis mala conscientia sauciatus omittit. hæc ille. Veniunt autem huiusmodi conciliorum contemptores puniendi pluribus animaduersionibus, & primo quidem pœna excommunicationis.iuxta c.si episcopus distin.18.ubi ex instituto concilii Agathensis ita scribitur. Si episcopus metropolitanus ad prouinciales episcopos epistolas

las direxerit, in quibus eos ad ordinationem summi pon. uel ad synodum inui. et postpositis omnibus excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione regia ad constitutam diem adesse non differant quòd si defuerint sicut prisca canonum præcepit auctoritas usq; ad primam synodũ a charitate fratrum & ecclesiæ communione priuentur. hæc ibi. Item idẽ habetur in c. seq. si quis episcoporum. Sed hic non est prætereundum quòd excommunicatio in hoc loco prout colligitur tam ex gl. quàm ex Hug. & Arch. nõ accipitur prout excommunicatio dicitur separatio a sacramentis & a cõione fidelium, sed pro suspensione quadam a communibus negociis cum aliis episcopis in communi pertractandis utputa quòd non admittetur talis episcopus tractatibus communibus prouinciæ cum aliis episcopis non etiã ad scrutinium episcoporum, non ad consecrationem eorum, non generaliter ad alia quæ communiter sunt tractanda ab omnibus episcopis cum metropolitano, & hoc est ei in pœnã. unde episcopi qui taliter dicuntur excõicati licite possunt celebrare diuina officia & recipere sacramẽta ecclesiastica, & communicare cum ceteris episcopis & aliis præterquam in præmissis Hu. Non negatur tamen ꝙ tales excõicari poterint excõicatione prima quæ est separatio a participatione sacramentorum & cõione fidelium si contumaces reperiantur, ut inquit Arch. in d. c. si quis episcoporum. iuxta c. certum 11. q. 3. Secundo præfati episcopi uocati contẽnentes ad conciliũ uenire si reperti fuerint transgressores iuramenti secundum formam c. Ego. n. de iureiur. puniri possunt pœna depositionis a dignitate quam periurantibus sancti patres descripserunt iuxta c. quærelam, & c. tua nos extra de iureiu. Tertio incurrunt pœnã damnationis æternæ, utpote contẽptores & subsannatores patris sui omniumq; fidelium s. Romani pontificis & matris suæ uniuersalis ecclesiæ per uniuersale concilium repræsentatæ. quos uidetur respicere sententia illa terribilis Prouerb. 30. Oculum qui subsannat patrem & qui despicit partum matris suæ fodiens eum corui de torrentibus & comedẽt cũ filii Aquilæ. Notanter aũt diximus prælatos uocatos ad conciliũ uenire cõtẽnentes præfatis penis uenire plectendos: quoniã secus esset si non ex contẽptu, sed impedimẽto legitimo eos nõ uenire contingeret. quod ex duobus perpẽdi põt. Primo si antequã terminetur conciliũ ueniant, quia licet a principio nõ uenerint, ex quo tamen ueniũt præsumitur ꝙ nõ ex cõtẽptu, sed ex aliquo impedimento demorati sint. sæpe. n. ex eo quod sequitur præsumitur quale fuerit quod præcessit ar. 22. q. 2. quod ait. Ista est sentẽtia tã Hug. quã Arch. in c. si episcopus superius allegato. Secundo si episcopus excusationes litteratoriæ scribit ad synodum uel procuratorem mittit cũ legitimis rationibus quòd uenire non potuerit. De primo in c. placuit dist. 18. loquitur concilium Carthaginense ita dicens. Placuit ut quocunque congregandum sit concilium episcopi qui nec ætate, nec ægritudine, nec grauiori necessitate impediuntur competenter occurrant, ꝙ si non potuerint occurrere excusationes suas litteratorię scribant. De secundo s. de procuratore habetur in c. & si egrotans fuerit 5. q. 3. ubi Adrianus in synodo instituit. si episcopus egrotans fuerit, aut aliqua eum grauis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat qui s. assignet siue probet causam legitimam esse quòd episcopus non ueniat, quia non sufficit dicere non posse nisi rationem impedimẽti assignet, ut dicit gl. super uerbo rationem in præallegato c. placuit. Et si quæritur quomodo probabitur legitima causa assignata impedimenti.

respódet gl. ibi, quòd sufficit per unum testem probare cum iuramentó suo, quod intelligendum uidetur cum episcopus per procuratorem se excusat. quoniam si per seipsum literatoriæ adhibito iuramento de ueritate legitimi impedimenti sufficienter uidetur probata causa absentiæ, & ita standum erit iuramento suo & ipse habendus est excusatus. Verum, est aduertendum quòd præter prælati qui ad concilium uocati uenire neglexerunt, antequá iudicentur contumaces, & ut tales puniendi ueniant admonitio præcedere debet & requisitio, ut est casus in c. propter ecclesiasticas dist. 18. super uerbo admoneant autem, &c. ubi gl. inquit ar. quod mora potest purgari licet sit certus dies appositus, & ratio est quia ubicunque tractatur quod propter negligentiam quis puniatur, aut puniētur iure suo requiritur admonitio ar. 12. q. 2. indignæ.

Cap. XXI. De impedientibus celebrationem uniuersalium conciliorum.

POSTQVAM de prælatis ad concilium uocatis & uenire contēnentibus sermo habitus est. Iam loquendum uenit ad imdedimenta præstantibus ne concilia legitima auctoritate conuocata suā habeant prosecutionem. plane non sufficit sermo noster explicare quanta pena digni sunt qui conciliorum celebrationi impedimenta moliuntur inferre. Isti in primis ueluti tyranni & reip. hostes habendi sunt, tot morte digni quot egregia bona per talia uniuersalia concilia fienda sperabantur. Præterea si tollendi scismatis causa synodus adunata esset, proculdubio tales conciliorum turbatores ueluti fautores scismatis habendi uenirent. Et si ob confundendas hæreses & hæreticos expugnandos congregata foret, tales certe conciliorum celebrationi impedimenta præstantes, hæreticorum defensores siue fautores uiderentur. Si uero reformationis causa patres conuenissent, certe qui concilii celebrationi aduersarentur tanquam hostes religionis Christianæ sanctimoniæ ecclesiæ habendi forent, ad quorum propulsandas temeritates obligati sunt reges & principes Christiani qui ecclesiam tuendam susceperunt, ut in c. principes 23. q. 5. in quo si negligentes reperirentur suspecti haberentur de fautoris hæresis aut scismatis iuxta c. qui 23. q. 3. ubi dicitur qui potest obuiare & perturbare peruersos & non facit, nihil aliud est quam fauere impietati eorum.

Cap. XXII. Quis in uniuersali concilio præsidere debeat.

SYNODO iam constituta reliquum est ostendere quis in ea præsidere debeat, cum in omni multitudine bene ordinata necesse sit aliquem præsidentem esse. quoniam ut ait sapiens Prouer. 11. ubi nó est gubernator corruet populus dicimus autem prout tam ex practica antiquorum conciliorum quam ratione colligere possumus de præsidentia in conciliis uniuersalibus quòd regulariter Romanus pontifex per se aut legatos suos habet uniuersali concilio præsidere. Hanc conclusionem primo ex practica antiquorum conciliorum sic ostendimus, & primo ex concilio quod

quod apostoli super institutione Mathiæ loco Iudæ celebrasse leguntur. Actuum primo. in quo beatus Petrus utpote apostolorum princeps ac totius Christianæ plebis præsedisse uidetur quod ex circunstantiis littere patet. sum ex illo quod in medio eorum exemplo Christi,ut ait gl. fuisse describitur. dicitur enim sic. Exurgens Petrus in medio fratrum dixit gl. pastor pro ouibus loquitur. Item colligitur ex concilio celebrato super quæstione obseruantiæ uel cessationis legalium.de quo Act.15. dicitur, quia cōuenerunt apostoli & seniores iudæorum de uerbo hoc,cum aūt magna conquisitio fieret. Surgens Petrus,&c.in quo concilio Petrus præsedit. unde gl. super uerbo surgens Petrus dixit ad eos ita præ omnibus quasi princeps loquitur. Præterea hoc etiam ostenditur ex aliorum conciliorum practica, ut luce clarius tam ex libro conciliorum & ex corpore decreti quam ex decretalibus colligi potest. habetur enim in libro conciliorum. Hylarius episcopus ecclesiæ catholicæ urbis Romæ synodo præsidens dixit,&c. Item Grego.in generali synodo præsidens dixit,&c. Item Symachus papa in generali synodo præ.di.&c. Item in decreto in c.in nomine domini distin.23. dicitur præsidente quoque reuerendissimo Nicolao papa. Item 25.q.2. cap.si quis dogmata. dicitur. Nicolaus papa uniuersali synodo præsidens dixit, &c. Item extra de elect.in c.licet. habetur Inno.3.in concilio existens & præsidens. Nos ad malum hoc euitandum,&c. Ceterum quòd præsidere in conciliis uniuersalibus ad summum pontificem spectet etiam rationibus ostenditur multipliciter. Et primo ad hoc faciunt omnes illæ rationes quibus ostensum est supra in cap. sexto, quòd ad solum Romanum pontificem spectet regulariter congregare uniuersale concilium & id sua auctoritate fulcire: quoniam ex hoc consequenter concluditur quòd ipse uniuersali concilio præsidere habeat. Secundo sic. caput naturali iure præsidet corpori, sed papa est caput ecclesiæ catholicæ, ut supra in secundo libro monstratum est. ergo in synodo uniuersali catholicæ ecclesiæ papa iure debet præsidere. præsidentia dico non solum honoraria, sed etiam auctoritatiua quemadmodum caput præsidet corpori non solum situ, sed etiam influxu regiminis & auctoritatis. unde sancti patres in concilio Calcedonensi constituti scribentes Leoni papæ. licet ipse non fuerit in concilio illo personaliter, sed per legatos suos scribunt. Tu eis. id est patribus concilii sicut membris caput præeras. Tertio sic. Papa est excellior, & princeps cunctis sacerdotibus, ut in capit. Constantinus distinct. 96. ergo ipse uniuersali synodo quæ ex sacerdotibus colligitur ueluti princeps eorum præsidere debet. Quarto sic. si synodus uniuersalis tempore Christi celebrata fuisset soli Christo conueniebat præsidere. ergo illo a conuersatione nostra absente in uniuersali synodo præsidere soli suo generali Vicario uidetur conuenire. consequentia uidetur manifesta cum Roma. pon.uices eius gerat. De præsidentia uero Romani pon.per legatos suos aperte docemur tam ratione quàm exemplis. Ratione uero quia non dubium est quin quod quis potest facere per alium etiam potest per seipsum & ita ponere loco sui Vicarium ad præsidendum. Exemplis etiam patet ex conciliis uniuersalibus tam antiquis,quam modernis in quibus summi pontifi. personaliter non interfuerunt.unde concilio Calcedonen. Leo papa scribens cum mitteret legatos suos ita inter alia dicit. In his fratribus hoc est Paschasio, & Vincentio episcopis Bonifacio & Basilio presbyteris qui ab apostolica

sede directi sunt, ut e synodo uestræ uestra fraternitas confidat præsidere. Et in epistola quã ad Anatholium scribit ita dicit. Fratres nostri ab apostolica sede directi qui uice mea synodo præsederant probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt, &c. Vbi etiam notandum uenit quòd præsidere in concilio uniuersali loco Romani pont. non solum possunt prælati maiores cuiusmodi sunt episcopi, sed etiam inferiores, ut abbates & archidiaconi ac presbyteri, ut patet tam ex iam dictis quam ex c. conuenientibus 1.q.7. Prædicta etiam conclusio ostenditur ex practica obseruata in octaua synodo, ubi papa Adrianus scribens domino Imperatori Basilio ita dicit. uolumus ergo per uestræ pietatis industria illic numerosum celebrare concilium cui nostri quoque missi præsidentes & culparum personarum differentias liquido cognoscentes iuxta quod in mandatis acceperunt singulorum libere discretiones exerceant. hæc ille. notentur uerba. Præterea ꝙ legati illi fuerint præsidentes manifeste dicitur ex tenore & forma subscriptionum episcoporum eiusdem concilii. unde in principio sic habetur. Ego donatus episcopus Host. ecclesiæ locum obtinens domini mei Adriani summi pon. & uniuersalis papæ, omnia quæ superius leguntur, huic sanctæ & uniuersali synodo præsidens usque ad uoluntatem eiusdem eximii præsulis promulgaui & manu mea subscripsi. Secundo subscribit Stephanus sanctæ Nerisinę ecclesiæ episcopus eodem modo nominando se præsidentem. Eodem modo & Martinus Romanæ ecclesiæ dyaconus subscribit. Prædicta etiam conclusio ostenditur ex practica obseruata in conciliis uniuersalibus aliis sicut manifestum est in conciliis temporum nostrorum.

Cap. XXIII. In quo obiicitur per aduersarios contra ea quæ dicta sunt de præsidentia Romani pontificis in concilio uniuersali.

CONTRA hanc præsidentiam in conciliis uniuersalibus omni iure Romano pontifici debitum dum in Basilien. concilio essemus, & quæstio magna & inaudita mota esset per eos qui occasionem quærebant turbandi ecclesiam, an s. præsidentes sanctæ memoriæ domini Eugenii ad præsidendum concilio admitterentur. Audiuimus aliquos de nouellis magistris multa & uaria circa hanc materiam dicere & plurima obiicere, ut non admitterentur, sed hi erant in duplici differentia. Quidam enim dicebant quòd nullo modo deberent admitti ad præsidendum uniuersali concilio. Alii uero quòd admitti deberent ad præsidentiam honorariam tantum uidelicet ut eminentiorem locum in cõcilio tenerent & primo in eo loquerentur & quæ agenda erant per interlocutionem dirigerent. non autem ad præsidentiam auctoritatiuam dicentes etiam ꝙ si papa præsens esset nihil auctoritatis haberet præter eminentiam loci & ministerium directionis. Primi autem opin. suam. si opinio & non error dicenda sit sic fulcire nitebantur. Primo in conciliis uniuersalibus per apostolos celebratis. Petrus apostolus primus Romanus pontifex non legitur præsedisse. ergo uidetur quod etiam nunc Romanus pontifex hanc præsidentiam in conciliis uniuersalibus non debet expetere consequentia uidetur nota. antecedens patet, cum de præsidentia Petri nulla fiat mentio in prædictis conciliis.

Probatio prima 1.opi.quę soluitur cũ seq.c.proximo

Secundo

Secundo sic. concilium hoc Basilien. fuit uerum concilium, & tamen nullum in principio habuit præsidentem. ergo non uidetur necessarium quòd aliquis utputa papa aut eius legatus præsideat in uniuersali concilio. Tertio spiritussanctus præsidet conciliis uniuersalibus. dicitur enim Math. 18. ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum. ergo non uidetur quod sine iniuria spiritussancti possit aliquis alius admitti ad præsidendum. Quarto sic. nullus inferior præsidere debet suo superiori, sed concilium uniuersale superius est Romano pontifice iuxta decretum concilii Constantien. ergo papa non debet illi præsidere nec aliquis loco eius. Pro opinione aliorum arguebatur sic per alios. si papa aut aliquis nomine eius præsideret uniuersali concilio præsidentia auctoritatiua iam sublata esset essentialis forma a concilio, puta libertas in consultando obstante coactione, & sic non omnes, sed unus omnia faceret, & per consequens synodus nulla redderetur. Secundo dicebant quod etiã non ueriti sunt aliqui eorum scriptis demandare quod in conciliis in quibus papa non fuit, sed Imperatores interfuerunt. Imperatores & iudices destinati leguntur habuisse primatum & officium præsidentiæ per interlocutiones & de consensu synodi siue ex mandato conclusiones & iudicia fecisse, & non reperitur inquiunt instantia in octo conciliis uniuersalibus de quibus dist. 16. c. sancta octo. præterquam in actione 3. Calcedonensis concilii ubi Vicarii Leonis papæ uicem gerentes, quia nullus pro parte Imperatoris interfuit aut in synodo primatum tenuisse & præsedisse & concilium direxisse per prælocutiones & demum ex iussu synodi dixisse sententiam in Dioscorum ex communi consensu aliis omnibus coniudicantibus. Hæc sunt uerba cuiusdam aduersariorum in quibusdam scriptis suis.

Secunda
Tertia
Quarta
Probatio prima 2. opi. quæ cũ seq. soluetur ca. 25.
Secunda

Cap. XXIIII. In quo respondetur ad obiectiones præfatas in primo loco positas.

ISTIS non obstantibus quibus facile est respondere tenendum est quod dictum est, quòd regulariter in conciliis uniuersalibus si papa præsens sit ipse præsidet in eo. Non enim summus pon. minus est habens dignitatem aut auctoritatem in concilio uniuersali quàm metropolitanus in concilio prouinciali cui præsidet, & episcopus in episcopali, immo multo plus. tum quia Romanus pon. uocatus est in plenitudinem potestatis, alii uero non, ut dictum est supra. tum quia superioritas papæ super omnes prælatos ecclesiæ est ex diuina institutione, metropolitanorum uero supra episcopos comprouinciales est ex humana institutione. unde non habent nisi in certis casibus respectu aliorum iurisdictionem. Ad rationes ergo in oppositum est dicendum. Ad primam respondetur dupliciter. Primo quòd consequentia illa qua sæpe utuntur aduersarii uidelicet hæc, hoc non legitur factum ergo non fuit factum non ualet. locus enim ab auctoritate negatiue nullius roboris est. dicit enim beatus Ioan. Ioan. ultim. Multa alia fecit Iesus quæ non sunt scripta in libro hoc. Præterea in hoc decipiuntur aduersarii quòd ex hoc quòd Petrus ex humilitate, ut dicit beatus Chrysost. super acta apostolorum omnia agebat communi omnium uoluntate & nihil agebat principaliter aut dominatiuæ credunt quòd per se faciendi non haberet auctoritatem, quod falsum est sicut patet ex ipso

Ad primã prob. 1. opi. recitatæ ca. 23.

Chryso. ut supra ostendimus circa ca. 18. secundi lib. Secundo respondetur quòd & si expresse & formaliter non legatur quòd beatus Petrus præsederit in conciliis celebratis per apostolos, datur tamen intelligi tam ex circunstantiis litteræ quam ex gloss. sanctorum patrum. patet primum de primo concilio de quo Act. 1. & primo ex loco quia in medio fratrum dicitur fuisse, ubi glo dicit quòd exemplo Christi qui in medio discipulorum dicitur fuisse, ut habetur Ioan. 20. Secundo ex eo quòd primus loquebatur. hoc enim non præsumpsisset Petrus plenus spiritu sancto nisi toti congregationi præsedisset, ut princeps siue prælatus. unde gl. ait sic loquitur pastor pro ouibus suis. Tertio colligitur hoc ex forma loquendi. ait enim. Viri fratres oportet impleri scripturam, & iterum. oportet ergo ex his qui nobiscum sunt, &c. Certe ista loquendi forma magis præsidentiam, & auctoritatem notat in Petro respectu totius congregationis quam subiectionem. Quarto hoc irrefragabiliter arguitur ex eo quòd ut beatus Cyrillus testatur in lib. thesaurorum. apostoli in euangeliis & epistolis affirmarunt in omni doctrina Petrum esse in loco domini, & eius ecclesiæ, ei dantes locum in omni capitulo & congregatione, in omni electione, & confirmatione. Clarissimum est autem quòd si in congregatione apostolorum locum domini nostri Iesu Christi Petrus tenebat, ut dicit beatus Cyrillus quòd congregationi præsederit sicut ipse Christus præsedisset. Vnde beatus Chrysost. beatum Petrum uerticem apostolorum uocat.

Ad secundam

Ad secundam respondetur etiam dupliciter. Primo quòd cum concilium Basilien. ut toti orbi notum est scandalosum fuerit, & in multis præsumptuosum trãsgrediens terminos quos posuerunt patres sancti in conciliis uniuersalibus ab illo nullum argumentum sumendum est. Secundo respondetur falsum esse quòd Basilien. concilium præsidentem non habuit: quoniam habuit legatum apostolicæ sedis dominum Iulianum de Cæsariuis bone memoriæ dyaconum Cardinalem tituli sancti angeli qui præsidens illius fuit per magna tempora, qui & si in principio personaliter non interfuit occupatus cum Bohemis habuit tamen locumtenentem.

Ad tertiã

Ad tertiam respondetur dupliciter. Primo negando consequentiam. Sane si consequentia illa ualida esset nullus princeps præsideret alicui regno aut prælatus alicui sanctæ congregationi. unde dicendum est quòd sicut causalitas primæ causæ non tollit causalitatem secundæ causæ, ita nec præsidentia, siue præsentia Dei tollit præsidentiam ministrorum eius. per hoc ergo quòd spiritussanctus dicitur præsidere sanctæ synodo, nec præsidentia Romani pontificis tollitur nec eius auctoritas diminuitur. Præterea si consequentia illa esset bona peccassent summi pontifices sancti tanquam præsumptuosi qui præsedisse leguntur sicut uisum est in multis conciliis uniuersalibus peccassent etiam concilia ipsa quæ hoc permittebant. maxime si hoc ut aduersariorum stultitia arguit uergeret in contumeliam spiritussancti. quorum tamen utrunq; esse erroneum nullus catholicus ignorat. Secundo respondetur quòd falsum est uniuersaliter quod assumitur sicut patet de secunda synodo Ephesina quæ cum damnatissima fuit magis ei præsedisse credẽdus est spiritus malignus quàm sanctus licet patres in ea congregati se iactassent quòd spiritussanctus eis consedisset. unde sicut leguntur dixisse in eorum synodo. si ergo spiritussanctus concessit patribus. sicut manifeste consedit & ordinauit quæ ordinata sunt quis retractat, quis spiritussancti cassat gratiã. Quod

uero inducitur ex Math. 18. ubi Christus ait, ubi duo uel tres, &c. ad propositum non est quia cum auctoritas loquatur ad litteram de congregatione quorumcunque fidelium siue laicorum, siue clericorum qui congregantur in nomine domini, nec loquatur de congregatione locali in aliquo loco siue ciuitate, sed de congregatione quæ est unanimitas in aliqua una re in qua conueniunt, non loquitur ad litteram de conciliis uniuersalibus sicut manifestũ est cuiq; euangelium legenti. Non negamus tamen dictũ illud adaptari posse conciliis uniuersalibus & prouincialibus & capitulis etiã religiosorum in nomine domini congregatis quò ad promissionem assistentię diuinæ gratiæ: arguendo per locũ a minori ad maius. Præterea assistentia illa ibidem promissa congregatis in nomine domini non est præsidentia synodalis, ut de se patet, unde non est ad propositũ. Præterea cum non possint dici congregati in nomine domini qui eius Vicarium uniuersalẽ ad præsidentiam non admittunt, sed contẽnunt, manifestum est ꝙ ratio illa aduersariorum nullius sit roboris atque momenti. Ad quartam respondetur negando minorem uidelicet ꝙ conciliũ uniuersale sit superius auctoritate Rom. pon. quoniam hoc uidetur contrariari iuri naturali, iuri diuino, & iuri positiuo. Iuri quidem naturali: quoniam naturaliter sicut caput humanum situ superius ita & uirtute ac regiminis auctoritate præstantius est suo corpore. Sũmus autem pontifex caput est & uertex concilii uniuersalis. Iuri diuino etiam repugnat, cum Rom. pont. diuina institutione princeps sit super totã uniuersalem Christi ecclesiam. dicente domino Petro. super plebem meam principem te constitui, & cum ei dicitur. pasce oues meas Ioan. ult. Iuri etiam humano contradicit, ut patet extra de elect. c. significasti, & ex multis aliis locis superius inductis. Ad id uero quod inducitur de concilio Constantiensi superius responsum est in c. 99. secundi libri. Ad quartam

Cap. XXV. In quo respondetur ad obiectiones secundo loco positas.

CONSEQVENTER respondeamus ad rationes dicentium ꝙ nec papa nec eius legati debent habere præsidentiã in conciliis auctoritatiuã, sed tantum honorariã. Ad primã cũ sic arguitur ꝙ si sic tolleretur forma essentialis a concilio. Respondetur negando hanc consequentiam quoniam nulla est. Non enim propter hoc ꝙ papa præsidet auctoritatiue in concilio sequitur ꝙ remoueat libertas consulendi nisi quis ita insipienter sapiat quod non sint alii actus iurisdictionis quos papa posset habere in concilio quam cogere existentes in eo, ut concurrant ad uotus ipsius. Ad id uero quod in loco secundo dicunt ꝙ in cõciliis uniuersalibus cũ papa præsens nõ fuerit imperatores & iudices destinati per eos habuerũt primatũ & præsidentiã, &c. Respõdetur ꝙ hoc totũ quod dicũt est falsum, ut patet per singula discurrẽdo. & mirandũ est ꝙ talia qui Christiani sunt, & ecclesiastici, & qui doctos se existimãt libris suis demandent. Quod. n. in primis dicunt ꝙ absente papa imperatores & iudices destinati per eos habuerãt primatũ & præsidentiã tenuerunt in conciliis uniuersalibus patet esse falsum ex illo quod Martianus imperator inquit in actione sexta concilii Calcedonensis. & ponitur in cap. nos dist. 96. Nos ad fidem roborandam non ad potentiam aliquam ostendendam, siue exercendam exemplo religiosissimi

Ad primã 2. opi. positæ c. 23.

Ad secundam

principis Constantini synodo interesse uolumus, ut ueritate inuenta non ultra multitudo prauis doctrinis attractata discordet. alias ne ulterius prauis persuasionibus a recta separentur fide. Ecce quòd Imperatores non primatum non præsidentiam habeant in conciliis uniuersalibus, in quibus ipsi confitentur non nisi protectionis gratia uelle interesse. Quòd autem non solum in actione tertia concilii Calcedonensis Vicarii papæ præsiderent, & primo loquerentur, & dirigerent omnia, ut dicit aduersarius, sed etiam in octo conciliis & non Imperatores, aut iudices, patet ex eo quod ponitur in ipsa tertia actione. ubi Vicarii papæ sic leguntur allocuti sacrũ concilium. Notum est nempe huic amabili concilio ad beatum apostolum Leonem sacras litteras esse destinatas quatenus huic sacro concilio se præsentare dignaretur, sed quoniam nec antiqua consuetudo nec necessitas temporis permittere uideatur nostram paruitatem huic concilio sacro pro se præsidere præceperat. Ideoq; necessarium est hæc quæ in medium proferuntur per nostram interlocutionem disceptari. propter hoc ergo porrectus libellus a religiosissimo fratre nostro & coepiscopo Eusebio susceptus recitetur & factum est ita, hæc ibi. Ecce manifeste primo quòd legati papæ præsidere debeant concilio loco papæ. secundo quòd ad eorum officium necessario spectaret, ut per eorum interlocutiones ea quæ proferenda in medium uenirent proponi & disceptari unde quòd aliquando iudices aliqui deputati legantur in conciliis uniuersalibus ab Imperatoribus non fuerunt deputati ad præsidendum, aut diffiniendum, aut iudicandum auctoritatiue cum talem potestatem non haberent ipsi Imperatores. unde si reperiatur scriptum quòd Imperatores præsiderent intelligitur non auctoritatiue, sed ad ornatum. unde in epistola quam Calcedonensis synodus scribit papæ sic habetur. Quibus s. patribus congregatis tanquam caput membris præpositus eras per eos qui tuam continent uicem rectum concilium demonstrans principes autem fideles ad ornatum præsidebant, hæc ibi. Et ita patet quòd nec Imperatores auctoritatiue præsidebant nec deputati iudices per eos, sed cum inter catholicos & alios hæreticos esset disputatio & controuersia magna, ponebantur illi quasi auditores discretiui & testes ut audirent motiua & rationes altercantium, ut ueritate tandem patefacta & relatione facta Imperatoribus, Imperatores ipsi fauorantes habentibus ueritatem sententias eorum & diffinitiones per disciplinæ timorem facerent ab omnibus obseruari. Nam ut inquit beatus Isido. & habetur in cap. princeps 23. q. 5. Intra ecclesiam potestates necessariæ non essent nisi ut quod non præualent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. unde quòd ita sit patet ex illo quod habetur ex quarta actione octauæ synodi. ubi sic legitur post hoc magnificentissimi & gloriosissimi principes per babanum magnificentissimum Patricium & præpositum dixerunt, Imperatores nostri miserunt seruos suos qui senatus uocatur qui uoluntate Dei honoratus est secũdũ omnia ut simus discretiui eorũ quæ geruntur auditores. Si uultis ergo a nobis sicut se habet ordo synodicus in fine sanctæ & uniuersalis huius synodi exire proprias subscriptiones per me indignũ seruum sanctorũ Imperatorũ nostrorũ cuncti fratres mei & cõpatritii dicunt sanctissimo domino nostro patriarchæ & sanctissimis Vicariis tã senioris Romæ quã orientaliũ sedium nisi audierimus & ab ipso Focio in cõspectu nostro stãte & ab episcopis eius

ex ab

ex ab his qui habētes consecrationem beatissimi Methodii,& sanctissimi Ignatii apostatęq; facti sunt ut in conspectu nostro obstruantur ora ipsorum ex canonicis,& synodicis præceptionibus non scribet manus nostra unam litteram in synodo ista:audiant quæ iudicata sunt a seniori Roma in conspectu nostro & si nihil contradicere potuerint sanabitur mundus ex consensu ipsorum. Si autem hoc factum non fuerit scitus quia nostri non egetis ad subscribendum in fine a uobis gestorum,quomodo enim subscribemus in huiusmodi iudicio illis clamantibus atque dicentibus audiamus depositionem nostram dannemur audientibus nobis ,ut postulat iustitiæ ratio &c.hæc ibi. Ex quibus manifeste patet quòd illi deputati per Imperatores non erant præsidentes ut iudices concilii per auctoritatem sicut nec ipsi Imperatores erant,sed uocati sunt iudices sicut deputati ad audiendum aliquos altercantes sicut magis,ut auditores eorum & testes gestorum per patres ibidem.Quod etiam manifeste colligitur ex cap.satis 96.dist.ubi Nicolaus papa ita inquit. Sed Theodosius minor sanctæ synodo scribens primæ dixit.deputatus est ergo Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire usque ad sacratissimam synodū nostram & in nullo quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmatibus quæstiones seu potius expositiones communicare. Illicitum nanque est eum qui non sit in ordine sanctorum episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus,hæc ille.Ex quibus luce clarius habetur quòd laici illi nobiles qui ad concilium mittebantur per Imperatores non ad præsidendum auctoritatiue aut ad diffiniendum uel iudicandum deputabantur, cum ipsemet Imperator protestetur illicitum esse tales laicos ecclesiasticis, immisceri tractatibus. Quod uero ultimo dicitur ex aduerso quòd præsidentes papæ de mandato, & auctoritate concilii sententiam proferebant:falsissimum est immo ipsi auctoritate summi pontificis sententiabant quod manifeste colligitur ex quinta actione præfatæ octauæ synodi, ubi præsidentes sententiam dantes contra Focium ita dicunt : uidistis fratres,uidistis,& audistis quæ ex multo tempore dicta & gesta sunt de huiusmodi causa,& apparuit uobis omnibus, quia irreceptibilis erat promotio huius uiri & depositio sanctissimi patriarchæ Ignatii de sede sua sine iustitia,& sine legibus fuerit acta.Nos ergo non nouum aliquod uel recens iudicium iudicabimus:sed uetus & ex multo tempore præiudicatum quidem a sanctissimo,& beatissimo papa Nicolao: firmatum autem a sanctissimo papa Adriano,& non possumus transferri, & commoueri a paternis diffinitionibus,& legibus nec declinare ad dextram nec ad sinistram. Scriptum est enim audi fili leges patris , & ne repellas iura matris tuæ , & infra talem conatum abiicimus ,& anathematizamus ne ulterius contra ecclesiam quælibet alia forte in omne seculum maligna introducatur actio. Et infra.Quid ergo placet talia sunt nostra & nostræ sedis quæ si apud uos non fuerint acceptabilia : nos tamen super montem excelsum huius synodi ascendemus , & exaltabimus in fortitudine uocem nostram euangelizantes uobis , & consequentiam quæ facta & ore promulgata est sanctorum patrum nostrorum a gratia spiritussancti. Et sequitur,ad hoc quid dicit sancta synodus:sunt hæc quę a nobis per lectionem dicta sunt apud uos accepta Sancta,& uniuersalis synodus exclamauit:recipimus omnes.ualde quippe sunt discreta,& congrua & consona ecclesiasticis regulis atque legibus:

hæc ibi. Ex quibus manifeste patet falsum esse & iniquum quod aduersarii dicunt quòd præsidentes papæ auctoritate & mandato concilii sententiam protulerunt. Nec debet quis moueri per hoc quòd præsidentes aliquando cum sententiam dare deberent legantur dixisse ad synodum uel ad illos iudices deputatos discretiuos, si iubeatis. quia hoc non erat petitio auctoritatis: sed erat uerbum humilitatis, quod sonat, id est dignemini audire.

Cap. XXVI. De his quæ in ipso uniuersalis concilii prosecutionis exordio obseruanda sunt.

DESIGNATIS iam patribus ad concilium uocandis, & præsidente in eo. Iam ad ea quæ in ipsis concilii prosecutione ueniunt primitus obseruanda descendamus. Occurrunt autem tria consideranda. Primum est: quo habitu uestiti prælati synodum ingredi debeant: an in habitu communi: an in habitu dignitati suæ conuenienti. Secundum est quomodo ordinari debeant in sedendo. Tertium est a quo debeant synodū inchoare. Quantum ad primum conuenientissimum nobis uidetur ꝙ prælati uestibus dignitati suæ congruentibus cōueniant ad synodum celebrandam, quod duo satis persuadent. Primo quia cum ea quæ foris geruntur conformari, & congruere debeant actibus qui aliqua excellentiori potestate exercentur. unde non nisi in uestibus sactis sacerdos ad consecrandum corpus Christi accedere debet iuxta ca. uestimenta de consecra. dist. 1. conuenientissimum uidetur ut prælati ad actum iudiciariæ potestatis exercendū & in maximis rebus in concilio conuenientes non nisi in uestibus eorum dignitatibus aut prærogatiuis condecentibus accedant. Secundo hoc persuadet exemplum plane si in prouincialibus conciliis hoc obseruatur, ut a prælatis uestibus eorum conuenientibus adornatis, & cum mitris in capite celebrentur, iuxta cap. quod sicut extra de elect. lib. 6. ubi patet ꝙ archiepiscopus sine pallio non congregat concilium, & de mitra habetur de priuile. ut apostolicæ lib. 6. Conuenientius est ut hoc in uniuersalibus conciliis obseruetur quæ pro rerum gerendarum maiestate maiore solennitate ueniunt celebranda. Mitre uero prælatorum sicut uidimus obseruari tam Constantiæ quàm Basileæ omnes albæ esse debent & plane sine ornamentis, iuxta notata per Ioannem Andreæ in dicto capitulo, ut apostolicæ. ubi dicit quòd episcopi in ipsa præsentia legatorum ecclesiæ Romanæ, & per consequens maiorum suorum utuntur tantum mitris albis, & planis, quod fortius obseruatum est in præsentia Romani pontificis qui princeps est episcoporum hæc etiam obseruantia tenetur in curia cum missam in capella papa celebrat. Secundum quod considerandum uenit est de ordine quem prælati tenere debent in sedendo, & per consequens in subscriptionibus. quia ordine quo sedent se subscribunt. Pro quo talis forma obseruanda uidetur ut primum locum teneat Romanus pontifex qui caput, & princeps est totius ecclesiæ, ut in canon decet dist. 12. Secundum locū obtinet cardinalis Hostien. qui hoc habet ex priuilegio: quia Romanum pontificem consecrat, ut notat Hosti. in ca. antiqua de priuile. Tertium locum de iure nisi obuiet aliqua Romanæ ecclesiæ consuetudo obtinet patriarcha Constantinop. Quartum Alexandrinus. Quintum patriarcha anthiochenus

chenis. Sextam Hierosolymitanus. De quo ordine habetur in capi.reno-uantes dist.23.& in ca.præallegato antiqua. de priuile. Post autem has patriarchales sedes sequuntur aliæ quattuor sedes, scilicet Aquilegiensis, Bituricen. Granden.& Ruangen.de quibus Archi.in glo.ti.distinct.22. Cardinales uero secundum consuetudinem Romanæ curiæ præferuntur in sedendo illis ultimis patriarchis, alii uero sequuntur ordinem dignitatis eorum ut primo archiepiscopi:deinde episcopi: deinde abbates quia eos synodo interesse contingget.inter autem illos ordo seruandus est iuxta tempus ordinationis eorum distin.17.§.episcopos. Tertium quod considerandum est a quo actu synodus est inchoanda. Ad quod dicimus quòd ab hac oratione sicut a missa spiritussancti quæ celebrari debet per aliquem prælatum de concilio. Si enim ut inquit Plato in rebus etiam minimis diuinum auxilium est implorandum multum reprehensibile foret si cu habenda sunt concilia de rebus maximis primo ad Deum sine quo fieri nihil potest oratione non præmissa recurreretur. Vnde Hieronymus in principio cuiuslibet operis orationem dominicam dicit præmittendam. Item tota ecclesia in singularum horarum principiis diuinum implorat auxilium dicens Deus in adiutorium meum intende. Congruitatis auté huius quod diximus ab oratione in synodo esse inchoádum, exemplum habetur ex illa religiosa consuetudine in omni capitulo uetustissimæ obseruata:quod cum eligendus uenit prælatus missa de spiritusancto præmittitur,ut notat Inno. de elect.cum nobis olim. quod certe fortius fiendum est cum pro rebus maximis totius Reip.Christianæ uniuersitatem tangentibus non unius particularis ecclesiæ capitulú sed totius ecclesiæ repræsentatiua synodus aduaatur præmittenda est ut diximus specialis oratio ad spiritumsanctum,quoniam & si illud quod oratione sua impetrare synodus optat effectus communis sit totius trinitatis appropriatur nihilominus personæ spiritus sancti: quod patet.duo nanque sunt potissime necessaria ad rite,& bene celebrandum uniuersale concilium. Primum est illuminatio ueritatis in diffiniendis,& agendis. Secundum est unanimitas patrum congregatorum in synodo in concludendis ut omnium sit una mens una sententia, & unus sensus,utrunque istorum attribuitur spiritui sancto. De primo patet ex illo Ioan.16.spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo ille uos docebit omnia,& suggeret uobis omnia quæcunque dixero uobis. De secundo patet ex illo ad Rom.8. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd simus filii Dei,super quo uerbo dicit glo. spiritus sanctus communis est patri,& filio amborumque unio per ipsum fit societas, & unitas qua efficimus unum corpus unici filii Dei, unitas enim nos cópaginat quá fecit charitas,charitas unde est nisi a spiritu sancto,hæc gl.quia uero hæc dona quæ diximus maxime patribus conuenientibus ad synodum necessaria dona spiritus sancti sunt:laudabili consuetudine introductum est ut in ipso concilii principio antequam ad alia procedatur: hymnus ille. Veni creator spiritus uoce alta decantetur. Consequenter proponendus est sermo diuinus de pertinentibus ad concilium ut omnes intelligant quid agendum sit & ut moueantur ad uolendum, & exequendum ea quæ Deo placita sunt & uniuersali ecclesiæ accommoda. Proponendum est ergo uerbum Dei coram synodali congregatione sicut diximus. Ad quod nos hortantur inter alia maiorum nostrorum exempla. Exemplú habemus pri-

me a domino nostro Deo & Saluatore nostro Iesu Christo qui discipulis congregatis coram se fere semper prædicabat eis Mat.5. Cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos. Itẽ hoc exemplum reliquit nobis uicarius eius beatus Petrus qui cum conuenissent apostoli, & seniores super quæstione de circuncisione surgens, & prædicans dixit ad eos uiri fratres uos scitis &c. Actuum 15. Hoc etiam exemplum reliquit nobis uas electionis, qui uocatis maioribus natu ecclesiæ apud Miletum ab Epheso prædicauit eis dicens, uos scitis a prima die &c. Actuum 20.

Cap. XXVII. A quibus cauendum est in conciliis.

VISO a quo synodus est inchoanda. Reliquum est uidere a quibus in processu illius patres congregatos cauere decet si synodũ suam uenerabilem mundo & ecclesiæ utilem reddere cupiunt. Occurrunt autem decem a quibus cauendum est. Primum est malitia siue prauitas affectionis. Vnde Imperator Basilius in principio octauæ synodi sic hortatur fratres concilii. Commonemus & exhortamur omnes uos fratres ut cum multo pudore ac reuerentia conueniatis ad sanctam hanc & uniuersalem synodum tanquam ad communem, & uniuersis aptam atque sine labore medelam nullam uitiosam motionem uel affectum ferentes nec ad contentiosam uoluntatem respicientes sed potius uinci quàm uelle uincere periculosæ, hæc ille. Est ergo excludenda omnis sinistra ac uitiosa assertio a patribus conuenientibus ad synodum, & dirigenda omnis eorum intentio ad honorem, & gloriam Dei: ne oppositum facientes uideantur magis conuenisse aduersus Christum quale fuit concilium principum sacerdotum & seniorum populi, de quo habetur Math.26.ca. tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis, & concilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Secundo ut ad status apostoli dignitatem, & auctoritatem conseruandam & non ad eius destructionem conspirent quale fuit concilium quod aduersus apostolos congregatum est de quo Actuum 5. ubi dicitur quòd princeps sacerdotum & omnes qui cum eo erant conuocarunt concilium, & sequitur post. & statuerunt illos, scilicet apostolos in concilio. Tertio ut ad quietem & ad pacem fidelium & non ad inquietationem, & turbationem bonorum studeant, quale fuit concilium contra beatum Stephanum uenerabilem Christi discipulum cõgregatum, de quo habetur Actuum 6. ubi sic dicitur. Concurrentes rapuerunt Stephanum & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, huiusmodi autem concilium quod in perturbationem uirorum religiosorum est non concilium sanctorum patrum est, sed concilium malignantium dicendum est, de quo dominus per prophetam dicit. concilium malignantium obsedit me. Cauendum est ergo a patribus ad uniuersale concilium conuenientibus ne aliqua eis insit intentio sinistra aut affectio praua in eis aliqua regnet: sed præ oculis semper habeant quæ sunt ad honorem Dei: ad decorem domus Dei: & ad pacem populi Christiani. Tales autem sunt qui in nomine domini congregantur de quibus dicitur per prophetam. Esa.60. cap. Omnes isti congregati sunt tibi, id est

ad ea

ad ea quæ tua sunt facienda, in tali concilio glorificatur Deus secundum illud psal. Deus qui glorificatur in concilio sanctorum. Taliter autem in ueritate congregatis in nomine Christi diuinitatis suæ promittitur assistentia iuxta illud Math. 18. ubi duo uel tres cógregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum. Secundum quod cauendum est a patribus in concilio est negligentia circa bonum commune, ut totis uiribus omnique studio publicis commodis intendant: prætermissis causis priuatis. unde Leo papa ad Theodosium Imperatorem scribens. unde error secundæ Ephesinæ synodi originem traxit: inquit dum priuatę causæ religionis exercentur obtentu commissum est impietate paucorum quod uniuersam ecclesiam uulnerat, hæc ille. Quocirca Tul. dicit eos qui Reip. profuturi sunt: duo Platonis præcepta obseruare debere. Vnum est ut ad utilitatem ciuiũ sic tueantur ut quæcunque agant ad eandem referant obliti commodorũ suorum. Alterum ut totum corpus respiciant ne dum unam partem tueantur alteram deserant unde recte patribus congregatis in concilio potest dici illud quod dicebat Iosaphat 2. paral. 19. Sit timor domini uobiscum & cum magna diligentia cuncta facite. Tertio a quo cauendum est in concilio est timiditas, ne scilicet aliquis propter timorem cuiuscunque pertimescat dicere ueritatem eius quod sentit de his quæ pertinent ad gloriam Dei & decorem domus eius, ut ueraciter dicere possit cum propheta. Non abscondi ueritatem tuam a concilio multo, dicit enim August. ad Casulanum, & habetur in cap. quisquis 11. quæst. 3. quisquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominum quam Deum, & Ioan. Chrysost. ut in ca. nolite eadem causa & q. proditor est ueritatis qui non libere ueritatem pronunciat. Quartum cauendum a patribus in concilio est amor uanæ gloriæ seu uanitatis ne, scilicet patres ad ostentationem sui multa & magnifica introducentes tempus salubribus rebus deputatum in uanitate consumant. Tale uanitatis concilium detestatur propheta dicens non sedi cum concilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Quintum quod cauendum est, est dissolutio ne scilicet in concilio ubi cuncta cum timore Dei & grauitate peragenda sunt dissolutionibus, & carnalibus solatiis siue festiuitatibus uacetur. Tale itaque concilium abominatur Hiere. dicens. Non sedi in concilio ludentium. Hiere. 15. Sextum quod cauendum est in concilio sunt tumultus disceptationis obstinatę, & dissensiones, ne scilicet inter patres cõtentiones, & diuisiones sint ne eorum congregationes sint de quibus ait apostolus 1. ad Corin. 11. conuenientibus uobis audio inter uos scissuras esse. Ad quod pulchre exhortatur concilium Toletanum 11. ut habetur in cap. in loco 5. quæst. 4. sic dicens in loco benedictionis consedentes domini sacerdotes nullus debet aut indiscretis uocibus perstrepere aut quibuslibet tumultibus uel risibus agere & quod est deterius obstinatis disceptationibus tumultuosas uoces effundere. De uitando etiam huiusmodi tumultu in conciliis uniuersalibus habetur etiam monitorium in gestis Calcedonensi concilii a quo describendo super sedemus gratia breuitatis. Septimum quod est cauendum a patribus in concilio est tepida correctio circa culpas præteritas & maxime in domo domini commissas. Hely enim sacerdos quia filios suos tepidę correxit diuino iudicio de sede cadens fractis ceruicibus expirauit 1. Regum 4. Christus etiam ut habetur Ioan. 2.

tanto zelo contra peccata in templo exarsit, ut factis funiculis negociatores de templo manu propria eiecerit. Octauum quod cauendum est sinistra persecutio aliorum ne, scilicet aliqui odio contra alios in concilio persequantur contra eos iniuste aliquid molientes. Odio enim ut inquit Greg. & habetur in cap. quatuor 11.q.3. peruertitur humanum iudicium dum contra quemlibet aduersarium molimur: amore dum aliquo amico uel propinquo præstare auxiliũ contendimus. De talibus enim dicitur Prouer. 26. qui operit odium fraudulenter reuelabitur malicia eius in concilio dum. s. aperte contra sibi odiosos insurgit. quod exemplariter uidimus in concilio Basiliensi ubi quorundam studio qui contra sanctę memoriæ dominum Eugenium odium habebant totam quasi synodum ad illius persecutionem in scandalum totius ecclesiæ commouerunt, quare beatus Greg. in epistola quam uniuersis episcopis per Siciliam constitutis scribit ut cũ Petro subdyacono suo legato celebrarent concilium dicit sic. A quo concilio procul absint ocia facinorum nutrimenta atque inuidia interna tabescat uirus execrabilis animorum sacerdotes suos concordia Deo placita, & charitas recognoscat hæc ergo omnia cum maturitate, & tranquillitate gerite, ut dignissime possit episcopale concilium nuncupari. Nonum cauendum a patribus in concilio est ne innitentes quibusdam fantasiis aut somniis, & incertis reuelationibus siue uisionibus aliud ordinent siue disponant in ecclesia, sensus enim sanctorum patrum non fantasiis sed sanctarum litterarum regulis formari debent atque inniti. propter quod dicitur Hiere. 14. Prophetę qui uident uana atque diuinant mendacia in concilio populi mei non erunt. Decimum quod cauendum est a patribus in cõcilio est error in promouendo materias in concilio ne. s. parua magnis tẽporalia spiritualibus anteponant quod nullo modo faciendũ est: promouenda enim principaliter sunt maiora sicut spiritualia, utpote quæ ad fidem catholicã: ad cultum diuinũ ad morum reformationẽ: ad pacem Christiani populi: ad utilitatem totius Resp. Christianæ pertinent, ita legitur obseruatum in cõciliis sanctis antiquis uniuersalibus. unde in gestis Ephesinæ synodi habetur ꝙ Telasius episcopus sic dixit. Piissimus, & Christianissimus Imperator desiderans fidem quæ hactenus est inconcussam manere pręcepit nil aliud nec dicere nec agere in sancta synodo nisi prius de fide statuatur unde omnia nunc negocia uacent quæ sunt interim de fide in medium proferantur. Et similia multi alii episcopi prosecuti sunt. Opposita enim facientes deridet beatus Bernardus dicens optimi estimatores qui de maximis minimã: & de minimis maximam curam gerunt. Vndecimum quod cauendũ est in concilio est leuitas, & præcipitatio in cõsulendo siue cõcludẽdo. Celeritas enim ut dicit Diogenes maxime inimicatur concilio, & ut inquit Tullius est inimica iudicii. quare dicitur. Prouerbiorum 19. qui festinat pedibus offendit & Sen. ait uelox consilium sequitur penitentia maxime consilio contraria sunt festinatio, & ira. & ideo dicit beatus Greg. ut habetur in c. summopere. 10.q.3. Summopere præcauendum est ut qui iusta iudicia exercẽt in dictandis sententiis nullatenus leuitate aut fauore ducti sint præcipites sed causis prius diligenter uentilatis cum res quæ ignorabatur plenter ad notitiam uenerit nunc diuina & humana lex resoluatur, & secundum quod ibi constitutum est remota personarum acceptione diffinitiua proferatur sententia. Duodecimum cauendum est uiolentia. libertas enim maxime requiritur

quiritur in consulendo ita ut ibi libertas non est synodus esse non possit. unde de uiolentia facta in secunda synodo Ephesina orientales quidā episcopi dixerunt nullus consensit uiolentia facta est nix cum glagis in para charta subscripsimus minibatur nobis damnatio mine exilii tendebantur milites cum gladiis, & fustibus inhibant timore imus fustes & gladios: ubi gladii & fustes qualis synodus? hæc ille q.d. nulla.

Cap. XXVIII. Quòd uniuersalium conciliorum auctoritas a Romano pon. deriuetur & pendeat.

SI quis superius dicta quæ de Romani pontificis primatu, & eiusdem sedis prærogatiuis ex sanctorum patrum sententiis stabiliuimus luce clarius percipiet quòd uniuersaliter conciliorum auctoritas a Romano pontifice pendeat, & emanet. Vnde sanctus Thom. doctor egregius in tractatu suo contra impugnantes religionem hanc sententiam confirmat dicens, sancti patres in concilio congregati nihil statuere potuissent nisi auctoritate summi pontificis interueniente sine qua etiam concilium congregari non potest: hæc ille. Quod autem hęc sententia tam ex superius dictis quàm ex aliis sit uera ostenditur primo ex eo quod in 2. libro multipliciter ostendimus quòd Romanus pontifex caput esset uniuersalis ecclesiæ. & per consequens uniuersalis concilii illam repræsentantis. Ex quo manifeste sequitur quòd habitudo Romani pontificis ad uniuersalem ecclesiam & per consequens ad uniuersale concilium ipsam repræsentans sit habitudo capitis ad corpus. cum autem talis ita sit quòd corpus non nisi mediante capite recipiat influxum uirtutis sensus, & motus ut ait philosophus, & etiam Isido. lib. 10. Ethimo. (inquit enim prima pars corporis caput est datumque est illi hoc nomen eo quòd sensus, & nerui inde initium capiant ut ex eo omnis uigendi causa oriatur) uidetur necessario quòd omnis auctoritas, & potestas concilii uniuersalis a papa sicut a capite immediate dependeat unde Leo papa ut in cap. ita dominus habetur dist. 19. hanc conclusionem confirmata ita dicens. huius muneris sacramentum ita dominus ad omnium apostolorum officium pertinere uoluit ut in beatissimo Petro omnium apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodā capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet ut exortem se ministerii intelligeret esse diuini qui ausus fuisset a petræ soliditate recedere. Secūdo sic, in superioribus in secundo libro ostensum est quod Romano pontifici cura totius ecclesiæ commissa est & non alteri personæ aut congregationi cum dictum sit soli beato Petro pro se & suis successoribus. Petræ pasce oues meas Ioan. 21. super quo dicit Theophilus, & habetur in glo. conti. finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendat Et idem di. Chryso. & Greg. & August. & Bernar. ut superius induximus. ergo ad solius Romani pontificis auctoritatem spectat prouidere, & dare pabulum toti ecclesiæ quod fit in uniuersalibus conciliis disponendo ordinando constituendo corrigendo diffiniendo interpretando, & ad nullos alios dispersos siue congregatos: nisi quantum ipse principalis pastor concedit, & tribuit potestatem. ergo tota potestas uniuersalis concilii pendet a Romano pontifice sicut a capite, & pastore totius ecclesiæ. Tertio sic superius in secundo libro inter alia induximus quòd hierarchia nostra tam

iuxta Ioan. in cap. 21. quàm iuxta beatum Dyonisi. in lib. de ecclesiastica hierarchia sit exemplata a cœlesti. Vnde beatus Ambro. dicit quòd ecclesia est imago cœlestium, sed sic est quòd in angelica siue cœlesti hierarchia nulla potestas ad actus hierarchicos perficiendos tribuitur de super a Deo personæ aut ordini aut toti hierarchiæ quæ non tribuatur siue descendat mediante hierarchia illius hierarchiæ, ut patet ex ipsa beati Dyonisi. doctrina, ait enim 5. cap. ecclesiasticæ hierarchiæ, lex diuinitatis sacratissima est per prima media in diuinissimam reducere lucem. ergo pari modo nulla potestas confertur a Christo ipsi ecclesiasticæ hierarchiæ aut uniuersali concilio ipsam repræsentanti quæ non conferatur mediante Romano pontifice qui est hierarchia, & primus in tota hierarchia, & ideo quicquid auctoritatis habet uniuersale concilium habet immediate a Romano pontifice. unde oppositum dicere est negare ecclesiam militantem ad formam cœlestis hierarchiæ esse dispositam, & negare quòd lex illa sacratissima diuinitatis in illa obseruetur. Quarto sic. In secundo libro tam auctoritatibus quàm rationibus ostendimus quòd omnis auctoritas iurisdictionis prælatorum in ecclesia Dei dependeret a papa, & deriuaretur a Romano pontifice. ergo concilium uniuersale quod ex prælatis ecclesiæ congregatur omnem potestatem sua iurisdictionis constituendi aut diffiniendi aliquid auctoritatiue non habet immediate nisi a Romano pontifice, consequentia est bona. Quinto sic superius in secundo libro ostensum est efficacissimis rationibus quòd uniuersalis ecclesia ut uniuersitas in omnibus membris suis nec recipit a Christo immediate potestatem clauium ordinis nec iurisdictionis. ergo nec uniuersale concilium illam repræsentans. consequentia patet. antecedens sicut diximus secundo libro multis rationibus monstratum est. Sexto sic. concilia uniuersalia uidentur habere origine ex institutione humana & non a Christo immediate. ergo falsum est quòd concilia habeant immediate a Christo potestatem iurisdictionis supra omnes fideles. consequentia uidetur bona: & antecedens patet. tum ex cap. canones 15. dist. & ex cap. generalia quoque concilia dist. 17. tum quia nullibi in sacra scriptura legitur de institutione facta a Christo uniuersalium conciliorum licet bene legatur quòd fuerint aliqua per apostolos celebrata, ut supra in hoc tertio libro notauimus, sed hoc non arguit institutionem eorum immediatam fuisse a Deo. Septimo sic. nec ex scriptura sancta noui aut ueteris testamenti nec ex doctrina sanctorum ab ecclesia approbatorum habetur quòd uniuersale concilium habeat potestatem immediate a Christo sine ordine ad Romanum pontificem. ergo hoc non est dicendum maxime cum contrariari uideatur sacræ scripturę & doctrinæ sanctorum doctorum. consequentia patet. quia ut dicit Hiero. quod de scripturis nõ habet ueritatem eadem facilitate contemnitur qua probatur antecedens uero est notum discurrenti per passus sacræ scripturæ, & manifestius factum est cum responsum est supra in secundo libro in cap. 98. ad auctoritates inductas per aduersarios quòd claues datæ sint uniuersali ecclesiæ, quia illis se armarunt ad probandum quòd uniuersale concilium illos habeat immediate a Christo, de quibus etiam aliquid infra dicetur. Octauo sic. si concilium uniuersale recipit immediate potestatem a Christo aut ergo quando nondum est congregatum aut quando congregatur, primum non potest dici quia non existens capax potestatis non est. Si

quando

quando est, quæritur de hora, & si dicunt quòd immediate adueniente termino assignato conuentionis qua aliqui conueniunt tunc sequeretur quòd in potestate duorum uel trium, aut paucorum concurrentium ad concilium stabit dispositio totius orbis terrarum & ex paucorum & forte hominū nullius auctoritatis pendeat fides & status uniuersalis ecclesiæ quod uidetur inconueniens, si detur quòd alia hora quicquid dicetur uidetur fictitiū. Si uero dicatur quòd data sit hæc potestas concilio quando data est ecclesiæ uniuersali, ita quòd potestas quæ erat in habitu in ecclesia dispersa efficitur in actu ipsa synodaliter congregata. hoc stare non potest quia sicut iam ante diximus & in secundo libro amplissime ostēdimus falsum est quòd potestas aliqua iurisdictionis sit data uniuersali ecclesiæ, ut uniuersitati in omnibus membris suis, aut etiam toti uniuersitati clericorum ad intellectum aduersariorum. Præterea si dicatur quòd data sit hæc potestas concilio quando episcopis in apostolis quibus indistincte & uniuersaliter uidetur data potestas a Christo ad regendum Christianum populū. hoc stare non potest quia ut superius in secundo libro plene ostendimus nulla talis potestatis plenitudo data est collectiue omnibus apostolis simul sed Petro qui princeps apostolorum constitutus est & pastor totius gregis dominici talis potestas plene data est, ut dicit beatus Cyrillus, & beatus Chrysostomus, & ut supra induximus hoc requirit tam unitas ecclesiæ quàm ratio principatus regalis siue Monarchici cuiusmodi est principatus ecclesiæ quàm etiam forma dispositionis Hierarchiæ sub qua constituta est militans ecclesia. Nono arguitur sic. si uniuersale concilium recipit aliquam auctoritatem immediate a Christo, aut eandē, aut aliam, & si aliam aut ęqualem cum ptāte papæ, aut maiorem, aut minorem. nec sic, nec sic: ergo nullam. consequentia patet a sufficienti diuisione. antecedens etiam, non potest dici quòd recipiat eandem. quia sicut alias argutum est in secundo libro nulla superioritas attendi posset in concilio respectu papæ quod aduersarii prætendunt. nec potest dici quòd suscipiat aliam quæ sit ęqualis. tum quia etiam tunc nulla superioritas esset auctoritatis in concilio supra papam, quia par in parem imperium non habet. tum quia papa ut habetur in articulo quodam Constan. concilii & ratio ipsa manifestat cum sit caput, & princeps ecclesiæ habet supremam potestatem in ecclesia Dei: si concilium haberet æqualem potestatem duæ supreme potestates, & duo capita essent in ecclesia: hoc autem esse non potest. tum quia quod per superabundantiam dicitur in unoquoque genere unum tantum est. tum secundo: quia pluralitas principatuum non est bona 12. Metaph. quod autem bonum non est non est credendum a Christo in ecclesia sua constitutum esse. tum tertio: quia duas supremas potestates ecclesiæ unitas pati non potest quæ non solum in unitate fidei charitatis aut finis ultimi attenditur sed ex ordine ad unam supremam potestatem regitiuam totius uniuersitatis Christianæ, ut in secundo libro ostendimus. unde ut beatus Cyprianus inquit in epistola ad quinque presbyteros Deus unus est & Christus unus & una ecclesia, & cathedra una super Petrum domini uoce fundata: aliud altare construi aut sacerdotium nouum fieri præter unum altare & unum sacerdotium non potest, quisquis alibi collegerit spargit: adulterium est impium est sacrilegium est quodcunque humano fauore constituitur, ut dispositio diuina uioletur. hæc Cyprianus. Item non potest dici quòd concilium recipiat maiorem

potestatem quàm papa: patet. tum quia ut iam diximus papa habet supremam potestatem in ecclesia Dei. tum quia tunc constituto concilio papa desineret esse caput ecclesiæ cum desineret habere supremam potestatem & dignitatem supra corpus ecclesiæ quod esset absurdum, & alienum a fide nostra. Præterea non potest dici etiam quòd minorem receperit, quia talis uideretur frustra esse cum potestas papæ esset maior, & sufficeret ad perficiendum omnia ad quæ concilium congregaretur. tum quia conciliũ non esset superius papa aut papa illi subiectus: quod tamen aduersarii prætendunt. ergo uidetur quòd concilium nullam potestatem recipit immediate a Christo sed omnem quam habet recipiat a uicario eius, scilicet Romano pontifice. Decimo sic. uiuente uno rectore unius ecclesiæ alter non substituitur, sicut uiuente marito alter uir non datur uxori 7. q. 1. factus est Cornelius episcopus, & ca. sicut. ergo uiuente papa rectore uniuersalis ecclesiæ non substituitur alius rector eiusdem ecclesiæ a Deo, sed hoc fieret si uiuente uero & indubitato Romano pontifice uniuersali concilio daretur aliqua uniuersalis potestas legitiua totius populi Christiani. ergo sequitur quòd non sit uerum quòd uniuersale concilium recipiat a Christo immediate potestatem. Vndecimo sic. si concilium uniuersale dicitur habere potestatem a Christo immediate quia uniuersali ecclesiæ quam repræsentat data sit, tunc sicut alias arguebamus in secundo libro necessarium esset ut ad concilium conuocarentur omnes fideles qui intra uniuersitatem ecclesiæ continentur si concilium debeat exire in actum siue exercitium potestatis suæ. sed hoc est inconueniens nec unquam in ecclesia fuit practicatum. consequentia tamen patet quia si aliqua potestas est data ecclesiæ, ut uniuersitati omnes fideles æqualiter se haberent ad ius potestatis illius, & per consequens omnes ueniunt uocandi quoniam quando iurisdictio ad uniuersitatem, ut uniuersitatem spectat singuli non sunt iudices sed omnes sunt coniudices ar. 12. q. 2. qui manumittitur. Duodecimo sic. superius in hoc libro tertio in cap. sexto ostensum est quòd auctoritas uniuersalium conciliorum dependet immediate ab auctoritate apostolicæ sedis ut patet ex distin. 17. per totum, nec dependentia ista est solum accipienda respectu conuocationis aut congregationis conciliorum sicut quidam aduersariorum praue interprætantur. sed etiam quantum ad robur, & firmitatem omnium actitatorum in eisdem quod manifestum est ex multis. tum ex præfata distinct. 17. per totum. tum secundo ex eo quod dicit papa Pelagius in cap. confidimus 25. q. 1. quòd apostolica sedes unamquamque synodum sua auctoritate confirmat. item tertio synodus uenerabilis tempore Symachi papæ Romæ celebrata. ut habetur in cap. bene quidem dist. 96. dicit quòd apostolica sedes statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem. Ecce quòd non tantum quò ad uocationem siue congregationem concilia pendent a papa sed etiam quo ad auctoritatem constituendi, & iudicandi, & diffiniendi. Quarto extra de elect. c. significasti dicit Paschalis papa, ꝙ omnia concilia per ecclesiæ Romanæ auctoritatem, & facta sunt & robur acceperunt. ergo concilia uniuersalia immediate capiunt a papa potestatem iurisdictionis cum robur eorum, & firmitas pendeat a Romano pontifice. consequentia est manifesta. quia firmitas ista quam apostolica sedes statutis tribuit synodalibus non est firmitas quam cancellarii dicuntur facere signando litteras suorum dominorum: sicut quidam aduersarii erroneæ interpræ-

terpretantur.sed est firmitas roboris,& auctoritatis quam princeps tribuere dicitur legibus sine qua leges ipse uigore carent ac firmitate sicut infra plenius explicabimus.

Cap. XXIX. In quo obiectiones aliquæ aduersariorum ponuntur contra prædicta.

SVRREXERVNT quidam nouelli magistri hoc nostro tempore qui dogmatizare ausi sunt quòd concilium uniuersale potestatem immediate habeat a Christo,& tantam & tam plenam ut ei omnis fidelis cuiuscunque status sit aut præeminentiæ etiam si papalis obedire teneatur,quod etiam præsumpserunt dicere pertinere ad ueritatem catholicæ fidei quam nouellam doctrinam multipliciter probare,& roborare moliuntur tam auctoritatibus quàm rationibus quàm etiam ut dicunt determinatione uniuersalis ecclesiæ. Primo auctoritate ex illo Deute.17.Si difficile inquit & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem,& sanguinem causam & causam lepram, & non lepram & iudicium intra portas tuas uideris uerba uariari surge ad locum quem elegerit dominus Deus tuus uenies que ad sacerdotes leuitici generis,& ad iudicem qui fuerit illo tempore quæresque ab eis qui iudicabunt tibi iudicii ueritatem, & facies quæcunque dixerint tibi qui præsunt loco quem elegerit dominus Deus tuus,& docuerit te iuxta legem eius non declinabis ad dextram nec ad sinistram.ubi inquit glo.hoc quoque in ecclesia seruandum est.Ex hoc arguunt aduersarii sic. ergo sequitur quòd generale concilium in loco quem elegit dominus audiendum est in sententia sua:nec declinandum ad dextram nec ad sinistram. hoc autem non esset nisi concilium uniuersale haberet a Deo immediate potestatem supremam, & auctoritatem in ecclesia.ergo &c. Secundo sic ex illo Math.18.ubi Christus inquit apostolis quæcunque ligaueritis in terra erunt ligata &c. ubi uidetur dedisse apostolis immediate potestatem iurisdictionis quibus cum succedant episcopi ex quorum congregatione fit concilium uniuersale. uidetur quòd concilium uniuersale immediate recipiat a Christo potestatem. Tertio ex eo quod ibidem Math.18.sequitur:ubi duo uel tres congregati sunt in nomine meo in medio eorum sum.ergo uidetur quòd a præsentia Christi concilium capiat immediate potestatem, & non a papa. Quarto ex illo Ioan.20.Accipite spiritumsanctum quorum remiseritis &c. ex quo uidetur quòd apostoli immediate a Christo acceperunt potestatem clauium, & per consequens concilium collegium eorum repræsentans. Quinto ad idem arguunt ex conciliis uniuersalibus: primo ex octaua synodo in qua patres congregati in damnatione Focii ita dixisse leguntur,hoc autem nolentem intelligere Focium ut bene ageret : sed inobedientem,& resistentem huic uniuersali synodo repulimus , & anathematizauimus atque a tota catholica,& apostolica ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem in spiritu sancto a primo & magno pontifice nostro & Deo liberatore,& Saluatore cunctorum.Ecce inquiunt quòd synodus habet potestatem a Christo,& ut uidetur immediate. Sexto inducunt decretũ quod esse dicunt concilii Constan.in quo dicunt haberi quòd synodus uniuersalis habet immediate potestatem a Christo cui quilibet fidelis cuiuscunq; digni

Probatio prima quæ cũ sequẽtibus improbabitur infra ca.31.

Secunda

Tertia

Quarta

Quinta

Sexta

Septima tatis sit etiam papalis obedire tenetur. Septimo inducunt talem rationem, si papa mortuo naturaliter siue ciuiliter aut legitima causa renunciante uel a barbaris capto sine spe relaxationis siue a tyrannis in exilium relegato sine spe liberationis ecclesia non haberet potestatem immediate a Christo ante creationem papæ non uideretur quòd sapientissimus legislator sufficienter prouidisset ecclesiæ suæ quod uidetur absurdum. ergo sequitur quòd necessarium sit dicere quòd uniuersalis ecclesia habeat potestatem immediate a Christo cui omnes obedire teneantur.

Cap. XXX. In quo reprobatur prædicta aduersariorum assertio, scilicet quòd concilium habeat immediate potestatem a Christo non mediante Roman. pont. & ꝙ hoc pertineat ad ueritatem fidei.

QVONIAM præfata aduersariorum assertio quantum ad illam partem in qua ponit ꝙ uniuersale concilium ut dicitur corpus prælatorum ecclesiæ cōditinctum a Ro. pon. habeat potestatem a Christo immediate sine quacunque mediatione Romani pon. satis plene improbata est: tam lib. 2. ca. 80. quam in hoc tertio libro ca. superiori, solum nunc restat illam refutare quantum ad illam partem in qua aduersarii Basilien. plus sapientes quàm oportebat stulta temeritate dogmatizarunt id ad fidei ueritatem pertinere. Agemus autem breuibus quoniam improbata illorum assertione de continentia ueritatis ex supradictis necessario relinquitur improbata de attinentia ad fidem catholicam cum fidei catholicæ ueritati non nisi uerum consonare possit. Arguitur autem primo sic nullum quod repugnat rationi naturali potest dici ad fidem catholicam pertinere. sed ꝙ conciliū uniuersale non habeat potestatē a papa sed a Christo immediate uidetur rationi naturali repugnare. ergo &c. consequentia est bona. maior etiam patet: quia cū ius naturale deriuetur a iure diuino impossibile est ut quod contradicit iuri naturali pertineat ad ius diuinū. minor patet quoniā rationi naturali repugnat ꝙ cōciliū uniuersale sit corpus & Rom. pon. caput eius, & tamen concilium uniuersale nō dependeat & potestate, & auctoritate a Ro. pon. caput enim ut dicit Isido. lib. Ethy. prima pars corporis est datumq; est ei hoc nomen eo ꝙ sensus, & nerui inde initium capiant atque ex eo omnis uigendi causa oriatur. Secundo sic. nulla assertio quæ repugnat euangelio Christi potest ad ueritatem catholicam pertinere: sed dicere ꝙ cōciliū uniuersale habeat auctoritatē a Christo cui etiā papa sit subiectus uidetur repugnare euangelio. ergo talis assertio non pertinet ad ueritatē fidei catholicæ: immo tanquā erronea, & hæretica est repellenda consequentia est bona. maior manifesta. minor patet: quoniā repugnat euangelio ubi Christus ait Ioan. ultimo. Symon Ioan. pasce oues meas. ubi Petrus, & in eo eius successor Romanus ponti. totius gregis dominici uniuersaliter nullo fidelium in illo fidelium congregatione excepto pastor, & rector constitutus est. unde dicit Chrysosto. super hunc locum quòd Petrus supra omnes qui filii sunt cepit potestatem. ergo synodus si est Christi necesse est quòd papa super illam habeat potestatē & non

econ-

& conuerso. Tertio sic. nihil quod repugnat uerbo Christi pertinet ad ueritatem fidei catholicæ: sed magis erroneum est dicendum. sed assertio dicens quòd uniuersalis ecclesia siue uniuersale concilium potestatem regitiuam siue curam regiminis non tantum respectu omnium fidelium sed etiam papæ: non a papa sed a Christo immediate recipiat: repugnat uerbo Christi dicentis Ioan. 10. Erit unum ouile & unus pastor. ergo talis assertio non pertinet ad ueritatem fidei sed magis ei repugnare uidetur. consequentia est bona, & maior est manifesta, & minor etiam patet: quia cum papa sit pastor omnium fidelium & assertio illa ponit concilium uniuersale esse pastorem omnium fidelium ut unus istorum non sit alius sequitur secundum assertionem illam quòd sint duo pastores respectu ouilis Christi. Quarto sic. nihil quod repugnat articulo fidei potest dici ad fidem catholicam pertinere sed quòd concilia uniuersalia recipiant non a Romano pontifi. sed a Christo immediate potestatem iurisdictionis, repugnat articulo fidei. ergo &c. consequentia est formalis, & maior est manifesta. minor uero probatur. uidetur enim esse contra articulum. Vnam sanctam ecclesiam. quod sic ostenditur quia cum unitas ecclesiæ inter alia attendenda sit ex ordine ad unam supremam potestatem regitiuam totius ecclesiæ quæ est in papa ut in superioribus est ostensum, & deducit san. Tho. pulchre in 4. dist. 24. & colligitur ex glo. Math. 16. sed ponere aliam supremam potestatē in concilio regitiuam cui omnis fidelis obedire teneatur independentem a potestate regitiua data pastori uniuersali totius ecclesiæ est manifeste unitatem ecclesiæ scindere cum rumpat ordinem, & connexionem totius corporis ecclesiæ ad unam potestatem supremam ipsius pastoris totius multitudinis Christianorum qui est papa. Nam ut dicit Cypria. in epistola ad quinque presbyteros, Deus unus est & Christus unus & una ecclesia, & cathedra una super Petrum domini uoce fundata aliud altare construi aut sacerdotium nouū fieri præter unum altare, & unum sacerdotiū non pōt: quisquis alibi collegerit spargit: adulterium est: impium est sacrilegiū est quicquid humano furore constituitur, ut dispositio diuina uioletur. Quinto nullum quod contradicit dispositioni diuinæ potest ad fidem catholicam pertinere. sed ꝙ uniuersalis ecclesia per modum uniuersitatis aut conciliū uniuersale habeat potestatem supremam non a papa sed a Christo immediate: repugnat ordinationi, & dispositioni diuinæ. ergo talis assertio aduersariorum non potest dici ad catholicam fidem pertinere sed magis contradicere. consequentia est bona. maior patet: minor probatur. repugnat enim dispositioni illi qua Deus ecclesiæ regimen constituit monarchicum siue regale. de cuius ratione est, ut colligitur tam ex tertio politicorum: quàm ex 9. Ethi. quòd suprema potestas eius non in multitudine: sed in uno totius multitudinis principe siue capite locata sit. Quod uero ecclesiæ regimen sit monarchicum siue regale a Christo constitutum non solū habetur ex illis locis scripturæ diuinæ ubi ecclesia sub regni nomine describitur sed etiam ratione manifeste demonstrat sanctus Tho. in 4. contra gentiles ca. 76. probat enim hoc sic. Nullum dubium esse debet quin regimen ecclesiæ sit optime ordinatum utpote per eum dispositum per quē reges regnant & legū conditores iusta decernunt. Optimum autem regimen multitudinis est quod regatur pēr unū. quod patet ex fine regiminis qui est pax pax enim, & unitas subditorum est finis regentis, unitatis autem causa con-

gruentior est unius quàm multi. ergo manifestum est regimen ecclesię sic a Deo esse dispositũ, ut unius toti ecclesię prę sit: & potestas, & principatus nõ in multitudine ipsa locatus sit sed in uno supremo a quo in omnes alios potestas deriuetur. quod manifeste in ca. nolite err. re di. 11. attestatur Iulius papa dicens: multum conuenit ut totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet quæ inde auctoritatem habet ubi dominus totius ecclesiæ posuit principatum. Sexto nulla assertio quæ derogat honori, & priuilegiis apostolicæ sedis pertinet ad ueritatem fidei catholicæ: immo tanquã falsa, & erronea est abiicienda, sed assertio dicens ꝙ uniuersale concilium nõ dependeat in potestate a Ro. pon. detrahit honori, & priuilegiis apostolicæ sedis. ergo talis assertio non pertinet ad ueritatem fidei catholicæ sed magis tanquam erronea uenit abiicienda. consequentia est bona. maior patet ex c. omnes di. 22. minor aũt patet: quoniã inter alia priuilegia apostolicæ sedis hoc connumeratur ꝙ Ro. pon. concilia uniuersalia congreget auctoritate fulciat & eorũ gesta sua auctoritate roboret, & confirmet, ut patet ex dist. 17. per totum. ex c. confidimus 25. q. 1. ex ca. significasti de elect. & ex multis aliis inferius deducendis. cui priuilegio manifeste derogat assertio dicens ꝙ uniuersale concilium non a papa sed a Christo immediate potestatem habeat cui etiam papa obedire teneatur. Septimo nulla assertio quæ subtrahit obedientiam debitam iure diuino a Ro. pon. potest dici pertinere ad ueritatem catholicæ fidei immo magis tanquam erronea uenit abiicienda: sed assertio dicens ꝙ concilium uniuersale habeat potestatẽ non a papa sed a Christo immediate, & tantum ꝙ ei Ro. pon. obedire teneatur subtrahit obedientiã a Ro. pon. debitã iure diuino ei a cunctis fidelibus quorum pater est & princeps, & subiicit eum aliis ergo talis assertio non pertinet a fidei catholicæ ueritatem: sed magis uidetur sapere scismaticam, & hæreticam prauitatem. consequentia est bona, & maior patet ex c. si qui sunt dist. 81. ubi inquit beatus Greg. peccatum paganitatis incurrit quisquis dum Christianum se asserit sedi apostolicæ obedire contemnit, & in extrauagante Bonifacii. unam sanctam ecclesiam sedes apostolicæ diffiniuit de necessitate esse salutis omnem hominem subesse Rom. pon. ex quibus manifeste colligitur quòd sicut nullus homo alius a papa potest se asserere in ueritate Christianum aut esse in statu salutis qui subesse tennit Romano pon. ita nulla hominum congregatio quantumcunq; nomine glorietur uniuersalis concilii potest dici Christiana aut in statu esse salutis quæ per obedientiam se negat esse subiectam Ro. pon. minor uero patet ex terminis. Octauo sic. nulla assertio quæ manifeste repugnat apostolicæ sedis diffinitioni, & sanctorum doctorum sententiæ est dicenda ad fidei catholicæ pertinere ueritatem. sed assertio illa dicens concilium uniuersale habere potestatem a Christo cui etiam papa subiectus sit est manifeste repugnans diffinitioni apostolicæ sedis, & sanctorum patrum doctrinis. ergo consequentia bona est, & maior etiam uera ex ca. hæc est fides pater beatissime 24. quæst. 1. minor uero patet ex cap. significasti, extra de elect. ubi Paschasius papa dicit quòd omnia concilia per ecclesiæ Romanæ auctoritatem & facta sint & robur acceperint. Dicit etiam san. Tho. in li. suo cõtra impugnantes religionẽ quod sancti patres in concilio congregati nihil statuere potuissent nisi auctoritate summi pon. interueniente sine qua concilium congregari non potest. Nono sic. nulla assertio pertinet ad ueritatẽ fidei

catho-

catholicæ sed magis erronea uidetur iudicanda quæ ab ecclesia tollit ordinem & ornatum hierarchiæ dispositionis. sed assertio dicens q universalis ecclesia siue concilium uniuersale ut dicit congregationem fidelium aut prælatorum condistinctam a Ro.pon.habeat hierarchizandi potestatē non a papa qui est immediatus hierarchia suus sed immediate a Christo tollit ordinem & ornatum hierarchicæ dispositionis ab ecclesia Dei. ergo talis assertio non est dicenda ad ueritatem catholicam pertinere sed potius ut inimica fidei est abiicienda. consequentia est bona. maior est manifesta minor uero sic ostenditur. Præsupponitur in primis cum beato Dion.lib.de ecclesiastica hierarchia: q ecclesia nostra sit ad modum hierarchiæ a Deo disposita. Secundo præsupponitur cum eodem q hierarchia nostra formata sit ad exemplar & similitudinem hierarchiæ celestis. unde etiam Moysi a Deo dictum est. Exod.25. Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Sanctus præterea Ioan. euangelista dicit se uidisse ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo. s. exemplariter: ut doctores exponunt, & beatus Bernar.3.de consideratione ad Eugenium inducit. Præterea beatus Amb. dicit q ecclesia sit imago cœlestium. sed sic est q in angelica hierarchia nulla potestas ad actus hierarchicos perficiendos tribuitur desuper a Deo personæ aut ordini aut corpori totius hierarchiæ qui non tribuatur mediante primo illius hierarchiæ, ut patet ex ipsa doctrina beati Dion. ait enim 5. ecclesiasticæ hierarchiæ: lex diuinitatis sacratissima est per prima media, & per media ultima in diuinissimam reducere lucem: an non sensibiles electorum essentias in cognatiora primum uidemus uenientes, & per illa alia propriam diuidentes operationem? pulchre ergo omnis uisibilis & inuisibilis ornatus principium, & fundamentum in deiformes primos infert deificos radios uenire, & per illos tanquam lucidiores animos, & ad participationem luminis, & traditionem oportunam habentes in subiectis proportionaliter lucet & superapparet. ergo pari modo potestas regitiua a Christo deriuatur ecclesiasticæ hierarchiæ aut uniuersali conilio illam repræsentanti quæ non confertur nisi mediante Rom.pon.qui est hierarchia, & primus in tota hierarchia sicut etiā satis aperte colligitur ex ca.ita dominus di.19. unde manifestum est quòd asserere quòd ecclesia uniuersalis aut concilium uniuersale ut dicit fideliū congregationem condistincta a Rom. pon.habeat aliquam potestatem regitiuam non mediante Rom.pon.est negare ecclesiam Christi hierarchicę esse dispositam, & negare eam ad similitudinē cœlestis hierarchiæ esse formatam: quæ omnia sunt absurda, & erronea. Et hæc pro nunc sufficiant ad ostendendum falsum esse quod aduersarii dicunt, uidelicet ad ueritatem catholicæ fidei pertinere quòd uniuersale concilium regulariter non a Roma.pon.habeat potestatem sed immediate a Christo cui omnes fideles etiā papa obedire teneantur.

Cap. XXXI. In quo respondetur obiectionibus supra positis aduersariorum ad probandum q uniuersale concilium habeat immediate a Christo potestatem.

REPROBATA[1] autem assertione aduersariorum iam respondendum est rationibus eorū. Ad primū ergo quod inducitur ex illo Ad primā probatione ca.29.

deutero.17.respondetur quòd auctoritas illa non est ad propositum: quia tex.ille non loquitur de concilio uniuersali cum concilia uniuersalia de quibus nunc loquimur non essent tunc in usu ecclesię: sed loquitur de loco ubi summus sacerdos erat scilicet Hierusalem: ubi locus erat tam orationis quàm magisterii diuinæ legis,& tribunal iudicii: & cum dicitur quòd glo.ait quòd ita faciendum est in ecclesia: respondetur quòd ita fit quando in arduis causis siue maioribus quæ auctoritatem excedunt particularium iudicum siue prælatorum recurritur ad summum pontificem, & dominos cardinales qui succedunt sacerdotibus leuitici generis: ut dicit Innocen.tertius in cap.per uenerabilem qui fi.sunt legi.& hoc in loco quem elegit dominus Deus noster hoc est apostolica sedes in qua dominus totius ecclesiæ principatum posuit. Secundo respondetur quòd dato quòd auctoritas illa applicaretur uniuersali concilio non facit ad propositum aduersariorum sed magis ad propositum nostrum: quoniam & si discussio dubiorum & reseratio ueritatis conuentui ascribatur sacerdotum: diffinitiuum tamen iudicium & imperium cui sub pœna mortis obediendũ erat uni,scilicet sacerdoti summo conueniebat.unde sequitur in tex. qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo,& decreto iudicis morietur homo ille,hæc ille:hoc autem minime conuenisset si conuentus ille sacerdotum habuisset potestatem a Deo non mediante summo sacerdote. Ad secundam quæ sumitur ex illo Mat. 18.quæcunque ligaueritis &c.respondetur tripliciter. Primo quòd auctoritas illa non uidetur facere ad propositum: quia per illa uerba cum tantum dirigerentur apostolis quibus promittebatur potestas iurisdictionis non arguitur aliqua potestas data uniuersali ecclesiæ in solidum siue ut collegio quod aduersarii nituntur probare quoniam apostoli tunc non erant uniuersalis ecclesia tota nec re, ut patet:quoniam plures alii tam uiri quàm mulieres erant fideles,& ita de corpore ecclesiæ.nec repræsentatione,cum adhuc nõ essent prælati aliorum fidelium:immo nec sacerdotes qui facti sunt in cœna domini.Secundo respondetur quòd apostolis non est data potestas per illa uerba ut collegialiter congregatis sed ut singulis quod manifeste patet:cum in hoc loco fundetur auctoritas iurisdictionis singulorum prælatorum qua possunt contumaces gladio excommunicationis ferire. unde nec hic nec alibi legitur quòd apostolis communiter sit data aliqua potestas qua quilibet eorum per se uteretur. patet etiam ex eo quod Origen.dicit in glo. ibidem quòd ideo Christus dicens apostolis quęcunque ligaueritis &c.dixit in cœlo,& non in cœlis sicut Petro:quia nõ erant tantæ perfectionis sicut Petrus. Tertio respondetur ꝙ dato ꝙ potestas aliqua attributa esset apostolis per illa uerba ut collegio: non tamen hoc fuit sine apostolo Petro immo in ordine ad Petrum: sicut mediante quo in alios deriuanda erat: quod manifeste colligitur ex ipso ordine uerborũ Christi,prius enim beato Petro Christus ait. Tibi dabo claues regni cœlorum &c.quàm apostolis dixerit quęcunque ligaueritis &c. ad ostendendum ut inquit san.Tho.tam in 4.sententiarum di.19.quàm in 4.contra gentiles ca.76.quòd per Petrum ad alios potestas clauium esset deriuata ad conseruandam unitatem ecclesiæ. Ex quibus clarissime patet ꝙ ex illa auctoritate magis ueritas roboratur conclusionis nostræ quàm aduersariorum. Ad tertiam autem quæ sumitur ex illo Math.18.ubi duo &c. supra

Ad secundam

Ad tertiã

pra satis diximus in c. 24. nihilominus dicimus quòd assistentia illa quam dominus sanctis congregationibus pollicetur inspirando quæ bona sunt, & adiuuando ad prosecutionem non arguit potestatem clauium aut iurisdictionis, aut regiminis ut clarissimum est, alias omnium sanctorum omnium uirorum siue fœminarum congregationes in Christi nomine conuenientes potestatem haberent, quod non modo periculosum est, sed etiam uidetur sapere hæresim Valdensium qui omnes sanctos homines claues habere ecclesiæ asserere præsumpserunt. Vnde manifestum est quòd ex illa Christi promissione qua dominus pollicetur in nomine suo congregatis adesse nulla potestas iurisdictionis arguitur in conciliis uniuersalibus non interueniente summo pontifice & multo minus in congregationibus in quibus Vicarii Iesu Christi non interuenit auctoritas & assensus, sed contradicit cum tales non possint dici in Christi nomine conuenire qui contempto uero Christi Vicario conuenticula præsumunt facere. Ad quartam respondetur quasi sicut ad secundam, ad eandem etiam respondimus supra in c.61. secundi libri. Ad quintam quæ assumitur de octaua synodo respondetur negando consequentiam. ex uerbis enim illis patrum congregatorum, nec habetur, nec sequitur quòd synodus ipsa potestatem a Christo habuerit immediate, immo arguendo sic committitur fallacia figuræ dictionis qua sæpe falluntur aduersarii. Sane si hæc argumentatio locum haberet cum iuxta apostolum ad Rom.13. non sit potestas nisi a Deo quilibet qui potestatem aliquam haberet dicendus ueniret illam habere immediate a Deo, & ita non solum ab ipsa ecclesia uerum ab uniuerso tolleretur id quod in ipso potissimum est quod est ordo, quod est absurdum dicente apostolo ubi supra, quæ a Deo sunt ordinata sunt. Ad sextam quæ sumitur de concilio Constantiensi iam plenissime responsum est superius maxime in secundo libro ca.99. Ad septimam quæ uidetur aduersariis Achilles respondetur negando assumptum: uidelicet quòd nisi uniuersalis ecclesia haberet immediate a Christo plenitudinis potestatem Christus legislator non sufficienter prouidisset sponsæ suæ. hoc enim est falsum & præsumptuose dictum. immo uidetur quòd sufficientius prouisum sit talibus casibus non dando talem potestatem uniuersali ecclesiæ eo modo quo aduersarii dicunt quàm dando. patet: quoniam si in prædictis casibus esset semper conuocandum concilium uniuersale tardæ, & per consequens male prouideretur similibus necessitatibus quæ quasi subita exposcunt remedia. unde optime & sapienter sufficienterq; uidetur esse prouisum cum collegio dominorum Cardinalium apostolica auctoritate commissum est, ut uacante sede aut quasi uacante datum est prouidere posse in his quæ necessario occurrerent celeriter prouidenda in ecclesia usque ad creationem Rom. pon. ut notatur in ca. ubi periculum de elect. §. idem quoque lib.6. de quo infra plenius dicetur.

Ad quartam | Ad quintam | Ad sextã | Ad septimam

Cap. XXXII. Quòd quicquid in conciliis uniuersalibus statuitur diffinitur, aut sententiatur auctoritate Romani pont. principaliter fit.

SANE si quis superius iam dicta attente rimetur & practicas obseruatas in conciliis uniuersalibus in quibus maxime Rom. pont. interfuisse

legitur commemorauerit, facile cognoscet quòd ea quæ in uniuersalibus conciliis statuuntur sententiantur aut diffiniuntur, aut interpretantur, auctoritate Ro.pon. principaliter regulariter fiant. Quod licet ex superioribus satis pateat: nos tamē ad abundantiam doctrinæ hoc ipsum rationibus & pluriū antiquorum conciliorum uniuersalium exemplis ostendere curabimus. Primo sic ut habet Aristo. doctrina 1. Ethy. secundum ordinem finiū est ordo artium. primus ergo finis siue consideratio qui totum populū respicit solum est apud eū qui toti Reip. præsidet. sed papa est huiusmodi in Rep. Christiana cū caput sit & princeps. ergo ipsius tantum est cōdere, & statuere ea quæ totum populum Christianum respiciunt, & si alii quandoq; hoc faciant ex deriuatione aut cōicatione potestatis illius fit qui eos cōuocat ad hoc. ergo sequitur ꝙ in conciliis uniuersalibus ubi disponuntur ea quæ uniuersitatem populi Christiani respiciunt papa principaliter cuncta disponat. Secundo ratione san. Tho. qua in 2.2.q.1.ar.ulti. probat ꝙ ad summum pon. pertineat æditio symboli sic. noua æditio symboli necessaria est ad uitandum insurgentes errores: ad illius ergo auctoritatē pertinet æditio symboli: ad cuius auctoritatē pertinet sententialiter determinare ea quæ sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. hoc aūt pertinet ad auctoritatem summi pon. ad quem maiores, & difficiliores quæstiones ecclesiæ referuntur hæc san. Tho. Tertio sic: papa est princeps ecclesiæ principatu non dependente ab ecclesia sed a Deo immediate: ut in 2. lib. copiosæ demonstratum est & habetur in c. in nouo di. 21. & in ca. sacrosancta dist. 22. leges aūt non habent uigorem, & uirtutē coactiuā: nisi ex principis auctoritate siue eius in quo principatus totius cōitatis est collocatus, ut est clarissimū apud omnia iura. unde san. Anacletus papa & martyr. in cap. leges 3.q.6. inquit: leges ecclesiæ apostolica firmamus auctoritate, & ratio est: quoniam in apostolica sede totius ecclesiæ principatus est collocatus, ut in ca. nolite errare dist. 22. & in cap. Basilicas, de conse. dist. 1. ergo sequitur ꝙ firmitas, & robur auctoritatis quorūcunque gestorū in conciliis uniuersalibus pendeat a Rom. pon. Ceterum hoc idem ostenditur exemplis & practica antiquorum conciliorum, in quibus siue sit materia fidei siue de scismate tollendo, siue de reformatione uniuersalis ecclesiæ facienda, omnia papa principaliter auctoritatiue facit, licet alii patres consulendo & consentiendo cōcurrant. Et primo quidem hoc patet ex conciliis primitiuæ ecclesiæ, in omnibus enim illis in quibus præsens fuit beatus Petrus tanquam uertex collegii & princeps totius congregationis loquebatur primus diffiniens & sententiās omnia. sicut Act. 1. patet in electione Math. & Act. 15. in q. de cessatione legalium, ubi cum grauis quæstio mota esset in concilio apostolorum beatus Petrus tanquam princeps, ut ait gl. primo locutus est & in cuius sententiam tota multitudo apostolorum transiuit. unde Hieron. ad Aug. epistola 23. ita inquit, postquam breui sermone scilicet Petrus totam cinxit hystoriam ait, tacuit autem omnis multitudo, & in sententiam eius Iacobus apostolus & omnes simul presbyteri transierunt. hæc enim non debent esse molesta lectori, sed & mihi & illi utilia ut probemus ante apostolum Paulū non ignorasse Petrum, immo principem esse huius decreti legem post euāgelium non esse seruandam. hæc Hiero. Secundo hoc idem colligitur ex eo quòd Imperator Martianus scribens Leoni papæ, ut ad Calcedon. synodum ueniret ita inquit inter alia, superest ut si placuerit tuæ beatitudini in his partibus

partibus aduenire & synodum celebrare hoc facere religionis affectu dignetur nostris utique desideriis uestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni quæ utilia sunt decernet. Si uero hoc onerosum est ut in has partes aduenias hoc ipsum nobis propriis tua sanctitas litteris manifestet & infra, omnes sanctissimi episcopi debeant conuenire, & quæ Christianæ religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas litteras diffiniuit sua depositione declarent. hæc ibi. Ecce quòd Christianissimus Imperator nouerat quòd si papa præsentialiter interesset concilio ipse decernere debebat. si uero absens episcopi conuenientes iuxta prius factam per eum diffinitionem deberent in materia concludere. Tertio hoc aperte ostenditur ex concilio Calcedonen. in senten. data contra Dioscorum. unde in actione tertia sic habetur Iulianus episcopus Iponen. Paschasio & ceteris legatis papæ. Nunc uestra sanctitas primatum tenens sanctissimi Leonis nouit quòd Dioscorus semel & secundo & tertio uocatus synodo præsentari nullatenus uoluit obedire, petimus autem sanctitatem uestram in eo quòd magis inter ceteros eminentis habetis locum sanctissimi papæ Leonis iustam in contumacem promulgare uindictam ac regulis insitam contra eum proferre sententiam. omnes enim nos & uniuersalis synodus concors efficitur uestræ sententiæ sanctitatis, & infra Paschasius autem & ceteri legati tenentes locum beatissimi Leonis papæ, replicatis prius sub compendio malis multis quæ Dioscorus commiserat pronunciauerunt sententiam in Dioscorum sic dicentes. Sanctissimus & beatissimus archiepiscopus magnæ senioris Romæ Leo per nos & præsentem sanctam synodum una cũ beatissimo & omni laude digno beato Petro apostolo qui nuncupatus est a domino Petrus & spiritualis catholicæ ecclesiæ f..ctus est firmamentum, nudauit, eum tam episcopatus dignitate, quàm etiam omni sacerdotali officio simulq; eum alienauit a ministerio sacrosancto & infra. Anatholius archiepiscopus Constantinus & omnes alii episcopi suum uotum exprimentes in eandem sententiam concordarunt omnes se subscribentes. Et ita patet quòd Leo papa per suos legatos sententiauit in conciliis uniuersalibus. Quarto hoc idem colligitur ex gestis octauæ synodi in qua epistola Nicolai papæ quam uniuerso clero ecclesiæ Constantinæ scribit lecta fuit, & recepta cum omni laude in qua post aliqua decreta sic habetur. Hæc sunt quæ sedes apostolica statuit: hæc sunt quæ uos tanto studiosius oportet amplecti: tanto solicitius obseruare quanto scitis quæ ab ea statuta fuerint hæc uniuersalem ecclesiam semper tenuisse: ita contra singulos errores in ecclesia exortos prior hic secundum primatus sui auctoritatem sententiam dederit, & ita demum uniuersalis ecclesia: licet aliquando per aliquantum temporis in quibusdam reluctata sit quæ illa tamen quãdoque probauerit probauit & quæ illa sedes refutauerit, & ipsa uniuersalis ecclesia refutauit. Item in eodem concilio scribitur neminem iustificatum per sedem apostolicam damnatum per ecclesiam, aut damnatum per ipsam sedem, iustificatum per ecclesiam. Ex quibus manifeste patet auctoritas apostolicæ sedis respectu conciliorum, & reuerentia sanctorum patrum ad eam. Quinto patet ex illo quod in Calcedonensis concilio circa sexto actionem legitur, prout refert Isidorus libro conciliorum quòd in omnibus synodis Apocrisarii id est Vicarii siue legati apostolicæ sedis dec..retas sententias propter summam sedis eiusdem auctoritatem confir-

mabant & subscribebant, quia ante nullum robur habebant. hæc ibi, & infra sic habetur cum de Iba episcopo episcopi petierant quid sanctæ synodo placerent fiendum. locum apostolicæ sedis tenentes, quia missi apostolici semper in synodis primo loqui & confirmare sententias soliti sunt, per Paschasium dixerunt, relecta epistolas Ibe cognouimus eum catholicum & ob decernimus ad honorem episcopatus & ecclesiam de qua iniuste expulsus est ad præsens reuocandum. similiter & omnes episcopi sequentes auctoritatem apostolicæ sedis decreuerunt. hæc ibi. Sexto colligitur idem ex uniuersali concilio Romæ celebrato, in quo Nicolaus papa præsidens sic inquit, ut in c. in nomine domini dist. 23. quapropter instructi prædecessorum nostrorum aliorumq; sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus. Septimo hoc idem colligitur ex concilio uniuersali Romæ celebrato per Alexandrum tertium, in quo ut habetur in c. licet de elect. dicit. Nos ad malum hoc euitandum de concilio fratrum nostrorum & sacri approbatione concilii aliquid decernimus adiungendum, &c. Octauo hoc accipitur ex concilio Lateranen. in quo Inno. tertius, ut habetur in c. damnamus inquit. Damnamus & reprobamus libellum seu tractatum quem abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum lombardum. Item in eodem reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impii Almarici. Nono idem colligitur ex concilio generali in quo Inno. tertius, ut habetur in c. cum laicis. extra de re. eccle. non alie. ita dicit. uolentes ergo super his indemnitatibus consulere ecclesiarum atque tantis grauaminibus prouidere huiusmodi constitutiones & uenditiones, &c. sacri approbatione concilii decernimus non tenere. Decimo idem colligitur ex cap. licet. de bap. & eius effect. in quo idem Inno. in concilio præsidens ita loquitur. uolentes ergo tantum scandalum ab ecclesia remouere sacro suadente concilio districte præcipimus, ut talia de cetero non præsumant. Vndecimo ex c. in quibusdam. extra de pœnis. ubi idem Inno. in concilio uniuersali præsidens ita dicit, sacri nihilominus concilii approbatione statuimus, &c. Duodecimo idem manifeste colligitur ex c. sacro approbante concilio extra de sen. excom. ubi Inno. concilio præsidens ita dicit. Sacro approbante concilio prohibemus ne quis aliquem, &c. Tredecimo idem colligitur ex c. ubi periculum. de elect. lib. 6. ubi Greg. 9. in concilio præsidens ita inquit: hæc sacro approbante concilio statuimus, &c. & infra auctoritate nostra & eiusdem approbatione concilii. Decimoquarto idem colligitur ex concilio uniuersali Lugduni celebrato, in quo Greg. 10. præsidens ita inquit, ut in ca. de summa trin. & fide cath. sacro approbante concilio damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserunt, &c. Quintodecimo idem colligitur ex concilio Viennensi, in quo Clemens quintus concilio præsidens, ut habetur in c. 1. extra de sum. tri. & fid. cath. in clemen. ita inquit, sacro approbante concilio declaramus. Sextodecimo idem colligitur ex epistola quam Adrianus papa misit Imperatori Basilio ad octauam synodum ubi inter alia dicit sic, uolumus ergo per uestræ pietatis industriam illuc numerosum celebrare concilium, cui nostri quoque præsidentes & culparum personarum differentias liquido cognoscentes iuxta quod in mandatis acceperunt singulorum libere discretiones exerceant, in quo uidelicet sacrato cetu execrandi uanitatis concilii, quod aduersus sedis huius actum est prorsus reuerentiam cuncta decernimus exemplaria prorsus a possessoribus sui

ablata

ablata in mediumq́; delata contemplantibus igne cremari, nec superesse apud quælibet ex his omnibus unum tota uel unum apicem, nisi forte quis totius clericatus immo totius nomine Christianitatis anathemate propulsus carere uoluerit. non enim nos tam detestandum collegium nisi Ariminen. sub Constantino uel Ephesino a Dioscoro congregato latrocinio comparandum decernimus. hæc ille. Nota uerba ex quibus luce clarius apparet auctoritas magna Romani pont. in concilio uniuersali. Decimoseptimo idem colligitur ex concilio Constantiensi, in quo postquam Martinus creatus est, synodus non est usa nomine constituentis aut diffinientis, sed omnia nomine Martini instar aliorum conciliorum approbante synodo diffinita sunt & constituta. Mirum est autem quòd tam gloriosi principes ecclesiæ summi pontifices præsumpserint uti tali modo loquendi, ut omnia diffinita constituta declarata & prohibita in conciliis uniuersalibus suæ ascriberent auctoritati si ad eorum auctoritatem non pertineret, sed concilia immediate a Christo haberent auctoritatem talia faciendi. Stupendum est insuper quomodo tot & tam gloriosa concilia in quibus multi sancti patres religione & sapientia celeberrimi interfuerunt permiserunt summos pontifices hac in conciliis uti auctoritate si ut aduersarii garriunt concilia uniuersalia immediate a Christo & non a papa habeant auctoritatem diffiniendi statuendi & iudicandi, &c. Nec dici potest quòd Romani pontifices in hoc usurpauerint auctoritatem alienam aut quòd illis temporibus uniuersalibus conciliis nondum erat reuelata ista ueritas potestatis conciliorum qualem præfati nouelli magistri confingunt, aut quòd Romani pontifices a conciliis uniuersalibus illam auctoritatem accommodatam susceperunt: quoniam utrunque horum est inconuenientissime & stulte dictum. Primum enim ponit maculam in multis sanctis pontificibus & in apostolica sede, in qua tamen ut ait Hieron. & alii patres sancti, sicut supra in secundo libro induximus, Christiana religio semper immaculata permansit. Secundum ponit uniuersalem ecclesiam, usque ad tempora istorum nouellorum magistrorum tanta caligasse ignorantiæ cecitate, ut non nouerint hanc prærogatiuam suæ potestatis. Tertium est falsum: quoniam ut in secundo plenissime est demonstratum Rom. pon. non a conciliis, sed ab ipso Christo Saluatore nostro cuius Vicarius est & uices gerit hanc potestatis excellentiam habet, ut etiam habetur in c. quamuis dist. 21. Ex quibus omnibus confutatur inter alia erroris stulticia dicentium quòd solum quò ad conuocationem concilia ipsa indigeant auctoritate papæ & non quò ad prosecutionem uidelicet ad diffiniendum, uel constituendum, aut sententiandum qui error cum papam non iudicem, sed præconem tantum faciat respectu conciliorum iudicio nostro maximus est & periculosus uniuersali ecclesiæ contra quem errorem est sanctorum patrũ & sacrorum canonum doctrina de quo locupletissimus testis est clarissimus pater & magnæ auctoritatis in ecclesia Dei archiepiscopus Remensis dominus Aymarus libro de synodis in c. 18. ita dicens, non mireris quòd ipsorum conciliorũ auctoritatem Ro. pon. ascribamus. nam nulla concilia rata leguntur quæ apostolica auctoritate fulta non fuerint, ut beatus Damasus papa in decretis suis c. 9. asserit, cui sanctus Athanasius & Iulius papa Nicenum quoque concilium & reliqui sancti patres astipulantur, nam illius sedis episcopus iudex est totius ecclesiæ nec aliquod iudicium ualet absque legitimo iudice. hæc ille. Nota quòd

dicit iudex non præco. Hæc autem quæ diximus de auctoritate Rom. pon. supra concilium adhuc plenius ex infradicendis clariora reddemus.

Cap. XXXIII. De laudabili consuetudine antiquorum conciliorum quòd absque prius habito decreto apostolicæ sedis non fieret in synodo diffinitio cuiuscunque quæstionis ad fidem pertinentis.

ILLVSTRAE plane testimonium eminentis præfatæ auctoritatis Roma. pon. respectu conciliorum uniuersalium colligitur ex obseruantia quam sancti patres spiritu sancto pleni in antiquis & uenerandissimis conciliis usi sunt, sancti inquam patres in conciliis uniuersalibus constituti ante omne determinationem quæstionis quæ de fide orta foret semper apostolicæ sedis præstolabantur decretum de qua beata consuetudine testimonia plura habemus, & egregia. Primo enim hoc habetur ex i. actione Ephesini concilii ubi sancta synodus ita loquitur. Congregatis nobis Nestorium a sacerdotio remouimus depositionem eius canonicam facientes atque laudantes Deo amantissimum, & sanctissimum episcopum maxime Romæ Cœlestinum qui ante nostram sententiam hæretica Nestorii dogmata & ante nos protulit aduersus eum sententiam propter ecclesiarum cautelam & traditam nobis fidem ab apostolis. hæc ibi. Secundo idem habetur testimonio Damasi papæ qui & ceteri episcopi Romæ congregati scribentes de concilio Ariminien. episcopis in illirico constitutis sic dicunt, nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum episcoporum Ariminii congregatum quando constat Roma.pon. cuius ante omnia decebat expectare decretum talibus non præbuisse consensum. Tertio idem habetur ex eo quòd Leo papa ad Theodosium Imperatorem scribens & ostendens, unde occasionem erroris susceperat secunda synodus Ephesina ita ait. ad episcopale concilium quod haberi apud Ephesum præcepistis tã instructi sunt missi, ut si scripta quæ ad sanctã synodum uel ad Flauianũ episcopũ detulerunt episcoporũ publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes ita manifestatione purissime fidei quam diuinitus inspiratã & accepimus & tenemus ut omnium cõcertationum strepitus quieuisset, ut nec imperitia ultra desiperet nec nocendi emulatio uiam reperiret. hæc ille. Ceterum idẽ quarto colligitur de 6. synodo in qua suggestio Agatonis papæ directa Imperatori per legatos suos lecta fuit & subscriptione omnium episcoporum acceptata, in cuius suggestionis epistola post descriptam fidẽ apostolicæ sedis, ita papa orat Imperatorem corde contrito & fluentibus lachrymis mente prostratus exoro porrigere dignemini clementissimam dexteram uestram apostolicæ doctrinæ quam cooperator piorum laborum uestrorum beatus Petrus apostolus tradidit, ut non sub modio conclusam, sed tuba clarius in toto orbe prædicetur, quia eius uera confessio a patre de cœlis reuelata est pro qua a domino omnium beatus esse pronunciatus est beatus Petrus qui & spirituales oues ecclesiæ ab ipso redemptore omnium trina commendatione pascendas suscepit, cuius annuente præsidio hæc eius apostolica ecclesia nunquam a uia ueritatis in quamlibet erroris partem deflexa est, cuius auctoritatem, utpote omnium apostolorum principis semper omnis catholica

tholica Christi ecclesia & uniuersales synodi amplectentes in cunctis secutæ sunt. unde in sexta ipsa synodo actione octaua patres susceperunt suggestiones Agaptonis papæ cum multa deuotione. unde demetrius episcopus plusiados ita dicit. Suggestiones directas a patre nostro Agaptone sanctissimo archiepiscopo apostolicæ & principalis sedis antiquę Romę ad Deo coronatũ & magnũ Victorem Imperatorem tanquam a spiritu sancto dictatas per os spiritus sancti ac principis apostolorum Petri & digito prædicti beatissimi papæ Agaptonis scripta suscipio & amplector, & ita credo ita assentio, &c. Item Genesius episcopus Anastasium peleos dixit secundum ueritatem relatarum suggestionum sanctissimi papæ Romani sic credo & confiteor. Item Georgius episcopus Camulianorũ suscipio & sequor suggestiones ab Agaptone sanctissimo papa Romæ, & sic credo & sic confiteor & ita de omnibus propter quod papa Nicolaus scribens Michaeli Imperatori ita dicit. Quomodo non egeat quælibet synodus iuuamine sedis quando in Ephesino latrocinio cunctis præsulibus & ipsis quoque patriarchis prolabentibus nisi magnus Leo imitator scilicet illius Leonis de quo scriptum est, uicit leo de tribu Iuda diuinitus excitatus os aperiens totum orbẽ & ipsos quoque Augustos concuteret & ad pietatem commoueret religio catholica penitus corruisset. Quinto idem colligitur ex quarta synodo Calcedo. de qua Leo papa scribens Theodorico episcopo Cypri ita dicit. Reuenientibus ad nos fratribus & consacerdotibus nostris quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit agnouimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis quàm eutichianæ uesaniæ extitisse uictricem. unde gloriamur in domino cum propheta canentes. Adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit cœlum & terram. qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quæ nostro prius diffinierat ministerio uniuersæ fraternitatis irretractabili firmat assensu, ut uere a se prodire ostẽderet quod prius a prima omnium sede firmatum totius Christiani orbis iudicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent. hæc ibi. Item sexto ad idem est beatissimus Leo qui scribens uniuersis episcopis per Siciliam constitutis ita dicit. Culpã nullo modo potuissetis incidere si unde consecrationem honoris accepistis inde legem totius obseruantiæ sumeretis & beati Petri apostoli sedes quæ uobis sacerdotalis mater est dignitatis esset ecclesiasticæ magistra rationis. Item Nicolaus papa in epistola ad Imperatorem Michaelem quæ in quarta actione octauæ synodi lecta fuit dicit, sicut constat sanctam Romanam ecclesiã & beatũ Petrum principem apostolorum qui dominico ore primatum ecclesiæ suscipere promeruit omnium ecclesiarum caput esse & ab ea rectitudinẽ atque ordinẽ in cunctis utilitatibus & ecclesiasticis institutionibus quas canonicas, & synodicas sanctorum patrum sermone inuiolabiliter atque irrefragabiliter retinet exquirere atq; sectare. Hæc ille. Septimo idem patet testimonio Nicolai papæ qui imperatori Michaeli scribens inter alia, dicit sic. Ad cuius. n. s. fidei integritatem obseruationis multotiens conuentus factus est sanctorum patrũ a quibus & deliberatũ & obseruatũ extitit qualiter absq; Ro. pon. consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. hæc ibi. Octauo etiã patet in septima synodo ad quã scribit Adrianus papa epistolam siue decretum de adoratione Imaginum qua perlecta quærentibus apocrisariis papæ an Cæsarius patriarcha, & tota synodus acceptarent

Respondit tota synodus: tota sacratissima synodus, ita credit, ita sapit, ita dogmatizat & intra petētibus apocrisariis papæ dicat nobis sancta synodus si admittat litteras sanctissimi papæ senioris Romæ an non. Respondit sancta synodus, sequimur & suscipimus & admittimus. Nono hoc idem patet ex octaua synodo Constantinopolitana ad quam papa Adrianus libellū mittit ut omnes episcopi secundum formam illius profiteantur & procedant quod & factum est, qui libellus ut ex gestis eiusdem synodi patet incepit. Prima salus est recte fidei regulam custodire & a constitutis Dei & patrum nullatenus deuiare,&c.quam patres synodi profitentes sic dicunt. Porro de uener. beatissimo Ignatio patriarcha nostro & de his qui ex parte ipsius sunt quod auctoritas apostolicæ sedis uestræ decreuit tota mēte sequimur, & religiosa deuotione ueneramur atque pro posse & nosse nostro pia intentione ac spiritali conflictu defendimus:quoniam sicut prædiximus sequētes in omnibus apostolicam sedem & obseruantes eius omnia constituta speramus,ut in una communione quam sedes apostolica prædicat esse mereamur in qua est integra & uera Christianæ religionis soliditas promittentes etiā omnes sequestratos a communione ecclesiæ catholicæ. i. non consentientes sedi apostolicæ eorum nomina inter sacra recitanda esse mysteria. hæc ibi. Ex quorum conciliorum sacrorum laudabili & debita reuerentia ad apostolicam sedem quòd sine eiusdem præmissis decretis nihil agerent luce clarius quantum a bonitate & honestate aberrent tam asserentes uniuersalia concilia a papa non suscipere auctoritatem suam,sed a Christo immediate quàm præsumptuosi illi qui in uniuersalibus conciliis nulla prius habita consultatione apostolicæ sedis,quæ & mater cunctarum ecclesiarum & magistra fidei est arduas materias,utputa fidei & maiores causas diffinire præsumunt & ab aliis obseruari præcipiunt.

Cap. XXXIIII. Quòd uniuersalia concilia semper solita sunt gesta sua petere confirmari per Roman.pont.

AMPLIVS egregium atque irrefragabile argumentum præfatæ auctoritatis quam Romanum pont. diximus habere in uniuersalibus conciliis est, quòd sancti patres in conciliis uniuersalibus congregati diffinitiones suas & gesta ad eorum uigorem & firmitatem regulariter ab apostolica sede confirmari ac roborari postularunt aperte cognoscentes oportere leges ecclesiæ robur accipere & auctoritatē ab eo in quo Deus totius ecclesiæ principatum posuit & primatū cuiusmodi est Ro.pon. ut in c.nolite errare dist.11.dicit Iulius papa.huiusmodi beatæ obseruationis exemplū in primis habemus a patribus singularissimi & præ aliis excellentissimi concilii Niceni, qui omnia gesta sua & diffinita humiliter & deuote a beato Syluestro petierunt confirmari. unde in epistola quam eidem beato Syluestro scribunt ita inquiunt beatissimo episcopo urbis Romæ cū omni reuerentia colendo Syluestro Osius episcopus prouinciæ Hispaniæ ciuitatis Cordubensis & Macharius episcopus ecclesiæ Constantinopolitanæ & Victor & Vincentius presbyteri ordinati ex directione urbis Romæ & ceteri coepiscopi 318.in domino Salutem.Quoniam omnia corroborata de diuinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis quæ ad robur pertinent sanctæ ec-

clesiæ

clesiæ catholicæ & apostolicæ ad sedem tuam Romanam explanata, & de græco in latinum redacta scribere confitemur. Nunc itaque ad uestræ sedis augmentum occurrimus roborari. itaque constat uestra apostolica doctrina totius uestræ apostolicæ urbis in unum conuenire, uestrumq; habere concilium, sicut docet mystica ueritas, & sequitur infra quicquid statuimus in Niceno concilio præcamur ut uestri oris consortio roboretur. hæc ibi. In decreto uero confirmationis quam præfatorum gestorum beatus Syluester in concilio congregato Romæ facit ita scribitur, Syluester episcopus catholicæ & apostolicæ sedis præsul urbis Romæ quicquid in Nicena lichina constitutum ad robur sanctæ matris ecclesiæ catholicæ & apostolicæ a sanctis sacerdotibus 318. nostro ore consortes firmamus omnes qui ausi fuerint dissoluere diffinitionem sancti magni concilii quod apud Nicenam cógregatum est sub præsentia piissimi & uenerandi principis Constantini Augusti anathematiz mus, & dixerunt omnes episcopi placet. hæc ibi. Secundo testimonium habemus de Ephesino concilio, de quo dicit dominus Aymarus lib. de synodis ꝙ in eo legati apostolicæ sedis beatus Cyrillus & Archadius episcopus ex Italia uice Celestini papæ præfuerunt, & ipsam apostolica auctoritate roborauerunt. habetur etiam ex gestis eiusdem synodi, quòd Imperator s. Theodosius iunior ad perfectionem diuinitus statutorũ petiit apostolicæ cathedræ apponi confirmationem, ut sic tanquam a beato Petro facta ueneremur. Tertio habemus de hoc testimonium a patribus in concilio Calcedonensi conuenientibus qui ad Leonem papam ita scribunt depræcantes ut eorum decreta confirmare dignaretur. Nouimus quicquid rectitudinis a filiis fit ad patres recurrit, facientes hoc quasi proprium sibi. Rogamus ergo & tuis nostrum decretis honora iudicium, & sicut nos audierimus in bonis cupitam consonantiam, sic summitas filiis quod deceat adimpleat. Vbi notandum contra superbiam Basilien. quòd synodus papam patrem uocat & infra, ut autem cognoscatis, quia nihil donando cuilibet gratiam fecimus, aut per iniustitiam aduersando, sed ut nutu gubernante diuino omnium gestorum uim uobis insinuamus ad probationem uestræ sinceritatis, & ad eorum quæ a nobis gesta sunt firmitatem & consonantiã. hæc synodus. Hanc ceterum quarto apostolicæ sedis prærogatiuam Imperatores Valentinus & Martianus non ignorantes pro confirmatione gestorum præfatæ synodi scribentes ita dicunt, miramur per maxime quòd synodum Calcedonen. & litteras uenerabilium episcoporum quæ ad tuam Deo amicitiam misse sunt, per quas omnia quæ in ipsa facta sunt nobis nunciarunt, nequaquam a tua sanctitate tale littere misse sunt, quæ uidelicet in sanctissimis ecclesiis lecte in noticiam omnium deuenirent quod quorundam animabus quæ prauam adhuc opinionem sectantur, ambiguitatem immisit utrum s. tua beatitudo quæ in sancta synodo edita sunt confirmauerit, & propter hæc tua reuerentia litteras mittere dignetur, per quas in omnibus ecclesiis & episcopis notum sit uniuersa quæ in sancta synodo gesta sunt a tua beatitudine confirmata. Quinto patet ex epistola quam Leo papa qui Agaptoni succedens ad piissimum Constantinum super confirmatione gestorũ in 6. uniuersali synodo scribit dicens, hanc ergo recte atque apostolicæ traditionis normam prædecessor meus Agapto apostolicæ memorie papa cũ sua synodo prædicauit, hanc scriptis præcurrentibus in suæ suggestionis pagina uestræ pietati per suos legatos emisit approbans & confirmans testi-

moniis sanctorũ ac probabilium doctorum quã sancta nunc magna synodus suscepit & in omnibus nobiscũ complexa est, utpote beati Petri apostolorũ principis sinceram doctrinam in ea cognoscens & infra. Et quia diffinitionẽ recte fidei, ut dictum est prædicauit quam & apostolica sedes beati Petri apostoli, cuius licet impares ministerio fungimur ueneramur susceptis. Idcirco & nos & per nostrum officiũ hæc ueneranda sedes apostolica concorditer & unanimiter quę diffinita sunt ab ea cõsentit & beati Petri auctoritate confirmat. hæc ibi. Item sexto patet ex gestis 7. synodi quæ fuit apud Nicenam legitur ꝙ Tarasius ecclesiæ Constantinopolitanæ præsul totum processum eiusdem synodi summo pon. ut mos erat retulit, ut tale conciliũ sua auctoritate firmaret. ubi nota quod dicit ut mos erat, quia ex hoc aperte colligitur ita fieri per omnia cõcilia, sicut & uerum est ex practica aliorum posteriorum. Septimo ad idem est synodus illa uenerabilis Romæ tempore Symachi papæ celebrata, de qua in c. bene dist. 96. in qua sic habetur. Si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes inter suos terminos consilio habito quicquid sine metropolitani sui auctoritate tractauerint irritum esse debere sancti patres sanxerunt, quanto magis quod in apostolica sede nunc stante præsule qui merito beati Petri apostoli per uniuersum orbem primatum obtinens statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem. hæc ibi. Præterea dicit Gratianus dist. 16. c placuit, quòd papa recepit sextam synodum cum canonibus suis & etiam sancta octo uniuersalia concilia quæ Rom. pon. professione dicit esse roborata. Ex quibus satis aperte apparet quòd alia fides fuit apud illos sanctos patres antiquorum conciliorum sanctissimorum de auctoritate conciliorum & Rom. pon. quàm sit apud nouellos magistros conturbantes fantasticis adinuentionibus suis ecclesiam Dei. Plane si concilia uniuersalia haberent illam supremam auctoritatem immediate a Deo constituendi, diffiniendi sententiandi puniendi, & etiam supra papam sanctæ uniuersales illæ synodi non tam regulariter tam deuote & humiliter a Roma. pon. gesta sua peterent confirmari. planum est quòd ista stare non possunt simul quòd concilium habeat immediate potestatem a Christo, cui etiam papa obedire teneatur, & quòd concilii sententiæ & gesta nullius sint roboris nisi Rom. pon. auctoritate firmentur superioris est enim roborare acta inferiorum & non econuerso. Octauo etiam inducemus testimonium de concilio Constantien. quod cum plenarium ex omnibus obedientiis existeret integratum supplicasse etiam legitur domino Martino papæ 5. ut dignaretur decreta eiusdem concilii sua auctoritate roborare & confirmare. Nono hoc etiam Basilien. non obstantibus eorum erroribus uoluissent obtinuisse a domino Eugenio, ut eorum decreta approbasset, sed obtinere non potuerunt, & merito. Ex quibus luculenter apparet quàm periculose, & quam scandalose errent qui statuta conciliorum, aut diffinita antequam Rom. pon. auctoritate firmentur atque roborentur publicant per orbem & obseruari præcipiunt, cum tamen antequam principis ecclesiæ auctoritate firmentur, nullũ obligent cum nullum robur habeant, ut patet ex dictis & colligitur ex concilio Calcedon. patet etiam ex c. bene dist. 96 hoc etiam ostendit apertissime Leo papa in epistola ad aquilegien. episcopum in qua scribens de forma recipiendi hæreticos arrianos ita inquit, inter alia omnia decreta synodalia quæ ad excisionem huiusmodi hæresis apostolicæ sedis firmauit auctoritas amplecti se & in omnibus approbare eloquantur, &c. Ecce sola illa synodalia

illa decreta quæ apostolicæ sedis firmauit auctoritas iubentur amplecti, & uenerari. Ceterum huiusmodi apostolicæ sedis prærogatiuam, sic apertissime profitetur Christianissimus Imperator Iustinianus qui ut habetur C. de sum. tri. & fide ca. scribens ad papam Ioannem petens approbationem fidei suæ & suorum confirmationem ita dicit, Victor Iustinianus, &c. Nos reddentes honorem & apostolicæ sedi & uestræ sanctitati quod semper nobis in uoto fuit, & est & ut decet patrem honorantes uestram beatitudinem omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent festinamus ad noticiam deferre uestræ sanctitatis, & infra omnes uero sacerdotes sanctæ catholicæ atque apostolicæ ecclesiæ & reuerendissimi archimandrite sacrorum monasteriorum sequentes sanctitatem uestram, & custodientes statum & unitatē sanctarum ecclesiarum quem habent ad apostolicam uestræ sanctitatis sedem nihil penitus immutantes, & infra suscipimus autem quattuor concilia prima s. secundum quòd uestra apostolica sedes docet atq; prædicat, omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam uestræ apostolicæ sedis ita credunt & confitentur & prædicant. unde properamus hæc ad noticiā deferre uestræ sanctitatis, & infra petimus ergo paternum affectum, ut uestris ad nos destinatis litteris & ad sanctissimū episcopū huius almæ urbis & patriarchā manifestum nobis faciatis ꝙ omnes qui prædicta confitentur suscipit sanctitas uestra. hæc ille. Cui Imperatori respondens papa Io. ita scribens dicit, ut habetur ubi supra. liquet ergo gloriosissimæ Imperator, ut lectionis & legatorum uestrorū patefecit nos apostolicis eruditionibus studere, cū de religione catholicæ fidei ea sapiatis ea scribatis, ea populis fidelib. publicatis quæ diximus & sedes apostolica & patrū reuerenda decreuit auctoritas & confirmamus in omnibus. hæc ille. Ecce testimonium clarissimū prærogatiue apostolicæ sedis de quo iam diximus. Ex prædictis manifeste confutantur tam erroneæ duæ interprætationes datæ per aliquos nouellos magistros aduersarios & inimicos doctrinæ omniū sanctorū patrum in suis tractatibus. Prima est ꝙ papa non cōfirmat aut robur auctoritatis tribuit uniuersalibus cōcilijs quæ de toto orbe Christiano congregantur, sed tātum de concilijs patriarchalibus, quæ quādoq; etiam dicta reperiuntur uniuersalia. Quòd ista interprætatio erronea sit manifeste patet ex dictis: quoniam concilium Nicenum & Calcedon. uniuersalia fuerunt & sancti loquentes de hac prærogatiua de uniuersalib. concilijs omnib. loquuntur & rōnes factæ de omnibus ēt concludunt. Secunda interprætatio quā præfati aduersarii dant est ꝙ cōfirmatio quā Rom. pon. tribuere dicitur concilijs uniuersalibus non est auctoritatiua ita ꝙ auctoritatem & robur tribuat concilijs, quia ut aiunt auctoritatem habent a Deo immediate, sed in signum tantum s. ꝙ facta in synodo in concordia sint actitata, sicut & alii episcopi se subscribentes in synodis dicuntur eas confirmare. Quòd autem hæc interprætatio falsa sit & erronea: patet ex dictis in superioribus specialiter per illud quod habetur in 6. actione Calcedon. synodi ubi dicitur ꝙ in omnibus synodis apocrisarii apostolici decretas sententias primo propter summam auctoritatem eiusdem sanctæ sedis confirmabant & subscribebant, quia aliter nullum robur habebant. Ecce ꝙ confirmatio quæ fiebat per legatos papæ non erat tantū significans, sed etiam auctorizans, quia ut inquit nullum robur habebat. Præterea idem habetur ex cap. regula dist. 17. & ex cap. bene distinct. 96. quæ expresse idē loquuntur & de omnibus synodis uniuersaliter quod luce clarius

ostenditur ex illo quod Leo sanctissimus scribit maximo antiocheno episcopo quod supra eodem cap.inductum est. Ceterum quòd erronea sit interpraetatio praefata aduersariorum: patet ex hoc quod respectu conciliorum uniuersalium nihil plus auctoritatis dant summo pont. principi totius ecclesiae quàm alteri episcoporum quod quantum dissonet fidei catholicae, & etiam sanctorum patrum doctrinae nullus sane mentis parum etiam in sacris literis nutritis potest cognoscere. patet ergo quantum errent praefati apostolicae sedis aduersarii.

Cap. XXXV. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones.

VERITATEM autem eam quam in superiori capitulo tantis rationibus & uniuersalium conciliorum practica & exemplis ostendimus aduersarii moliuntur infringere. Primo quidem ex ueteri testamento. dicunt enim ꝙ Esdrae ultimo legitur concilium uniuersale congregatum in Hierusalem, ut prouideretur super congregatione filiorũ Israel qui duxerant uxores alienigenas ubi dicitur quòd missa est uox s. citationis in iudaea & Hierusalem omnibus filiis transmigrationis ut congregarentur in Hierusalem & omnis qui non ueniret tribus diebus iuxta concilium principũ & seniorũ auferetur ab eo substantia eius & ipse abiiceretur a cetu transmigrationis, &c. usq; sic fiat. Ex illo loco aduersarii arguunt duo. Primum est ꝙ Esdras licet non esset summus sacerdos, sed Iosue filius Iosedech nihilominus nomine totius concilii dedit sententiam in praedicta causa, & ita concludunt quòd determinatio & diffinitio in conciliis uniuersalibus non est solius papae. Secundum est ꝙ punitio spiritualis & temporalis in ferenda contẽnentibus uenire fuit reseruata concilii auctoritati & nõ summi pontificis.

Arg. primum

Secundũ

Secundo arguunt ex illo Act. 15. ubi sic dicitur placuit apostolis & senioribus cũ omni ecclesia eligere uiros & ex illis mittere in antiochiam & infra in epistola in qua diffinitionẽ quã de quaestione mota de obseruatione legaliũ fecerant notificãt dicitur sic, apostoli & ceteri fratres his qui sunt antiochiae salut. & post pauca. uisum est spiritui sancto & nobis nihil ultra imponere uobis oneris, quã &c. Ex quibus uidetur manifeste inquiunt primo ꝙ apostoli & seniores simul omnia fecerunt & non Petrus solus. Secundo uidetur ꝙ nomine totius synodalis congregationis conscripta est sententia, & non solius Petri.

Tertium

Tertio arguunt ex gestis octauae synodi Constantinopolitanae ubi in allocutione Thomae metropolitae Tyri facta ad synodum incipientem uestris ecclesiasticis negociis confusionem patientibus, &c. cuius uerba sunt haec loquendo de Imperatore Basilio. Conuocauit humilitatem nostram de orientalibus sedibus ac diocesibus cũ his qui putabantur aduenire atq; concurrere a seniori Roma sanctissimi papae Vicariis circunspectae ecclesiastica dissolueremus certamina propter quod & nũc usque perseuerantes illorũ praestolamur aduentũ quoniã uero nulla est facta tarditas & suspicamur ex tyrannica potestate propter tantam moram multas nobis superuenturas calamitates atque necessitates, immo uero & totum nostrum genus Christianorum propter talem causam submittendũ uariis tentationibus nequaquam eos qui a Roma uenire putabantur expectare iustum

re iustum putamus, sed superfluum atq; superuacuum arbitramur esse præsertim cum ea quæ Romæ regulariter ac synodicæ gesta sunt præ manibus habeamus, ita ut hic constet una nobiscum esse beatissimum papam Nicolaum per litterarum suarum uoces adhuc etiam & successorem eius sanctissimum Adrianum per proprias epistolas, ipsi ergo habentes nobiscum beatissimum papam Nicolaum & sanctissimum papam Adrianum ineptum & incongruum omnino putamus despicere fluctuantem Christi & Saluatoris nostri ecclesiam per dilationem diffinitionis quæ illi debetur. hinc ergo uelut ex necessitate nunc uobis denunciamus iustificationem Dei & diuinæ misericordissimę prouidentiæ consilium atque iudicium quantum ad capacitaté nostram attinet. hæc ibi. Ex quibus habetur inquiunt, quòd sine papa & eius legatis synodus congregata possit procedere ad diffiniendum ac instituendum. Quarto sic. in conciliis uniuersalibus semper nomine synodi senté- tiæ leguntur prolatæ & institutiones canonum. sicut patet in c. quoniam di stin. 16. ubi sic dicitur, placuit huic sanctæ synodo. Idem infra. confirmamus & ceteros canones. Item octaua synodus inquit Focium inobedientem & resistentem huic sanctæ synodo reprobamus & anathematizamus. Quartū

Quinto arguunt ex illo c. si episcopus 2. q. 6. ubi omnes episcopi in concilio uidentur esse coniudices. Sexto ex illo quod Nicolaus papa in epistola quam uniuersis archiepiscopis & metropolitis ac episcopis Constantinopolitanæ sedi subiectis in sententia contra Focium scribit dicens, hæc & his similia contra euangelica apostolica prophetica atque canonica statuta se offerens sit Dei omnipotentis & beatorum apostolorum principum Petri & Pauli & omnium simul sanctorum, ac uenerandorum sex uniuersalium conciliorum auctoritate, necnon & spiritussancti per nos iudicio omni sacerdotali honore & domine aliens, &c. Ecce quòd auctoritate conciliorum pronunciat sententiam. ergo &c. Quintum Sextum

Septimo ab aduersariis arguitur ex similitudine subscriptionis papæ præsentis in concilio uniuersali, aut suorum legatorum cum subscriptionibus aliorum prælatorum sic, omnes isti eandem formam subscribendi se in gestis conciliorum uniuersalium obseruarunt. ergo uidetur quòd omnes æque concurrunt ad constituendum iudicandum & diffiniendum & non solus papa diffinit, aut constituit siue etiam principaliter. consequentia uidetur bona ex similitudine subscriptionis. antecedens dicunt patere ex multis conciliis. dicunt enim quòd in omnibus uniuersalibus ecclesiæ conciliis leguntur legati absque differentia pariformiter aliis se subscripsisse. unde unusquisque episcopus uel dicit annuens, uel statuens, uel diffiniens subscripsi, ita pariformiter apostolicæ sedis legati. unde in concilio Martini papæ quod præcessit sextam synodum uniuersalem reperitur Martinus sic subscripsisse. Martinus sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ episcopus urbis Romæ huic diffinitioni consummationis orthodoxe fidei & damnationem sergii statuens subscripsi, & sic maximus sanctæ aquilegiensis ecclesiæ præcise confirmando damnando & statuendo una cum 113. episcopis se subscripsit quisque in eadem forma. Sic etiam, ut aiunt reperitur in concilio cui Greg. iunior tempore Leonis & Constantini iunioris Imperatoris Romæ præsedit. unde ipse Greg. sic ait. Grego. sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ urbis Romæ episcopus huic statuto a nobis promulgato subscripsi. Agnellus episcopus sanctæ ecclesiæ florentinus huic constituto a nobis promulgato subscripsi & ita de ceteris idem dicunt Septimū

reperiri in concilio in quo Symachus præsedit. Octauo arguitur sic. con
Octauum tingit quòd concilium congregetur super facto papæ utpote quia accusatus uel suspectus de hæresi sicut factum legitur tempore Symachi papæ, ut in. §. hinc etiam dist. 17. & tempore Marcellini papæ dist. 21. in c. nunc autẽ, sed notum est quòd ibi concilium iudicat & non papa, quia nemo iudex est in propria causa. ergo non est uerum quòd semper sententiæ concilii aucto
Nonum ritate papæ & nomine cum est præsens proferantur. Nono arguitur ex c. constitutum 16. q. 1. ubi dicitur constitutum est a præsenti concilio, &c.
Decimũ Decimo arguitur sic. omnium ordinatorum ad finem regula metrum & mẽsura est ipse finis, sed uniuersalis ecclesia quam uniuersale concilium repræsentat est finis potestatis papalis. ergo illius mensura & regula sumenda est ex legibus & regulis uniuersalium conciliorum & non econuerso. ergo uidetur quòd magis pertineat ad synodum ipsam constituere, & regulas dare ac conseruare sententias apostolicæ sedis quam econuerso. consequẽtia uidetur bona maior est Aristotelis 2. phy. & 1. ethy. minor patet: quoniã papa est propter ecclesiam & non econuerso. Vnde apostolus 2. ad Corinth. 10. inquit: potestatem dedit nobis Deus in ædificationem & non in destructionem.

Cap. XXXVI. In quo respondetur ad obiectiones factas.

AD ista quæ aduersarii inducunt contra clarissimam & fundatissimam sententiam quam posuimus non est difficile ex superioribus
Ad primũ respondere. Ad primam autem quæ sumitur de ueteri testamento: licet sup. ruacuum sit respondere, cum manifestum sit non facere ad propositum: nihilominus ut hic liquidius pateat respondetur primo negando, quòd congregatio illa facta in Hierusalem uirorum Iuda & benyamin cum uxoribus & pueris suis fuerit synodus generalis sicut impræsentiarum de synodo uniuersali est sermo. Secundo etiam dicimus quòd falsum sit quòd Esdras nomine & auctoritate illius congregationis dederit sententiã in causa separationis uxorum alienigenarum, sed dedit eam auctoritate Regis Artaxerxis cuius erat Vicarius & princeps constitutus ad reductionem captiui populi in Hierusalem potestatem ab eo habens super omnes transgressores legis Dei, ut patet in cap. 2. eiusdem libri ubi exemplar ponitur epistolæ date sibi auctoritatis. Tertio dicimus quòd etiam falsum sit quòd punitio non uenientium ad illam conuocationem fuerit reseruata auctoritati illius congregationis, immo reseruata fuit Esdræ qui quasi princeps erat, ut diximus ex regis commissione præfatæ congregationis, uerum tamen est quòd fiendum erat iuxta consilium principum & seniorum, ut dicit textus. Ad
Ad secundum secundam quæ sumitur ex illo act. 15. respondetur quòd in nullo obuiat proposito nostro: quoniam licet concederetur quòd patres existentes in concilio simul concurrat cum papa in diffiniendo, aut constituendo canones siue sententiando, sicut hic de apostolis & senioribus cum Petro uidetur aduersariis arguentibus: nihilominus tamen quicquid ibi ageretur principaliter & originaliter ascribendum esset Romano pont. utpote principi totius reip. Christianæ. Vnde gl. Hieron. super illo loco, ut parum ante in c. 31. inductũ est, commemorato qualiter Iacobus & omnes alii seniores in sententiam

Petri transierant dicit Petrum principem fuisse illius decreti, legem post euangelium non esse seruandam. Ecce quòd Hieron. dicit Petrum illius decreti quod factum est in illa synodo principem. id est principalem auctorem fuisse, & hoc plane manifestum si quis text. illum attentæ consideret. Postquam enim Petrus diffinierat non esse imponendum onus obseruantiæ legalis conuersis ex gentilitate. Sequitur in textu. Tacuit autem omnis multitudo. Dicit Nicolaus de lyra iuxta Hieron. consentiens Petro, quam Petri sententiam beatus Iacobus commendans protulit illam dicens, ego iudico ita quòd iudicare Iacobi non fuit sententiam auctoritatiue dare, sed sententiam datam per Petrum principem & uerticem congregationis synodalis proferre, erat enim episcopus Hierosolymitanus, licet enim ut ait magister Nicolaus de lyra ibidem Petrus esset principalis inter apostolos tamen detulit ei in sua dioceſi, ut determinationem dubii proferret. Quod uero sequitur tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia eligere uiros ex eis & mittere in Anthiochiam, non importat aliquam diffinitionem alicuius dubii, sed iam diffinitam uelle illam publicare & notam facere per nuncios suos fratribus existẽtibus Antiochiæ. per hoc uero quòd apostoli scribentes fratribus existentibus Antiochiæ dicunt uisum est spiritui sancto & nobis, non habetur quòd ista potestas iurisdictionis sit data illi congregationi apostolorum & seniorum immediate a spiritusancto sicut aduersarii confingunt sed tantum habetur quòd diffinitio illa præfatæ quæstionis inspiratione spiritus sancti facta fuerit per apostolos & seniores, ut gl. Bede ibi tangit quæ exponens prædicta uerba ita dicit, placuit spiritui sancto qui arbiter suæ potestatis ubi uult spirat. ubi uult loquitur & nobis id est, non solum uoluntate nostra, sed instinctu spiritus sancti. hæc gl. & ita ex illis uerbis nihil aliud habetur nisi quòd Petrus & alii apostoli seniores in sententiam illius canonis de lege non obseruanda post euangelium instinctu spiritus sancti in unum conuenerant. plane huiusmodi assistentia qua spiritus sanctus qui est auctor pacis & unitatis sanctis congregationibus assistit spirando & docendo quid agendum sit non abstulit a Petro nec nunc a successoribus suis primatum supra synodum uniuersalem nec unitatem, nec connexionem totius corporis ecclesiæ ad unum caput s. Christi Vicarium qui ut dicit Chryso. fuerat uertex collegii & caput apostolici chori. Preterea ꝙ epistolæ illius titulus scriptus communis fuerat omnibus apostolis & senioribus non obuiat quin Petrus auctor, & princeps fuerit illius decreti, ut dicit beatus Hieron. quoniam titulus epistolæ illius formatus est cõis omnibus, ut omnis dissensionis tolleretur occasio. unde gl. interli. super uerbo apostoli & seniores dicit sic, apostolorum cõis titulus præfertur ne aliqua dissensionis relinquatur occasio. Ad tertiã quæ sumitur ex synodo Constantinopolitana respondetur ꝙ gesta illius synodi bene cõsiderata in nullo fauet aduersariorũ proposito, sed magis cõfirmant propositũ nostrũ. tum primo, quia licet Vicarii & legati papæ nodũ uenissent in locũ synodi patres tamen synodi auctoritate papæ procedebant. tum quia synodus ipsa auctoritate papæ Nicolai esset cõgregata. tũ quia patres ipsi de mente & uolũtate summi põ. circa diffinienda erant iã instructi sufficiẽter, ut præfatus metropolita cõfitetur dicẽs præsertim cũ ea quæ Romæ regulariter gesta sunt præ manibus hẽamus libellũ s. quẽ papa Adrianus miserat ad synodum Constantinopolitanam secũdum cuius formam proce- Ad tertiũ

dendum esset. Tum quia ibi imminebat casus maxime necessitatis quæ legem non habet. unde imminente tanta necessitate sicut ipsi patres describunt, non erat inconueniens, ut deliberarent pronunciare sententiam diffinitionis habite, per eos etiá non præsentibus Vicariis papæ, maxime quia sicut dictum est ipsi conformantes se menti tam papæ Nicolai quá Adriani sententiam suam conceperant. Tum tertio quod inducunt non facit ad propositum aduersariorum, quia licet tardantibus Vicariis papæ consuluisset præfatus metropolita procedere illis amplius non expectatis nihilominus tandem Vicarii papæ s. Adriani uenerunt, uidelicet Donatus episcopus Hostien. & Stephanus episcopus Ephesinæ ecclesiæ & Marinus dyaconus Cardinalis & tenuerunt locum Rom. pon. in omnibus, sicut patet ex gestis eiusdem synodi, & habetur in c. Adrianus dist. 63. unde de iudicio & sententia data per eos in Focium, ita in actione 5. eiusdem synodi habetur. Deinde accipiens Theodorus deuotus a secretariis legit quæ a sanctissimis Vicariis senioris Romæ breuiter dicta sunt habentia ita. uidistis fratres uidistis, & audistis quæ ex multo tempore dicta & gesta sunt de huiusmodi causa, & apparuit omnibus nobis, quia irreceptibilis erat promotio huius uiri, & quòd depositio sanctissimi patriarchæ Ignatii de sede sua sine iustitia & sine legibus fuerat, nos ergo non nouum aliquod uel recens iudicium iudicabimus, sed uetus ex multo tempore præiudicatum quidem a sanctissimo, & beatissimo papa Nicolao, firmatú autem a sanctissimo patre Adriano, & infra. talem conatum abiicimus & anathematizamus ne ulterius contra ecclesiam Dei quælibet alia forte in omne seculum maligna introducatur actio. hæc ibi. & post infra in fine synodus conformando se sententiæ Romanorum pon. dicit sic, propter hoc ergo nollentem intelligere, ut bene ageret Focium nec obedientiam eligentem nec confitentem peccatum suum, & iniquissimum præsulatum, sed inobedientem, & resistentem huic sanctæ & uniuersali synodo repulimus & anathematizamus, atque a tota ecclesia catholica & apostolica facimus alienum, &c. & sic patet propositum nostrú.

Ad quartum

Ad quartam respondetur quòd licet in conciliis uniuersalibus, ubi papa nó præsidet personaliter sententiæ & canones nomine concilii proferantur. sicut patet in c. quidam 16. q. 1. de concilio Calcedonen. nihilominus tamen auctoritate Romani pont. statuitur uniuersaliter quicquid ibi concluditur habens uim obligandi ut sup. adictum est c. 32. quia cum papa solus sit princeps reip. Christianæ ipseq; utpote caput catholicæ ecclesiæ sit solus uocatus in plenitudinem potestatis non potest fieri regulariter lex quæ omnes fideles liget siue obliget nisi illius auctoritate fulciatur. unde ut habetur in c. bene distinct. 96. patres in synodo congregati loquentes de ualitudine quarundam scripturarum ad probandum quòd præfata scriptura ibidem lecta nullas uires haberet his duabus rationibus utuntur. primo quòd canonibus non concordabat. secundo & maxime quia in ea nullus præsul apostolicæ sedis interfuisset uel propria subscriptione eam confirmasse monstraretur. ubi super uerbo nec canonibus dicit gl. coniuncta accipe hæc duo indiuisa iuris conceptio auctoritatem apostolici expostulat.

Ad quintum

Ad quintam respódetur ꝙ tex. ille ut manifestú est loquitur de cócilio prouinciali in quo oés episcopi sunt côiudices nó sic aút in concilio uniuersali. Et si huiusmodi diuersitatis ratio petatur. dicendum ꝙ ratio diuersitatis est multiplex. Primo quia non ita pendet auctoritas episcoporum ab archiepiscopo siue primatæ

matę aut patriarcha ficut a papa a quo omnes gradus dignitatum in ecclefia difponuntur, iuxta ca. omnes dift. 22. Secundo quia a papa deriuatur omnis poteftas iurifdictionis aliorum prælatorum, ut in cap. ita dominus dift. 19. ut fupra 2. lib. cap. 54. ampliffime oftendimus. Tertio, quia epifcopi non fubiiciuntur in omnibus archiepifcopis primatibus aut patriarchis: nifi in illis tantum in quibus Romanus pon. a quo poteftas, & ordo illorũ pendet illos illis fubiecit. ut dicit fan. Thom. in 2. fententiarum dift. ulti. in expofitione litteræ. dicit etiam papa Nicolaus in ca. conquæftus 9. quæft. 3. primates, & patriarchas nihil priuilegii habere præ cæteris epifcopis: nifi quantum facri canones concedunt. Ad fextam quæ fumitur ex epiftola papæ Nicolai non eft opus refpondere: quia prius auctoritate beatorum apoftolorum Petri, & Pauli quæ refidet in apoftolica fede papa Nicolaus pronunciat fententiam quàm auctoritate fex conciliorum: auctoritatem autem conciliorum poft fuam fubiungit ad maiorem exagerationem pœnæ fiue fententiæ contra Focium: non autem ad neceffitatem: quoniam poteftas illa primatus Romani pon. qua poteft quemlibet iudicare non dependet a conciliis fed ab ipfo omnipotente Deo ut fæpe repetitum eft: & habetur in cap. quamuis diftinct. 3 2. quod manifefte patet ex eo quod idem Nicolaus in eadem epiftola condemnans Gregorium fyracufanæ ecclefiæ epifcopum quia Focium confecrauerat fcribit ita dicens, iuxta canonicam deliberationem apoftolica auctoritate diffinimus atque ftatuimus omni facerdotali carere, & priuari minifterio, ita quòd nullo modo liceat ei in quacunque fynodo reftitutionis fpem habere. Ad feptimam cum arguitur de fubfcriptionum pariformitate refpondetur dupliciter. Primo negando antecedens: quoniam falfum eft quòd regulariter pariformis fit fubfcriptio papæ ac legatorum eius, & aliorum epifcoporum. unde quòd fubfcriptio papæ alia fit a fubfcriptione aliorum prælatorum communiter aperte colligitur ex omnibus illis locis in decreto, & decretalibus fexto, & clementinis quæ inducta funt fupra ca. 31. in quibus papa folus defcribitur ftatuere de confilio aut approbatione patrum confilii ubi confultatio, & affenfus fiue approbatio tantum tribuitur confilio patrum: ftatuere uero Rom. pon. Item diebus noftris in decreto unionis græcorum facto florentiæ fub fanctæ memoriæ domino Eugenio folus Eugenius in fubfcriptione dicit diffiniens fubfcripfi. unde uerba funt ifta. Eugenius catholicæ ecclefiæ epifcopus ita diffiniens fubfcripfi. Alii ut prælati tam latini quàm græci tantũ dicunt fubfcripfi. patet ẽt falfitas antecedẽtis illius aduerfariorum ex uarietate fubfcriptionum legatorum papæ, & aliorum prælatorum. Vnde in libro conciliorum habetur fic legatus papæ fe fubfcripfit in concilio Calcedonen. Pafchafius epifcopus ciuitatis lucanæ uicarius domini mei beatiffimi atque apoftolicæ, & uniuerfalis ecclefiæ papæ Leonis urbis Romæ fynodo præfidens ftatui confenfi, & fubfcripfi. nullus uero prælatorum aliorum ftatui nec diffiniens fubfcripfi: fed tantum fubfcripfi. Secundo refpondetur negando confequentiam illã aduerfariorum: quoniam ex hoc quòd aliquando fimili modo papa & alii in conciliis fe fubfcribunt: non fequitur quòd pari fiue æquali auctoritate fimul concurrant prælati cum papa in ftatuendo diffiniendo aut iudicando aliquid in conciliis: cũ omnis huiufmodi poteftas aliorum prælatorum pendeat a Roma. ponti. ut in fuperioribus maxime in 2. lib. cap. 54. clare oftendimus. Sicut per hoc

Ad fextũ

Ad feptimum

quòd causæ secundæ dicantur simul cum causa prima operari aliquem effe-
Ad nonū ctum:non propter hoc sequitur quòd pari uirtute concurrant omnes ad
effectum illum. Ad octauam respondetur quòd ratio facta non arguit
quin regulariter sit uerum quod dictum est:licet in aliquo particulari ca-
su posset contingere contrarium: sicut inferius dicemus. nihilominus in
casu inducto ex aduerso de accusatione. Symachi papæ auctoritate ipsius
sym chi synodus ipsa fecit quicquid fecit, ut ex ipso tex. patet. Ad nonam
respondetur quòd non facit ad propositum. Tum quia concilium illud
Toletanum non fuit uniuersale sed prouinciale. In prouincialibus autem
conciliis aliud est ut supra diximus respondendo ad quartum: quoniam
in uniuersalibus tota potestas auctoritatis pendet ex Romano. pontifi. ut
prædiximus, & ita dicendum est ad multas alias allegationes similes de
conciliis prouincialibus. unde in hac argumentatione aduersariorum qua
ex conciliis prouincialibus arguunt ad uniuersale est maximus error. non
enim est similitudo, ut in superioribus ostendimus, fatemur tamen & quan
doque papa exaggerando prohibitionem uel uolendo honorare patres
in concilio congregatos aliquando dicit sacri concilii auctoritate prohi-
bemus, & alibi dicit generalis concilii decreuit auctoritas, alibi dicit no-
strorum episcoporum omniumque ceterorum sacerdotum, & leuitarum
Ad decimum auctoritate, & consensu atque reliquorum fidelium, & cunctorum conci-
liariorum nostrorum consultu diffinitum est. Ad decimum respondetur
quòd regula siue lex ecclesiæ non potest dici regulariter esse concilium
uniuersale nisi plenarium in quo auctoritas, & consensus interuenit apo-
stolicæ sedis cum plura concilia exorbitasse legantur a fide ut de Arimi-
nen. & Ephesino secundo, & de aliis quæ infra commemorabuntur, & etiā
colligitur ex glo. ipsi sunt canones 9. quæst. 3. sed lex illa, & regula est apo-
stolica sedes quæ nunquam exorbitasse a fide catholica legitur dicente
domino. Luc. 22. beato Petro. Ego pro te rogaui petræ, ut non deficiat fi-
des tua, quod sancti doctores de firmitate, & inobliquitate fidei apostolicę
sedis exponunt sicut diffusæ supra in 2. lib. cap. 109. ostendimus. unde hac
ratione mater fidei, & magistra dicitur ecclesia Romana, ut in cap. omnes
dist. 22. Et ad probationem respondemus quòd nulla est. Pro quo notan-
dum quòd prout supra secundo lib. circa cap. 84. distinximus dupliciter ali-
quid dicitur finis alicuius rei, uno scilicet modo in quo tendit res illa ex
ordine sibi dato aut naturali aut supernaturali siue id quod est intentum
ab agente. Alio modo dicitur finis id ad cuius utilitatem est ordinatum
opus agentis, cuius exemplum potest poni in arte medicinæ. uno modo di-
citur finis artis sanitas quam inducere intendit. Alio modo infirmus siue
corpus humanum sicut ad cuius utilitatem ordinatum est totum opus ar-
tis. Item finis politiæ uidetur esse pax & tranquillitas ordinis cum hoc ui-
detur bonum ipsius ad quod uniuersum regimen eius respicere, & tende-
re uidetur. Ipsa uero communitas dicitur finis regiminis siue potestatis
publicæ sicut ad cuius utilitatem ordinatum est opus præsidentis, & agen-
tis ita finis potestatis papalis non est ipsa ecclesia uniuersalis sicut id ad
quod est finaliter ordinatum sed id ad quod per usum eius ipsa ecclesia re-
cta, & gubernata perducitur quod est ipsa beatitudo cœlestis. Secundo
uero modo, scilicet sicut id ad cuius utilitatem potestas ipsa ordinata est
benè dicitur finis eius ipsa uniuersalis ecclesia. Qua distinctione habita
dici-

dicimus ad antecedens quòd regula regiminis, & lex ordinationis eorum quæ sunt ad finem non capitur a fine secundo modo dicto sed primo. nam medicus non capit regulas medicandi a curandis, nec dux regulam militandi ab exercitu suo: nec princeps a populo leges regendi sed econtra. unde ratio illa aduersariorum nullius uidetur esse uirtutis licet apud eos aliter uideatur. Et ad probationem quam inducunt ex apostolo respondemus quòd per illam auctoritatem non probatur nisi quòd ecclesia potestatis papalis sit finis modo assignato. unde leges, & regulæ quibus ædificari debet ecclesia non sunt sumendæ ab ipsa ecclesia ædificanda, & regenda sed ab ædificatore Christo qui sicut est principium ecclesiæ ita est finis ad cuius amplexum per regimen sui generalis uicarii, scilicet summi pon. qui uices eius gerit in terris perducenda est, hinc optime in diffinitione ecclesiasticæ potestatis dicitur quòd est ad ædificationem ecclesiæ secundum leges euangelicas, & apostolicæ sedis quæ mater cunctarum ecclesiarum, & caput existit atque fidei ac legum magistra sanctiones, & decreta. unde potestas papalis non dicitur esse in ecclesia sicut in regulante sed sicut in regulato. In uero autem uicario Christi est sicut in regulante, & dirigente. unde rector ecclesiæ est & pastor ac princeps cuius est oues, & plebem sibi commissam pascere regere, & gubernare iuxta leges, & mandata Christi cuius est uicarius.

Cap. XXXVII. De honorando summo pontifice per uniuersalia concilia, & uniuersos fideles, & de grauitate culpæ inhonorantium eum.

PERSPECTIS bene his quæ de Romani pontifi. principatu super uniuersalem ecclesiam supra 2. li. amplissime disputauimus ostendendo eum, & patrem, & pastorem & principem generalem uicarium super uniuersam remp. Christianam, & quòd ab eius potestatis excellentia uniuersum conciliorum robur pendeat, & auctoritas sicut in hoc tertio libro copiose supra monstrauimus luce clarius colligitur quanto honore, & reuerentia teneantur omnes fideles omnes maxime ecclesiæ prælati Romanum pon. reuereri colere ac uenerari: quantoque studio ab uniuersalibus conciliis seruandus sit honor apostolicæ sedi debitus atque quàm oppido decertandum, ne auctoritas Roma. pont. in qua & ecclesia fundata est, & uniuersa concilia robur & auctoritatem suscipiunt ab aliquo deprimi præsumatur cum de hac per prophetam dictum esse uideatur, si hæc humiliatur ad cuius confugietis auxilium aut ubi relinquetis gloriam uestram, ut Symachus papa in cap. aliorum 9. q. 3. inquit. Quis enim sedis illius honorem quæ fidei magistra est & cunctarum ecclesiarum mater tuebitur si concilia generalia deprimant quæ nunc in primis contra oppressores, & contemptores omnes seruare debuerunt. ubi unquam auditum est sacras, & uenerabiles synodos quicquam aduersus sedem illam inclementer statuisse certe nusquam immo inhonorantes illam multa animaduersione castigasse sicut patet de sancta & uniuersali synodo Calcedonen. in qua Dioscorus quia contra Leonem Papam excommunicationem dictauit sine ulla restitutione damnatus est, ut in capitulo, in tantum ha-

betur dist.21. Item idem patet de sancta, & uniuersali synodo 8. in qua Focius quia concilium generale absque consensu Rom.pon.congregare presumpsit in iniuriam, & derogationem apostolicæ sedis damnationis etiam sententia percussus est, ut ex gestis eiusdem concilii manifeste habetur. Ceterum uniuersalium conciliorum antiquorum reuerentia ad apostolicam sedem illustri testimonio colligitur ex eo quòd synodi ipse uniuersales semper Roma.pon.patrem & caput eorum profitentes semper uenerate sunt ac eorum robur & auctoritatem ab eo pendere recognoscentes semper solitæ sunt humiliter petere quæque per eos statuta, & gesta auctoritate apostolica cófirmari sicut supra de multis exemplariter ostendimus. Si enim quando oriens totus, & aphrica fidei Christianæ titulo, & gloria erat illustris quando orbis totus Christum loquebatur cum sanctissimis uiris omnes ferme ecclesiæ præsulibus gloriarentur cum deserta ipsa & montes sanctos fouerent nihil unquam ullis in locis contra sedis illius auctoritatem ac dignitatem leuiter fuit attentatum. modo uero ualde dolendum esset si quando ferme in sola occidentali parte Christi religio sincera, & immaculata seruatur sacræ illius sedis minueretur aut supprimeretur auctoritas: absit maxime considerando quanta mala hic, & in futuro illius immineant qui apostolicæ sedi iniuriari aut illius honori, & auctoritati derogare præsumunt. incurrunt enim inter alia pœnam primo maledictionis qua Chanaan patris sui derisor prostratus est Genes.9. Vnde August. nihil ita Deo placet sicut obedientia Cham ideo maledictus fuit, & post multa secula manet quia patri non est obsecutus. Ceterum Sem qui obsecutus est patrs benedictionem habuit in omnia secula. hoc quare dico? ut obedientiam exhibeamus patribus nostris: qui patribus non obsequitur Deo non obsequitur. hæc ille. dicitur enim Deuter.17. Maledictus qui inhonorat patrem suum. Secundo incurrunt crimen læse maiestatis pro eo quòd uniuersalis ecclesiæ principem, & rectorem atque in eo regẽ regum & dominum dominantium cuius uicarius est inhonorant dicente domino Luc.10. qui uos contemnit me contemnit. Tertio incurrunt scelus scismatis pro eo quòd ecclesiarum omnium fundamentum deserunt, dicit enim beatus Cyprianus in cap. qui cathedram dist.93. Qui cathedram super quam ecclesia fundata est deserit in ecclesia se esse non confidat. Quarto incurrunt labem heresis eo quòd apostolicæ sedis priuilegia uiolare præsumant, ut enim inquit Nicolaus papa in cap. omnes dist.22. qui Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur: fidem quidem uiolat qui aduersus illam agit quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur qui eam cunctis ecclesiis prætulisse cognoscitur, hæc ille. Quinto excluduntur omnino a spe regni cœlestis: quoniam ut patres concilii occidentalis in epistola quam ad Papam Adrianum scribunt quæ lecta fuit in 8. synodo dicunt. Nemo quippe fidelium in iniuriam beati Petri principatus impune prorumpit, in cuius uidelicet contumeliam ut sanctus Bonifacius papa scribit quisquis insurgit habitator cœlestium non poterit esse regnorum. Tibi inquit dabo claues regni cœlorum: in quod nullus absque gratia ianitoris introibit, hæc ille. Quanta insuper confusio & ignominia etiam temporalis hic huiusmodi præsumptores sequatur non modo antiquæ historiæ quæ omnes tales communiter mala morte interiisse

teriisse referunt sed etiam scandala ipsa, & ignominię quæ Basiliensibus, superuenerunt pro eo quòd Dioscori, & Focii præsumptionis imitatores diabolica temeritate Romanum pontifi. Christi uicarium ac ecclesiæ totius prælatum ac rectorem sibi subiicere attentarunt aperta luce demonstrant.

Cap. XXXVIII. De quibus causis uniuersale concilium debeat se intromittere.

CVM autem ex iam dictis omnibus notum factum sit uniuersalium conciliorum auctoritaté a papa dependere, & per consequens limitatam habere potestatem, ordo ipse exposcit ut excutiamus ad quæ uniuersalia concilia determinando sententiando aut constituendo extendere se debeant siue possint aut de quibus causis se debeant intromittere, an scilicet indifferenter de omnibus an de aliquibus tantum. Apparet autem nobis saluo semper meliori iudicio quòd stante in sede apostolica uero, & indubitato pontifice uniuersale concilium non debeat indifferenter se intromittere de singulis causis sed tantum de his ad quorum determinationem, & diffinitionem extitit congregatum. Quod nos multiplici ex capite rationabile ostendemus. Primo irrefragabili testimonio beatissimi Leonis papæ, beatus enim Leo papa Anatholio episcopo Constantinopolitano scribens, & reprehendens quod induxisset Calcedonen. synodum ut prima sedes post Romanam quæ prius erat Alexandrina constitueretur Constantinopolitana dicit sic. Quibus auditis, & nunquam ante tentatis ita præueneris excessibus ut sanctam synodum ad extinguendam solum hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi principis congregatam in occasionem ambitus tui trahas, & ut cómminentiam suam sibi dedit interpellas tanquam irritari nequeat quod licite uoluit multitudo. Et infra. Nimis ergo hæc improba nimis praua sunt quæ sacratissimis canonibus inueniuntur esse contraria in totius ecclesiæ perturbationem superba hæc tendit elatio quæ ita abuti uoluit concilio synodali, ut fratres in fidei tantummodo negocio conuocatos, & diffinitione eius causæ quæ erat curanda perfunctos ad consentiendum sibi aut deprauando traduceret aut terrendo compelleret, hæc ille. Item papa Nicolaus in secunda epistola quam scribit Michaeli Imperatori quæ lecta fuit in quarta actione manifeste designat quòd sancta synodus non debeat se intromittere nisi de eis quæ papa concesserit aut commiserit ita di. Quod uero strenuum uirum ignatium patriarcham uestro speciali deposuistis damnastis, & expulistis arbitrio, & socium de laicali agmine uobis improuide in eius loco subrogastis episcopum æquanimiter ferre omnino non possumus, maxime cum horum duorum negocium inuestigari, & nobis renunciari non diffinire mandauerimus, hæc ille. Ecce manifeste habere ex huiusmodi reprehensionibus quòd concilia uniuersalia congregata ad ea tantum extendere se debeant sententiando siue diffiniendo ad quæ congregata siue conuocata sunt, & non ad alia. Secundo sic ratione. concilium uniuersale habet robur, & auctoritatem a Romano pontifice ut supra ostensum est multipliciter iuxta distinct. 17. per totum, & cap. Significasti, extra de elect. ergo concilium uniuersale ad tantum se extendere potest regula-

liter quantum papa ordinat uel disponit qui uniuersale concilium conuocat,& sua auctoritate fulcit.unde prædictus beatissimus Leo papa ad episcopos qui in sancta synodo calcedonensi congregati fuerant inter cetera ita scribit,ut fraterna uniuersitas,& omnium fidelium corda cognoscant me non solum per fratres qui uicem meam executi sunt sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam iunxisse sententiam in sola, scilicet fidei causa quod sæpe dicendum est propter quam generale concilium, & ex præcepto Christianorum principum & ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari, ut damnatis hæreticis,&c. Ecce quòd solum papa approbat ea ad quæ concilium fuerat congregatum, & alia non. Tertio arguitur sic.concilia uniuersalia non congregantur nisi pro magnis,& arduis causis quæ ita commode expediri non possunt sine concilio sicut cum concilio:ergo ad illarum tantum expeditionem & quæ necessaria dependent ex illis aut faciunt ad executionem illorum concilia uniuersalia se extendere possunt.patet consequentia cum ad illorum tantum expeditionem conuocata sint & auctoritatem receperint.unde Agapto papa de potestate quam Apocrisariis suis dedit scribens Imperatori,& narrans qualiter mittebat Apocrisiarios ad sextam synodum ita dicit, licentiam dedimus siue auctoritatem apud tranquillissimum tuum imperium dum uixerit tua clementia simpliciter satisfaciendi inquantum dum taxat iniunctũ est ut nihil præsumant augere mutare uel minuere sed traditionem apostolicæ sedis ut a prædecessoribus instituta est sinceriter enarrare,propter quam etiam rationem legati papæ in octaua synodo,ut colligitur ex quinta actione scientes se non posse extendere nisi quantum ab apostolica sede eorum potestas ampliata erat dicebant sic ad synodum . Nos non nouum aliquod uel recens iudicium iudicabimus sed uetus, & multo tempore iudicatum quidem a sanctissimo , & beatissimo papa Nicolao firmatum autẽ a sanctissimo papa Adriano, & non possumus transferri uel commoueri a paternis diffinitionibus,& legibus nec declinare ad dextram uel sinistram, hæc ibi . Quartò sic.si uniuersale concilium intromitteret se de singulis causis indifferenter iam in ecclesia essent duo suprema tribunalia duæ cathedræ supremæ quod unitas ecclesiæ non admittit, ut sæpius repetitum est supra ergo concilium uniuersale non potest se intromittere de singulis causis. Quinto sic.soli apostolicæ sedi eo quòd in ea Deus totius ecclesiæ posuit principatum conuenit de singulis causis omnium fidelium iudicare & diffinire,iuxta cap.episcopus 9.q.3.ubi uenerabilis Beda inquit,sola Romana ecclesia sua auctoritate ualet iudicare de omnibus,& in ca.per principalem e.cau.& q.ergo uidetur quòd hoc non conueniat conciliis uniuersalibus.consequentia patet.Sexto papa respectu concilii uniuersalis est prælatus comparatur enim ad ecclesiam ut pater prælatus caput & princeps eius,ut patet:ergo synodus uniuersalis uniuersalem ecclesiam repræsentãs non potest aliquid nisi quantum auctoritate patris prælati,& capitis sui ac principis ei conceditur.consequentia patet:& specialiter ex gl.illa super illud psal.44.pro patribus tuis &c. quæ sic habet . æquiparatur in hoc patri episcopus,& ecclesia filio,quia sicut filius nõ põt sine auctoritate patris litigare sic nec ecclesia sine auctoritate prælati.Septimo sic.Romano pontifici sunt aliqua in iure reseruata ratione sui primatus,sicut est cõuocatio uniuersalium conciliorum depositio episcoporum maiorũ causarum discussio,

de

de quibus in ca. Dudum 3.q.6. & de multis ſpecifice habetur in decreto, & decretalibus, ergo cum ſoli Romano pontifici illa reſeruata ſint nullus poteſt ſine apoſtolicæ ſedis iniuria ad illa manus extendere ſine licentia, & auctoritate illius. conſequentia patet. Quod uero quidam aduerſarii dicũt ꝙ cum dicitur ꝙ ſolus papa poteſt illa facere aut quòd ſoli papæ ſunt talia uel talia reſeruata non ſit excluſio niſi reſpectu inferiorum non aũt reſpectu congregationis uniuerſalis concilii in qua auctoritas papæ incluſa uidetur, hoc nihil ualet. Tum primo, quia congregatio ipſa ut de ea nunc loquimur ut ſcilicet diſtinguitur a papa non eſt niſi congregatio inferiorum & ideo ſi per ly ſolus excluduntur inferiores clarum eſt quòd excluditur congregatio eorum, quia inferiores ſiue ſint diſperſi ſiue collecti ſemper manent inferiores reſpectu eius qui eis ſuperior eſt, tum ſecundo, quia ut infra dicetur licet papa conuocet concilium non propter hoc incorporat tantã plenitudinem ſuæ poteſtatis concilio ad faciendũ quicquid uoluerit. ſed tantum ad ea expedienda propter quæ congregatum eſt. unde in hoc magiſtri nouelli decipiuntur, & ideo non mirum ſi dicto malo principio proruperint in uarios errores dicente Ariſtotele paruus error in principio maximus fit in fine. Octauo ſic. nihil eſt attribuendum uniuerſali concilio per quod ſciſmatis occaſio daretur in eccleſia inter caput & membra inter Romanum pon. ſiue apoſtolicam ſedem, & uniuerſale concilium hoc eſt notum. ſed concilium uniuerſale intermittendo ſe de ſingulis cauſis, & de reſeruatis apoſtolicæ ſedi introducitur diuiſio, & ſciſma inter apoſtolicæ ſedis iudiciũ & concilii uniuerſalis iudicium quoniam ſæpe contingeret, ut quod ligaret, & ſolueret apoſtolica ſedes ſolueret uel ligaret concilium uel econuerſo ut practica nobis exemplariter oſtendit Baſileæ cũ ad perſuaſionẽ quorundam nouellorũ magiſtrorum congregatio illa de ſingulis etiã reſeruatis Ro. pon. minus prudenter tentauerit ſe intromittere reuocando retractando ſententias in Ro. curia datas per apoſtolicam ſedẽ. unde multa ſunt orta ſcandala in eccleſia Dei. Nono ſic: nihil eſt attribuendum uniuerſali concilio quod grauiter perturbaret, & damnificaret totã eccleſiã, patet hoc. ſed ſi conciliũ uniuerſale ſe intromitteret indifferenter de ſingulis cauſis oporteret ut quaſi perpetuũ fieret aut in nimium longũ tẽpus extenderetur cũ neceſſarium uideretur ut cauſas omnes aſſumptas terminaret, quod certe ſine magno diſpendio eccleſiarum, & iactura epiſcoporũ manifeſtũ eſt fieri non poſſe. Decimo ſic: præſupponendo cũ dominis iuriſtis ꝙ impoſſibile ſit ꝙ idem & in ſolidum eodẽ modo & pro eodẽ tempore poſſit a duobus poſſideri, & per conſequens nec exerceri, ut ff. cómo. l. ſi ut certo. §. ſi duobus uehiculũ. ſed nulli dubium eſt quin papa utpote paſtor, & iudex totius Reip. Chriſtianæ ſit in poſſeſſione & actu exercito iudicandi de ſingulis cauſis fidelium, & exequendi ea quæ ſunt plenitudinis poteſtatis clauium in tota eccleſia Dei. ergo pro eodem tempore non uidetur poſſibile ꝙ hoc conueniat concilio uniuerſali. conſequentia patet cũ omnibus præmiſſis. Ex quibus omnibus manifeſte conuincitur nullitas diſpenſationũ indulgentiarũ ſententiarum multarum cauſarũ atque collationum beneficiorum, & donationis, & aliorum quæ Baſileæ contradicente Romano pontifice ſanctæ memoriæ domino Eugenio facta eſſe dicũtur niſi prius auctoritate apoſtolicæ ſedis ſuſceperint firmitatem. Ex dictis aũt per multa capitula de dependẽtia auctoritatis conciliorũ a Romano põtifice Chriſti

uicario confutatur manifeste error damnatissimus Marsilii de Padua attribuentis uniuersali concilio quod uniuersitatem dicit esse omnium fideliū non distinguens inter laicos, & clericos sine aliqua dependentia a papa totum exercitium ecclesiasticæ potestatis tam in prouisionibus beneficiorum,& dispensationibus,& indulgentiis atque correctionibus quorumcunque errantium.

Cap. XXXIX. In quo obiicitur contra prædicta.

ADVERSVS iam dicta arguunt multipliciter aduersarii asserentes quòd uniuersale concilium cum est congregatum potestatem habeat exercendi omnem actum potestatis iurisdictionis sicut & papa. Primo sic.concilium uniuersale habet auctoritatem supremam a Christo immediate super omnes fideles cuiuscunque status aut conditionis existant:ergo potest exire in actum illius potestatis quando est congregatum cum uoluerit.consequentia uidetur bona, quia frustra esset potentia quæ non exiret in actum,antecedens colligitur ex decreto concilii constantiensis. Secundo sic. quando papa congregat concilium uniuersale uidetur illi incorporare auctoritatem suam.unde uniuersale concilium legitime congregatum ipsum papam & ita eius auctoritatem includit, & ita dato quòd uniuersale concilium non a Christo immediate sed a papa susciperet suam auctoritatem exire poterit in actum potestatis plenitudinis papalis,sed a papa potest de omnibus causis agere: ergo & concilium legitime congregatum.consequentia uidetur bona, & antecedens manifestum. Tertio idem arguitur ex practica aliorum præcedentium conciliorum uniuersalium.primo ex illo apostolorum concilio de quo Actio.1.habetur ubi uacante apostolatu Iudæ proditoris omnes apostoli,& discipuli tractauerunt de eius successore, & elegerunt duos ex omnibus,scilicet Barnabam & Mathiam,& sic ille fuit susceptus in numero duodenario. ergo uidetur quòd concilium possit se intromittere de prouisione prælatorum.Quarto sic ex ca.primates 2.quæst.1.ubi glo.dicit quòd synodus auctoritate Romani pontificis congregata potest priuare seu damnare episcopos, & hoc idem habetur in cap.nullus 5.q.4.ergo idem quod prius. Quinto arguitur ex practica conciliorum uniuersalium antiquorum quæ omnem iurisdictionem uidentur exercuisse etiam in reseruatis apostolicæ sedi quæ non solum excommunicasse sed etiam deposuisse aliquos episcopos a suis dignitatibus,& restituisse depositos sicut quasi per omnia octo concilia uniuersalia legitur cum ergo omnia concilia uniuersalia æqualis uideantur esse auctoritatis uidetur quòd uniuersale concilium possit se intromittere regulariter de omnibus causis etiam particularibus. Sexto idem arguunt ex cap. Inter cetera 10.quæst.ulti.ubi concilium quartum toletanum ita dicit. Inter cetera denique quæ consensu communi inter nos conferre competentis oportuit quærimonias etiam parochialium presbyterorum galliæ prouinciæ solertissime decernere &c.Item in ca.si clericus 11.q.1. ubi dicitur quòd si clericus habet contra suum episcopum uel alium causam apud audientiam synodi prouinciæ conqueratur: ergo idē quod prius. Septimo arguitur etiam de dispensationibus ꝙ possit facere ex ca.præsbyter distinct.82.ubi concilium uniuersale dispensat contra canones apostolorum

Marginalia: Arg. primum; Secundū; Tertium; Quartū; Quintum; Sextum; Septimū

lorum,ut dicit tex.& gloss.super uerbo apostolorum. Item in cap.præsbyteros l.distinct.ubi concilium uniuersale dispensat cum presbyteris qui immolauerint Idolis,& postea penituerunt quòd possint retinere beneficia sed non in ordine ministrare,& hoc dispensatiue,ut dicit glo.super uerbo fungi. Octauo quòd etiam ad maiores causas se possit extendere arguitur, Octauum
quia potest episcopum deponere,& restituere, ut in cap.Si quis episcopus, & cap.Certum,& cap.Episcopos,& cap.Irritam undecima quæstione tertia. Nono arguitur ex pratica concilii Basiliensis,quod non modo de causis particularibus se intromisit sed etiam plenarias indulgentias dedit. Nonum

Cap. XL. In quo respondetur ad obiectiones prædictas.

BENE autem considerando ea quæ dicta sunt superius facile occurrit quòd obiectiones prædictæ aduersariorum contra conclusionem nostram præfatam parum militant. Conclusio autem nostra fuit q̃ uniuersale concilium stante unico, & indubitato Rom.pon.in sede Petri,& contradicente non posset ad alia tractanda diffinienda ac iudicanda debite se extendere quàm ad illa ad quæ per Roma.pon. fuerit conuocatum. unde dicendum est ad rationes inductas. Ad primam quæ sumitur ex concilio Constantien.responsum est supra tam lib.2.in cap.99.quàm in hoc 3. lib.ca.31.quòd assumptum est falsum. Ad secundam in qua dicitur quòd papa conuocans concilium uideatur illi auctoritatem suam incorporare, respondetur quòd concessio quòd papa conuocando concilium uniuersale incorporet illi auctoritatem suam non tamen conceditur q̃ incorporet illi omnem eius plenitudinem potestatis sed tantum quantum necesse est ad prouidendum super illis ad quæ illud conuocatum unde si patres illius concilii ad alia se extendant quàm ad ea ad quæ a Rom. pon.receperint potestatem,& errant usurpando sibi quod non conuenit & etiam facta sic per eos extra potestatis datæ terminos uiribus uacua sunt sicut aperte colligitur ex Calcedonensi concilio in quo quia patres qui tantum ad fidem confirmandam erant congregati extenderunt se ad alia sanctus Leo papa dure reprehendit patriarcham Constantinopolitanum ut patet ex superius in cap. 38.dictis,hoc etiam ex modo subscribẽdi quo usi sunt legati papę in gestis octaui concilii patet:quia fuit iste. Ego Donatus Dei gratia episcopus sanctæ Hostien.ecclesiæ locum obtinens domini mei Adriani summi pontificis,& uniuersalis papæ omnia quæ superius leguntur huic sanctæ, & uniuersali synodo præsidens usque ad uoluntatem eiusdem eximii præsulis promuigaui, & manu propria subscripsi. Eadem forma usi sunt secundus legatus, & tertius uidelicet Stephanus nephesinæ ecclesiæ episcopus,& Martinus Romanæ ecclesiæ dyaconus quia enim alia ibi fuerant conclusa de quibus forte prius Romanus pon.non fuerat informatus præter principalem materiam pro qua erant congregati legati papæ non dabant plenarium assensum aut confirmationem nisi usque ad beneplacitum Romani pontificis. Ad tertiam quæ sumitur ex concilio apostolorum, respondetur non esse ad propositum: quoniam in concilio illo fuit beatus Petrus & præsidens,& ad mandatum eius siue ordinationem electio illa facta est,

Ad primũ / Ad secundum / Ad tertiũ

unde ait. Viri fratres oportet impleri scripturam quam prædixit spiritussanctus per os Dauid de Iuda &c. & infra oportet ergo ex his qui nobiscum sunt cōgregati testem resurrectionis Christi nobiscum fieri unum ex istis, & sequitur, & statuerunt duos. Ecce manifeste quòd principatus huius electionis fuit apud eum qui caput & uertex erat apostolici chori, ut dicit Chrysost.

Ad quartum. Ad quartam quæ sumitur ex cap. primates, respondetur quòd synodus auctoritate papæ congregata bene potest condemnasse episcopos si ad hoc habeat speciale mandatum. unde glo. in ca. allegato nulli 5. quæst. 4. dicit sic loquendo de synodo auctoritate generali audiri potest causa episcopi, sed non potest terminari sine speciali mandato apostolicæ sedis. hæc ibi. quæ glo. est multum notanda in hac parte cum expresse confirmet propositum.

Ad quintum. Ad quintam quæ sumitur de practica antiquorum generalium conciliorum, respondetur quòd non facit ad propositum: quoniam omnia illa in conciliis præfatis gesta facta sunt auctoritate Rom. pon. sicut patet ex superioribus. Tum secundò quia licet de aliquibus ad quæ erant congregata concilia, & ad eorum depentia patres se intromiserunt non tamen de omnibus particularibus causis, & omnibus reseruatis apostolicæ sedi.

Ad sextũ. Ad sextam quæ sumitur ex cap. Inter cetera 10. quæst. ulti. & in cap. Si clericus undecima quæst. prima respondetur sicut ad præcedentia quod in omnibus gestis illis concurrit consensus, & auctoritas Roma. ponti. & ita capitula illa non militant contra conclusionem nostram.

Ad septimum. Ad septimam quæ sumitur ex ca. Presbyter. dist. 81. & ex cap. Presbyteros di. l. respondetur primo quia non faciunt ad propositum quia illa non sunt concilia uniuersalia de quibus loquimur. sed sunt prouincialia sicut patet ex rubri. Secundo respondetur sicut ad præcedentia quòd dispensatio illa facta est auctoritate Rom. pon. unde in ca. præfato presbyter quod est concili Grangen. ita habetur presbyter si fornicationem fecerit quanquam secundũ canones apostolorum debeat deponi, tamē iuxta auctoritatem Siluestri papę si in uicio non perdurauerit &c.

Ad octauum. Ad octauam quæ sumitur ex c. si episcopus 11. q. 3. & ex aliis capitulis eiusdem causæ, & q. Respondetur primo quòd in illis capitulis non habetur de depositione episcoporum licet bene de damnatione quæ dicitur ibi excommunicatio sicut patet ex glo. ca. si episcopus. Secundo etiam respondetur ꝙ dato quòd ita sit sicut aduersarius inducit illud nō fuit factum sine speciali auctoritate Ro. pon. iuxta glo. ca. nullus 5. quæst. 4.

Ad nonũ. Ad ultimam quæ sumitur ex practica concilii Basilien. respondetur ꝙ practica habita in concilio Basilien. in multis fuit exorbitans ab omni iure introducta per quosdam temerarios, & præsumptuosos homines. unde a practica, & gestis illius congregationis quæ tot scandala in ecclesia peperit nulla exempla sumenda sunt sed potius de omnium fidelium ueniunt delenda pectoribus. Ex istis etiam patet quàm inualida sint omniq; uirtute uacua quæ in pragmatica sanctione regni Franciæ ex decretis Basilien. continentur quoniam multa illorum aut falsa sunt aut uiribus carent cũ apostolicæ sedis nulla sint auctoritate uallata. Nec potest dici quòd illa decreta per acceptationem illam regni Franciæ minus bene consulte factam, salua reuerentia acceperunt aliquid firmitatis.

Cap.

Cap. XLI. Ad quæ uniuersale concilium congregatum aut congregandum uacante sede apostolica se debet aut possit extendere & qua auctoritate.

POSTQVAM ostendimus existente in sede apostolica præsule ali quo indubitato ad quæ uniuersale concilium possit aut ualeat potestatiue se extendere. Iam discutiendum uenit ad quæ se debeat aut possit extendere si congregari contingat apostolica sede uacante. In qua disputatione nobis dicendū uidetur saluo semper meliori iudicio quòd uniuersale conciliū congregatum uacante apostolica sede ante Romani pon. creationem possit & ualeat exequi quæ necessario occurrerent pro regimine,& tuitione ecclesiæ ubi per dispositionem iuris non posset prouideri & quæ sine dispendio magno prorogari non possent usque ad creationem Romani pon. Quæ conclusio faciliter ostenditur,quia nisi detur quòd uacante sede apostolica in qua dominus posuit ecclesiæ principatum, & gubernaculum populi Christiani apud prælatos ecclesiæ sit potestas prouidendi in casu prædicto necessitatibus imminentibus ecclesiæ non uideretur sufficienter prouisum ecclesię in his quę necessaria sunt populo Christiano quod nullo modo dicendum est de Christo fundatore, & capite ipsius ecclesiæ cuius sapientia attingit a fine usque ad finem suauiter cuncta disponens Sapientiæ 8.& cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur. Sed si quæratur quomodo hoc esse potest aut qua auctoritate maxime cum non uideatur concedendum quòd aliqua congregatio prælatorum inferiorū a Romano principe sine habitudine ad apostolicam sedem habeat potestatē aliquid ordinandi uniuersaliter in uniuersali ecclesia uidetur nobis respondendum saluo semper meliori iudicio quòd prælati maiores congregati hoc facere possunt auctoritate ipsa quam prius habebant ab apostolica sede quæ in necessitatis istius articulo uidetur ampliata. Pro cuius intelligentia, & solutione multarum difficultatum in hac materia uidetur nobis notandum quòd quemadmodum simplex sacerdos non obstante quòd limitatam habeat potestatem iurisdictionis tam quò ad personas ita ut iure prohibeatur ei quenquam absoluere nisi parochianum eius,ut in cap.Ecce 16. q.1.& in ca. Placuit de peni.di.6.quàm quò ad casus quoniam multi sunt reseruati a quibus ipse regulariter absoluere non potest. In articulo tamen necessitatis potest absoluere omnes homines,& de omnibus peccatis,& de omnibus sententiis. Tum quia necessitas non habet legem 1.q.1.remissiones. Tum secundo quia ut inquit Bernardus quod constitutum est pro charitate contra charitatem militare non debet ita dicendum uidetur in proposito quòd prælati ipsius ecclesiæ maiores qui apostolis in ecclesia succedunt licet regulariter habeant limitatam potestatem, & quò ad territoria quia distinctas habent dioceses, & terminos certos ultra quos non se debent extendere, & etiam quò ad casus multos utpote qui non sunt uocati in plenitudinem potestatis sed in partem solicitudinis,ut inquit Grego.in cap.Decreto.2.quæstio.7. & Iulius papa in cap.sequenti. In articulo tamen necessitatis ecclesiæ deficiente per naturalem mortem aut alio modo summo pontifice omnino impedito cui cura,& regimen totius ecclesiæ uniuersaliter est commissa uideretur habere auctoritatem apostolicam

ad prouidendum tantum tamen in necessariis quæ immediatam exigunt expeditione si nec illis per antiquam iuris dispositionem prouideri potest nec prorogari possunt usque ad creationem Romani pontificis sicut in superioribus de dominis cardinalibus diximus. Ad prouidendam autem tantū in necessariis diximus: quoniam uacante sede apostolica patres congregati nec domini cardinales debent se intromittere extra casum magnę necessitatis de aliis particularibus causis aut de reseruatis apostolicæ sedi, quia sicut uacante sede nullus dicitur succedere Romano pontifici in plenitudine potestatis ita nec per consequens in exercitio aut administratione plena illius quemadmodum nec capitulum succedit uacante sede episcopo in his quæ ad solum episcopum pertinent utputa in potestate conferendi beneficia ad collationem solius episcopi spectantia, ut habetur in cap. 1. ne se. uacan. li. 6. multa alia induci possunt ad hoc sed illa nobis sufficere uidentur. Ex quibus satis uidetur confutata opinio dicentium quòd uacante sede apostolica concilium uniuersale congregatum possit exercitium potestatis apostolicæ, & administrationem eiusdem uniuersaliter siue plenarie habere sicut papa. Quorum error iudicio nostro inde oritur quòd non intelligunt quomodo claues sint datæ uniuersali ecclesiæ, iudicant enim de uniuersali ecclesia ad modum capituli unius ecclesiæ collegiatæ uel ad modum prouincialis concilii aut ad modum unius uniuersitatis popularis laicorum & non recte iudicant: quoniam non est simile in hac parte hinc & inde, ut libro. 2. maxime circa ca. 72. ostendimus copiose. Habet ergo concilium congregatum uacante sede apostolica potestatem ampliatam ad prouidendum ecclesiæ in necessariis quæ immediatā ut diximus exigūt expeditionem nec prorogari possunt usque ad creationem Romani pon. ad quam omni studio est festinandum. Itaque concilium prælatorum in tali casu administrator, & executor est necessarius, & nō uoluntarius, & inde est ꝙ in non necessariis præfati prælati non habent extensionē potestatis quia quod necessitate conceditur cessante necessitate solui debet, ut in c. quicquid de conse. di. 5. & hoc uidetur alias obseruatū. unde cum auditū esset ꝙ Marcellinus papa mortis metu Diocletiano compellente Idolis thurificasset, illico episcopi ex diuersis prouinciis in magno numero nullo eos uocāte ad prouidendum ecclesiæ in præfata necessitate Romā conuenerūt cognoscentes eorū potestatē in tantę necessitatis articulo ad hoc se extēdere. Nec debet alicui uideri mirū hoc quod diximus de ampliatione potestatis in casibus necessitatis quoniā ut dicitur in lib. de regimine principum qui ascribitur sancto Thomæ li. 2. ca. 19. In duobus casibus ampliatur potestas Romani pon. uel ratione delicti uel pro bono uniuersalis ecclesiæ quod eleganter ostendit nobis Hiere. propheta cui in persona uicarii Iesu Christi dicitur. Ecce constitui te super gentes, & regna ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ędifices, & plantes &c. quod ad rationē delicti ferimus ubi in quattuor illis uocabulis diuersa genera pedarū accipimus quæ infligi possunt unicuiq; fideli siue subdito cū dicit super gētes siue domino cū dicit, & super regna. Secundum aūt est unde accipimus ampliatam ptātem cū postea dicitur ut ædifices &c. quæ ad prouidentiā uicarii Christi pertinet pro bono uniuersalis ecclesiæ hæc ibi. Non est aūt prætereundū quod salubriter uidetur consultum ad auferendum omnem dubietatis scrupulum, ut omnia quæ per uniuersale concilium uacante sede gesta sunt ac consti-

Hiere. 1.

tuta

cuta per Romanum pontif. futurum confirmentur sicut practicatum fuit in concilio Constantien. in quo creato domino martino patres concilii sup plicarunt sanctitati suæ ut ea quæ ante creationem eius per omnes obedientias simul positas fuerant constituta confirmare dignaretur, quod & fecit de his quę ad fidem spectabant.

Cap. XLII. In quo obiiciuntur contra prædicta.

OBIICIVNT autem contra prædictam conclusionem aduersarii multipliciter. Primo sic: uniuersale concilium repræsentat uniuersalem ecclesiam, sed uniuersali ecclesiæ data est potestas clauium cum data est Petro, quia ut ait Aug. super Ioan. habetur in ca. Quodcunq; 24.q.1. cum Petrus claues accepit ecclesiā sanctā significauit. ergo uidetur ꝙ cum ecclesia uniuersalis sit synodaliter congregata possit maxime uacante apostolica sede omnia ministrare ad quæ potestas clauiū se extendit. consequentia uidetur clara. Secundo sic. uniuersale conciliū uacante sede apostolica pōt aliqua ut habetur ex concessis in præcedenti c. ergo etiam omnia alia. consequentia uidetur bona, quia eadē ratio uidetur currere de quibusdā & de omnibus. Tertio sic. concilium uniuersale Constantiense uacante sede confirmauit archiepiscopum Lugdunen. dedit etiā indulgentias, & super irregularitate dispensasse legitur quæ uidentur reseruata apostolicæ sedi. ergo uidetur idem quod prius. Quarto idem arguitur ex cōcilio senensi quod legitur dedisse indulgentiā plenariam. Quinto idē arguitur ex concilio Basiliensi quod non modo rotā audientiæ causarū erexit sed etiam indulgentiam plenariam dedit pro negocio græcorum.

Arg¹. primum

Secundū

Tertium

Quartū

Quintum

Cap. XLIII. In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum.

PRÆFATIS obiectionibus non est difficile respondere superioribus bene consideratis. Vnde ad primam quæ sumitur ex illo ꝙ uniuersali ecclesiæ datæ sunt claues quod est fundamentum principale fabularum & errorum aduersariorum, respondetur ꝙ ut superius l.2.c.70. plene ostendimus id non habet ueritatem ad intelligentiam quam aduersarii interpretantur, uidelicet ꝙ uniuersali ecclesiæ quæ dicitur omnium fidelium collectio, ut in c. ecclesia de conse. di.1. in omnibus suis membris siue diuisim siue coniunctim data sit clauium potestas. Præterea dicimus ꝙ soli Petro, & in eo suis successoribus quem toti uniuersitati fidelium præposuit caput, & principem dedit ut dicit beatus Cyrillus quod suum est plenum & ipsum solum, ut ait beatus Grego. & Iulius papa, uocauit in plenitudinem potestatis. Quomodo autem sit intelligendum quòd cū Petrus claues accepit ecclesiam sanctam significauit supra exposuimus li.2.c.15. dicentes quòd ideo dictum sit quia non soli Petro, ut singulari personæ datæ sunt claues quoniam ut optime arguit beatus Augu. si tantum Petro datæ fuissent nec iam aliquis absolui posset nec ligari nec aliqua reconciliatio fieret in ecclesia, cum ergo omni die in ueritate fiat per prælatos, & sacerdotes Christi sequitur ꝙ non tantum Petro datæ sunt sed in eo omnibus eius successoribus, & uniuersis prælatis futuris in ecclesia per deriua-

Ad primū

tionem ab eo in eos, secundum illud quod beatus Ambr. inquit ꝙ in beato Petro omnes nos sacerdotes claues accepimus, & hoc est ipsum Petrum cũ claues accepit ecclesiam sancta significasse ut patet ex littera beati Augu. bene ponderata. unde dominus Archi. in Rosario hunc locum ad hanc intelligentiam exponens ita dicit. Si hoc tantum Petro dictum est, sut eius personam non transgrediatur non facit hoc ecclesia. i. eius auctoritas, hæc ille. Plane hæc est uera intelligentia illius auctoritatis, & ita patet ꝙ recte intellecta nihil facit pro aduersariis. Ad secundam cum arguitur pót quædam ergo omnia respondetur negando consequentiam: quoniã nullã habet apparentiã, & cum dicitur ꝙ sit eadem ratio de quibusdã, & de omnibus respondemus ꝙ falsum est quod in exemplo quod de simplici sacerdote supra induximus apertissime patet. licet enim simplex sacerdos in articulo necessitatis posset absoluere oẽm hominem de omnibus peccatis, & ab omnibus censuris non tamen hoc pót extra necessitatis articulum. Itẽ licet in articulo necessitatis posset aliqua puta quę necessaria sunt saluti humanæ sicut est absolutio a peccatis, & ab excõicatione si fuerit excommunicatus nõ tamen alia quæ necessaria nõ sunt sicut dispensare super irregularitatibus cõferre indulgentias, & huiusmodi quia sine his potest salus animę haberi. Ita est in proposito licet prælati congregati pro bono ecclesiæ possint uacante sede facere in casu necessitatis aliqua pro defensione fidei pro bono uniuersalis ecclesiæ quæ usq; ad creationem Romani pontificis sine magno ecclesiæ dispendio differri non possunt non sequitur tamen ꝙ possint omnia aut quæ necessitas non exposcit aut ꝙ etiam idem postea possint. quoniam ut habetur in ca. Quod 1. q. 7. quod pro remedio aut necessitate tẽporis statutũ est constat primitus non fuisse, quod ergo necessitas pro remedio reperit cessante utiq; necessitate debet cessare pariter quod urgebat, quia aliud est ordo legitimus, & aliud quod usurpatio ad præsens fieri tempus impellit. Ad tertiã quæ sumitur ex concilio constantiensi, respondetur ꝙ ratio illa non militat multiplici ratione. Primo quia cũ id quod factũ est tunc cum per unã obedientiã factum fuerit uidelicet per obedientiam Ioan. 23. quæ apud alias duas obedientias, scilicet Gregorii, & Benedicti non credebatur facere concilium uniuersale siue ecclesiam catholicam repręsentare nõ est multum ponderandum sicut nec multa alia ibi facta sicut superius diximus in uariis locis loquendo de decretis factis per illam obedientiam. Secundo dato ꝙ concessa fuisset indulgentia per concilium postquam fuerat congregatum ex omnibus tribus obedientiis ratio adhuc non militat quia indulgentia illa non fuit plenaria quæ reseruatur Roma. pon. hoc enim non præsumpserunt prælati constantiæ congregati scientes quòd cum ea quæ sunt multitudinis alicuius distribuere singulis de multitudine solum competit ordinaria potestate ei qui multitudini præest, distribuere uero thesaurum ecclesiæ papæ soli competit qui toti ecclesiæ præest, & non multitudini, ut sanctus Thom. in 4. dist. 20. dicit. Præterea cum ad sponsum solum pertinere uideatur dispensatio dotis sponsæ, ut in l. dote ancillam C. de rei uendi. & ad patrem familias thesauri domus in l. fi. C. de bonis quæ liberis & huiusmodi, sic summus pontifex ad eum solum auctoritate ordinaria qui solus uocatus est in plenitudinem potestatis pertinet dare plenariam indulgentiam. unde ad papam solum pertinet indulgentiam plenariam concedere, ad multitudinem autem siue congregationem synodalem oratio-

Ad secundum

Ad tertiũ

rium suffragia impartiri, quod apertissime colligitur ex forma indulgentiarum datarum in lateranensi concilio pro passagio, quæ habetur in cap. Ad liberandum, extra de Iudæis & Saracenis, ubi Innocentius in apparatu, & post eum Ioan. an. formam indulgentiarum de quibus ibi fit mentio narrantis quibusdam ponentes talem dicunt fuisse formam indulgentiarum. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, & ex illa quam nobis licet indignis contulit Deus ligandi atque soluendi potestatem omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint, & expensis suorum peccaminum de quibus ueraciter fuerint corde contriti, & ore confessi ueniam indulgentiam &c. sequitur infra. sancta uniuersalis synodus orationum, & beneficiorum suorum suffragia impartitur, ut eis dignæ proficiat ad salutem, datum laterani 19. Calen. Ianuarii pontificatus nostri anno 8. Ecce quòd synodus tam uniuersalis tam gloriosa sicut illa non præsumpsit dare indulgentias sciens quòd ad sponsum, & ad thesaurarium, & præsidentem huiusmodi dispensatio tantum modo conueniebat. unde prælati constantiæ existentes non plenariam sed multo minorem dabant, scilicet centum dierum uel quadraginta, & hoc auctoritate legatorum dominorum cardinalium præfati Ioan. 23 qui ex antiqua consuetudine dant centum dies indulgentiarum licet concilio ascripta fit. Tertio dato quòd illa indulgentia plenaria fuit postquam omnibus tribus obedientiis simul conuenientibus concilium habitum est indubitatũ dicimus q data est sub spe ratihabitionis futuri Romani pon. & ita ratio non procedit. Ad quartum de concilio Senen. respondetur quòd non est ad propositum, quia concilium illud non dedit indulgentias licet statuerit quòd indulgentiam talem uel talem consequerentur præstantes fauorem inquisitoribus fidei, & quicquid ibi statutum fuit, fuit de mente, & uoluntate summi pon. & eius auctoritate, scilicet domini Martini. unde indulgentia illa data. præstantibus fauorem inquisitoribus sub bulla eiusdem domini Martini processit, ut a domino Paduano bo. me. qui in eodem concilio unus de præsidentibus fuit sæpenumero Basileæ audiuimus. Ad quintum quod inducitur de Basilien. concilio supra respondimus quòd cum in illo multa præsumptuosæ in totius ecclesiæ perturbationem attentata fuerunt magis memoria illorum execranda uenit quàm ex eo exempla sumenda.

Ad quartum

Ad quintum

Cap. XLIIII. In quo ostenditur quòd Romanum pon. auctoritate iurisdictionis superior sit uniuersali concilio.

ET si ex supradictis possit quilibet doctus sufficienter intelligere ueritatem huius quæstionis quæ inter multos decurrit. An scilicet Romanus pon. superior sit iurisdictionis auctoritate uniuersali concilio uel econuerso, nihilominus pro ampliori illustratione ueritatis hoc paucis rationibus probare uolumus, uidelicet quòd Romanus pon. superior sit uniuersali concilio capiẽdo uniuersale conciliũ ut dicit distinctã congregationẽ prælatorũ uniuersalis ecclesiæ condistinctam contra Romanũ pon. licet cũt ad hoc probandum efficaces sint omnes rationes quas supra in 2. lib. induximus ad ostendendum quòd in ecclesia necessario esset dandus unus

rector & princeps supremam potestatem habens super totam uniuersalem ecclesiam quem ipsum uniuersale concilium repræsentat, nihilominus in speciali,& ex propriis illud probamus. Et primo sic. omne quod tribuit alteri potestatem est superius illo cui auctoritatem tribuit. hoc patet, quia causa potior est suo effectu sed papa tribuit auctoritatem concilio uniuersali, ut supra circa cap.32. sufficienter ostendimus,& habetur distin.17. per totum & extra de electione c. significasti. ergo papa auctoritate iurisdictionis superior est uniuersali concilio. consequentia est bona. Secundo omne quod tribuit esse & quasi formam alteri est superius illo cui esse tribuit. patet hoc. sed papa tribuit esse & quasi formam uniuersali concilio illud conuocando,& approbando. patet. Nam absque Romani pon. licentia celebratum non concilium, sed conciliabulum aut conuenticulum nominatur, ut in ca. in multis dicitur dist.17. Tertio sic. omne illud quod in aliqua communitate habet rationem rectoris,& præsidentis est superius auctoritate tota illa multitudine cui præest ut rector patet, & colligitur ex primo polyticorum, sed papa est rector,& præsidens concilio, ut ostendimus supra in cap.22. ergo idem quod prius. Quarto sic. papa tribuit robur canonibus,& confirmat sententias conciliorum uniuersalium, ut multipliciter ostendimus supra in c.34. ergo papa est superior iurisdictionis auctoritate uniuersali concilio. consequentia patet. Quinto sic. sedes apostolica absoluit quandoq; quod concilium ligat,& damnat: ergo sequitur q Romanus pontifex sit superior auctoritate concilio uniuersali. consequentia patet & colligitur manifeste ex ca. Inferior distin.21. antecedens patet ex eo quod papa Nicolaus in epistola quam scribit patriarchæ,& toti clero Constantinopolitano. necnon, & patrum, & prædecessorum nostrorum secuti uestigia qui soliti sunt etiam uniuersorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum si qua socia sunt crebro dictæ uel exemplaria fortasis epistolæ quin potius non solum hoc sed & omnia scripta uel aduersus fratrem, & coepiscopum nostrum ignatium iniquæ confecta uel aduersus nos causam illius canonicæ prosequentes furiosæ deprompta sunt perenni damnationi mandamus, hæc ibi. Item patet ex eo quòd papa pelagius uniuersis episcopis per Dardaniam constitutis scribens, ut habetur in ca. cuncta per mundum 9.q.3. ait. Sed nec illa præterimus quòd apostolica sedes frequenter more maiorum etiam sine ulla synodo precedente exoluendi quos synodus iniqua damnauerat,& damnandi nulla existente synodo quos oportuit habuit facultatem, & hoc nimirum pro suo principatu quem beatus Petrus apostolus domini uoce,& tenuit semper & tenebit sanctæ quippe memorie Athanasium synodus orientalis abdixerat quem tamen exceptum sedes apostolica quia damnationi græcorum non consensit absoluit, sanctæ memorie Ioan. Constantinopolitanum synodus catholicorum præsulum damnaueruat quem simili modo sedes apostolica quia non consensit absoluit. Itaque sanctum Flauianum pontificem græcorum damnatum pari tenore quoniam sola sedes apostolica non consensit potius qui illic receptus fuerat sedis secundæ præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam synodum non consentiendo sola submouit, & auctoritate ut synodus fieret calcedonensis sola decreuit, hæc ibi. Ex quibus manifeste patet falsitas interpretationis cuiusdam aduersarii qui ut scribit auctoritas apostolicæ sedis poterat absoluere quos concilia prouincialia siue patriarchalia damnauerant

rant

rant non autem quos uniuersalia, uniuersale enim fuit ephesinum secūdum in quo Flauianus præsidens papæ fuerat condemnatus. Sexto sic. solus Ro. pon. est uocatus in plenitudinem potestatis, nam solus ipse habet potestatē illimitatam in cuius argumentum, ut dicit sanctus Tho. in 4. distinct. 24. papa non utitur baculo sicut alii episcopi in signum quòd non habet coarctatam potestatem quam curuatio baculi designat, sed alii prælati ex quibus congregatur concilium conuocati sunt in partem solicitudinis, ut in c. Decreto ait Greg. 2. q. 6. & ita habent potestatem limitatam ergo sequitur quod papa sit superior auctoritate uniuersali concilio. Septimo sic. omnis pastor superior est auctoritate grege suo patet, sed papa est pastor omniū ouiū Christi secundum illud Ioan. ult. Pasce oues meas & concilium uniuersale pertinet ad gregem Christi ut patet: ergo necessario confitendum est quòd papa sit auctoritate superior concilio uniuersali. Confirmatur sic ista ratio concilium uniuersale seorsum sumptum a papa aut est pastor, aut ouile siue grex, non potest dici quòd sit pastor quia non potest assignari cuius gregis aut ouilis sit pastor. patet: quia non potest dici quòd sit pastor uniuersalis ecclesiæ, quia cum illam repræsentet & auctoritate illius dicatur fulciri non potest dici pastor eius sicut nec superior illa. non potest dici quòd sit caput fidelium singulorum qui sunt extra concilium. tum quia etiam illos repræsentet & sit repræsentatiue ipsi. tum quia papa est pastor omnium fidelium, unius autem ouilis unus est pastor secundum illud Ioan. 10. Erit unum ouile & unus pastor. Si autem concilium est grex necesse est si sit grex ouiū Christi & non diaboli quòd sit sub Ro. pont. cura & potestate cui in beato Petro Christus uniuersas oues suas sine exceptione quacunque pascendas commisit. Octauo sic. caput superius est non solum situ, sed etiam auctoritate toto residuo corpore patet. sed Romanus pontifex est caput concilii: ergo necessario dicendum est quòd sit superior auctoritate uniuersali concilio. consequentia est manifesta. maior est nota. minor etiam notissima cum sit caput uniuersalis ecclesiæ quam repræsentat ipsum concilium ut in superioribus est demonstratum. unde etiam beatus Chryso. beatum Petrum uerticem nominabat apostolici chori, & synodus Calcedo. Leonem papam caput suum profitetur aperte, ut superius introductum est. Nono sic. Christus est superior uniuersali concilio potestate auctoritatis ut patet. ergo & papa. patet consequentia quoniam papa est Vicarius generalis eius uices ipsius gerens in ecclesia Dei & per consequens in concilio uniuersali: ergo papa est super concilium uniuersale. Vnde beatus Cyrillus in libro thesaurorum dicit quòd apostoli in euangeliis & epistolis affirmarunt Petrum esse loco domini & eius ecclesiæ, eidem dantes locum in omni capitulo & in omni electione. Decimo papa præest auctoritate & prælatione toti ecclesiæ Dei ut pote qui caput & princeps eius est ut in 2. lib. multipliciter probatum est: ergo etiam superior est uniuersali concilio illam repræsentanti. consequentia est nota. ex aliis etiam dicendis infra hoc magis firmabitur. Ex quibus iam dictis & superius per diuersa capitula explanatis faciliter quisq; intelliget papam multipliciter esse supra concilium uidelicet causalitate prælationis dignitate amplissime auctoritatis & extēsione administrationis. Ex quo manifeste conuincitur error dicētium concilium uniuersale esse maius simpliciter Rom. pon. auctoritate & potestate iurisdictionis.

Cap. XLV. In quo ponuntur aduersariorum obiectiones.

CONTRA iam dicta de auctoritate Rom.pon.& superioritate super uniuersalia concilia aduersarii multa moliuntur & inducunt ut eis apparet pro se plurima de auctoritatibus sacræ scripturæ & de uniuersalibus conciliis atque de dictis sanctorum patrum sumpta addentes insuper aliquas rationes de quibus multis principaliora & quæ eorum iudicio potiora sunt colligemus quæ sequuntur. Primo enim arguunt ex illo Math.18.Si peccauerit in te frater tuus,&c.sequitur,dic ecclesiæ in quo loco Petrus qui futurus ordinabatur summus pontifex remitti uidetur ad ecclesiam in casu iudicii sicut ad tribunal maius & per consequens non dubium quin ecclesia uniuersalis synodaliter congregata sit superior ipso papa cum nullus remittatur in tali casu nisi ad superiorem. Quòd autem concilium uniuersale sit intelligendum per ecclesiam cui Christus dixit dic ecclesiæ. probare nituntur ex tribus. Primo per Greg.qui in registro suo epistola 265.reprehendens Ioan.Constantinopolitanum eo quòd uniuersalem se uocabat dicit sic. Nos quidem in quibus talis tantaq; per ausum temerarium culpa committitur seruamus quod præcepit ueritas distinct. Si peccauerit in te frater &c.sequitur: ergo itaq; per responsales meos semel & his uerbis humilibus hoc quod in tota ecclesia peccatur corripere studui,: et me scribo quicquid humiliter facere debui non omisi,si in mea correctione despiciar.restat ut ecclesiam habeam adhibere.hæc Greg. ubi dicit aduersarius quòd per ly ecclesiam adhibendam Gregorius intelligat cōcilium uniuersale. Item idem probare secundo nituntur auctoritate Nicolai papæ qui in ca.Præcipue 11.q.3.ita dicit regi Lothario.Ceterum caue ne quando nobis secundum præceptum domini duos uel tres testes adhibeamus immo uero hoc sanctæ ecclesiæ dicamus,& (quod non optamus) decetero cunctis fias ethnicus & publicanus.hæc ibi.dicit aduersarius ꝙ ly sanctæ ecclesiæ dicere intelligat dicere concilio uniuersali tanquam tribunali maiori. Tertio probare nituntur per Albertum magnum qui dicitur sic exposuisse auctoritatem illam dic ecclesiæ id est prælato uel synodo.

Arg. primum

Probatio prima

Secunda

Tertia

Secundo principaliter arguūt ex illo Act.8. ubi dicitur quòd cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis ꝙ recepit Samaria uerbum Dei miserūt ad illos Petrum & Ioannem. Ex quo arguunt ꝙ cum missio importet superioritatem in mittente respectu missi quòd collegium apostolorum quod repræsentat concilium uniuersale esset maius & superius auctoritate ipso Petro,& per consequens concilium uniuersale ipso Rom. pon. Tertio ex illo Act.15.ubi cum quæstio fieret super obseruatione legalium inter apostolos Petrus uolens uotum suum dicere surrexit,ut ait tex. Surgens Petrus dixit ad eos,quod uidetur fecisse in signū reuerentiæ,sed reuerētia debetur superiori:ergo uidetur ꝙ collegiū apostolorū fuerit superius auctoritate Petro. Quarto ex concilio 8.Constantinopolitano in quo habetur sic. si synodus uniuersalis fuerit congregata & facta fuerit etiam de sancta Romana ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia oportet uenerabiliter & cū conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari & solutionem accipere, aut proficere,aut profectum facere non tamen sententiā audacter dare

Secundū arg.

Tertium

Quartū

contra

contra summos seniores pontifices. ex quo ex aduerso arguitur ꝙ synodus uniuersalis dum tamen non audacter, sed cum conuenienti reuerentia aduersus Rom. pon. posset proferre sententiam si fuerit incusatus & per consequens ꝙ synodus uniuersalis superior sit auctoritate papa. Quinto ex cōcilio Constantiensi ubi declaratum est ꝙ conciliū uniuersale habeat a Deo immediate potestatem cui quilibet fidelis cuiuscunque dignitatis sit etiam papalis tenetur obedire. Sexto ex eodem concilio uniuersali papa Martinus approbante eodem concilio condemnans articulum illum non esse de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias. dicit error si per Romanam ecclesiam intelligatur uniuersalis ecclesia, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatū summi pontificis super alias ecclesias particulares. Ex quo arguitur ex aduerso quòd concilium legitime congregatum sit super omnes ecclesias & earum rectores, & ita supra Romanam & eius pontificem. Septimo ex uerbis hylaris papæ qui cum quandam edidisset constitutionem corrigens excessus quorūdam sic ad congregatam synodum dixisse fertur, ut habetur in c. Quod quis 35. q. 9. Quod ut deinceps possit illa tenacius custodire sancta synodus sententiam & propriam subscriptionem accommodet, ut synodali iudicio aditus recludatur illicitus. Ex quo arguitur ex aduerso papam in ecclesiæ reformatione synodi congregare iudicium, ut supremum tribunal cognouisse, cū potentius synodali iudicio quā suo aditum ad illicita posse claudi iudicauerit. Octauo ex uerbis Symachi papæ qui in synodo præsidens cum de ualitudine cuiusdam scripturæ qua cautum erat ut si Rom. pon. hoc ex seculo migrare contingeret non sine præfecti urbis consultatione cuiusquam noua celebraretur electio quæstionem referret in medium illam uoluit in sancta synodo perlegi, ut cuius esset uigoris possit agnosci dicens id agere ne ipsum imposterum disputare contingeret cum sacra posset synodus iudicare, & c. ut in c. Bene distinct. 96. Ex quo ex aduerso arguitur quòd Rom. pont. profitetur sanctam synodum iudicare posse super eo quod abusum continet & diminutionem ecclesiasticæ libertatis. Nono ex §. item Symachus 2. q. 7. ubi ita inquit Gratianus. Item Symachus papa in Romana synodo dignitate sua spoliatus prius statui pristino restitui discernitur & sic uenire ad causam & si ita recte uideretur accusantiū propositionibus responderet digna res uisa est maximo numero sacerdotū ac meretur effectum, sed cū postmodū ordinaretur quō esset accusandus præfatus papa ut cām diceret occurrebat sed ab emulis est impeditus, &c. Ex hoc arguitur ex aduerso lucide haberi ꝙ Rom. pon. causam si incusatus fuerit si uelut spoliatus restitutioni siue recuperationi intendat deferri debere supremo tribunali uniuersalis cōcilii. Decimo ex c. prouidentiæ distin. 99. ubi beatus Anacletus & papa Lucius etiam iu cap. urbes distinct. 80. plane dicunt non solum Petrum, sed etiam omnes apostolos in quibus ipse includebatur tanquam primus distinxisse prouincias patriarchas archiepiscopos, & episcopos constituisse quæ omnia signum sunt iurisdictionis eminentissime. Ex quo arguunt ꝙ Petrus non fuerit maior collegio apostolorū & per cōsequens nec papa uniuersali concilio. Vndecimo sic. Eleutherius papa dicit in c. quamuis 3. q. 6. ꝙ a cetu apostolorum, quem generalis synodus repræsentat diffinitum est non nisi Rom. pon. debere diffinire pontificum accusationes. Item Iulius papa dicit in capit. dudum 3. quæst. sexta a sanctis apostolis & sic ab eorum cetu statu-

Quintū

Sextum

Septimū

Octauum

Nonum

Decimū

Vndecimum

tum fuisse non oportere absque sententia Romani pont. concilia celebrari quæ quidem inquiunt aduersarii euidentissime demóstrant superioritatem congregatorum apostolorum & consequenter concilii uniuersalis in Rom. pon.cum ex eorum decretis & non econtra Petri potestas fuerit sublimata. plane & si diffinitionem causæ accusati episcopi transtulerit cetus apostolicus in Rom.pon.non tamen illam a se abdicauit & consequenter nec a synodo generali,ut est clarissimus textus 4.q.5.c.quisquis. Duodecimo arguũt sic Rom.pon.tenetur obedire statutis uniuersalis concilii & illa seruare nec posse soluere.ut patet in c.sicut dist.15.inquit Greg. & etiam idem habetur c.contra 25.q.1.& per multa c.ibidem.ergo &c. Tertiodecimo sic. sententia Romani pont. examinatur in conciliis uniuersalibus.ergo uidetur quòd uniuersale concilium superius sit potestate & auctoritate Rom.pon. consequentia uidetur nota.antecedens nituntur ostendere tribus exemplis. Primo de depositione Dioscori facta per Leonem papam quæ fuit examinata in concilio Calcedonensi. Secundo de depositione Pyrri & Sergii facta per Martinum papam in synodo Romana quæ fuit examinata in synodo Constantinopolitana. Tertio de depositione focii Constantinopolitani quæ fuit per Nicolaum & Adrianum Romanus pontifices quæ post examinata fuit in 8.synodo. Decimoquarto sic. auctoritate beati Ambr.in epistola 72.ubi ipse referens epistolam beati damasi papæ directam iudicibus deputatis a capuen. synodo in causa bonosi episcopi sic dicit eum dixisse pro ueritate uel pro modestia nostram sententiam sciscitari uoluistis,sed cum huiusmodi fuerit concilii capuensis iudicium ut finituri bonoso ac eius accusatoribus iudices tribuerent & præcipue macedones qui cum episcopo thassalonicen. de eius factis agnoscerent aduertimus ꝙ nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus recte de his quæ comprehendit uestrorum scriptorum series decerneremus. uestrum est ergo qui hoc recepistis iudicium sententiam ferre de omnibus, uicem enim synodi accepistis quos ad examinandum synodus elegit.deniq; cum bossus episcopus post iudicium uestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium qui eius sententiam consuleret interdictam sibi ecclesiam interrũpere ac ingredi responsum est ei ꝙ nihil temerandum foret,sed omnia modeste patienter oportere ferenda nec contra sententiam uestram tentandũ aliquid ut quod uideretur uobis iusticiæ conuenire statueretis quibus hæc synodus dederat auctoritatem.Et ideo primum est,ut hi iudicent quibus iudicandi facultas est data. uos enim totius ut scripsimus synodi uice discernetis, nos.n. quasi de synodi auctoritate iudicare non conuenit,&c.& infra subiungit sic, unde uestræ normam expectamus sententiæ.hæc ibi.Ex hoc arguunt aduersarii, ꝙ Romanus pontifex fatetur ꝙ si synodus integra fuisset hoc est si alteri causam non delegasset ipsum de causa potuisse cognoscere,sed quia synodus alii delegando præuenit dicit se iudicandi onus non posse assumere cum illi synodi uice decernant, sibi autem de synodi auctoritate iudicare non cõuenit cum tamen si ipse synodo superior foret aduocare posset causam per synodum delegatam.de appel.c.Vt nostrum. Decimoquinto sic.ex auctoritate eiusdem Ambr.qui in quadam præfatione dedicationis altaris maioris ecclesiæ Mediolanen. inter alia dicit sic,per Christum dominum nostrũ qui eminentiam potestatis accepte ecclesiæ contulit quam pro honore suscepto reginam constituit & sponsam cuius sublimitati uniuersa subiacet, &c.

Duodecimum

Decimũtertium

Decimũquartum

Decimũquintum

Ex quo

Ex quo arguitur sic ex aduerso, si igitur eminentiam potestatis accepte cōtulit ecclesiæ uniuersa eius subiiciens potestati necessario contulit quod in eandem transtulit potestatem summum pontifi. iudicandi in casu necessario. Decimosexto sic auctoritate beati Hieron. qui in cap. Legimus, distin. 93. dicit sic. si auctoritas quæritur orbis maior est urbe. Ex quo arguitur ex aduerso quòd si auctoritas orbis maior est urbe Romanæ ecclesiæ. ergo concilii uniuersalis potius & maius est iudicium in quo repræsentatio est orbis. Decimoseptimo auctoritate eiusdem Hieron. sic. Hieronymus loquens in quadam epistola ad Damasum papam de supremo ordine ecclesiæ scilicet episcopali sic ait. de hoc officio amplius disputare non possum: quoniam quicquid in clericis consecratum est prædixi episcopum solū habere. manifestum est in illis partes & membra uirtutum in episcopo plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, atq; ita est ut in episcopis Deū in presbyteris apostolos qui & ipsi sunt recognoscas, & infra omnem enim potestatem Deus discipulis dedit, & Moysen dominum dici uoluit Pharaonis. Ex hoc arguitur ex aduerso quòd si dominus Deus omnem potestatem dedit discipulis suis sequitur quòd & potestatem supra Romanum pontificem dedit apostolis congregatis quorum uices repræsentant episcopi congregati in uniuersali concilio. consequentiam probare nituntur per hoc ꝙ apostolus loquens de Christo ad Hebr. 2. super illud psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius. dicit in eo quod dicit omnia subiecit nihil dimisit non subiectum ei. Decimooctauo sic ex dictis beati Augustini in epistola quadam quam scribit ad glorium Eleusium & felicem grammaticum qui aduersus donatum & aliquos alios calumniatores sententiam quam Melchiades papa cum episcopis quibusdam promulgauerat in Cecilianum episcopū in suo episcopatu confirmauerat scribens ita dicit. Ecce putemus illos episcopus qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse. restat adhuc plenarium uniuersalis ecclesiæ cōcilium ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari & si male iudicasse conuicti essent eorum sententiæ soluerentur. Ex hoc arguitur ex aduerso quòd sententia data per Romanum pont. si recta non fuerit retractari posset per uniuersalem synodum tanquam per tribunal superius. Decimonono sic ex dicto Augustini qui in ca. Puto 2. q. 7. ita dicit. Cum Petrus a Paulo posteriore corrigitur & pacis ueritatis uinculo custodito ad martyrium promouetur quanto facilius & fortius quod per uniuersæ ecclesiæ statum firmatū est uel unius episcopi auctoritati, uel pro unius prouinciæ concilio præferendum est. Ex quo ex aduerso concluduntur duo. Primum est quòd Petrus licet esset summus pontifex non recte agens a Paulo bene sentiente licite argui potest. Secundum est quòd statutum uniuersalis concilii statu cuiuslibet episcopi etiam Romani præferendum sit. Vigesimo sic ex gl. in c. Anastasius distin. 19. ubi ponitur quòd ubi de fide agitur tunc synodus maior est papa. Vigesimoprimo sic. concilium uniuersale non potest errare in fide ut uidetur: papa uero sic, ut in cap. Si papa dist. 40. ergo cōcilium uniuersale est superius Romano pon. Vigesimo secundo sic. ex gestis octauæ synodi ubi reperitur dixisse Zacharias episcopus contra sententias Nicolai papæ & Adriani summorum pontificum & omnium Patriarcharum canon princeps est & secundum illum agentes nihil faciunt extra illud quod decet. cum uero extra hunc faciunt siue papa Nicolaus siue alius quis non acquiescimus. ergo uidetur quòd si canon sit

Decimū sextum

Decimū septimū

Decimū octauum

Decimū nonum

Vigesimū

Vigesimū primum

Vigesimū secūdum

Vigesimũ tertium

princeps papæ q per consequens concilium. Vigesimotertio sic concilium uniuersale iudicat,& deponit papam.ergo concilium uniuersale est auctoritate superius papa.consequentia est manifesta,quia huiusmodi iudiciũ nõ est nisi superioris,ut patet ex c.inferior di.21.antecedens etiam patet tum ex ca.prȩallegato,si papa di.40.tum ex practica sæpe habita in ecclesia. Vigesimoquarto sic,si concilium uniuersale non est maioris auctoritatis quàm papa tunc frustra fit celebratio uniuersalium conciliorum, sed hoc non est dicendum:ergo idem quod prius. Vigesimoquinto sic in c.de quibus di.20. traditur ordo talis seruandus in solutione alicuius quæstionis, ut primum recurrendum sit ad scripta ueteris uel noui testamenti,secundo ad canones apostolorum uel conciliorum,tertio ad decreta,& decretalia summorũ pontificum. Ex quo arguunt aduersarii quòd concilium uniuersale cuius sunt canones sit superioris auctoritatis quàm Romanus pon.cuius sunt decretalia. Alia argumenta tangentur cum de appellatione, infra erit sermo, & alia tacta sunt in 2.li.circa ca.97.

Vigesimũ quartum

Vigesimũ quintum

Cap. XLVI. In quo respondetur obiectionibus præfatis.

HIS non obstantibus quibus facile est respondere licet sint multa numero standum uidetur firmiter in sentẽtia prius posita uidelicet quòd papa Christi generalis uicarius,& uices suas, & locum tenẽs in terris,non solum quolibet prælato ecclesiæ particulari est auctoritate maior atque superior,sed etiam cõcilio uniuersali ex omnibus aliis mundi prælatis congregato.unde dicendum est ad singulas rationes. Ad primam respondemus sicut alias in secundo li.cap.98.responsum est plenissime ubi in conclusione habitum est quòd per ly ecclesiam ad quam sicut ad iudicem uidetur quisque fidelis remitti in auctoritate illa Math.18. dic ecclesiæ, non est regulariter accipienda uniuersalis ecclesia nec per orbem dispersa nec in unum synodaliter congregata,sed prælatus ecclesiæ iuxta expositionem Chryso.beati August.& beati Thomæ & quasi omnium doctorum antiquorum. Ad illa autem testimonia inducta per aduersarios ad probandũ quòd præfatus tex.dic ecclesiæ sit intelligendus de concilio uniuersali, respondemus quòd falsum sit quòd aliquis illorum doctorum uoluerit hoc intelligere,quod patet discurrendo per singulos. Non quidẽ beatus Greg. cum ait,restat ut ecclesiam habeam adhibere quoniam ibi ecclesiam non uniuersalem ecclesiam quæ collectio est omnium fidelium nec synodũ uniuersalem uocat sed disciplinam aut censurã ecclesiasticæ auctoritatis,quod patet manifeste ex duobus. Primo ex forma sermonis,ait enim.si in mea correctione despiciar restat ut ecclesiam debeam adhibere, quod nihil aliud uidetur sonare quàm si in mea correctione quam sæpe feci meis litteris, & per nuncios meos despiciar restat ut disciplinam ecclesiasticam adhibeam puta excommunicationis uel suspensionis.Secundo colligitur hoc idem ex gestis beati Grego.circa illam causam quoniam despectus beatus Grego. in correctione sua a præfato Ioan. patriarcha Constantinopolitano non adhibuit uniuersale concilium ad correctionem illius sed disciplinam ecclesiasticam. unde mandauit responsalibus suis quos ad Constantinopolim mittebat ne communicarent cum eo in diuinis. Vnde idem Grego.scribens

Ad primũ arg.

Ad probationẽ primam

Impe-

Imperatori mauricio de eodem dicit eundem fratrem, & consacerdotem meum studiose admonere curaui ut si pacem omnium concordiamq; desiderat a stulti uocabuli appellatione compescat. Item in epistola sequenti ad Eugenium episcopum Alexandrinum, & Anastasium episcopum Antiochenum de Cyriaco patriarcha qui secutus fuerat Ioan. in usurpatione nominis uniuersalis dicit sic. Meus uero dyaconus cum prędicto fratre nostro Cyriaco missarum solennia celebrare non debet, quia prophanum uocabulum culpa superbiæ aut commisit aut sequitur ne si (quod absit) ei tali elatione posito procedit, uanitatem stulti nominis confirmare uideamur, eundem uero fratrem admonere studui ut se a tali superstitione corrigat, quia si hanc non correxerit pacem nullo modo nobiscum habebit. Item in epistola alia ad eundem Cyriacum Patriarcham ita scribit. Cum ea charitate qua dignum est studemus, ut prophanam elationem peruersi superbięq; uocabuli scandalum de medio ecclesiæ festinetis auferre ne a pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. hæc ille. Ecce quid beatus Grego. uocat ecclesiam quam adhibere uel adire uoluit quia non nisi ecclesiasticam censuram quam ipse facere poterat. Secundo responderi pót ꝙ dato quòd beatus Greg. per ecclesiam ibi concilium uniuersale intelligere uoluisset non sequitur propter hoc ꝙ concilium uniuersale sit superius auctoritate Romano pon. cum ipse Greg. scribens Imperatori mauricio contra præfatum Ioan. Patriarcham Constantinopolitanum dicat. Ecce claues regni cœlestis accepit Petrus, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur, cura ei totius ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen uniuersalis apostolus non uocatur. unde non est accipiendum ꝙ adhibiturus erat ecclesiam tanquam tribunal maius sed ad maiorem confusionem, & erubescentiam illius quemadmodum inquit gloss. Hiero. super illud Math. 18. dic ecclesiæ ut. s. maiorem erubescentiam patiatur. post hæc omnia sequitur excóicatio quæ fieri debet per os ecclesiæ. i. per sacerdoté. Quod uero secúdo inducitur ex c. Præcipue 11. q. 3. etiam nó facit pro aduersariis, quia cum Nicolaus papa dicit ꝙ dicamus ecclesiæ, nomine ecclesiæ nó intelligit uniuersalé ecclesiá uel uniuersale concilium sed seipsum designat ut in iudicio pręsidenté. Nam ut sanctus Thom. tam in 4. di. 19. quàm in 2. 2. q. 34. pertractans intellectum præfatæ auctoritatis. Si peccauerit in te &c. dic ecclesiæ, dicit ꝙ dicere pręlato in iudicio præsidenti est dicere ecclesiæ, & ꝙ ita sit in præsenti loco patet per gl. præfati c. quæ ita habetur sic ergo in causa denunciationis idem pót esse iudex accusator & testis extra de symo. c. Licet. Quod uero tertio inducitur ex Alberto magno non facit pro aduersariis propter duo. Primo quia falsum est ꝙ ita Albertus magnus dixerit sicut allegatur sed uerba sua formalia sunt quæ sequuntur, dic ecclesiæ. i. prælato in cóspectu uel synodo ita ꝙ synodo est ablatiui casus sicut ly conspectu. Secundo quia dato ꝙ diceret Albertus sicut inductum est ex aduerso non sequitur propter hoc aliqua superioritas in synodo supra Romanum pontificem ut manifestum est. Ad secundam rationé principalem de actibus apostolorum 8. cap. respondetur ꝙ falsum est ꝙ semper missio importet superioritatem in mittente respectu personæ missæ, ut plenissime ostendimus in 2. li. ca. 14. ibi uide. Ad tertiam quæ sumitur ex illo Act. 15. surgens &c. dicendum ꝙ parum ualet, quoniam beatus Petrus non dicitur surrexisse ad loquendum propter reuerentiá exhibendá aliis apostolis tanquá maioribus aut subiectioné ostédendam

Ad proba tioné secundam.

Ad tertiá

Ad secundum arg.

Ad tertii

dam cum princeps esset apostolorum & caput apostoli chori, sed ut in tanta multitudine melius audiretur, ut Nicolaus de lyra exponens illud Act. 11. exurgens Petrus dicit. Et simili modo respondetur ad aliam obiectionē aduersariorum qua arguunt ex eo quòd præsidentes papæ leguntur quandoque cum deberent loqui surrexisse in conciliis uniuersalibus, sicut in 6. concilio in actione 1. Ad quartam de synodo 8. respondetur quòd auctoritas illa sano oculo bene uisa consideratis etiam quæ præcedunt non facit aliquid pro aduersarijs, sed magis contra quod sic patet. dicit enim synodus illa quòd si aliqua ambiguitas orta fuerit de ecclesia Romana liceat uenerabiliter & cum conuenienti reuerentia sciscitari id est perscrutari de illa & sic uenerabiliter perscrutando solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere non tamen audacter sententiam dare & quasi rationem assignans subiungit contra summos senioris Romę pontifices. plane Romanus pontifex non esset summus si contra eum ex superioritate quis posset sententiam dare. consequentia uero quam aduersarii faciunt dicendo quòd synodus & si non audacter tamen reuerenter posset ferre sententiam contra Romanum pontificem est nulla, quia in hoc uacat argumentum a contrario sensu quia non esset reuerentia, sed irreuerentia & confusio & temeraria præsumptio contra summum pontificem inferiores pontifices ferre sententiam. Similia notat Arch. in c. Non decet dist. 12. super illo uerbo præceptis apostolicis non dura superbia resistatur ita dicens, uacat hic argumentum a contrario sensu quia non esset humilitas sed superbia, non discretio sed indiscretio si ei resistatur. Ad quintam quæ sumitur ex declaratione facta cōstantiæ per patres aliquos obedientiæ Ioan. 23. sic in sua obedientia nominati sufficienter respondimus supra lib. 2. c. 99. ibi uide. Ad sextam quæ sumitur ex bulla domini Martini respondetur negando consequentiam: quoniam ex hoc quòd synodus uniuersalis dicatur suprema inter alias ecclesias nullo modo sequitur quòd auctoritatis superioritate sit supra caput suum quod est Romanus pontifex: maxime cum tota auctoritas ipsorum conciliorum & nomen & dignitas ab apostolica sede in qua dominus totius ecclesiæ posuit principatum censeatur dependere, ut dist. 17. per totum. Ad septimam quæ sumitur ex ca. Quisquis 35. q. 9. respondetur quòd aduersarii in duobus peccant. Primo quia male allegant auctoritatem. Secūdo quia ex illa male concludunt. primum patet, textus enim ille non habet sicut inductus est sed sic. dicit enim Hylarius papa quod scilicet constitutum per eum ut deinceps possit tenacius custodiri si placet omnes uos sententias & subscriptiones proprias accommodate, &c. secundum patet scilicet quòd ex illo textu male arguatur ex aduerso: quoniam papa Hylarius non requirebat sententias & subscriptiones patrum illius synodi tanquam superioris tribunalis aut maioris potestatis, sed quia omnium eorum interueniente consensu & approbatione tenacius, ut habet textus sententia sua ac institutio custodiretur. superius enim diximus quòd consensus & approbatio synodi multum operatur tam ad faciliorem obedientiam statutorum Rom. pon. quàm ad firmiorem custodiam eorum. Præterea si aduersarius cōsiderasset plene tex. illum magis inuenisset eum contra se quam pro se. Tum ex eo, quia papa in illo concilio dicitur præsidere. Secūdo ex hoc quòd ipse solus regulam dabat in reformatione ecclesiæ & synodus assentiendo concurrebat. Ad octauam quæ sumitur ex c. Bene dist. 96. respōdetur quòd in nullo fauet

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextū

Ad septimum

Ad octauum

lo fauet

lo fauet aduersariis sed maxime confirmat propositum. quoniam in isto loco non petit papa, ut synodus sententiet auctoritatiue tanquam superior iudex quid agendum sit de illa scriptura, sed tantú ut consulat siue dicat quid appareat suæ discretionis iudicio utrum aliquid roboris habeat illa scriptura uel non. unde omnes illi episcopi qui responderunt quòd nullius esset roboris assignauerunt hanc rationem quia apostolicæ sedis quæ statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem non erat auctoritate roborata. Præterea hoc idem fit manifestum ex uerbis ipsius synodi quæ locuta est post præfatos episcopus sic dicens. licet secundum prosecutionem uenerabilium fratrum nostrorum Laurentii Petri, &c. nec apud nos habetur incertum hanc ipsam scripturam nullius esse momenti ueruntamen & si aliqua possit ratione subsistere omnibus modis in synodali conspectu pro uida beatitudinis tuæ sententia eneruari conueniebat & irritú deduci, &c. Ecce quòd synodus cognoscens principatum auctoritatis esse apud Romanum pontificem profitetur ad ipsam spectare in synodo sententiam diffinitiuam dare quid agendum esset circa præfatam scripturam uel declarando nullius esse roboris uel cassando siue irritando illam & non ad synodum. Ad nonam quæ sumitur ex 6. Item Symachus. respondetur quòd non fauet in aliquo aduersariis. Tum primo quia synodus illa auctoritate ipsius Symachi papæ procedebat. Tum secundo quia dato quòd in casu aliquo utputa quòd papa incusaretur de hæresi aut spoliatus & restituendus ueniat uel non concilium esset iudex competens, iuxta notata per doctores in cap. Si papa distinct. 40. non propter hoc sequitur quòd concilium supra papam uerum ac indubitatum esset superioritate auctoritatis. Ad decimam quæ sumitur ex c. Prouidentiæ, &c. respondetur quòd nihil facit ad propositum aduersariorum propter multa. Primo quia apostoli simul congregati synodaliter non leguntur distinxisse aliquas prouincias aut constituisse aliquos patriarchas siue primates siue archiepiscopos, &c. Secundo quia & si apostoli dispersi per mundum prædicando & conuertendo populos ad fidem Christi erexerint aliquas ecclesias & constituerint aliquos prælatos hoc fecerunt auctoritate beati Petri qui princeps eorum erat, & quia quod per ecclesiæ Romanę auctoritatem factum est ipsa ecclesia Romana dicitur fecisse. dicit enim Nicolaus papa in c. Omnes distin. 22. Omnes siue patriarchæ cuiuslibet apicem siue metropoleon primatus ac episcopatuum cathedras uel ecclesiarum siue cuiuscunque ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia illam uero ipse solus fundauit & supra petram fidei mox nascentis erexit qui beato Petro eternæ uitæ clauigero terreni simul & cœlestis imperii iura commisit. Ad undecimam quæ sumitur ex c. Quamuis, & cap. dudum 3. q. 6. respondetur primo quòd falsum dicunt aduersarii uidelicet ꝙ cetus apostolorum quasi synodaliter congregatus talia diffinierit nec hoc dicunt capitula inducta. Secundo respondetur quòd dato ꝙ ita esset quod aduersarius dicit uidelicet ꝙ a cetu apostolorum quasi synodaliter congregatorum fuerit diffinitum non nisi Romanum pontificem debere diffinire accusationes episcoporum & congregare uniuersalia concilia, non sequitur ex hoc ꝙ aliqua superioritas sit in concilio supra papam aut fuerit in concilio apostolorum supra Petrum. Tum primo quia talis diffinitio nó cótulit Petro aliquam sublimitatem sicut falsæ & erroneæ intelligit aduersarius, sed bene declarauit id quod ratione primatus Petro debebatur. Tum

Ad nonú

Ad 10.

Ad 11.

secundo quia falsum est quod subiungit aduersarius quòd cetus apostolorum transtulerit in Petrum auctoritatem tam de congregandis conciliis uniuersalibus quàm de determinatione causarum episcoporum: quoniã nihil auctoritatis Rom.pon.ab apostolis aliis suscepit, sed potius ipsi ab eo, ut superius li.2.c.54.multipliciter ostendimus, & habetur in c.ita dominus dist. 19.& in c.Loquitur 24.q.1.quod uero aduersaris inducunt de ca. Quisquis ubi uidetur quòd olim primas uel concilium deponebat episcopum parum ualet, quia hoc fuit de licentia papæ, ut dicit gl.in c.Accusatis 3.q.6. Ad

Ad 12. duodecimam in qua dicitur ꝙ papa teneatur obedire, &c. respondetur ꝙ dupliciter potest intelligi papam teneri obedire statutis concilii uniuersalis. uno modo quia statuta sunt concilii uniuersalis, & sic dicimus ꝙ falsum est quòd papa teneatur necessario obedire statutis cuiuscunq; concilii: quoniam taliter teneri obedire statutis alterius designat inferioritatem in eo qui obedire tenetur: cum autem papa sit super omnia concilium ut probatum est hoc modo: nullo modo dicendum est teneri de necessitate obedire cuicunque nisi Deo qui solus est eo superior, sicut de hoc nos infra plenius loquemur. Alio modo potest intelligi teneri obedire statutis concilii non quia sunt statuta concilii, sed quia sunt de tali materia puta fidei, aut sunt spectantia ad ius diuinum sicut potissime sunt statuta siue diffinita pro maiori parte quattuor conciliorum uniuersalium de quibus Grego.loquitur in cap.Sicut distinct.15.& cap.Contra 25.quæst.1.& alia similia. & hoc modo obedire teneri statutis conciliorum approbatis tamen per sedem apostolicam ratione materiæ de qua loquuntur non arguit superioritatem in conciliis supra papam sicut nec in prædecessore si similia statuat quæ cõcernunt fidem aut ius diuinum. sicut Grego.in ca.Si ea 25.q.1. dicit. Si ea destruerem quem antecessores nostri statuerunt non constructor, sed euersor esse comprobarer, & hoc est quia talia sic diffinita in conciliis uniuersalibus non habent robur a conciliis, sed a iure diuino cui subiicitur papa. unde etiam gl.super ca.Sicut dist.15.dicit sic. uidetur ergo quòd papa non posset destruere statuta concilii, sed intellige quod hic dicitur contra articulos fidei. Item dominus Arch.in rosario ad idem respondens dicit sic. fateor in his quæ ad fidem pertinent & generalem statum ecclesiæ, in aliis

Ad 13. potest contra statuta conciliorum uenire. Ad tertiamdecimam quæ sumitur de examinatione sententiarum papæ respondetur negando assumptum dicimus enim quòd falsum est quòd unquam sententia Romani ponti.habita sit tanquam suspecta de ueritate aut iustitia in aliquo concilio uniuersali & inde uenisse in eo examinanda. unde Agapto papa scribens imperatoribus ad sextam synodum de legatis quos mittebat ita inquit, qui suggestionem in qua apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibamus offerre debeant non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa diffinitione proferre simpliciter. Ea uero quæ inducta sunt ex aduerso ad probandum, antecedens nullius sunt roboris si gesta præfatorum conciliorum recte ponderentur. Sententiæ quidẽ Romanorum pont.contra præfatos hæreticos non sunt refutate, aut lectæ in synodis ut examinarentur per synodum, sed prout ex gestis præfatorum conciliorum colligitur hoc factum esse uidetur duplici ratione. Primo ut omnibus patribus existentibus in concilio noticia fieret sententiarum quæ date erant a Romano pont. unde in sexta synodo Georgius archiepiscopus

chiepiscopus Constantinopolitanus, & quæ subest synodus dixerunt ad Imperatorem, petimus uestram tranquillitatem suggestiones directas ad a Deo instructam uestram fortitudinem tam ab Agaptone sanctissimo papa apostolicæ sedis antiquæ Romæ quàm ab eius synodo relegantur, ut auditum capiamus quatenus & nos cognitionem accipiamus totius uirtutis quæ in ipsis continentur. hæc ille. Item in octaua synodo in quinta actione habetur quòd cum Focius ductus in præsentia synodi interrogatus a synodo ipsa an apostolicæ cathedræ judicia tam de se quàm de Ignatio patriarcha promulgata amplecteretur & ille taceret, Vicarii senioris Romæ dixerunt. ecce homo qui obturat aures sicut aspis surda & non audit uocem quam ei sancta synodus obiicit, sed uult per hoc silentium effugere condemnationem quam sancta Romana ecclesia ante multos annos promulgauit aduersus eum, ueruntamen legantur epistolæ quæ de eo missæ sunt a sancta Romana ecclesia. placet ergo omnibus ut legantur, sancta synodus dixit placet. Ecce quòd ad petitionem Vicariorum papæ lectæ sunt epistolæ iste & hoc ut uenirent in notitiam omnium,& non ut examinarentur an iuste, uel canonice essent. licet autem post completionẽ primæ epistolæ legantur Vicarii papæ dixisse ad synodum, ad hoc quid dicit sancta synodus est canonica expositione plena epistola hæc an non? & responderit sancta synodus canonicam legem complet & synodicam præceptionem & legislationem. nihilominus ista non sunt facta, aut dicta per uiam examinationis: quoniam in actione quarta eiusdem synodi omnes epistolæ ipse lectæ fuerunt iam acceptatæ & commendatæ. nec interrogatio ista Vicariorum papæ fuit interrogatio dubitationis ita ꝙ dubitarent de ueritate epistolarum apostolicarũ, sed facta est ut calumniá tollerẽt aduersariorũ sicut fuit quæstio illa Ioan. Math. 11. Tu quis es an aliũ expectamus. Item quæstio Christi cũ de lazaro quærit, ubi posuistis eum, nõ quia ignoraret, sed ut illi qui ostenderẽt sepulchrũ non possent negaret, nec calumniari. Ita hic interrogant, ut ex responsione dãda per synodũ plenius auferretur calumnia hæreticorũ. Secũdo quia condescensum est ut coram synodo ipsi iudicati siue condẽnati audirentur si quid uellent contra iudicata obiicere, tam ut obturarentur ora obloquentiũ maxime quia conquærebãtur licet false non audiuisse depositionẽ suá. unde dicebant audiamus depositionẽ nostrã dãnemur nobis audientibus quàm ut iustitia Romani pont. illustrior fieret, quod patet ex his quæ habentur in actione 4. octauæ synodi ubi sic legitur. Post hæc magnificentissimi & gloriosissimi principes per babanim, &c. supra est in c. 25. ad longum. Ceterum hoc manifestum fit ex actione quarta ubi babanis magnificentissimus patritius diceret quòd focius & complices sui ignorarent iudicium factum per papam contra eos, & ideo deberet coram ipsis sententia condemnationis recitari. dicunt sic uicarii Nicolai papæ. nobis non licet rescindere iudicium sacrorum Romanorum pont. hoc enim contrarium est canonicis institutis. quoniá præsentes illic per proprios missos & Romæ demorantes contra se sententiam & prolatã dãnationẽ in fociũ & in manus impositionem eius & audierũt & liquido didicerunt, ueruntamẽ ut manifestiorẽ eis iustã iudicationẽ sanctæ Romanæ ecclesiæ faciamus ingrediãtur & audiãt legi synodicas diffinitiones & iudicia beatissimi Nicolai papæ, & certificentur magis ac magis, magnificentissimi & gloriosissimi dixerunt hoc probũ & bonũ est. hæc ibi.

Ex quibus uerbis manifeste patet quòd talis refricatio sententiæ Romani pótificis rationibus assignatis facta in synodo ad insinuationem præfatorum principum nullam in synodo superioritatem supra Romanum pontificem arguit.

Ad 14. Ad decimamquartam quæ sumitur ex epistola beati Ambrosii respondetur quòd nihil est in illa epistola beati Ambro. quod in ueritate faueat aduersariis quod ex multis colligitur. Tum primo quia cum illud concilium capuense fuerit prouinciale & non uniuersale si ratio procederet non modo uniuersale, sed etiam prouinciale argueretur esse supra papã quod esset error peior priore. Secundo dicitur ꝙ dato ꝙ esset uniuersale concilium epistola in omnibus illis partibus ex quibus argumenta sumunt aduersarii habet aliam intelligentiam quam aduersarius prætendit. Nam cum ait Dama.papa nobis iudicandi forma competere non posset, non est sensus quòd ipse papa non haberet facultatem iudicandi, sed dicit quòd forma iudicandi scilicet per modum delegationis a concilio non poterat sibi competere cum scilicet esset superior. Et hoc est quod infra subiũgit. Nos enim quasi de synodi auctoritate iudicare non conuenit qui s. Christi legatione fungimur non concilii uestri. Cum uero consequenter ait, nam si integra esset hodie synodus recte de his quæ comprehendit uestrorum scriptorum series discerneremus. non est sensus ille quem dat aduersarius dicens quòd papa confiteatur ꝙ si synodus non delegasset papa potuisset de causa cognoscere, sed quia synodus delegando præuenit dicit se iudicandi onus suscipere non posse. ista sunt uerba conficta nec talia in præfata littera continentur, sed uerus sensus est Damasus papa dicit quòd si synodus integra esset conuenienter de causa illa iudicasset assumendo ad se iudiciũ sed quia integra non erat quia iam dissoluta & iudicium ex parte synodi erat commissum illis iudicibus quibus scribebat dicit cum ad ipsum non pertineat talis forma iudicandi s. per delegationem a concilio quòd ipsi quibus causa erat delegata primo iudicent & ipse expectabit normam sententiæ eorum & tunc poterit ipse iudicare eorum iudicium approbando, aut dissoluendo. unde nulli dubium est quòd ex hoc quòd papa noluit assumere ad se causas delegatas per synodum sed uoluit quòd iudices deputari primo iudicarent non arguitur ꝙ synodus sit supra papam, sed bene uerũ est quod arguitur in papa honestas cum uoluerit quod delegatio causæ facta per synodum haberet locum.

Ad 15. Ad decimamquintam quæ sumitur ex auctoritate beati Ambr. respondetur ꝙ auctoritas illa in nullo fauet aduersariis. dicimus. n. ꝙ uerum inquit Ambr. ꝙ Christus dedit eminentiam potestatis ecclesiæ ei cuncta subiiciens sed non ad intellectum aduersariorum s. ꝙ ecclesiæ uniuersali, ut uniuersitati in omnibus eius membris cóiũctim data sit talis excellentia potestatis, quia ut inquit Ambr. li. de pœni. & habetur de pœni. distin. 1. §. certum est. In solis presbyteris ecclesia claues accepit. ergo excellentia potestatis ecclesiæ est in prælatis & præcipue in prælatorum prælato Christi generali Vicario qui solus uocatus est in plenitudinem potestatis, & cui ut inquit Cyrillus omnes iure diuino caput inclinant.

Ad 16. Ad decimamsextam quæ sumitur ex cap. Legimus distinct. 93. respondetur quòd nihil facit ad propositum propter duo. Primo quia ibi Hieron. non loquitur de auctoritate iurisdictionis orbis respectu ecclesiæ Romanæ siue apostolicæ sedis, sed loquitur de auctoritate consuetudinis, quæ tanto maioris auctoritatis esse dicitur quanto generalior est & a pluribus

bus

bus approbatur, ut colligitur ex c.nou.dist.12. quemadmodũ de canonicis scripturis dicit Aug. & habetur in c.in canonicis dist.19. secundũ quã regulã non dubiũ est quin consuetudo orbis maior sit consuetudine urbis quã apostolica sedes in omnib. obseruare nõ iubet. Quòd hoc modo loquitur Hieronymus patet ex intentione Hieronymus loquentis, loquitur enim contra consuetudinem quæ in urbe regnabat, ut quidam diaconi præferrentur presbyteris ex qua consuetudine alii dyaconi per orbem uolebant præcedere suos presbyteros cum tamen contraria consuetudo esset per orbem, de qua consuetudine ita in text. loquitur quid mihi profers unius urbis consuetudinem quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges ecclesiæ uendicas? omne quod rarum est plus apperitur. pulegium apud indos pipere praeciosius est dyaconos paucitas honorabiles facit presbyteros uero turba contemptibiles facit. hæc ille. hoc etiam quod tex. ille de consuetudine loquatur patet ex gl. quæ sic ibidem ait super uerbo maior, maior est & ideo magis est sequenda consuetudo generalis, ut hic. Tum secundo auctoritas præ fata Hieronym. non militat pro aduersariis, quia Romanus pontifex non solum urbis, sed orbis est episcopus cum caput & princeps sit uniuersalis ecclesiæ. unde ipse Hieronym. de obitu siue ortu sanctorum patrum de beato Petro loquens ita ait. Petrus in Christo ecclesiæ fundamentum cephas corporis Christi principatus & caput est apostolorum princeps pastor humani generis petra ecclesiæ clauicularius regni. Ad decimamseptimam quæ sumitur ex quadam epistola eiusdem Hierony. respondetur ꝙ in nullo fauet aduersariis. quod enim dicit Hierony. ꝙ Deus omnem potestatem suam dedit discipulis sane est intelligendum, quia non est intelligendum sic nec intellexit beatus Hieron. de omni potestate diuina absolute, quia nec potestatem auctoritatis quæ est solius Dei nec potestatem excellentiæ quæ est propria Christo dedit discipulis, sed tantum ministerialem, ut dicit August. Nec istam ministerialem dedit discipulis suis sine ordine, quia omne quæ sunt a Deo ordinata sunt. ad Roma. 13. Dicitur ergo Christus dedisse omnem potestatem discipulis, quia omnes fecit participes illius potestatis non tamen sic, ut quilibet eorum uocaretur in plenitudinem potestatis, sed unus tantum scilicet Petrus quem caput, & principem omnibus præfecit, sicut ipse Hieron. ait ut patet in responsione præcedentis rationis. Et ita patet quòd licet alii prælati qui succedũt apostolis participes sint potestatis clauium Romanus tamen pontifex qui succedit Petro præ omnibus accepit, & per consequens omnibus illis siue dispersis siue congregatis maior & superior est. Ad decimamoctauam quæ sumitur ex epistola Augustini respondetur quòd in nullo fauet aduersariis licet apud eos reputetur achilles. patet quia non est intentio beati Augustini dicere in epistola illa quòd concilium uniuersale sit superius papa auctoritate potestatis. quod patet: quia in epistola ipsa sicut & in libro de unico baptismo profitetur quòd in Romana ecclesia apostolicæ cathedræ uiguit principatus quod uerum non esset si superius tribunal aut superior cathedra quàm sit Romani pontificis alia daretur. quod ergo dicit beatus Aug. restabat ergo adhuc plenarium uniuersalis ecclesiæ concilium. non dicit ratione superioritatis principatus aut potestatis quæ maior sit in concilio plenario quàm in apostolica sede cum ut dictum est auctoritas conciliorum a Romano pont. pendeat, sed hoc dixit ratione am-

Ad 17.

Ad 18.

plioris & maioris examinis quale sperabatur in plenario concilio patrum totius ecclesiæ. Quòd uero ista sit intelligentia beati August. patet ex uerbis ipsis epistolæ, & ex aliis quæ de ista materia commemorat in lib. de unico baptismo. dicit autem sic in præfata epistola, sed iam tamen quasi haberent quòd dicerent malos iudices esse perpessos, quæ uox est omnium malorum litigatorum cum fuerint etiam in manifestissima ueritate superati quasi non adhuc eis dici posset & iustissime dici. Ecce putemus illos episcopos qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse restabat adhuc plenarium uniuersæ ecclesiæ concilium, ubi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari. hæc ibi. & hoc dicebat August. maxime quia ut in libro de unico baptismo idem dicit maiores accusatorum episcopi Ceciliani qui innocens fuerat a papa iudicatus quærebantur Imperatori quòd non plene fuerit illud iudicium Romæ examinatum atque depromptum. quam ob causam dicebat August. quòd præfati episcopi accusatores Ceciliani qui dicebant, licet false, iudicium factum Romæ minus plene fuisse examinatum antequam scisma facerent separantes se ab apostolica sede debuissent expectasse iudicium uniuersalis plenarii concilii ubi cum ipso papa discussio plenior fieret & consultatio. Quod uero consequenter dicit August. quòd si male iudicasse conuicti fuissent eorum sententiæ soluerentur, non ita accipiendum est quòd auctoritate concilii plenarii tanquã superioris iudicis potestate sententiæ ille soluerentur cum ut superius diximus ipse August. dicat quòd in ecclesia Romana semper apostolicæ sedis uiguit principatus, sed est intelligendum quòd hoc fieret auctoritate ipsius Romani pontifici. melius consulti & informati cuius auctoritate præfatum concilium ueniret congregandum ita quòd ipse papa melius informatus & consultus per uniuersale concilium si ita esset quòd prius male iudicatum fuisset præfatum Vincentium innocentem declarandò sententiam suam solueret, uel sententiam aliorum ab eo comprobatam reuocaret quod non modo mediante concilio, sed solus hoc posset facere iuxta cap. sententiam 35. q. 9. unde simile huius Legimus factum m.6. hinc etiam distinct. 17. in accusatione papæ Symachi ubi auctoritate eiusdem, & synodus congregatur & sententiatur in causa. Præterea simile habetur de beato Grego. qui ut habetur in ca. Si quis 2. q. 7. dicit sic. Si quis super his nos arguere uoluerit uel extra auctoritatem nos facere contendat ueniat ad apostolicam sedem & ibi ante confessionem beati Petri mecum iuste decertet quatenus ibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam. Clarum est autem quòd sententia per apostolicam sedem siue contra papã siue pro eo non nisi auctoritate papæ in ea sedentis a quo eius thronus auctoritatẽ suscipit ferenda ueniret aut per alterum cui ipse committeret & ita in proposito. Et ita patet ꝙ præfata epistola Aug. bene intellecta in nullo fauet aduersariis licet in ea plurimum fundent se aduersarii. sine tamen ratione iudicio nostro. Ad decimamnonam quæ sumitur ex c. Puto 2. q. 7. respondetur quòd in nulla parte facit pro aduersariis. non equidem in parte prima licet Paulus bene sentiens Petrum non bene sentientem potuerit publice reprehendere non tamen propter hoc sequitur ꝙ fuerit superior illo officio ecclesiasticæ dignitatis, ut patet ex ca. Paulus e. cau. & q. Non etiam in secunda parte quia tex. ille non est extendendus ad episcopum Romanũ qui & caput & princeps & iudex est totius ecclesiæ & a quo conciliorum

Ad 19.

statuta

stituta robur accipiunt, ut sæpenumero repetitum est. Ad uigesimam quæ sumitur ex gl.c.Anastasius dist.19.respondetur quòd gl.intelligitur q ubi de fide agitur conuentus synodalis patrum ecclesiæ est maior non maioritate potestatis, sed maioritate iudicii discretionis superior ac maior ipso papa siue maioritate approbationis secundum q qui maiore ratione utitur maioris auctoritatis eius uerba esse uidentur, ut c.1.dist.20.& secundum q pars quæ iustiori ratione utitur maior esse dicitur licet sit minor alio respectu, ut habet gl.in c.Multi dist.40.maior autem discretio & iudicium uerisimiliter regularius arguitur esse in omnibus patribus unius synodi generalis quàm apud unum solum hominem etiam si sit papa, & propter hoc cum casus est ualde dubius & habet fortes pro utraque parte defensores recurrendum est ad synodum quoniã ut ait dominus Arch. in hoc loco nimis periculosum esset fidem nostram committere arbitrio unius hominis. Secundo posset responderi q glo. decreti propter contradictionem quam implicare uidentur parum militant.unde gl.super c. Quodcunq; 24.q.1.dicit sic ar. quòd sententia totius ecclesiæ præferenda est Romanæ si in aliquo sibi contradicant ar. dist.93.legimus, sed contrarium credo ar.infra eo.hæc est fides nisi erraret Romana ecclesia quod non credo posse fieri, quia Deus non permitteret ar.infra c.a recta & cap. pudenda. hæc glo. Ad uigesimamprimam quæ sumitur ex non posse peccare respondetur dupliciter negando primo uniuersaliter antecedẽs: quoniam uidetur falsum, sicut patet de Ariminen. concilio & de ephesino secundo, & de multis aliis de quibus infra habebitur sermo.de apostolica tamen sede hoc certissimũ est q in ea religio Christiana semper immaculata permansit ut superius ostendimus in 2.lib.& habetur in c.in sede 24.q.1.Secundo respondetur negando consequentiam dato etiam q antecedens esset uerũ. consequentia tamen non ualet.rõnem alias assignauimus uidelicet q iste gratiæ sunt diuersi ordinis & rõnis s.non posse errare in fide aut in moribus & gratia prælationis aut potestas iurisdictionis siue clauiũ quæ ita distinctæ sunt ut una non arguat aliam sicut manifestum est, alias unus uir laicus aut fœmina in gratia confirmatus, aut confirmata maioris esset auctoritatis Roma.pon.in gratia non confirmato.quod non modo est erroneum, ut in 2. lib. ostendimus uerum etiam absurdum audire. Ad uigesimamsecundam de gestis in octaua synodo respondetur q nihil ualet ad propositum aduersariorum, quia dictum illud sicut patet ex eiusdem synodi gestis fuit dictum Zachariæ pertinacissimi defensoris Focii hæretici a quo ille Zacharias erat ordinatus episcopus & etiam cũ eo condemnatus.unde uerba illa tanquã unius fatui hæretici non sunt in auctoritatem adducenda. unde Imperator dicto Zachariæ & complicibus eius respondens, ut habetur in gestis dixit sic. usque in præsens in peccato uestro estis & in sepulchro nequitiæ uestræ iacetis mortui, unde omnes summi pastores patriarchæ cócorditer uos condẽnant, & infra omnes nouimus quia laici estis & non adduximus uos latrare & sine ordine facere uerba omnia enim uestra mendacia sunt hæc ibi. Et infra in actione sexta contra eundem Zachariam metraphanes metropolita smyrne respondendo ait q falsum dixerat dicendo aliquem iustificatũ per sedem apostolicam damnatum per ecclesiam nec damnatum per ipsam sedẽ iustificatum per ecclesiam. & respondit ad singula exempla quæ Zacharias adduxerat, ubi quia præfatos hæreticos Zacharias in fauorem errorũ suo-

Ad 20.

Ad 21.

Ad 22.

rium induxerat inter alia exempla q apiarium iustificatũ a Romanis præsulib. Aphricana synodus non iustificauerit, sed repulerit. respondit præfatus metropolita post multa circa illã hystoriã sic inuenitur ergo Aphricano synodus paruisse potius iudicio zozimi papæ Romani atque per hoc propriã reprobasse sententiam & iustificasse apiarium non ut fassus es restituisse noto Rom. pon. hæc ille.

Ad 23. Ad uigesimamtertiam quæ sumitur ex eo q concilium quandoque iudicat papam: respondetur non militat illa ratio pro aduersariis quod patet ex tribus. Primo quia falsum est q concilium uniuersale iure deponat, aut deponere possit Rom. pon. nisi in casu hæresis quicquid aliquando de facto factum esse legitur sicut diximus in 2. lib. circa ca. 103. In casu uero hæresis est speciale ut patet ex ca. allegato. si papa dist. 40. quia papa hæreticus subiectus ueniret concilio sicut & quilibet alius fidelis a fide deuius. cum enim per hæresim a papatu cadat factus est ut ait s. Thom. in 4. dist. 19. omni fideli minor, & idem habet gl. in c. Achatius 24. q. 1. ubi sic dicit, hic est casus in quo papa papam potest ligare, & in quo papa in canonem late sententiæ incidit. nec obuiat regula illa, quia par parem soluere uel ligare non potest, quia si papa hæreticus est in eo quod hæreticus minor est quolibet catholico, & ad istum casum facit ca. inductum ex aduerso si papa, ut patet legenti illud. dicit enim sic, si papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus quod magis officit sibi de omnibus, &c. huiusmodi culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus nisi deprehendatur a fide deuius. hæc ibi. Et intelligitur ut dicit gloss. ineuitabiliter quod capitulum (cum loquatur de papa iam per hæresim notoriam & contumaciter defensam in quo casu ipso iure pontificatu sit priuatus, quia remota fide per quam fit prima connexio hominis ad corpus Christi mysticum membrum ecclesiæ esse desinit, & per consequens caput) manifeste demonstrat, & ex hoc nulla superioritas ptãtis arguitur in concilio uniuersali super papã catholicũ, & indubitatum. Secundo hoc ostenditur ex eo q licet iuxta gl. in c. achatius, quæ inducta est parũ ante in casu hæresis papa papam ligare possit, nõ propter hoc sequitur q papa, sit ptãte superior prædecessore suo aut successore suo catholico existente. Tertio idẽ ostenditur q rõ illa aduersariorum si militaret, militaret contra eos sic arguendo, papa reprobat & damnat mala & iniqua concilia, sicut patet de Ariminiensi & Ephesino secundo & de aliis, ut in c. cuncta 9. q. 3. ergo sequitur potiori ẽt rõne q papa superior sit cõciliis uniuersalibus quod tamen ipsi negant, licet sit uerũ.

Ad 24. Ad uigesimam quartã quæ sumitur ex necessitate cõciliorũ respondetur negãdo consequẽtiã. dicimus. n. cum domino Henero & alias nos supradiximus q auctoritas totius concilii & auctoritas papæ non sunt aliquid maius quantũ ad ipsam auctoritatẽ. nihilominus nõ sequitur q aliquando nõ oporteat conuocare cõciliũ generale in aliquibus casib. quia hoc non fit ad habendũ maiorem auctoritatem, sed ad habendũ plenioreẽ collationẽ, & deliberationẽ & ẽt ad maiorem solennitatẽ & cõcordiã ecclesiæ, sicut plenius in superioribus ostendimus.

Ad 25. Ad uigesimãquintã quæ sumitur ex c. de quibus dist. 20. respondetur negando consequentiã. decipiuntur. n. aduersarii non distinguẽtes inter auctoritatẽ & ptãtem iurisdictionis, cũ tamen plures dicantur, & sint sapientes & prudentes ac magnæ auctoritatis uiri qui nulla ptãte iurisdictio

nis

nis aut prælationis funguntur. unde ex illo ordine quem ponit gloss. obseruandum in solutionem quæstionis, non sequitur aliqua superioritas iurisdictionis supra papam, & licet canones qui fiunt in concilio cum consilio maturo patrum totius ecclesiæ maioris reputentur auctoritatis, id est reputationis aut appreciationis quàm sint decreta facta per solos summos pontifices, secundum illud quod habetur in cap. decretales dist. 20. quo quisque maiori ratione utitur eo maioris auctoritatis eius uerba esse uidentur, nó tamen propter hoc sequitur quòd concilium sit maius potestate iurisdictionis, ipso papa maxime quia idem est qui per auctoritatem in concilio condit canones, & qui sine synodo facit decreta, & decretales. unde ex hac parte decretales, & canones paris immo eiusdem sunt auctoritatis, ut in ca. decretales di. 20. Exemplum huius assignare possumus in his quæ papa facit cum cardinalibus in consistorio, & quæ solus. Planum est quòd maioris auctoritatis reputantur facta per papam in consistorio cum consilio dominorum cardinalium quàm per eum solum facta, & nihilominus eiusdem roboris, & auctoritatis sunt hæc & illa cum eadem potestate sint ædita. Ex quibus omnibus bene consideratis deridenda uenit manifeste nouellorum magistrorum temeritas qui antiquos doctores qui ueritate coacti in fauorem principatus Romani pontificis locuti sunt, aut de adulatione arguunt, aut de falsa intelligentia, & interpretatione sacræ scripturæ in quo stulto & temerario iudicio potissime hii nouelli magistri tanquam præsumptione diabolica repleti ueniunt arguendi: quoniam præfati doctores in honorem beati Petri, & pro eius principatus amplitudine loquentes, aut sunt Romani pontifi. pro Christo martyrio coronati aut confessores gloriosi ab uniuersa ecclesia uenerati, aut sancti patres, aut in iure diuino, & humano ceteris in ecclesia Dei præstantiores doctores, periculosum ualde esset, & insanum tantorum sanctorum patrum traditiones postponere, immo tanquam falsas conculcare, & assertionibus adhærere nouellorum istorũ magistrorum quorum caput & magister extitisse uidetur Ocham & eius quidam discipulus Iarson nominatus qui prætermissis sanctorum patrum, & doctorum ecclesiæ expositionibus scripturam sanctam hæreticorum more ad propriam uoluntatem interpretantur, contra quos beatus Hierony. in cap. non afferamus 24. quæst. prima ait. Non afferamus stateras dolosas, ut appendamus quod uolumus pro arbitrio nostro dicentes hoc graue hoc leue est sed afferamus diuinam stateram de scripturis sacris tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, & in cap. ridiculum distinctio. 12. ait papa Nicolaus, ridiculum & satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus infringi patiamur.

Cap. XLVII. Quod non liceat appellare a papa ad uniuersale concilium.

QVAMVIS ex his quæ de superioritate Romani pon. super concilium uniuersale demonstrata sunt facile sit intelligere quòd appellare non liceat a Romano pon. ad concilium uniuersale, sed magis ecõuerso, puta a sententia concilii quam apostolica sedes nondum approbauerit ad papam, liceat appellare, nihilominus pro ampliore illustratione

ueritatis id ostendere ex multis curabimus. Præsupponimus In primis ꝙ appellatio fiat ab inferiori ad superiorem iudicem & non econuerso,ut colligitur ex ca.omnes 2.q.6.&.ti.a qui.appel.non licet lib.1.& in multis aliis locis,quo præsupposito dicendum uidetur quòd nullo modo liceat appellare a Romano pon.ad concilium uniuersale tanquam ad superiorem iudicē. quæ conclusio in primis ponitur in ca.ipsi sunt 9.q.3.ubi Gelasius papa ita inquit,ipsi sunt canones qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sanctæ sedis examen uoluerunt deferri ab ipsa nusquam prorsus appellare debere sanxerunt.Nota uerbum nusquam nota uerbum prorsus, quasi diceret nullo tempore nullo casu.Amplius hanc conclusionē primo rationibus,secūdo auctoritate sacrorum conciliorum,tertio ex gestis, & practicis in conciliis uniuersalibus ostendemus uerā esse.Primo sic a iudice in quo est suprema potestas in ecclesia,& totius ecclesiæ principatus non licet appellare ad aliquod concilium ecclesiæ,hoc patet ex supposito,sed in Romano pon.est suprema potestas in ecclesia, ut dicit articulus diffinitus per papam Martinū in concilio Constantien.& habetur in c.patet 9.q.3.ubi dicit Nicolaus papa,profecto sedis apostolicæ cuius auctoritate maius non est iudicium dicit etiam in c.nolite errare dist.11.quòd in ea dominus totius ecclesiæ posuit principatum.ergo sequitur quòd a Romano pon. appellare non liceat ad concilium,sicut ad superiorem iudicem.consequentia est manifesta quia alias oporteret dicere ꝙ supᵉma ptās non esset in papa quod est cōtra articulū.Secundo sic:a capite non est licitum appellare ad membra.patet: quia caput præstantius est auctoritate suis membris,sed papa caput omniū fidelīū est caput concilii uniuersalis.ergo ab ipso ad quécunq; fidelium conuentum siue cōcilium appellari non potest.consequentia patet.& minor etiam patet ex multis locis maxime in cap.si quis 2.q.6.ubi habetur ꝙ quisquis pulsatus aliqua aduersitate licenter possit appellare ad apostolicam sedem & ad eam quasi ad caput refugium habeat, & idem in c.Romanam e.causa, & q.Tertio sic:a matre omniū ecclesiarū & omniū fideliū nullo modo licet appellare ad filios nec dispersos nec cógregatos quia mater semper maior est auctoritate filiis,& etiam filiorum congregatione,sed Romana ecclesia, siue apostolica sedes est mater omnium ecclesiarum sicut patet per multa capitula maxime per c.omnes 2.q.6.ubi habetur ꝙ omnes episcopi quibuscunque aduersitatibus propulsati libere ad apostolicā sedem appellent & ad eam quasi ad matrem fugiant. Quarto ab eo iudice cuius est de tota ecclesia iudicare, & de quo non est datum alicui iudicare non est licitum appellare. patet ex terminis papa est huiusmodi. ergo ab eo non est licitū appellare ad quemcunque alium iudicē.consequentia patet.& minor habetur in c.cuncta 9.q.3.ubi Gelasius papa omnibus episcopis scribens ait.Cuncta per mundū nouit ecclesia ꝙ sacrosancta Romana ecclesia de omnibus phas habet iudicandi nec cuiquā de eius liceat iudicare iudicio.siquidem ad illā de qualibet parte mundi appellandum est ab illa aūt nemo appellare permissus est. Quinto ab illo iudice appellare non est licitum ad iudicem qui iudicare non habet potestatem nisi ab eo a quo appellatur.patet hoc a primo fundamento sed concilium uniuersale auctoritatem constituendi & sententiandi siue iudicandi habet a papa ut superius ex multis ostendimus, & facit ad hoc di.17.per totum & ca.significasti extra de elect.& ca.bene dist. 96.ergo a papa ad concilium appellare non licet.Sexto sic.idem est censendum

dum

dum tribunal Christi, & papæ in terris cum eius sit uicarius uices eius gerens in terris. unde Chryso. super illud Ioan. ult. pasce oues meas dicit. i. loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum ut ipsi loco meo te assumentes ubi q; terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & cófirment. hæc ille. Et hoc pariter colligitur ex c. putamus, de consue. li. 6. sed poné q a tribunali papæ possit appellari ad aliud in terris aut quòd ab alio ad tribunal papæ non possit appellari est ponere q a tribunali Christi appellari liceat. Item q illud tribunal sit maius tribunal Christi patet, quia omne tribunal maius tribunali uicarii episcopi est maius tribunali episcopi cuius est uicarius cum unum & idem sit utriusque tribunal quorum utrunq; est manifeste erroneum. Præterea secunda uia eadem conclusio ostenditur uera auctoritate, scilicet uniuersalium cóciliorum. Habetur primo in gestis Ephesini primi concilii statutum quòd a sententia sedis apostolicæ nulli liceat appellare. Item secundo ex cap. ne Romani extra de elect. in cle. quod fuit in concilio Viennensi ubi dicitur q lex superioris per inferiorem tolli non potest glo. Ioan. an. dicit quòd hoc habet maxime uerum cum inferior ab illo superiore recipit potestatem in casu nostro cetus cardinalium a papa. Et sequitur per quod idem uidetur de concilio supra eo. ti. ca. significasti 9. q. 1. cuncta, hæc ille. Item tertio Alexander tertius in concilio uniuersali c. licet de elect. dicit. In ecclesia Romana aliquid speciale constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus glo. Hostien. quia nulla superior, sed ipsa super omnes est. Et idem dicit Ioa. an. ergo uidetur q iuxta fidem expressam in conciliis uniuersalibus de superioritate apostolicæ sedis ab ea appellari non sit licitum ad quodcunq; aliud iudicium siue etiá cóncilium. Cæterú eadem cóclusio tertio ostenditur ex gestis, & practicis in cóciliis uniuersalibus, & primo ex gestis in cócilio Ephesino secundo ubi cú lederetur fides catholica legati Romani pon. leguntur appellasse. Vnde Leo papa in epistola ad Theodosium Imperatoré scribens & rogans ut Calcedonen. synodus in correctioné Ephesinæ institueretur ita inquit inter alia. Tota mentis acie reuerenter aspice beati Petri gloriam & communes cum ipso omnes sanctorum coronas cunctorumq; martyrum palmas quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio deitatis, & uere humanitatis in Christo, cui sacramento, quia nunc a paucis imprudentibus obuiatur omnes partium nostrarum ecclesiæ omnem mansuetudinem uestram gemitibus, & lachrymis supplicant sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamauerunt, & eis libellum appellationis Flauianus episcopus dedit generalem synodú iubeatis intra Italiam celebrari quæ omnes offensiones ita repellat &c. Item idem secundo colligitur ex gestis Calcedonen. synodi super eminentia data ecclesiæ Constantinopolitanæ super Alexandrinam in qua legati papæ leguntur cótra dixisse ac ad beatum Leonem papam appellasse. unde in Act. 10. eiusdem synodali, ita uicarii apostolicæ sedis dixisse referuntur. Sedes apostolica nobis præsentibus humiliari non debet, & ideo quæcunque in præiudicium canonum uel regularum hesterna die gesta sunt nobis absentibus sublimitatem uestram petimus ut circunduci iubeatis, sin alias contradictio nostra his gestis inhæreat ut nouerimus quid apostolico uiro uniuersalis ecclesiæ papæ referre debeamus, ut ipse aut de suæ sedis iniuria, aut de canonum euersione possit ferre sententiam. hæc ibi. Item de eadem contradictione loquitur Leo papa tam in epistola quam

scribit Marciano Imperatori quàm in ea quam scribit Anatholio episcopo Constantinopolitano. unde sanctus Thom. de Aquino in q. de poenitentia quæst. decima arti. 4. de hoc memoriam faciens ita dicit. Etiam Romanus pontifex hæc sua auctoritate potest, cuius sola auctoritate synodus congregari po est, & a quo sententia synodi confirmatur, & ad ipsum a synodo appellatur, quæ omnia patent in gestis Calcedonensis concilii. hæc sanctus Thom.

Cap. XLVIII. In quo aduersariorum obiectiones ponuntur contra prædicta.

ADVERSVS conclusionem præfatam quamuis multis, & irrefragabilibus testimoniis roboratam aduersarii multa obiiciunt. Arg. primum Et primo quidem arguunt ex illo quod contineri affirmant in concilio secundo Calcedonen. quòd ab electa synodo non possit appellari. Secundũ Secundo ex concilio quodam Toletano ubi dicunt constitutum esse ut a sen- Tertium tentia synodi non appelletur. Tertio sic. a lege siue constituto Dei nullo modo est appellandum, sed canones sunt spiritu Dei æditi ut habetur in c. uiolatores 25. q. 1. ergo a canonibus, & per cõsequens a conciliis uniuersalibus Quartũ in quibus canones constituuntur non licet appellare. Quarto concilium uniuersale errare non potest ut præsupponitur. ergo ab eo appellari nõ potest. consequentia uidetur nota. Quintum Quinto sic. a papa non licet appellare, ut in c. cuncta 9. q. 3. ergo multo minus a concilio quod uniuersalem ecclesiã repræsentat. Sextum Sexto sic ex cap. a collatione li. 6. idem uidetur esse consistorium papæ, & concilii sicut episcopi, & capituli in quo episcopus, ut prælatus præsidet. ergo uidetur quòd a concilio ad papam appellare non liceat. Septimũ Septimo sic habetur, quòd a pretore non appellatur ad Imperatorem. ergo multo minus a concilio ad papam. consequentia uidetur manifesta. Et idem arguitur de senatu a cuius sententia non appellatur, ut. ff. a qui. appel. nõ li. Octauum & inducitur in ca. ecclesia 16. q. 1. Octauo ex concilio Aphricano Carthaginen. cui interfuisse dicitur beatus August. sic patres illius concilii scribunt Celestino papæ non debere appellationes a concilio suscipere subiungentes Nonum quòd ita statutum sit in concilio Niceno. Nono sic. Petrus accepit claues nomine ecclesiæ, ut in cap. quodcunque 24. q. 1. ergo uidetur quòd a concilio uniuersalem ecclesiam repræsentante nulli ad Petrum li- Decimũ ceat appellare. Decimo sic. ab illo iudicio appellare non licet ad quod ultimate Deus remisit iudicium omnium causarum dicens Petro Math. Vndecimum 16. Si peccauerit in te frater tuus &c. sequitur. Dic ecclesiæ. Vndecimo sic. ab illo iudicio non est licitum appellare quod relinquitur ultimum quasi examinans omnia alia. sed iudicium concilii uniuersalis est huiusmodi ut patet per August. in epistola ad Glorium & Eleusium. ergo &c. Duo- Duodecimum decimo sic: a minori siue inferiori ad superiorem iudicem est licitum appellare, sed concilium uniuersale est superior iudex, ut habetur ex concilio Constantiensi. ergo idem quod prius.

Cap. XLIX. In quo respondetur obiectionibus præfatis aduersariorum.

His

HIs non est difficile respondere, uerum pro clariore & breuiore responsione ad obiectiones præfatas, & pleniorem intelligentiam materiæ est notandum quòd de concilio uniuersali dupliciter possumus loqui, & ita de sententiis datis in eo. aut enim in concilio præsidet papa ut prælatus, & caput concilii per se aut per suos legatos, & ab eo & a concilio unanimi consensu emanant sententiæ, & loquendo hoc modo sit conclusio nostra prima ista, quòd nec a concilio ad papam nec a papa ad concilium est licitum appellare. Patet hæc conclusio, tum quia unum & idé est tribunal & consistorium & idem iudex, modo ab eodem ad eundem non est facienda appellatio per c.non putamus, de consue.lib.6. Tum secundo, quia nullus est superior iudex in terris ad quem appellatio deuolui posset. unde.ff.a qui.app.non li.l.1.dicitur quòd a principe, & senatu appellare non licet. Alio modo loqui possumus de concilio in quo Romanus pon. nec per se nec per suos præsidentes consentit in sententiis datis aut diffinitionibus per concilium. Et tunc sit ista conclusio nostra secunda, quòd in talibus sententiis aut diffinitionibus in quibus non interuenit consensus papæ qui ut sæpe repetitum est habet confirmare sententias, & gesta conciliorum licitum est appellare a concilio ad papam. hæc conclusio manifesta est ex gestis tam Ephesinæ synodi quàm Calcedonensis, ut uisum est in cap.præcedenti.his habitis dicendum est ad rationes in oppositum. Ad primam quæ sumitur de Calcedonensi concilio respondetur quòd Calcedonense concilium loquitur de concilio uniuersali iuxta primum modum: quoniam electa synodus dicitur quæ auctoritate Romani pon.fulcitur, & roboratur, & cuius auctoritate sententiæ eius sunt confirmatę. unde in Actione 6.eiusdem concilii habetur quòd in omnibus synodis Apocrisarii apostolici decretas sententias primo propter auctoritatem eiusdem sanctę sedis confirmabant, quia alias nullum robur habebant. unde etiam ut habetur ex decretis concilii Antiocheni perfectum concilium dicitur ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. Item ibidem illa dicitur plenaria synodus in qua etiam episcopus Metropolitanus interfuerit. Ita dicendum est de uniuersali quòd tantum tunc dicitur perfectum plenarium, & electũ quando in eius statutis auctoritate, & consensu interuenerit Romanus pontifi. qui est totius orbis antistes. Ad secundam rationem quæ sumitur de concilio Toletano respondetur pari modo quoniam constitutum illud concilii Toletani, ut ex eius uerbis manifeste habetur loquitur de his quæ fuerunt diffinitione descripta uniuersalis auctoritatis. manifestum est autem quòd non possunt dici descripta diffinitione uniuersalis auctoritatis quibus non interuenit assensus Romani ponti. qui totius orbis episcopus est, & in quo Deus totius ecclesiæ principatum posuit, ut sæpe dictum est. Ad tertiam quæ sumitur de ca.uiolatores, respondetur quòd proprie sunt canones constituta per uniuersalia concilia interueniente auctoritate Romani pon. quæ canonibus robur impartitur, & a talibus sententiis siue canonibus uniuersalis concilii non appellatur, sicut nec a papa, ut dictum est. Ad quartam quæ sumitur ex eo quòd concilium errare non possit, iam responsum est supra in ca.46.quòd præsuppositum hoc non est uniuersaliter uerum: quoniam aliqua concilia inueniuntur errasse. unde quia errat secunda synodus Ephesina appellatum est ab ea. Ad quintam quæ sumitur ex eo quòd a papa non appellatur &c. respondetur negando consequen-

Ad primũ

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

tiam: quoniam papa habet supremam potestatem in ecclesia, concilium uero tantam quantam papa indulget. unde nó est simile de papa & concilio, sicut etiam ex superioribus patet.

Ad sextū

Ad sextam ex ca. a collatione. respondetur sicut ad primum & secundum argumentum.

Ad septimum

Ad septimam quæ sumitur ex eo ꝙ a prætore non appellatur. respondetur simili modo, scilicet quòd a prætore qui speciali auctoritate imperatoris sententiat appellandum non est, sicut nec a concilii sententia quam Rom. pon. confirmat.

Ad octauum

Ad octauam quæ sumitur de concilio aphricano respondetur ꝙ nullo modo militat ad uersus propositum. quod patet ex multis. Primo enim ex hoc ꝙ concilium illud fuit prouinciale concilium, & multa uidetur dicere quæ non sunt uera, potissime id quod dicit de concilio Niceno: quoniam semper quicquid statuant de huiusmodi causis semper excipitur Romani pon. auctoritas. unde non est tante auctoritatis concilium illud ꝙ eius dicta necessario sint admittenda. Quod uero dicunt aliqui ꝙ beatus Augu. in hoc concilio se subscripsit, non est uerum, ut patet consideranti episcopus beati Augu. & illius Romani pon. cui illa synodus scribit. Secundo ratio non militat, quia concilium illud non dicit quòd papa non possit suscipere appellationes a concilio, quia sic dicendo falsum diceret, sed ꝙ non debeat faciliter, & indifferenter. & hoc uidetur satis rationabile, maxime quando appellatio non nisi ad fugiendū correctionem fieri uidetur, sicut uidebatur in casu illo in quo non modo sceleratissimus referebatur fuisse episcopus ille sed etiam cóuictus, & confessus dicebatur de criminibus de quibus erat accusatus. Tertio respondetur maxime ad rem quòd hoc aphricanum concilium quod in multis uisum fuerat prius præsumptuosum aduersus sedem apostolicá, postmodum uenit ad obedientiam, & reuerentiam debitam acceptans diffinitionem apostolicæ sedis, ut colligitur ex concilio 8. Constantinopolitano, ubi sic habetur. Inuenitur ergo aphricana synodus paruisse potius iudicio Zozimi papæ Romani, ac per hoc propriam reprobasse sententiam, & iustificasse Apiarium non restitisse uoto Romanorum pon. hæc ibi, quod plenius deducit papa Bonifacius in epistola quam Eulalio Alexandrino episcopo scribit de reconciliatione Carthaginensis ecclesiæ, & aliorum episcoporum, ubi ita dicit. Aurelius enim perfectus Carthaginen. ecclesiæ olim episcopus cum collegis suis instigante diabolo superbiæ temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacii atque Celestini contra Romanam ecclesiam cepit, sed uidens se modo peccatis Aurelii Eulalii a Romanæ ecclesiæ communione segregatum humilians recognouit se pacem, & communioné Romanæ ecclesiæ petens subscribendo una cū collegis suis damnauit apostolica auctoritate omnes scripturas quæ aduersus Romanæ ecclesiæ priuilegia factæ quocunque ingenio fuere. hæc ibi.

Ad nonū

Ad nonam quæ sumitur ex ca. quodcunque responsum est in 2. li. circa ca. 75. ubi in sententia dictū est quòd falsum sit quòd beatus Petrus claues accepit nomine ecclesiæ ad intellectum aduersariorum, nec hoc uult dicere ca. quodcunque sicut in superioribus demonstrauimus, & etiam colligitur ex glo.

Ad reliqua tria.

Ad decimam undecimam, & duodecimam respondetur simul quòd minor cuiuslibet illarū rationum est falsa, & ad probationes earum iam responsum est supra c. 56. ubi responsum est tam ad auctoritatem illam Math. 18. Dic ecclesiæ quàm ad epistolam Augu. & ad declarationem factam Constan. & plenius in 2. li. cap. 72. & 99.

Cap.

Cap. L. Quod uniuersale concilium in Roma.pon. uerum & indubitatum extra casum hæresis nullam habeat iurisdictionem.

EX his quæ de superioritate Romani pon. respectu uniuersalium conciliorum plene iam diximus facile est intelligere nullam iurisdictionem nullamq; facultatem habere uniuersale concilium supra papã uerum & indubitatum, etiam si deuiet a uitæ honestate, cum tamen nõ incidat in hæresim proprie dictam. Plane cum inferior superiorẽ ligare aut soluere siue iudicare non possit, & multipliciter sit demonstratum papam superiorem uniuersali concilio esse nulli relinquitur dubia præfata conclusio. unde apostoli sententia est ad Rom. 2. Tu quis es qui iudicas seruum alienum, suo enim domino aut stat aut cadit. uerum quia ista conclusio ex iam dictis clarissima habetur, & quia in li. 2. c. 93. quòd papa extra casum hæresis iudicem non haberet in terris sufficientissime rationibus, & auctoritatibus sanctorũ patrum sacrorum conciliorũ diffinitionibus sedis apostolicæ determinatione atq; clarissimorum doctorum sententia, & doctrina ostendimus respondentes etiam obiectionibus aduersariorum, reputamus superfluum plura ad hoc inducere, & ita breuitatis gratia ab ulterioribus abstinemus. Ex quibus satis aperte immo apertissime eliditur error, & temeritas Basileæ congregatorũ quæ sibi uicarium Christi, & locum eius tenentẽ in terris patrem omnium Christianorum pastorem gregis dominici, & ecclesiæ uniuersalis principem Romanum pon. uerum & indubitatum, & ita ab uniuersa ecclesia habitum. s. Eugenium sanctæ memorie citare suspendere ac deponere quantũ in eis fuit præsumpserunt. Audacia plane impia & præsumptio diabolica nullis anterioribus seculis attentata quæ sane ampliora futuris tẽporibus nocitura generasset scandala nisi omnipotens Deus qui nauis ecclesiæ est certissimus gubernator ecclesiam suam ab huiusmodi tempestatibus, & turbidis fluctibus seruasset illæsam, Christianorum principum aliorumq; fidelium mentibus inspirando ut Basiliensium præsumptionibus nec fides nec locus daretur. unde etiã factum est ut cito eorum memoria sicut fumus euanesceret, & hoc ideo: quoniam sicut beatus Amb. in quodam sermone tractans illud Proue. 30. Tria sunt mihi difficilia, inter quæ ponitur semitas scire nauis nauigantis dicit nauis ecclesię, & si undarũ fluctibus atq; procellis sæpe uexetur tamẽ nunquã põt sustinere naufragiũ, quia in arbore eius. s. cruce Christus erigitur, in puppe pater residet gubernator, prorã paraclitus seruat spiritus, hãc per angusta huius mũdi freta duodecim remiges ducũt duodecim apostoli, & similis numerus patriarcharũ.

Cap. LI. Quod Rom. pon. legibus, & statutis uniuersalium conciliorum nec legatur nec necessario subiicitur.

SANE plene considerantibus quæ in superioribus parum ante tam de superioritate Romani pon. supra totam ecclesiam quàm de uniuersalium conciliorum auctoritatis dependentia a Romano pontifi. quam rationibus auctoritatibus, & exemplis firmiter stabiliuimus luce claris-

ſima patet quòd Romanus pon.nec ligatur nec ſubiicitur neceſſitate quorumcunque conciliorum, non tantum patriarchalium, quia de iſtis nunquã fuit dubium, ſed etiam nec uniuerſalium, ſtatutis legibus aut canonibus quæ ſub iuris poſitiui genere comprehenduntur. Primo quidem ex ſuperioritate qua Romanus pon.ſuperior eſt & primatum habet uniuerſalis eccleſiæ arguendo præfata concluſio patet.ait enim Nicolaus papa in ca. inferior diſtinct.21.Non poteſt iudicio inferiori potiorem ligare. unde propheta ait.Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea aut exaltabitur ſerra contra eum qui trahit eam. his itaque ex diuina ſcriptura cõmemoratis ſole clarius exhibuimus non poſſe quenquam qui minoris auctoritatis eſt eum qui maioris poteſtatis eſt iudicijs ſuis adiicere, aut proprijs diffinitionibus ſubiugare.hæc ille. Secundo idem patet ex eo quòd a Romano pon.ut ſuperius extitit monſtratum canonum conciliorum dependet auctoritas, alienum profecto eſt a ratione ut quis legibus illis alligetur coactus qui legibus ipſis,& uim & auctoritatem impartitur. unde iuriſperitus ait. Princeps ſolutus eſt legibus quantum, ſcilicet ad uim coactiuam. unde ſan.Tho.in 2.2.quæſt.96.ar.6.quærens an princeps ſubiiciatur legibus reſpondens dicit, quòd princeps eſt ſolutus legibus quantum ad uim coactiuam,& ſubdens rationem inquit.Quia nullus cogitur proprie a ſeipſo, lex autem non habet uim coactiuam niſi a principis poteſtate, licet quo ad uim directiuam, princeps ſubiectus ſit legi propria uoluntate, prout infra dicetur. Cum ergo Romanus pon.princeps eccleſiæ ſit nullis eccleſiæ legibus ligatur coactus ſiue tenetur obnoxius, notanter dicimus eccleſię, quia aliud eſt de legibus iuris diuini aut naturalis. Tertio ſic: eadem concluſio aperte demonſtratur ex ca.ſignificaſti, extra de elect.ubi dicitur ꝙ concilia per Romanæ eccleſiæ auctoritatem facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani pon.patenter excipiatur auctoritas glo.Hoſti. tanquam ſuperior 9.quæſt.3.cuncta per mundum. ergo inferior non poteſt ei legem imponere infra de ma.& obe.cum inferior.hæc Hoſti.Quarto eadem concluſio apertiſſime colligitur ex cap.innotuit de elect.ubi Inno.3. apertiſſime declarat quòd canon uniuerſalis concilii etiam confirmatus per papam non ligat eum ſic dicens. Quamuis autem canon lateranen. concilii ab Alexandro papa prædeceſſore noſtro æditus qui illegitime natos adeo perſequebatur quòd electionem talium innuit nullam eſſe, nobis tamen per eum adempta non fuit diſpenſandi facultas cum ea non fuerit prohibentis intentio qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari poſt eum immo eadem poteſtate functuris, cum nõ habeat imperium par in parem.hæc ille.Ex quibus uerbis patet etiam manifeſte quòd poteſtas papæ,& concilii ſimul non eſt maior poteſtate papę, ſecundo quòd tota poteſtas conſtituendi aliquid in concilio a papa dependet immediate. Quinto eadem concluſio luce clariſſima colligitur ex.§.his itaque reſpondetur 25.q.ubi Gratianus uolens iura iuribus concordare quæ in hac parte diſſonare uidebantur dicit ſic:his itaque reſpondetur, ſacroſanctam Romana eccleſia ius,& auctoritatem ſacris canonibus impartitur ſed eis non alligatur.habet enim ius condendi canones, utpute quę cardo eſt & caput omnium eccleſiarum a cuius regula nemini diſſentire licet ita ergo canonibus auctoritatem præſtat ut ſeipſam ſibi non ſubiiciat, ſicut Chriſtus qui legem dedit ipſam legem carnaliter impleuit octauo die

circuncisus

circuncisus quadragesimo die cum hostiis in templo est præsentatus ut in se ipso eam sanctificaret, postea uero ut se dominum legis comprobaret contra litteram legis leprosum tangendo sanauit apostolos quoque contra legem sabbati per sata prætergredientes spicas uellentes, & confricantes manibus suis, &c. & infra hinc de eo dicitur. Erat Ioannes docens tanquam potestatem habens, id est tanquam dominus legis addens moralibus ea quæ deerant ad perfectionem umbram figuralium in lucem spiritualis intelligentie commutans, non tanquam scribe eorum qui littera legis astricti non audebant aliquid addere uel commutare, sicut & summæ sedis pontifices canonibus siue a se siue ab aliis sua auctoritate conditis reuerentiam exhibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt ut aliis obseruandos exhibeant, nonnunquam uero seu iubendo siue diffiniendo siue discernendo seu aliter agendo se decretorum dominos, & conditores ostendunt. In præmissis, ergo capitulis aliis imponitur necessitas obsequendi, pontificibus summis ostenditur inesse auctoritas imperandi, ut a se tradita obseruando aliis non condemnanda demonstrent exemplo Christi qui sacramenta quæ ecclesiæ seruanda mandauit primum in seipso suscepit ut ea in seipso sanctificaret. Oportet ergo primam sedem ut diximus obseruare ea quæ decernendo mandauit non necessitate obsequendi sed auctoritate impartiendi, licet itaque sibi contra generalia statuta decreta specialia priuilegia indulgere, & speciali beneficio concedere, quod generali prohibetur decreto. Sacri siquidem canones ita aliquid constituunt ut suæ interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ reseruent. ipsi nanq; soli canones ualent interprætari qui ius condendi eos habent. unde in nonnullis capitulis conciliorum cum aliquid obseruandum decernitur statim subinfertur, nisi auctoritas Romanæ ecclesiæ aliter imperauerit. hæc ibi Finaliter patet ergo quòd papa de necessitate non subiicitur canonibus aut statutis conciliorum, uerum licet ita sit, de honestate tamen tenetur ista obseruare, tum secundum iam dicta ut aliis det exemplum obseruandi secundum illud Act. 1. Cepit Ioannes facere, & docere. Tum ut habetur de constit. cap. cum. omnes, quod quisque iuris in alterum statuit ipse debet uti eo. Et sapientis dicat auctoritas. Patere legem quam ipse tuleris hoc etiam habetur in cap. confidimus 25. quæst. prima ubi dicitur. Confidimus quod nullus iam ueraciter Christianus ignoret uniuscuiusque synodi constitutum quod uniuersalis ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere quam primam. ubi super uerbo oportere dicit glossa sic: oportet est hic uerbum honestatis, addit Archidi. & æquitatis. Et itaque patet quòd papa non necessitate licet bene honestate canones obseruare teneatur. Canones dicimus quæ ipsa sedes apostolica confirmauit.

Cap. LII. Quod uniuersale concilium non possit facere contra Romanum pontifi. decretum irritans.

LVCE clarius ex præmissis confunditur error nouellorum magistrorum aduersariorum apostolicæ sedis qui per prælatos ecclesiæ synodaliter congregatos posse asserunt poni contra Romanum pon-

decretum irritans, & decreta detrahentia conſtitutionibus papalibus,& licet ut diximus clariſſimum ſit eos in hoc errare, ut ex prædictis,tamen aliqua modica commemorando ſic breuiter oſtendimus. Primo concilia uniuerſalia non poſſunt præfigere legem Romano pon.ergo uniuerſalia concilia non poſſunt contra Romanum ponti. decretum irritans condere ſiue facere.conſequentia eſt manifeſta . antecedens patet ex ca.ſignificaſti,extra de elect.& habetur in ſuperiori cap. Secundo ſic.contra ordinem naturalis rationis eſt quòd inferior poſſit annullare aut irritare leges ſuperiores,ſed papa eſt ſuperior auctoritate conciliis uniuerſalibus , ſicut caput corpore ſuo.ergo concilia uniuerſalia nullo modo annullare aut irritare poſſunt facta aut inſtituta Romani pon.conſequentia eſt bona maior etiam patet & colligitur ex ca.inferior diſt.21. minor eſt ſuperius multipliciter probata. Tertio ſic:papa habet ſupremam poteſtatem in eccleſia Dei:ergo ſequitur quòd nulla poteſtas eccleſiaſtica poteſt facta papalia ſiue decreta irritare ſiue annullare.conſequentia eſt manifeſta.antecedens etiam eſt notum ex articulo concilii Conſtantien. ut ſupra induximus,& colligitur etiá ex ca.patet 9.q.3.Quarto ſic:quicquid auctoritatis habent concilia uniuerſalia inſtituendo canones eſt a Romano ponti. ergo ſequitur ꝙ uniuerſalia concilia uniuerſalia nullo modo poſſunt irritare aut annullare decreta aut facta Romani pon.ſicut nec ſtellæ extinguere lumen ſolis a quo illuminationem ſuſcipiunt. conſequentia patet.& antecedens probatum eſt tam in præcedenti cap.quam in ſuperioribus. Ex quibus & aliis ſuperius habitis aperte confutantur multa ſomnia,& errores magiſtrorum nouellorum Baſilien.circa poteſtatem conciliorum ſuorum. Sed de hac materia hic ſufficiat: quoniam ſuper hoc tractatum alias cum Baſileæ eſſemus edidimus copioſum qui de decreto irritante intitulatur contra præſumentes ibi contra Romanum pontifi. in prouiſionibus eccleſiarum irritans decretum apponere.

Cap. LIII. Quod ad Romanum pon.pertineat canonum ſacrorum interprætatio.

ET ſi facile ſit intelligere ex ſuperioribus iam enucleatis de principatu Romani pon. reſpectu uniuerſalium conciliorum quòd ad Ro. pon.utputa ad principem Reip.Chriſtianæ maxime ſpectet legum eccleſiæ ſiue ſacrorum canonum interprætatio atque declaratio cuiuſcunque ambiguitatis quæ de uniuerſalibus conciliis naſceretur , nihilominus ut clarius id fiat aliqua ad hæc inducemus . In quorum primis notandum occurrit quid ſit interprætari. ſecundo quot ſunt genera interprætationis. Interprætari legem ſiue pręceptum legis eſt dare rationabilem intellectũ ſiue ſenſum præcipientis,& præcepti ſiue legislatoris in lege quam condidit. Genera uero interprætationis ſunt duo ad præſens , quoddam.ſ.magiſtrale,cum per inueſtigationem rationis quæritur intellectus canonis ſiue legis aut præcepti,& hanc poteſt facere quilibet doctus, & hoc in manifeſtis,id eſt in his quæ ratione probari poſſunt,ſicut doctores interprætantur quòd pręceptum eccleſię de ieiunio non obligat pueros aut notabiliter debiles aut grauiter laborantes , ſiue etiam eos qui tanta penuria fatigantur ut non poſſint unam refectionem ſufficientem habere.hæc autem interprætatio

tatio dicitur probabilis non necessaria. Vnde ei non statur de necessitate, nisi quantum ratione demonstratur ei standum fore. De hac magistrali interprætatione habetur C.de professo.qui in ur. Constan.lib.1.li.12.& talis interprætatio dicitur magistralis quò ad alios, sed quò ad seipsum epycheya quæ legem interprætatur ut eam nõ sequatur in casu in quo apparet eam esse contra mentẽ legislatoris,de quo Arist.tractat quinto Eth.Respectu etiam sacræ scripturæ,ut diximus in 2.lib.est interprætatio etiam quædam magistralis qua doctores sacræ scripturæ inuestigatione rationis ex aliis sacræ scripturæ locis arguentes interprætantur talem uel talem esse sensum sacræ scripturæ in tali uel tali loco,sicut cõmuniter fit per expositores sacræ scripturæ,de quibus uidetur 2.Esdre 8.ubi scribę dicuntur interprætantes legem in populo. Hæc autem magistralis interprætatio non habet necessitatem.s.q̃ liget sed bene probabilitatem,nec ei statur nisi quãtum ratione ostenditur q̃ talis sit de mente spiritus sancti scripturam sanctam dictantis,secundũ illud prophetæ. Lingua mea calamus scribę uelociter scribentis gl.1.spiritus sancti,iuxta illud 2.Petri 1.spiritu sancto locuti sunt homines Dei,& ideo ut habetur in ca. hæresis 24.q.3.quicunq; aliter scripturam sanctam intelligit quàm sensus spiritus sancti efflagitat a quo scriptura est,licet ab ecclesia non recesserit tamen hereticus appellari põt. Secundum genus interpræstationis est auctoritatiuũ cui statur non ratione aliqua assignata sed auctoritate interpræstantis.unde talis interpretatio uocatur necessaria,necessitat.n.siue obligat ad tenendum sensum datũ per eũ. & hoc modo legem interpræstari non est cuiuslibet,sed aut condentis(quia eius est interpræstari cuius est condere.ff. de legi.cũ de consuetudine) aut paris.dicitur aũt hic par qui in dignitate succedit qui ideo habet auctoritatẽ interpræstandi legem prædecessorum quia & tollendi,quia par in parẽ imperium non habet.Non aũt dicitur hic par qui habet similem dignitatẽ sed non eandem.nam statutum unius episcopi alius alterius diocesis nõ habet interpræstari nec falcem suam mittere in messem alienam. Aut interpræstari est superioris.s.qui potest regulare particularem personã aut etiã collegiũ.Superior etiam hic dicitur qui iudex est inter aliquos inter quos interpræstatur legem.ff.de legi. nam ut ait interpræstationi eius in iudicio prolatæ partes stare tenentur nisi appellauerint.Conuenit etiam interpræstari inferiori ex commissione superiorum sicut legato. unde legatus papæ interpræstatur rescriptum papæ,extra de postu. præla.cap.1.circa medium,& extra de sequestra. ad hoc. Quibus notatis ponuntur duæ conclusiones.Prima q̃ ad Romanum pon.maxime pertinet declaratio cuiusuis ambiguitatis quæ de uniuersalibus conciliis oritur. Ista conclusio patet auctoritate beatissimi Grego.qui in cap.nec licuit dist.17.ita ait. Quotiens aliqua de uniuersali synodo aliquibus dubitatio nascitur ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem ad apostolicam sedem pro percipienda ratione conueniant. aut forte sicut de talibus scriptum est, peccator cum uenerit in profundum malorum ita obstinari, & contumaces extiterint ut doceri nõ uelint eos ab eisdem apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est aut ne aliorum perditio esse possint secundum canones per seculares comprimi potestates. hec Greg. ubi notandũ est uerbum de uniuersali synodo,non dicit de patriarchali contra quosdam aduersarios dicentes Ro.pon.tantum concilii sui patriarchalis non autẽ uniuersalis Cóclusio prima

uersalis dubia declarare possit. Secunda conclusio. canonum interprætatio maxime conuenit Romano pon. Quæ conclusio ratione probatur sic. Romani pon. auctoritate canones sunt constituti ut parum ante satis copiose demonstratum est in cap. 32. ergo ad ipsum Romanum pon. spectat illorum interpræta tio. consequentia patet, cum eius sit interpræstari (ut dictum est) cuius est condere. & unde ius prodit, ab eo interpræstatio requirenda est, ut extra de sen. ex. inter. Hoc etiam apertissime roboratur primo ex. §. ex his in cap. sicut enim 11. q. 1. ubi sic dicitur. Sicut enim solus ille habet ius interpræstandi canones qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus ciuilium legum debet esse interpres qui eis ius, & auctoritatem impartitur. Præterea conclusio patet ex cap. ideo 25. q. 1 §. his. ubi dicitur. Sacri quidem canones ita aliquid constituunt, ut suæ interpræta tionis auctoritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ reseruent, & rationem subiungens ait. Ipsi nanque soli canones ualent interpræstari qui ius condendi eos habent. De hac autem auctoritate Romani pon. ita testatur sanctus Tho. in q. de poten. q. 10. arti. 4. dicens, quod sicut posterior synodus potestatem habet interpræstandi symbolum a priori synodo conditam ac ponendi aliqua ad eius explanationem. ita Ro. pon. hoc sua auctoritate potest & a quo sententia synodi confirmatur, & ad ipsum a synodo appellatur quæ omnia patent ex gestis calcedonen. synodi, nec est necessarium quòd ad eius expositionem faciendam uniuersale conciliũ congreget. cum quandoque id fieri prohibeat bellorum discidia, sicut in 6. synodo legitur quod Constantinus Augustus dixit quod propter imminentia bella uniuersaliter episcopos congregare non potuit, sed tantum illi qui conuenerunt quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam agaptonis papæ determinauerunt, scilicet quòd in Christo sunt duæ uoluntates, & duæ Actiones. Et similiter patres in Calcedonen. synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis papæ qui determinauit Christum esse in duabus naturis post incarnationem. hæc san. Tho. & hæc de præsenti ca. quia de interpræstatione dubiorum in lege Dei siue in sacra scriptura qualiter Romano pontifi. maxime competat in a. libro cap. 107. enucleauimus.

Cap. LIIII. Quod ad Romanum pon. maxime spectet tam dispensatio sacrorum canonum quàm regularum sanctorum patrum moderatio.

SANE quemadmodum ad Romanum pontifi. ratione sui principatus pertinere diximus sacros canones interpræstari, ita eadem ratione illi potissime conuenit dispensatio sacrorum canonum etiam uniuersalium conciliorum ac regularum sanctorum patrum moderatio, quod & si satis aperte ex prædictis habeatur, nihilominus ad maiorem notitiam illud aliquibus rationibus probare curabimus. Præsupponimus imprimis pro fundamento dicendorum quòd in qualibet Repu. necessario debet esse aliqua potestas dispensandi in legibus suis quæ cum institute sint ad regulandum humanos actus qui multam suscipiunt uarietatem non possunt semper inpermutabiles permanere, hinc Aristo. 7. Ethy. arguit necessitatem ponendi in principe uirtutem epycheyam quam æquitatem siue moderamen nos dicimus, cuius uirtutis officium est in quibus legis obser-

nantia Reipub. utilitati cognoscitur non expedire prætermissis uerbis legis sequi quod ratio uel communis utilitas deposcit. unde nisi talis auctoritas dispensandi in legibus, & statutis Reipu. daretur multa quæ ordinata fuerunt ad utilitatem, & pacem fidelium uergerent in damnum, & perturbationem totius Reip. Hinc dicitur in cap. regula dist. 9. quòd regulæ sanctorum patrum pro uarietate temporum & locorum temperantur. Quo habito dicimus quòd cum dispensatio ut communiter dicitur sit relaxatio iuris communis siue amotio obligationis a præcepto, dispensatio legis non uidetur alicui competere sicut de interprætatione diximus nisi ad legislatorem uel parem uel superiorem aut ad aliquem alium ex superioris commissione, hoc est manifestum sed Rom. pon. est princeps, & actor canonum utpote cuius auctoritate condite sunt ac robur accipiunt, ut ostendimus supra, estq; omnibus superior. ergo ad ipsum solum maxime pertinebit auctoritate propria in canonibus dispensare. Secundo sic. ad illum precipue & singulariter spectat dispensatio in legibus Reip. prout temporum, & personarum conditio exigit apud quem residet auctoritas publica, sed huiusmodi in Repu. Christiana est Rom. pon. siue apostolica sedes in qua dominus totius ecclesiæ principatum dicitur collocasse. ergo sequitur quòd ad apostolicam sedem spectabit singulariter, & maxime dispensatio canonum siue regularum sanctorum patrum. Hoc etenim confirmat beatus Bernardus qui ad Eugenium scribens Romanum pon. nominat patrem regum legum moderatorem sal terre orbis lumen sacerdotem altissimi, de qua auctoritate Romani pon. in canonibus dispensandis siue moderandis illustre testimonium dat dominus Archiepiscopus remen. lib. de synodis cap. 39. ita dicens. Facultatem temperandorum siue mutandorum canonũ Romano pon. potissimum adiacere non dubitamus ut sancti patres docuerunt. nam beatus Gelasius, & Nicolaus papa primus in decretis eorum Symachus uero in generali synodo diuerso quidem tempore sed eadem uoce de Romani pon. auctoritate ita protestati sunt. Necessaria inquiunt rerum dispositione constringimur, & apostolicæ sedis moderamine conuenimur sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum prædecessorũq; nostrorum præcepta metiri ut quæ præsentium necessitas temporum in restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit adhibita consideratione diligenti quantum potest fieri temperemus. habetur 1. q. 7. c. necessaria. Ne mireris si Romani pon. hanc peculiariter habuerunt potestatem, ut canones pro tempore dispensarent, ipsi enim sunt auctores canonum, & illa sedes semper hoc priuilegium habuit ut ligatum, & solutũ sit quicquid ipsa ligauerit & soluerit. unde iuxta attestationem sanctorum patrum omnibus ecclesiis præeminet, & de omnibus iudicare potest. hæc ille. De necessitate uero ponendi hanc potestatem in Romano pon. idem doctor in eodem ca. ita dicit. Nequaquã aũt ecclesiastica disciplina consistere posset si non præsul apostolicus illam auctoritatẽ haberet de canonibus qua supra retulimus, nam præcedentium patrum statuta ecclesiasticam disciplinã aliquando non tam instituerent quàm confunderent si nulla ratione a successoribus eorũ mutari possent cum tamen necessitas temporis nunc minus nunc seuerius incedendum persuaderet quod illum non latebit qui præcedentiũ patrum, & subsequentiũ statuta diligenter inuestigare curauerit. Nempe si beatus Pelagius numerum annorum quos sui antecessores singulis gradibus præce-

perunt minuere non posset penuriæ clericorum sui temporis per presbyteros ex laicis infra annum maturatos nullo modo succurrisset. Item si moderni pontifices antiquorum rigorem canonum per lapsos sacerdotes remittere nequiuissent ipsa Christiana religio destituta sacerdotali officio penitus stare non posset cum iam pœnæ nulli sacerdotes nisi criminaliter lapsi reperiantur quos antiqui canones deposuisse leguntur. hæc ille, & tangitur in ca. requisitis 1.q.7. Est ergo priuilegium apostolicæ sedis ut iudex sit canonum & decretorum ut pro temporis conditione, & rerum necessitate nunc intendat nunc remittat prout necessitati, & utilitati ecclesiæ expedire prospexerit, huius sententiæ est beatus Thom. tam in 2.2. quam in quotlibetis quam etiam in tractatu contra impugnantes religionem dicens, omnia statuta sanctorum patrum quæ sunt iuris positiui sunt relicta dispositioni papæ ut a possit mutare uel dispensare secundum opportunitas temporum uel negociorum. Vbi pro ampliori declaratione huius cap. est notandum quòd duplex est genus canonum uel regularum aut decretorum sanctorum patrum ut sanctus Thom. innuit quotlibeto 4.ar.14. Est unum genus canonum qui instituti sunt iure diuino sicut pertinentia ad articulos fidei ad substantiam sacramentorum aut quæ manifestam habent connexionem ad legem diuinam siue naturalem pertinentia ad bonos mores, & in talibus papa dispensare non potest. Et ratio huius est secundũ sanctũ Tho. quia ista habent efficaciam ex institutione diuina de quibus uenit intelligendum quòd papa Zozimus in ca. contra 25.q.1. ait. Contra statuta sanctorum patrum condere aliquid uel mutare nec huius quidem sedis potest auctoritas. Secundum genus canonum siue decretorum est eorũ quæ instituerunt patres de iure positiuo. licet enim canones a sanctis patribus unanimiter instituti dicantur conditi a spiritusancto non tamen omnes dicuntur pertinere aut ad legem naturæ aut ad legem diuinam, sed aliqui dicuntur pertinere ad ius humanum siue positiuum, sicut licet omnis ueritas a quocunque dicatur ut ait Ambr. a spiritusancto est non tamen omnis ueritas pertinet ad ius diuinum sed erit alterius inferioris generis aut ordinis, uidelicet aut legalis aut canonici aut facultatis medicinalis, & sic de aliis, & de hoc genere canonum loquentes dicimus iuxta iam dicta quòd Romanus pon. potest dispensare in eis a quocunque sint æditi etiam ab apostolis, ut dicit sanctus Thom. in tractatu supra nominato, hoc duplex genus canonum aut statutorum sanctorum patrum tangit Leo papa in c. sicut sunt dist. 14. ita dicens. Sicut sunt quędam quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum aut pro conditione ætatum oportet temperari. Ex quibus confutatur aduersariorũ quorundam error dicentium Romanum pon. non habere potestatem in canonibus conciliorum uniuersalium.

Cap. LV. Quod Rom. pon. habet auctoritatem tollendi statuta aliqua tam sacrorum conciliorum quàm prædecessorum suorum.

SI quis bene perscrutetur principatum Romani ponti. reperiet quòd Ro. pon. non solum auctoritatem in canonibus sacrorum conciliorum etiam uniuersalium, & decretis suorum prędecessorum dispensandi habeat,

beat, uerum etiam tollendi aut reuocandi aut mutandi prout temporũ aut causarum necessitas exposcerit. Pro quo notandum circa intelligentiam aliquorum terminorum iuxta dominum Petrum de palude in 3. sententiarum, quòd dispensatio, & reuocatio in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Conueniunt autem in hoc ꝙ tam dispensatio quàm reuocatio important amotionem ad obligationem præcepti. Sed differunt in hoc ꝙ dispensatio importat amotioné præcepti in casu, & quò ad aliquem uel aliquos, non autem quò ad omnes, sed reuocatio absolute importat amotionem obligationis quò ad omnes. Amota autem obligatione siue quò ad aliquem specialiter per dispensationem, siue quò ad omnes generaliter per reuocationem efficitur licitum quod prius, erat illicitum, & sic sunt tria circa præceptum siue legem aut canonem. Primum est interprætatio quæ non tollit obligationem aliquam, sed declarat solum intentionem præcipientis uel præcepti. Secundum est dispensatio quæ tollit obligationem quò ad aliquos uel aliquem solum, sicut si dispensaretur cum aliquo quòd non ieiunaret in quadragesima. Tertium est reuocatio quæ tollit obligationem simpliciter quò ad omnes, sicut si papa reuocaret ieiunium quadragesimæ nullus obligaretur ad ieiunium illud. In superioribus duobus capitulis ostẽdimus quòd Rom. pon. prærogatiua primatus sui poterat tam interprætari dubia quæ in canonibus conciliorum sacrorum orirentur quàm dispensare in illis, nunc restat ostendere quàm etiam possit tam canones uniuersaliũ conciliorum quàm decreta suorum prædecessorum aliquando pro temporum, & causarum necessitate reuocare tollere atque mutare, licet non uniuersaliter, quod nos triplici uia ostendemus, uidelicet auctoritatibus rationibus, & exemplis. Auctoritate primo uidetur colligi ex cap. non debet, de consang. & affi. ubi sic dicit papa Inno. 4. Non debet repræhensibile iudicari si secundum uarietates statuta uarientur humana. Et idem extra de sen. exc. c. alma. Præterea auctoritate Aymari archiepiscopi Remen. de quo supra in libro de synodis idem patet dicentis sic ut supra extitit allegatum in præcedenti cap. Temperandorum siue mutandorum canonum facultaté Romano pon. adiacere non dubitamus. Item ad idem est auctoritas beati Thom. qui in tractatu suo contra impugnantes religionem ita inquit, ut in ca. præcedenti inductum est. Omnia statuta quæ sunt iuris positiui sunt relicta dispositioni papæ ut ea possit mutare uel dispensare secundum opportunitates temporum uel negociorum. Secunda uia. s. rationibus hoc idem ostenditur sic. Eiusdem est destruere amouere & abrogare cuius est condere, ut habetur C. de legi. li. 1. de in integ. rest. cum uenisset, sed papæ auctoritate conduntur canones conciliorum, ut supra probatũ est. ergo apud illum erit facultas illos amouendi si necessitas ecclesiæ aut utilitas exposcerit. Item secundo: sic par in parem imperium non habet, sed tantũ potestatis habet unus papa sicut alius. ergo constitutio unius non artat alium quin possit illam tollere, & reuocare si uoluerit. Tertio sic: sicut se habet Imperator ad imperatorem ita papa ad papam, sed imperator pót tollere determinata per alium Imperatoré aut contra ea facere. ergo & papa tollere poterit instituta suorum prędecessorum. Ratio auté quare hoc rationabiliter pót facere licet statuta suorum prædecessorum fuerint rationabiliter ordinata est iuxta dicta in superiori ca. quia bonum ut inquit Diony. cõstat ex omni parte, ita ꝙ defectus unius circunstantiæ debite messe statim po-

nitrationem mali,& ideo secundum philosophum 2.Ethy. Virtus cõsistit in medio secundum quòd sapiens determinabit, & quia aliud expedit uni uno tempore quàm alio,& sic de aliis circunstantiis. Omni enim negocio tempus est & oportunitas. Ecclesiastes 8.ideo frequenter ea quæ rationabiliter fuerunt facta, reuocantur,maxime in agibilibus , in quibus non potest haberi firma stabilitas nec infallibilis certitudo. Tertia uia.s.exemplis ostenditur,primo exemplo sacræ scripturæ constat quòd dominus mandauit exaltari serpentem Eneum in deserto ut in eum aspicientes sanarentur a morsibus serpentum , sicut patet Numeri 21.quem tamen rex Ezechias confregit,sicut patet 4.Regum 14.quia filii Israel sibi adolebāt incensum. Ex quo patet quòd id quod ex præcepto domini rationabiliter ordinatum fuit,postea eiusdem instinctu rationabilius reuocatur,quia frequēter quod uno tempore fuit expediens alio tempore nociuum reperitur. Item exemplum habemus etiam sacræ scripturæ de Rege Artaxerxe qui reuocans litteras quas ad suggestionem principis Aman dederat ut tota gens Iudæorum deleretur ait sic.Nec putare debetis si diuersa subeamus ex animi nostri uestire leuitate sed pro qualitate, & necessitate temporum ut Reipub. poscit utilitas sententiam ferre. Hester.16.Tertio patet exemplo,& magis ad propositum ex canone 6.synodi, qui canon uult, quòd subdyaconus non minor 20.annorum ordinetur in cap.subdyaconus distinct.77 . Item ex canone Carthaginen.concilii,qui uult in cap.placuit eadem di. quòd nullus ante 27.annos ordinetur dyaconus. Ad idem est canon Agaten.in cap. episcopus,eadem di.Ad idem canon quarti concilii Toletani in cap.in ueteri lege ea.dist.& nihilominus Ro.pon.omnes illos sustulit,ut patet in clementina generalem de eta.& qua.ubi glo.dicit sic, hic corrigit canones 77.dist. peruenit 78.distinct.cap.1.2.3.& ultim.& 28.dist.cap. de his in quibus dicitur quòd habens 20.annos subdyaconus 27.dyaconus 30.præsbyter poterit fieri,& hæc ibi.

Cap. LVI. In quo obiicitur per aduersarios contra prædicta.

EGRE multum ferentes aduersarii quòd Romanus pon.mutare, & tollere possit canones sacrorum conciliorum multipliciter nituntur arguere in contrarium. Primo ex cap. in istis dist.4.ubi inquit August. In istis temporalibus legibus quanquam de his homines iudicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint institute non licebit iudici de ipsis iudicare sed secundum ipsas. Ex hoc arguitur ex aduerso quòd papa non possit mutare canones aut tollere sed necessario secundum eos iudicare. Secundo arguitur ex ca. sicut 17.dist.ubi beatus Grego. ita inquit. Sicut euangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere, & uenerari me fateor, & infra. cunctas uero personas quas præfata ueneranda concilia respuunt respuo, & quæ uenerantur amplector, quia dum uniuersali consensu sunt constituta se & non illa destruit quisquis præsumit absoluere quos ligant,aut ligare quos absoluunt. Ex hoc arguunt aduersarii quòd Romanus pon. non possit mutare statuta conciliorum uniuersalium,quia eadē ratio quæ currit de istis uidetur currere de omnibus aliis. Tertio arguitur ex cap. sancta octo uniuersalia concilia distinct.16.ubi enume-

(margin: Arg. primum; Secundū; Tertium)

enumeratis octo uniuersalibus conciliis sic sequitur in professione Romani pon. usque ad unum apicem immutilata seruare, & pari honore & ueneratione haberi, & quæ prædicauerunt & statuerūt modis omnibus sequi, & quæcunque damnauerunt ore & corde damnasse profiteor. Ex isto aduersarii arguunt id quod prius maxime, quia non uidetur quòd papa ire uellet contra suam professionem. Quarto arguitur ex. §. hoc autem intelligendum est dist. 19. ubi sic dicit Gratianus. Hoc autem intelligendum est de his sanctionibus, uel decretalibus epistolis in quibus nec præcedentium patrū decretis, nec euangelicis aliquid contrarium inuenitur. Ex hoc arguunt aduersarii quòd Romanus pont. præcedentium patrum decreta tollere non possit, & per consequens nec canones uniuersalium conciliorum. Quinto ex c. sunt quidam 25. q. 1. ubi Vrbanus papa inquit quòd ubi aperte dominus uel eius apostoli & omnes sequentes patres sententialiter diffinierunt ibi non nouam legem Rom. pont. potest dare sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Sexto inducitur c. sequens ubi zozimus papa ita inquit. Contra statuta patrum condere aliquid uel mutare, nec huiusmodi quidem sedis potest auctoritas, apud nos enim inconuulsa radicibus uiuit antiquitas cui decreta patrum sanxerunt reuerentiam. Item septimo arguitur ex illo Leonis primi qui in octauo concilio tuba euangelicæ ueritatis legitur nominatus ad Martianū Imperatorem de canonibus Nicenis scribens dicit quòd nulla possunt improbitate conuelli nulla nouitate uiolari. & addit, in quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseuerantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est & ad meum rendit reatum si paternarum regulæ sanctionum, quæ spiritu Dei spirante sunt condite meq; (quod absit) conniuente uiolentur. Octauo arguitur ex c. uiolatores 25. q. 1. ubi Damasus papa dicit. Violatores canonum & uoluntariæ grauiter a sanctis patribus iudicantur & a sancto spiritu instinctu cuius ac dono dictati sunt damnantur. Ex quo uidetur nono formari talis ratio, inferior non potest tollere aut dispensare in lege superioris. ergo nec papa in canonibus cum sint a spiritusancto editi. consequentia patet. Decimo arguitur, canon est regula regiminis ad ædificationem ecclesiæ secundum quam architectus regere & operari habet ac uti potestate sua si bene uult operari, sed uidetur quòd huiusmodi regulæ debent esse immobiles etiam inuariabiles sicut principia in speculabilibus. ergo papa qui architectus est in ædificando construendo & gubernando ecclesiam nihil potest immutare circa canones. quod confirmatur per illud Hormisde papæ in ca. prima salus est 25. 1. q ite dicentis. Prima salus est recte fidei regulam custodire & a constitutis patrum nullatenus deuiare. Vndecimo, si papa ratione principatus siue primatus potest tollere leges & instituta inferiorum, sequitur quòd cum Petrus fuerit superior omnibus apostolis, & per consequens Romanus pon. ipse potuerit tollere, immo canones condere contra ea quæ Paulus posuit in epistolis suis quod uidetur inconueniens. Duodecimo sic. Romanus pontifex non potest reuocare aut tollere dicta doctorum exponentium sacram scripturam: ergo multo minus summorum pontificum prædecessorum suorum decreta, aut uniuersaliū conciliorū canones & instituta. consequentia est bona. & antecedens uidetur haberi distinct. 20. in c. decretales. ubi dicitur quòd in sacrarum scripturarum ex-

Quartū

Quintū

Sextum

Septimū

Octauum

Alii dicta ti alii dicta ti ligunt

Nonum

Decimū

Vndecimum

Duodecimum

positionibus doctores excellentes præponuntur. in causis uero diffiniendis summi pontifices præferuntur.

Cap. LVII. In quo respondetur obiectionibus præfatis.

LICET paucis uerbis possit plene satisfieri obiectionibus aduersariorum: nihilominus pro pleniori præsentis materiæ intelligentia quid s. papa possit in statutis tam uniuersalium conciliorum quam sanctorum patrum ac prædecessorum suorum & clariori responsione ad capitula inducta per aduersarios in oppositum est aduertendum. Quòd prout aperte colligi potest ex differentia superius assignata inter interprætationem, dispensationem & reuocationem siue abrogationem, in multis potest cadere interprætatio in quibus non potest cadere dispensatio, & per consequens nec abrogatio, & in multis potest cadere dispensatio in quibus non habet locum abrogatio, & in aliquibus potest utrunque cadere. quod luculentissime ostenditur per conclusiones sequentes. Prima papa potest habere in multis auctoritatem interprætandi in quibus nullam habet dispensandi facultatem & multo minus reuocandi. Ista conclusio patet: quia papa cum sit Vicarius Christi habet auctoritatem interprætandi dubia in lege diuina quæ fidelibus occurrere possunt, ut supra lib. 2. c. 107. ostendimus. Vnde & in ueteri lege ad sacerdotes erat recursus de dubiis legis quorum interprætationi qui non stabat mortis reus habebatur, ut patet Deutero. 17. & introducitur extra de testi. c. licet, ubi papa interprætatur illud, in ore duorum uel trium, id est non paucorum, sed quam plurium, & tamen in lege diuina dispensare non potest nam in præceptis legis naturæ non potest, sicut in habendo duas uxores in quo solus conditor potest dispensare ut ipsemet papa dicit. extra de diuor. c. gaudemus. similiter nec in præceptis positiuis utriusque testamenti a Deo uel a Christo immediate institutis, sicut quòd homo non teneatur ad baptismum, uel ad confessionem uel huiusmodi, quia in lege superioris inferior non potest dispensare, nisi inquantum illi committitur, non uidetur hoc autem sibi commissum. unde magis commissum legitur immutare cursum naturæ per miracula quàm dictamen iuris naturalis, & præcepta diuina dispensando, & idem dicendum est de canonibus & regulis sanctorum patrum & de decretis prædecessorum suorum in quibus aliqua statuuntur pertinentia ad articulos fidei, siue ad sacramenta quæ fundamenta sunt religionis Christianæ siue ad bonos mores. certe in talibus licet possit cadere interprætatio papæ cum aliqua ambiguitas nasceretur non tamen dispensatio, & multo minus reuocatio, quia illis intelliguntur maiora non licere quibus uetita sunt minora, ut habetur extra de sent. excom. c. cum illorum. Minus est autem dispensare quàm reuocare, quia omne totum est maius sua parte. reuocare autem est legem totaliter abrogare quò ad omnem personam locum & tempus dispensatio uero quò ad quosdam uel quò ad quædam tempora uel loca. Et ita patet quòd papa nec articulos fidei, nec præcepta legis naturæ uel decalogi, aut sacramenta potest mutare siue reuocare, sicut nec in illis potest dispensare, & ad istum sensum accipienda, siue intelligenda sunt capitula inducta ex aduerso sicut c. sicut distinct. 15. & cap. sunt quidam

Cõclusio 1. auctoris

25. q. 1.

25.q.1.& c.contra ibidem. Secunda conclusio est quòd in aliquibus sanctorum patrum canonibus siue statutis potest papa dispensare in quibus non potest tollere generaliter aliquid siue reuocare. patet conclusio ista: quoniam papa dispensat in canonibus apostolorum, sicut patet quòd bigamus promoueatur, sicut habetur in c.lector distinct. 24. & quod presbyter fornicarius non deponatur, ut in c.presbyter 72. dist. & tamē hos canones generaliter tollere non posset. Pro quo notandum iuxta dominum Petrum de palude super 3.senten. quòd licet illa quæ apostoli in primitiua ecclesia fecerunt propria auctoritate siue auctoritate solius officii & proprio instinctu potest nunc Roma.pon.mutare, quia non habet minorem auctoritatem quàm ipsi habuerunt. Non tamen ea quæ ex speciali commissione aut inspiratione spiritussancti: quoniam talia nec ipsi apostoli, nec successores reuocare possunt, nisi quantum principalis committeret, sicut scriba legis imperialis, uel promulgator reuocare non potest, nisi inquantum princeps iterum sibi committit. quicquid autem per apostolos constitutum est quod in canone est receptum, creditur specialiter esse inspiratum a spiritusancto, & similiter quod in quattuor conciliis uniuersalibus fuit factum ita quòd in primitiua ecclesia apostoli quædā ordinarunt, non simpliciter sed ad tempus quod reuocatum non est, sed impletum est quando cum tempore finitum est, sicut legalia cum euangelio seruare iudæis & abstinere a suffocatis & sanguine & celebrare in fermentato & huiusmodi quæ lapsu temporis cessauerunt. quædam uero dictante spiritusancto sic ordinauerunt, ut in perpetuum permanerent: sic tamen quòd pro loco & tempore liceret dispensare, non tamen totaliter amouere, & sic expedit ecclesiæ, & in talibus licuit successoribus dispensare eodem spiritu committente sicut aperte colligitur ex facto ipsorum sanctorum patrum qui dispensasse leguntur, sicut patuit in exemplis positis & in multis aliis, non autem licet huiusmodi generaliter reuocare, quia non est commissum ut apparet, quia nullus sanctus hoc præsumpsit. Et cum ad regimen naturæ & maxime gratiæ dominus faciat quod melius est, immo optimi est optima adducere, ideo cōmisit quod expedit & non aliud. Vtile est aūt ecclesiæ ꝙ aliquando cum bigamo & percussore & huiusmodi dispensetur, cū aliquando tales inueniantur meliores, non autem expedit ꝙ tales indifferenter sicut ceteri promoueantur. unde illud cōmisit illud prohibuit: ergo papa in talibus pōt dispensare, sed non potest ea generaliter & uniuersaliter reuocare sicut unam decretalem a se uel a prædecessore suo editam. unde notauit Alanus. extra de decimis c.licet, ꝙ papa posset alicui laico concedere ꝙ non solueret decimas, aut ꝙ eas perciperet. non tamen hoc omnibus laicis posset in perpetuum concedere legem generalem condendo, sed tantum ex causa ad tempus dispensando sicut regibus dantur etiam decimæ clericorum in subsidiū terræ sanctæ, uel ob aliam iustam causam. Tertia conclusio. In multis sanctorum patrum canonibus & statutis Romanus pont. sicut potuit dispensare, ita & illos abrogare & omnino tollere. patet conclusio ista de multis canonibus abrogatis & institutis prædecessorum summorum pontificū per Romanos pont. sequentes sicut patet in exemplis prius positis de canonibus antiquis de ætate ordinandorum. His habitis respondendum est ad argumenta in oppositum. Ad primū de c.in istis dist.4. respondetur negando id quod aduersarii arguūt ex illo c. sequatur quoniā c. illud intelligitur

Secunda conclusio

Ad primū

non de iudice summo scilicet papa uel principe : quoniam isti possunt etiã post conditas leges de ipsis iudicare & eas tollere uel moderari,sed loquitur de inferiori iudice. unde dominus Arch.exponendo hoc capitulum ita dicit. Littera hic loquitur de inferiori iudice. nam si inferior iudex uelit aliquid proponere quare lex illa non debeat condi facilius audiretur primo quàm postea ar.ad hoc dist.inc.31.Nicena. Ad secundum de ca. sicut dist.5.1 respondetur dupliciter.Primo sic ad antecedens quòd hoc quod dicitur quòd quattuor illa concilia non posset mutare aut reuocare potest intelligi duobus modis. Vno modo quia concilia sunt, & sic non est uerum antecedens.quia quod competit alicui inquantum tale competit omni tali. sicut quod competit homini inquantum homo competit omni homini, si ergo hoc competeret illis quattuor conciliis inquantum concilia sequeretur quòd nullas sententias datas aut constituta facta in quibuscunq; conciliis possit reuocare,quod tamen falsum est,ut in gl.per principalem 9. q. 3.Aut potest intelligi quòd hoc competat illis quattuor conciliis non inquantum concilia sunt,sed inquantum de tali materia sunt scilicet de ueritate articulorum fidei, & sic dicimus quòd hoc competat illis quattuor conciliis quòd reuocari non possunt propter hoc scilicet quòd non fuerũt nisi declaratiua articulorum fidei. Secundo respondetur negando consequentiam,uidelicet quòd ex c.illo sequatur ꝙ papa in nullis canonibus uniuersalium conciliorum possit dispensare aut aliquid immutare, licet bene concedatur ꝙ non possit statuta conciliorum uniuersalium immutare quantum ad ea quæ concernunt articulos fidei generalem statum uniuersalis ecclesiæ,ut gl.eiusdem c.habet.unde Arch.in Rosario idẽ dicit in hac forma uerborum.Fateor in his quæ ad fidem pertinent & generalem statũ ecclesiæ in aliis potest contra statuta conciliorum uenire. Si dicatur quæ dicantur ad generalem statum ecclesiæ pertinere. uidetur nobis ꝙ inter alia sint ista quæ omnes fideles tangere possunt,ut sunt illa ex quorum alteratione tota ecclesia turbaretur, sicut ponitur exemplum de depositione omnium episcoporum simul, quia cum omnes animæ Christianorum sint in manibus episcoporum,hoc quemlibet tangit,& cum episcopi in loco apostolorum succedunt & uniuersalem ecclesiam repræsentent turbaretur fides Christiana. Præterea cum in depositione omnium episcoporum simul non possit esse causa iusta, maxime præsumeretur in tali depositione defectus fidei in papa, & hoc faceret in destructionem fidei ex quo turbaretur tota Christianitas. Et merito dicitur pertinere hoc ad uniuersalem statum ecclesiæ,& ita posset poni exemplum in multis aliis ex quibus uniuersalis ecclesia turbaretur,& scandalizaretur. Similiter possent ad uniuersalem statum ecclesiæ dici pertinere præcepta diuina præcepta legis naturalis & sacramenta, in quibus status & salus uniuersalis ecclesiæ consistit & omnes tangit uniuersaliter. Ad tertium de c. sancta octo. dist.16. respondetur eodem modo sicut ad præcedens, uidelicet ꝙ intelligendũ est de his quæ spectant ad articulos fidei & generalem statum uniuersalis ecclesiæ, & quæ necessaria sunt saluti. Ad quartum de.§.hoc autem intelligendum dist.19.respondetur ꝙ id quod magister Gratianus ibidem dicit, intelligendum est de his,de quibus præcedẽtia capitula exposita sunt, alias non diceret uerum.unde dominus Arch. in Rosario exponendo hunc locũ dicit sic. Videtur dicere Gratianus s.ꝙ papa contra bene statuta suorum

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

præde-

prædecessorum non possit aliud statuere, quod non puto uerum esse. nam & bene statuta potest reuocare inspecta causa, dummodo non tangat præcepta ueteris & noui testamenti uel articulos fidei uel ea quæ sunt necessaria ad salutem, uel quæ pertinent ad generalem statum ecclesiæ, & ideo nõ approbo quod hic dicit magister, nisi de talibus intelligatur. hæc Arch. Ad quintum de c. sunt quidam 25. q. 1. est eadem responsio quæ data est ad præcedentia, & est responsio gl. quæ dicit ibidem quòd uerum est quòd papa non dispensat in his quæ pertinent ad articulos fidei & quæ sunt iuris diuini. bene autem in aliis sicut cum bigamo contra apostolum, ut dist. 34. lector, & contra canonem apostolorum, ut in c. presbyter 82. distinct. Item etiam quandoque contra generalem statum ecclesiæ, sicut fecit Innoc. in Lateranen. concilio extra. de consang. & affi. hæc glo. Ad sextum de cap. contra respondetur ut respondet glo. quæ super uerbo statuta ita dicit. de articulis fidei, ut dictum est in c. proximo. ad hoc c. etiam san. Thom. respondet eodem modo in tractatu contra impugnantes religionem sic dicens. Verum est quod hic dicitur in illis quæ statuta sanctorum patrum decreuerunt de iure diuino sicut articuli fidei qui determinati sunt per concilia, sed illa quæ sancti patres decreuerunt de iure positiuo sunt relicta dispositioni papæ, ut ea possit mutare uel dispensare secundum oportunitates téporum, uel negociorum. hæc sanct. Thom. Ad septimum quod inducitur de Leone papa respondetur, dato quòd auctoritas illa iaceat, ut inducitur per aduersarium, quod tamen non est uerum in toto, quòd auctoritas illa non facit pro aduersariis propter duo. Tum primo, quia Leo papa licet dicat Nicenos canones nulla posse improbitate euelli, aut nouitate uiciari, non tamen negat quin auctoritate Romani pon. ob necessitatem & utilitatem fidelium possit in eis fieri dispensatio. magna differentia est inter ista duo improbitate euelli & necessitate aut utilitate moderari. Secundo quia licet ad papam pertineat intendere ne canones per aliquos pro uoluntate uiolentur, non sequitur quòd ipse ex rationabili causa dispensare non possit, ut est manifestum. Ad octauum de c. uiolatores 27. q. 1. respondetur quòd c. illud nihil facit pro aduersariis: quoniam licet uiolatores canonum uoluntate i. sine necessitate repræhendantur & ueniant damnandi, non propter hoc Romanus pon. prohibetur dispensare aut mutare illos si personarum locorum aut rei condicio exposcit. aliud enim est propria uoluntate sine causa & sine necessitate uiolare canones, & aliud est rationabili causa existente per habentem auctoritatem dispensare in illis, maxime quia ut dicit sanctus Thom. in tractatu contra impugnantes religionem quando papa dispensat aut mutat canones secundum oportunitates temporum & negociorum non facit contra canones aut statuta sanctorum patrum, quia seruatur intentio statuentium quæ est utilitas ecclesiæ, sicut & in omni iure positiuo accidit. derogatur enim prioribus statutis per statuta sequétia. hæc ille. Ad idem etiam Chryso. super Math. dicit sic. Lex legislatori subiecta est, non legislator legi. qui ergo soluit legem litteram quidem legis soluit propositum autem legis eius non soluit, sed magis illi addit ad hoc dignitatem. hæc ille. Ad nonam obiectionem sumptam ex eodem c. uiolatores respondetur sicut supra responsum est ad sextam negando consequentiam. Pro quo notandum iuxta sanctum Thom. & doctores quòd duplex distinguitur genus canonum qui spiritusancto dictante per plures sanctos in con

Ad quintum

Ad sextũ

Ad septimum

Ad octauum

Ad nonũ

ciliis siue extra concilia conditi sunt. Primum genus est eorum quæ sunt de iure diuino sicut sunt canones pertinentes siue statuta ad articulos fidei aut ad substantiam sacramentorum aut quæ manifestam connexionem habent ad legem diuinam pertinentia ad bonos mores & de talibus intelliguntur omnia illa capitula, ut dicit sanctus Thom. iuxta etiam glo. quæ ponuntur 25. q. 1. uidelicet c. uiolatores c. sunt quidam c. contra statuta c. prima salus. Secundum genus canonum est eorum quæ sancti patres instituerunt in conciliis uniuersalibus de iure positiuo, licet enim canones omnes a sanctis patribus unanimiter & uno consensu editi censeantur códiti a spiritusancto sicut dictante & inspirante, non tamen omnes dicuntur pertinere aut ad legem naturæ aut ad ius diuinum sicut aduersarii uidentur innuere, sed aliqui dicuntur pertinere ad ius positiuum. nam si canones oés quia a spiritusancto dicuntur conditi pertinere ideo dicerentur ad legem naturæ siue ad ius diuinum indispensabiles essent & ita ecclesia erraret dispensando in canonibus factis a sanctis patribus. Item nec mutari possent qui semel essent constituti & multa alia sequerentur quæ omnino sunt absurda & inconuenientia. In primo genere canonum qui pertinere uidentur ad legem domini, papa non dispensat nec mutationem facit. In secundo uero genere canonum sic quemadmodum sæpe dictum est.

Ad decimum

Ad decimam quæ sumitur ex eo ꝙ canon dicitur regula: respondetur negando minoré in qua dicitur ꝙ oporteat regulas huiusmodi agibilium esse immobiles & impermutabiles sicut principia in speculabilibus. Pro quo notandum quòd cum certitudinis firmitas uarietur secundum uarietatem rerum, ut dicitur i. de anima & 1. ethy. & omnis mensura dicatur relatiue ad mensuratum non oportet quòd omnis mensura aut regula sint equalis certitudinis aut firmitatis, nec omnes possunt esse infallibiles, sed quantum possibile est in suo genere. unde cum illa quæ regulanda sunt lege humana siue canonica, siue concilii sint contingentia singularia multipliciter uariabilia non possunt leges humanæ habere illam immutabilitatem quam habent principia prima in speculabilibus sicut est manifestum, immo propter huiusmodi rerum uarietatem quibus oportet mensuras & regulas coaptari ad salutem reip. est necessarium leges ipsas mutabiles fore ut sanctorum patrú auctoritatibus supra ostensum est c. 52. unde lex quæ uno tépore est iusta & utilis alio tempore seruata esset iniusta & nociua. Pro quo aduertendum est iuxta s. Tho. in 1. 2. ꝙ rectum in rebus corporalibus dicitur absolute, & ideo rectú in eis quantum est de se manet semper rectum, sed rectitudo legis accipitur non absolute, sed in ordine ad utilitatem communem, cui non semper proportionatur una & eadem res, & ideo talis rectitudo mutatur. unde dicit Aug. in primo de li. arb. ꝙ lex temporalis quamuis iusta sit mutari tamen per tépora iuste potest. Et ita patet ꝙ ratio illa quæ apud aduersarios censetur esse magni roboris non procedit, & ad c. prima salus 25. q. 1. quod inducitur respondetur ꝙ intelligitur de statutis conditis a sanctis patribus quæ sunt de iure diuino & non de his quæ sunt de iure positiuo: quoniam a talibus pro loco & tempore licitum est declinare. unde propter hanc differentiam quæ est in constitutis sanctorum patrum dicit Leo papa in c. sicut dist. 14. ꝙ sicut quædam sunt quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt quæ aut pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oportet temperari. per quam distinctionem soluuntur multa alia argumenta aduersariorum

rum quæ inducunt de immutabilitate canonum. Ad undecimam ꝙ possit tollere &c. respondetur iuxta superius dicta quòd contra dicta apostolorum extra scripturam sanctam potest Romanus pontifex, quia sic superior est, sed contra dicta contenta in sacra scriptura non potest. non quia Pauli sunt, sed quia in scriptura sunt quæ necessario continet infallibilem ueritatem, & quæ a spiritusancto principaliter est, a Paulo autem est instrumentaliter. iuxta illud psal. 44. Lingua mea calamus scribæ, &c. Actio autem attribuitur principali agenti non autem instrumentali, & ideo cum spiritussanctus sit superior papa si faceret contra spiritumsanctum, & ita illa consequentia aduersariorum non procedit qua dicunt: ergo papa potest tollere ea quæ Paulus posuit in epistolis suis, cum epistolæ illæ in canone sacræ scripturæ contineantur. Ad duodecimam de c. decretales. dicendum ꝙ consequentia non ualet: quoniam ad diuersas gratias spectant. primum enim ad excellentiam scientiæ secundum ad eminentiam potestatis, & ideo licet diuinarum scripturarum excellentissimi doctores scientia pontificibus Romanis forte præemineant, & dicimus forte, quia potest esse ita doctus Romanus pon. ꝙ nullo suo tempore sit par ei, neque superior etiam in scientia: nihilominus in causarum siue dubiorum diffinitione in dispensatione canonum aut mutatione etiam statutorum prædecessorum suorum quæ omnia respiciũt auctoritatem merito pontifices præferentur. unde s. Thom. in quotlibeto 5. & ult. dicit quòd magis standum est sententiæ papæ, ad quem pertinet determinare de fide quam in iudicio profert quàm quorumlibet sapientum hominum in scripturis opinioni. dicit enim in 2. 2. q. 2. ar. 3. quòd contra auctoritatem papæ nec Hier. nec Aug. nec aliquis sanctorum suam sentẽtiam defendit. Ex quo satis confunditur præsumptio aduersariorum nouellorum magistrorum qui tam aperte summorum pontificum sententiis & sanctorũ etiam patrum sententias suas anteferre præsumunt.

Ad undecimum

Ad duodecimum

Cap. LVIII. Quòd uniuersale concilium plenarium in his quæ fidei sunt errare non possit.

EX his quæ de sacrorum conciliorum uniuersalium canonibus supra explanauimus orta nobis est occasio ueniendi ad quæstionem illam. utrum uniuersale concilium in his quæ fidei sunt errare possit. Ad quam quæstionem nobis uidetur sub distinctione respondendum, de concilio enim uniuersali loqui possumus dupliciter. Vno modo de cõcilio uniuersali plenario. plenarium autem concilium dicimus in quo cum ecclesiæ patribus Romanus pontifex eorum caput & princeps unanimi consensu & auctoritate concurrit siue interuenit. unde concilium Anthiochenum de plenario concilio prouinciali loquens ait. perfectum concilium est illud in quo interuenit metropolitanus antistes. Item ibidem illa dicitur plenaria synodus, in qua etiam episcopus metropolitanus interfuit. Secundo modo loqui possumus de concilio prout dicit corpus tantum patrum distinctum a capite suo Romano pont. si primo modo loquamur de concilio ista conclusio. Concilium uniuersale in his quæ ad fidem pertinent errare non potest, quæ tam patrum ecclesiæ quàm Romani pon. unanimi consensu diffinita sunt. Ista conclusio multipliciter probatur. Primo sic. apostolicæ sedis iudicium in his quæ fidei sunt errare non potest: ergo nec

Conciliũ uniuersale plenariũ capitur dupliciter

Concl. 1. quæ ẽ de cõcilio uniuersali plenario primo modo

concilium uniuersale in quo apostolicæ sedis interuenit siue concurrit au-ctoritas & consensus. consequentia est manifesta. antecedens est a nobis multipliciter demonstratum lib.2. in cap.109. colligitur etiam ex illo. Luc. 22. Ego rogaui pro te Petræ, ut non deficiat fides tua, &c. Item ex c. illo in sede, & c. hoc est fides 24. q. 1. Secundo sic. in ecclesia militante est certum iudicium de difficilibus & obscuris quæ circa fidem emergunt. patet: aliter enim tota ecclesia militans posset circa fidem errare, sed ultimum iudicium circa difficilia & obscura circa fidem emergentia penes concilium uniuersale plenarium residere censetur, ut uidetur uelle August. in epistola ad glorium & Eleusium & in lib. 1. de unico baptismo contra donatistas ubi ita inquit. Quæstionis huius obscuritas prioribus ecclesiæ temporibus ante scisma Donati magnos uiros & magna charitate præditos patres episcopos ita inter se compulit salua pace disceptare atque fluctuare ut diu conciliorum in suis quibusq; regionibus diuersa statuta mutarent donec plenario totius orbis concilio quod saluberrime sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur. hæc ille: ergo concilium uniuersale circa fidem errare non potest. Tertio sic: uniuersalis ecclesia nō potest errare quia spiritusancto gubernatur qui est spiritus ueritatis. hoc enim promisit dominus discipulis suis. Ioan. 17. Cum uenerit ille spiritus ueritatis docebit uos omnem ueritatem, sed diffinita per concilia uniuersalia plenaria sunt diffinita auctoritate uniuersalis ecclesiæ. ergo sequitur quòd concilia uniuersalia plenaria nullo modo errare possunt in fide. Quarto sic, si concilia uniuersalia plenaria errare possent nihil certum haberemus de diffinitis per concilia uniuersalia, & ita simbolum fidei quod in missa cantatur factum in concilio Constantinopolitano redderetur nobis dubium quod est absurdum dicere & multa alia inconuenientia sequerentur. Ista argumentatio uidetur esse 8. synodi. unde facta diffinitione ita inquit post multa. At uero si reprobauerit saltem unum ex his quæ hic scripta sunt, & a beato Nicolao ante iudicata fiet estus in ecclesia nostra continuus & simultas ecclesiasticorum negociorum, ita ut nunquam uideri posset in ecclesia quilibet ordo. ubi enim concursus omnis patriarchalis throni, & ut idipsum dicatur omnes fieri theologi si diabolico concilio ambiguitatem quis habeat uocatio profecto tandem infirmitatem habebit, & ecclesiastica constitutio pacem. anathema ergo illi qui secundum aliquid præsumpserit reprobare quicquam ex his quæ hic scribuntur a patre & filio & spiritu sancto amen. hæc ibi. Quinto sic, a concilio uniuersali plenario in causa fidei appellari non potest. ergo sequitur quòd circa causas fidei errare non possit. consequentia patet: cum omnis causa uiciata per appellationis remedium sit subleuanda 2. q. 6. cap. liceat. si concilium tale errare posset in causa fidei cum illa posset uiciari, & ita per appellationis remedium esset subleuanda, & ita liceret appellare a concilio. antecedens tamen patet, tum ex decreto concilii Calcedonen. ubi statutum legitur quòd ab electa synodo non appellatur. Electa autem synodus dicitur in qua assensus & approbatio apostolicæ sedis interuenit, ut alias declarauimus. Præterea si appellare liceret, aut ad aliud concilium uniuersale igitur, aut ad papam aut ad ecclesiam uniuersalem. Non ad aliud concilium uniuersale, quia eadem ratione ab illo appellare liceret, & ita finis talis causæ imponi non posset. Non esset appellandum ad papam, quia cum in concilio plenario in-

teruenire

teruenire intelligatur consensus papæ & auctoritas eius, appellatio illa esset a papa ad papam & non ad aliquem superiorem. Nec esset appellandum ad ecclesiam, quia frustra ad uniuersalem ecclesiam appellaretur cum uniuersalis ecclesia simul in unum conuenire non possit. Sexto sic. illa cõgregatio in his quæ fidei sunt errare non potest cuius diffinitiones & constituta omnes fideles sub pena anathematis siue priuationis communionis fidelium iubentur obseruare:patet. sed uniuersalia concilia sunt huiusmodi. ergo &c. minor patet ex multis. Tum ex concilio nono tolletano ubi Actione 11.ita dicitur.Ne quilibet in posterum, aut impune ualeat conueniri, aut generalia statuta conuellere plena decernimus unanimitate connexi,ut quæcunque pro fidei causis ecclesiasticisq; negociis aut in præteritis in gestis aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, uel sint uel fuerint diffinitione conscripta uniuersalis auctoritatis nullus his deinceps contradicere audeat nullus reuerberare præsumat nullus nõ implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens, aut susurrans certe latrator,aut inuidus,aut potius non fautor extiterit gratio sus & honoris sui & communionis sanctæ lugeat amissione mulctatus. hæc ibi. Item hoc etiam a sanctis patribus legitur institutum, ut dominus aymarus lib.de synodis testatur ita dicens. Sancti patres sub districto anathemate condemnasse leguntur eos qui orthodoxorum patrum statuta non receperint quæ uniuersalibus conciliis consonare perspexerint.unde Grego. 1.Omnes a principalibus conciliis dissentientes in sua synodica anathematizauit. Septimo sic. ea quæ conclusa sunt in concilio plenario supradicto dicuntur uniuersaliter totius ecclesiæ consensu diffinita & conclusa:ergo sequitur quòd præfatum concilium uniuersale in his quæ circa fidem diffinit errare non possit. consequentia patet argumentatione qua beatus Grego.utitur in ca.Sicut dist.15.dicens. Cunctas uero quas præfata ueneranda concilia personas respuunt respuo quæ uenerantur amplector, quia dum uniuersali sunt consensu constituta se non illa destruit quisquis præsumpserit absoluere quos ligant aut ligare. quos absoluunt. Octauo sic. in conciliis uniuersalibus plenariis creduntur sancti patres spiritusancto canones condidisse & maxime circa fidem sine qua impossibile est placere Deo, ut inquit apostolus ad Hebr.11.ergo uidetur quòd talia concilia dirigente spiritusancto in his quæ fidei sunt errare non possunt. consequentia patet: quia spiritussanctus cuius gratia editi sunt canones est magister ueritatis & non erroris. antecedens habetur ex cap.1.distinct.15.quod est beati Isid.ubi enumeratis quattuor uniuersalibus conciliis plenariis scilicet Niceno Constantinopolitano. Ephesino primo & Calcedonensi ita inquit. Hæ sunt synodi principales quarto fidei materiam plenissime prædicantes, sed & siqua sunt alia concilia quæ sancti patres spiritu Dei pleni sanxerunt post istorum 4.auctoritatem manent omni stabilita uigore.secũdo ex c.Violatores,ubi Damasus papa ita dicit. Violatores canonum uoluntariæ grauiter a sanctis patribus iudicantur & a spiritusancto instinctu cuius ac dono dictati sunt damnantur.hæc ille. Nono sic illud concilium errare non potest in fide quo errante erraret uniuersalis ecclesia, sed errante concilio generali plenario erraret uniuersalis ecclesia, quia in tali cõcilio uniuersali,uniuersalis ecclesia repræsentatur & uirtute continetur. Decimo arguitur sic.nullum iudicium quod in materia fidei irreiterabile & ir-

reuocabile est, defectibile est aut errare potest in fide, sed iudicium plenarii concilii in materia fidei ita habitum est apud sanctos patres & diffinitũ ut inconuulsum & irreuocabile in euũ maneret. ergo concilium uniuersale de quo loquimur in his quæ fidei sunt defectibile esse non potest. consequentia est bona. maior etiam patet. minor uero est Gelasii papæ in epistola quam uniuersis episcopis per dardaniam constitutis scribit, ubi dicit. Patres nostri catholici uidelicet doctique pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata quicquid pro fide pro ueritate pro communione catholica atque apostolica inconuulsum uoluerunt deinceps firmumq; constare, nec in eadem causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt sapientissime prouidentes: quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret ecclesiæ constitutum, atque semper eisdem furoribus rediuiuis omnis integra diffinitio turbaretur, &c. Inde est ut in c. Maiores 24. q. 1. habetur idem papa Gelasius dicit. Maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessario præcauerunt, ut quod contra unamquamque hæresim coacta (id est coadunata) semel synodus pro fidei communione auctoritate catholica atque apostolica promulgasset non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta post propulsandi, & infra in fine synodus semel gesta condemnans ulterius ad noua concilia uenire non sinit, ut scilicet, ut inquit temere de fide disputent. Nam ut inquit imperator Martianus de sum. trin. & fide cath. Iniuriam facit iudicio reuerendissime synodi si quis semel iudicata ac recte disposita reuoluere atque publice disputare contendit. quocirca in ca. Confidimus 27. q. 1. papa Gelasius inquit. Confidimus quòd nullus tam ueraciter Christianus ignorat uniuscuiusque synodi constitutum quod uniuersalis ecclesiæ probauit assensus nulla magis exequi sedem præ ceteris oportere quàm primam quæ & unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit. hæc ille. Huiusmodi autem concilia in quibus uniuersalis ecclesiæ concurrit assensus sunt illa quæ plenaria uocat Aug. quorum ut (ipse ait in epistola ad Ianuarium) saluberrima in ecclesia auctoritas est in c. illa dist. 12. de quibus currunt rationes quæ fiunt quòd uniuersale concilium errare in his quæ fidei sunt non possit. Vltimo sic. illa congregatio in diffinitione unanimi sua in his quæ fidei sunt credenda est non errare cuius diffinitionis oppositum tenentes sunt hæretici, sed tenentes & sapientes cõtrarium eorum quæ uniuersalia concilia & plenaria de fide diffinierunt sunt hæretici. ergo &c. consequentia est bona. maior patet. minor etiam patet. unde dicitur in concilio Calcedon. actione quinta post datam sententiã de duabus naturis & una persona in Christo dicunt patres sic. His itaque a nobis dispositis diffiniuit sancta & uniuersalis synodus alteram fidem nulli licere proferre, uel cõscribere aut componere, aut sentire, aliter eos aut qui ausi sunt aut componere fidẽ alteram, aut certe proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolũ, si episcopi fuerint aut clerici alienos esse ab episcopatu & clericos a clero, si monachi & laici fuerint anathematizati. multa similia habentur ex aliis conciliis uniuersalibus. Secundo uero modo loqui possumus de concilio uniuersali prout tantũ dicit prælatorum congregationem distinctam siue condiuisam a Rom. pont. siue non incluso Rom. pon. & hoc

Secundus modus accipiẽdi cõciliũ uniuersale plenariũ

hoc modo loquendi sit ista concl. Concilium uniuersale non interueniēte consensu & approbatione apostolicæ sedis errare pōt in his quæ fidei sunt. Quæ conclusio exemplis & auctoritate ostenditur. Exēplariter patet primo de concilio quod copioso numero episcoporū conueniēte Arimini celebratum est. in quo ut dicit Hier. in altercatione Luciferiani & Orthodoxi nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est. contra quod Dama. papa uiriliter insurrexit & congregato concilio condemnans Liberium, annullauit quod fecerat. hoc conciliū beatus Aug. uocat latrociniū. hoc conciliū dānatur in canone in c. Sancta Romana eccl. ubi Gelasius papa inquit. In primis Ariminen. synodum a Constantino Cæsare Constātini filio cōgregatam mediāte thauro præfecto extunc & in æternū confitemur esse damnatam. Secundo idem ostenditur ex concilio Ephesino 2. quod legitime inchoatum fuit præsidentibus etiam legatis papæ nihilominus in euersionem fidei agitatū est, & in eius correctionem Leo papa Calcedon. synodum instituit. Item synodus Aquileie celebrata quæ quintam uniuersalem synodū a Iustiniano Imperatore & Vigilio papa Constantinopoli celebratā suscipere diffidit, quā Sergius papa salubriter redarguit & ad concordiam reduxit, ut narrat Vincentius in speculo hystoriali li. 24. c. 134. Item synodus 330. episcoporū tempore Constantini Constantinopoli congregata in qua ut narrat idem Vincentius li. commemorato c. 174. edictum promulgatum est de imaginibus Dei & sanctorum deponendis contra quam Stephanus papa Romæ synodū congregat in qua omnia a Constantino ordinata reordinat & uenerationē sanctarū imaginum confirmat eorumq; prophanatores anathematizat, ut idem Vincentius commemorat lib. præfato cap. 165. unde septima synodus condemnans præfatam synodum sic ait. Frementi concilio contra uenerabiles imagines, anathema. Item infra de peruersione illius concilii loquens & causis damnationis eius ita inquit. Hoc nempe concilium cayphaicū conciliabulum factum est illud aduersus dominum inania meditatum est hoc aduersus ipsius imaginem fremuit. Et infra hoc concilium solā nuncupationē habet sacerdotalem scientiam autem prauam atque prophanam hoc conciliū contumax habet os & spiritum mendacio delibutum. Nā ueritatē quandam finxit in fallacia præsumpsit hoc concilium sancta synodus utpote zizania dominicæ Areæ i. ecclesiæ catholicæ uentilauit & uentilabro diuini iudicii proiecit ablata ergo sunt a catholica ecclesia & redarguta figmenta eius. hæc ille. Item concilium aquisgrani celebratum cuius diffinitioni circa materiam sacramenti matrimonii non statur uidelicet ꝙ raptor nō possit matrimonialiter cum rapta copulari. de quo in c. placuit 36. q. 2. sed potius statur auctoritati Hier. contrarium diffinientis, ut in c. tria c. q. de quo fit mentio etiam in gl. super c. de libellis dist. 20. & sic de multis aliis possent exempla induci & cum illis etiam de basilien. quod & scandalosum & in multis a sanctorum patrum doctrina errasse uidetur. Præterea ꝙ conciliū præfatum errare possit satis aperte colligitur ex beato Aug. qui in epistola quadā contra donatistas, ubi post quoddam acerrimū argumētum subinfert ad propositum. sic faciant mille concilia episcopi uestri huic uni sententiæ respondeant & ad id quod uolueritis consentimus uobis. Item idem colligitur ex beato Isid. in c. Domino sancto dist. 50. ubi ait. ꝙ si in gestis conciliorum distans sententia inueniatur illius concilii sententiæ standum sit cuius quidem potior & antiquior extat auctoritas. nunquam autem adinuicem

Concl. 2. quæ ē de cōcilio uniuersali plenario, secundo modo dicto

possunt discordare nisi altero illorum a uero declinante. quoniam secundũ phylosophum 1. Eth. Omnia uera consonant, sed falsum est quod a uero dissonat. hoc autem nequaquam dixisset Isid. si fuisset impossibile concilium aliquod errare. Idem etiam colligitur ex c. cuncta per mũdum 9. q. 3. Item Aug. in epistola contra donatistas ait. Itaq; concilium illud peruersum atque nephandum maxime ut creditur traditorũ fuit. Ex his exufflatur fantasia stulta eorum qui omni concilio non errandi gratiam quasi essentialiter inesse affirmant, cum tam ex euangelio quàm ex actibus apostolorum & gestis antiquorum conciliorum manifeste oppositum habeatur.

Cap. LIX. In quo obiicitur contra prædicta.

SVNT aliqui aduersarii quibus non sapit ueritas prædicta de infallibilitate iudicii plenariorum conciliorum, & arguunt contram illam multipliciter. Primo sic, ut Gulielmus ocham inducit in dialogo suo.

Arg. primum

Vna sola ecclesia militans est quæ contra fidem errare non potest, quia de sola uniuersali ecclesia militante inuenitur in scripturis auctenticis ꝙ errare non potest, concilium autem uniuersale licet sit pars ecclesiæ uniuersalis non tamen est ipsa ecclesia uniuersalis. ergo temerariũ est dicere ꝙ cõciliũ generale circa fidem errare non possit.

Secundũ

Secundo sic. illa cõgregatio quæ potest uoluntate humana dissolui põt cõtra fidẽ errare quia illa ecclesia quæ in fide errare non potest usq; in finẽ seculi est duratura. iuxta uerbum Christi Math. ult. Ego aũt uobiscum sum usque ad &c. sed conciliũ uniuersale põt humana uoluntate dissolui sicut dissoluitur. ergo conciliũ uniuersale potest errare in fide.

Tertium

Tertio illę personæ quæ in diuersis locis existentes possunt circa fidẽ errare, ẽt si ad unum locũ conueniunt possunt circa fidem errare, quia concursus ad eundem locũ non reddit illos inobliquabiles a fide, quia sicut locus non sanctificat homines ita non confirmat in fide, sed omnes ad conciliũ uenientes generale antequam conuenirẽt potuerunt circa fidẽ errare. ergo etiam postquã conuenerunt potuerunt labi in hæreticam prauitatem.

Quartũ

Quarto sic. si in generali concilio congregati circa fidem errare non possunt aut hoc est rõne sapientiæ qua præfulgent aut rõne sanctitatis qua pollent, aut rõne auctoritatis & ptãtis quã habent, aut rõne promissionis Christi qui promisit apostolis fidẽ usq; ad finẽ seculi duraturã. Non propter primũ tantum, quia sæpe multi sapientes catholici inueniuntur extra generale conciliũ qui habent defensare fidem licet errare possint. Nõ propter secundũ s. sanctitatẽ, quia nõ semper sanctiores sunt qui ad cõciliũ cõueniũt generale. tũ ẽt quia sanctitas in ecclesia militãte nullos confirmat in fide sicut patet. Nec propter tertiũ s. auctoritatẽ, quia papa est maior auctoritate illis & tamẽ errare põt in fide. iuxta c. si papa dist. 40. Non ẽt propter quartũ s. Christi promissionẽ, quia Christus promittens ꝙ fides semper duratura foret in ecclesia nullã fecit mẽtionẽ de cõcilio uniuersali.

Quintũ

Quinto arguitur exemplis multorũ cõciliorũ quæ uidentur errasse de quibus dictũ est in præced. c.

Sextum

Sexto arguitur ẽt errasse concilium plenariũ in quo consensus & approbatio apostolicæ sedis interuenit. patet de synodo Stephani papę septimi qui erroneę oẽs ordinationes factas per Formosum papam irritas esse decreuit. unde etiam synodo celebrata Romæ per Ioan. 9. extitit reprobata. ergo concilium uniuersale potest errare, quia constat

quòd altera illarum synodorum quarum una aliam reprobauit errauit. Septimo arguitur ex illo beati Augus.li.de unico baptismo contra donatistas.ipsa plenaria concilia sæpe priora contingit a superioribus emendari. hoc autem non esset nisi priora illa quæ emendanda ueniunt aliquo modo errassent. Septim

Cap. LX. In quo respondetur obiectionibus præfatis.

BENE considerantibus quæ dicta sunt facile est respondere præfatis obiectionibus. Vnde ad primam cum dicitur quòd de sola uniuersali ecclesia inueniatur in scripturis auctenticis quòd errare non possit in fide. respondetur, dupliciter. Primo negando maiorem illam: quoniam in scripturis auctenticis non tantum de uniuersali ecclesia sed etiam de Romana siue apostolica sede reperitur quòd errare non possit.unde Luc.22.dictum est Petro pro ecclesia Romana & apostolica sede. Petræ ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua.habetur etiam in cap. In sede,& in c.Hæc est fides 29.q.1.sicut plenius in lib.1.ca.109.ostendimus. Secundo respondetur ad minorem quòd licet plenarium concilium non sit materialiter tota uniuersalis ecclesia,est tamen tota auctoritate. unde hac ratione in c.Confidimus 25.q.1.diffinita in plenaria synodo dicuntur uniuersalis ecclesiæ assensu approbata. An secundam cum dicitur ꝙ congregatio quæ uoluntate humana, &c. respondetur negando uniuersaliter assumptum.Veruntamen est notandum sicut in 2.lib.c. 109. distinximus ꝙ non errare siue deficere aliter uidetur attribui quando dicitur quòd uniuersalis ecclesia errare uel deficere non potest in fide & aliter cum attribuitur aut apostolicæ sedi aut plenario concilio. uniuersali quidem ecclesiæ attribuitur quia fides nunquam deficiet de ecclesia: quoniam semper in aliquibus multis aut paucis fides semper permanebit usque ad finem.sicut nos plenissime ostendimus li.1.huius summæ ca. 28. sedi uero apostolico, aut plenario concilio attribuitur quò ad iudicium ita quòd dicimus quòd ipse omnipotens Deus hos quibus fidei magisterium commisit non permittet in his quæ fidei sunt errare.unde stat bene quòd concilium plenarium dissoluatur humana uoluntate & tamen cum fuit congregatum in his quæ fidei sunt uniuersali omnium consensu diffinita non erret. propter quod Imperator Martianus in epistola quam in fine concilii calcedonensis scribit Constantinopolitanus dicit sic. Vere impius & sacrilegus est qui post sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.extreme quippe dementiæ est in medio & perspicuo die commétitium lumen inquirere. quisquis enim post ueritatem repertam aliquid ulterius discutit mendacium quærit,& infra. Iniuriam enim facit iudicio reuerendissime synodi si quis semel iudicata ac recte disposita reuoluere & publice disputare contendit. hæc ille. Ad tertiam cum dicitur quòd ille personæ quæ in diuersis locis, &c. respondetur quòd ratio non procedit: quoniam licet omnes conuenientes ad locum concilii sigillatim considerati possent errare non tamen omnes simul iuncti in iudicio eorum quæ ad fidem pertinent Deo sic ordinante. Aliqua enim sunt priuilegia communitatis quæ non conueniunt singulis de communitate. similiter licet quilibet de ecclesia possit errare in fide non tamen ipsa ecclesia quæ non est nisi ipsorum

Ad primā

Ad secundum

Ad tertiā

Ad quartum

fidelium collectio sic in cap.ecclesia de consec.dist. 1. Ad quartam cum arguitur quòd autem ratione sapientiæ,&c.respondetur ꝙ principaliter ratione promissionis diuinæ & ad improbationem cum dicitur quòd Christus cum promisit apostolis fidem duraturam non fecit mentionem de concilio uniuersali. respondetur dupliciter. Primo quòd Christus promittẽdo beato Petro quòd fides eius in ecclesia sua & sede nunquam esset defectura Luc.22.ut dictum est & in concilio plenario Romanus pon. intelligatur ut caput & magister ac diffinitor ex consequenti promissio illa extenditur ad concilium uniuersale plenarium quod & auctoritate & approbatione apostolicæ sedis fulcitur.Secundo respondetur ꝙ Christus promittendo ecclesiæ uniuersali ꝙ portæ inferi non essent præualituræ aduersus eam Mat. 18.promisisse etiã intelligitur hoc plenario uniuersali concilio quod ipsam uniuersalem ecclesiam plena repræsentat auctoritate.

Ad quintum

Ad quintam cũ arguitur ꝙ multa concilia errasse leguntur respondetur ꝙ illa cõcilia de quibus exempla inducta sunt plenaria non fuerunt cum in eorum diffinitionibus nec approbatio,nec consensus Romani pont. qui est uniuersalis ecclesiæ rector & princeps interuenit,& ita non uniuersalis ecclesiæ fuerunt auctoritate diffinita.

Ad sextũ

Ad sextam cum arguitur de concilio Stephani septimi respondetur, ut alias responsum est in 2. lib. c.109.ꝙ error ille non fuit circa ea quæ humanæ saluti sunt necessaria,unde non est ad propositum.

Ad septimum

Ad septimam cum arguitur de beato Augustin. responsio eadem est. dicimus enim quòd August. non loquitur de emendatione quò ad fidem, sed quò ad ea quæ consistunt in facto in quibus ecclesia potest falli. unde ait: ipsa plenaria concilia sæpe priora contingit a posterioribus emendari cum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, hoc autem non uidetur posse referri ad fidem, ut infra plenius dicetur.

Cap. LXI. In quo ostenditur quòd apostoli omnes in passione Christi a fide eius defecerunt.

QVONIAM quidam aduersariorum ad probandum quòd ecclesia uniuersalis in fide deficere possit,& per consequens uniuersale concilium illam repræsentans magnum fundamẽtum capere uidetur ex hoc quòd omnes apostoli in quibus uniuersalis ecclesia repræsentari uidebatur in Christi passione defecisse uidentur.secundũ illud Mat.26. quod dominus dixit apostolis.Oẽs uos scandalum patiemini in me in ista nocte scriptum est enim.Percutiam pastorẽ & dispergentur oues gregis,gl. interli.i. ab unitate fidei soluentur. Placuit nobis de hoc aliquid tractare, ubi aduertendum est quòd sunt aliqui aduersariorum dicentes nullo modo asserendum esse quòd omnes apostoli in passione Christi defecerint timentes ex hoc sequi ꝙ fides defecerit ecclesiæ,sed istud iudicio nostro saluo semper meliori non est bene dictum propter duo primo,quia suppositũ uidetur falsum.secundo quia consequentia quã faciunt nullas uires habet.Primum patet: quoniam suppositũ illud uidelicet ꝙ oẽs apostoli in passione Christi a fide eius perfecta non ceciderint non uidetur consonare,sed repugnare sacræ scripturæ sanctorum patrum testimoniis & cõi fidei uniuersalis ecclesiæ.Repugnare quidem uidetur sacræ scripturæ in pluribus locis.

Primo illi quæ habetur psal.13.omnes declinauerunt, super quo ita inquit Hier.hunc psal.de passione Christi refert:quoniam omnes dominũ reliquerunt intantum,ut Petrus quoq; qui apostolorum fuit princeps ipsum negaret. Item infra super illud. Non est qui faciat bonum usque ad unũ dicit idẽ Hier.sic: hic apparet ꝙ hic psal.de passione pertineat, quia nullus de discipulis nec Petrus qui caput ecclesiæ est quia & ipse negauit. hæc Hiero. Item secundo repugnat sacræ scripturæ illi quæ habetur psal.68. Laboraui clamans,&c.sequitur defecerunt oculi mei, ubi sic dicit glo. a sperando in Deum uerum.alia littera habet sic,discipuli desperauerunt.unde oculi duorum discipulorum tenebantur in uia Christum non cognoscentiũ: quoniã desperantes dixerunt. Sperauimus ꝙ esset redempturus Israel quibus extra factum est quod intus erat i.cecitas cordis facta est in oculis, sed spem reddidit quando cicatrices palpandas obtulit quibus tactis Tho.ad spem redijt clamans. Deus meus & dominus meus hæc ibi. Item repugnat scripturæ sequentis uersus, ubi ait. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, &c. ubi ait gl.tempore passionis recesserunt iudæi a Christo & etiam apostoli,eo uero resurgente redierunt apostoli,sed non iudæi. hæc ibi. Item tertio repugnat scripturæ illi psal.87.Oculi mei languerunt præ inopia.super quo beatus Greg.& habetur etiam in gl.ordinaria ita loquitur illi oculi id est sancti apostoli quibus non reuelauerat caro & sanguis, sed pater eius qui est in cœlis,ut Petrus diceret. Tu es Christus filius Dei uiui,uidentes eum tradi atq; tanta perpeti mala:quoniam non uidebant eũ in uirtute formæ suæ,sed quasi superatum atq; impotentem infirmati sunt ab eius inopia uelut subtracto sibi cibo lumine suo. hæc ille. Quarto repugnat scripturæ illi psal.88.Perfudisti eum confusione. super quo ita inquit Hiero. Confusione inquit mortis hoc dicebant apostoli ignorantes eum a morte debere resurgere & Petro quasi deliramenta uisa sunt uerba resurrectionis eius Thomas autem ait. Nisi uidero non credam. hæc Hier. Quinto contradicit scripturæ illi psal. 108. Genua mea infirmata sunt a ieiunio.quod exponens beatus Aug.de apostolis ita inquit, ubi significatum esse arbitror eos qui in membris eius fortes uidebantur tanquam præsentia panis quo sustentabantur abstracta in eius passione defecisse usque ad negationẽ quæ apparuit in ipso Petro. Et caro inquit mea immutata est propter oleum,ut eos mea morte deficiens mea resurrectione firmarem & misso spiritusancto ungerem qui non ad eos uenisset nisi ego abiissem. hæc ille. Sexto repugnat scripturæ illi psalm.138.Dies formabuntur & nemo in eis, ubi habet alia littera,per diem errabunt & nemo in eis.quod beatus Aug. exponens de apostolis ita ait. Dies hic adhuc erat dominus Iesus Christus. unde dicebat ambulatæ dum lucem habetis, sed per diem errabunt imperfecti eius putauerunt & ipsi dominum Iesum Christum tantummodo hominem esse non habere in se occultam diuinitatem non esse occultæ Deum, sed hoc solum quod uidebatur hoc & ipsi putauerunt. nam & ipse Petrus dixerat domino cum interrogasset quem illũ dicerent homines tu es Christus filius Dei uiui dixerat ei dominus. Beatus es Symon bariona,quia caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus qui est in cœlis.quare?quia dixerat illum filium Dei, ubi Paulopost in eodem loco in ipsa contexione uerborum cepit dominus de passione sua futura dicere, ille autem Petrus qui iã cõfessus erat illum filiũ Dei timuit ne sicut filius hominis moriretur

erat enim filius Dei & filius hominis. timuit Petrus ne in forma serui periret forma Dei, & non potius præsumpsit, quia ex forma Dei reuiuisceret forma serui & ait illi absit a te domine propitius tibi esto, & dominus qui illum beatum dixerat illa uoce . uade post me inquit Sathana neq; enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum & infra. Christus inter illos ambulauerat, ante oculos illorum fluctus calcauerat, uentis imperauerat. ante oculos ipsorum quadriduanum mortuum suscitauerat, ante oculos ipsorum tanta miracula fecerat, & tamen trepidauerunt in passione eius quasi amisissent eum de quo frustra præsumpserant, sed per diem errabant & nemo in eis. Nemo prorsus nec ipse qui dixerat tecum ero usque ad mortem. dixerat enim illis ueniet hora, ut me relinquatis solum & eat unusquisque uiam suam: hæc Aug. Septimo contradicit scripturæ illi quæ habetur Iob. 19. ubi dicitur Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, &c. quod uerbum exponens beatus Greg. ita ait. In osse fortitudo in carnibus infirmitas corporis designatur. per os ergo Christus per carnem discipuli qui tempore passionis infirma sapuerunt. hæc ille. Ex quibus auctoritatibus, ut uidetur iuxta expositiones sanctorũ patrum discipuli non uidentur sapuisse quæ Dei erant in Christo, sed tantũ quæ hominis erant qui dicuntur infirma. Octauo repugnat scripturæ illi quæ habetur Math. 26. & Marc. 14. ubi Christus ait apostolis. Omnes uos scandalũ patiemini in me in ista nocte. scriptum est enim. Percutiam pastorẽ & dispergẽtur oues gregis gl. interli. ab unitate fidei soluentur. Item glo. ordi. habet sic prædicit quod passuri sunt, ut cum passi fuerint non desperent, sed pœniteant qui scandalizantur nocte scandalizantur, id est mente obscurati. Item hunc locum exponens sanctus Tho. ita dicit. apostoli propter infirmitatem carnis scandalum passi aggrauatur peccatum eorum ex propinquitate temporis, quia post tantas admonitiones & sacramenti susceptionem. unde obliti erant quæ fecerat eis. hæc ille. Nono contradicit scripturæ illi quæ habetur Luc. 23. ubi legitur ꝙ uerba mulierum nunciãtium apostolis Christum resurrexisse uisa sunt apostolis quasi deliramentũ & non crediderunt illis. Decimo repugnat scripturæ illi quæ habetur Marc. 16. legitur ꝙ dominus apparens apostolis exprobrauit incredulitatem eorũ & duriciã cordis, quia his qui uiderant eum resurrexisse nõ crediderunt, ubi dicit gl. quæ est Gregorii in homelia, ꝙ discipuli resurrectionẽ domini tarde crediderunt non tã illorum infirmitas quàm nostra firmitas fuit. dubitantibus enim ipsis resurrectio per multa argumẽta probata est quibus & nos firmius solidamur. Ad idem beatus Ambr. lib. de incarnatione c. 7. sic dicit. discipuli quidẽ aliquando errauerunt ne nos postea errare possemus. ergo illorũ error nobis profecit quasi homines errauerunt quasi discipuli crediderunt. hæc ille. Amplius secundo dictum etiã aduersariorum repugnat sanctorum patrum doctrinis. ait enim beatus Isid. ut habetur in gl. super illud Exod. 3. ita ut fugeret Moyses uirga in serpente Christus in morte expauit Moyses & fugit. mortuo enim Christo expauerunt discipuli a spe in qua fuerant recedentes. hæc ille. Ceterum dictũ aduersariorum contradicit cõi ecclesiæ uniuersalis fidei. nam ut Guilielmus in rationali diuinorum officiorũ testatur. Candela quæ in dieb. occultatur tenebrarũ hebdomadæ sanctæ per totã Christi ecclesiã designat Christi fidẽ quæ in sola uirgine remãsit per quã omnes fideles docti & illuminati sunt. Item idem confirmans irrefragabi-

lis doctor magister Alexander de alis in 3.senten. in expositione symboli dicit sic. Opinio quæ dicit quòd in sola uirgine stetit ecclesia in qua sola fides mansit in passione uidetur nobis uera. Item doctoris iuris canonici. unde Huguicio in apparatu suo super illud de pœnitentia dist. 1. in §. his auctoritatibus dicit sic. Mortuo Christo Petrus, & alii apostoli defecerunt in fide Christi dubitantes de eo peccauerunt mortaliter. Idem dicit Archi. in eodem loco. Præterea secundo dictum aduersariorum non est sustinendũ: quoniam consequentia quam faciunt nullius efficacie est, apostoli defecerunt in fide ergo fides ecclesiæ defecit: quoniam in beata uirgine dicitur integerrima permansisse quod non est minus credibile quàm illud quod beatus Aug. inquit super illud psalm. Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea, & habetur in glo. ubi ita dicit. Aliquando in solo Abel erat ecclesia. Ceterum ista consequentia non ualet. Petrus, & alii apostoli defecerunt in fide. ergo uniuersalis ecclesia siue concilium uniuersale. s. papa qui succedit beato Petro, & omnes alii prælati qui succedunt apostolis simul synodaliter congregati errare in fide possunt propter duo. Tum primo quia nec Petrus tunc temporis pastor erat ecclesiæ, nec alii apostoli erant in aliqua prælatione iurisdictionis sublimati: quoniam ut in superioribus commemoratum sæpe est per uerba illa tantum. Pasce oues meas Ioan. ul. dicta Petro Petrus constitutus est actu pastor ecclesiæ uniuersalis. unde tunc solus Christus erat pastor ecclesiæ, & ideo non mirum si oues pastorem suum relinquentes errauerunt, secundum illud Zach. 13. & Math. 26. Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Tum secundo quia apostoli deficientes nõ defecerunt collegialiter congregati uidelicet defectu qui ex communi eorum consensu emanauerit, ut patet sed defecerunt ut singuli secundum quod dominus eis prædixerat dicens. Veniet hora ut me relinquatis, & eat unusquisque in uiam suam. Math. 26. Ex quibus satis patet aduersariorum dicta sustinenda non esse, sed cum iam ex sanctorum patrum testimoniis habitum sit apostolos in Christi passione defecisse in fide quærendum uidetur utrum ratione illius erroris quo errauerunt poterant dici hæretici uel infideles. Ad quod nobis uidetur dicendum saluo semper meliori iudicio quòd non fuerunt hæretici, quia hęresis non tantum dicit errorem in intellectu sed pertinaciam quasi formale principium, ut colligitur ex c. hæresis 24. q. 3. unde Augu. inquit. Non qui falsas opiniones imitantur, sed qui eas contumaciter defendunt hæretici sunt censendi, cum autem apostoli non restiterint fidei resurrectionis pertinaciter aut aliqua animositate defenderint incredulitatem eorum non poterant censeri hæretici. Infideles uero dici potuerunt utputa sine fide Christi ut patet ex supradictis. unde Chrysost. tractans illud Ioan. 20. Maria Magdalena uenit ad monumentum cum adhuc tenebræ essent dicit quia adhuc fuit in tenebris infidelitatis. Item mulier quid ploras? non lachrymas nudas sed fidem quæro. Sed surgit hic alia quæstio, si infideles fuerunt quæritur in qua specie infidelitatis errauerunt. communiter enim non dicuntur nisi tres species infidelitatis, uidelicet prima qua renititur fidei non susceptæ, & talis est infidelitas paganorum siue gentilium. secunda est qua renititur fidei susceptę in figura, & talis est infidelitas Iudæorum, tertia est qua renititur fidei in ipsa manifestatione ueritatis. Et quæcunque harum ascribatur apostolis uidetur inhonorabile eis. Ad hoc respondendum nobis uidetur saluo semper meliori

Verũ apostoli deficientes in fide erant hæretici.

iudicio ꝙ nulla specierum prædictarum infidelitatis apostoli dicendi sunt fuisse infideles tempore passionis Christi. Pro quo notandū ꝙ infidelitas tripliciter pōt accipi, duos modos ponit sanctus Tho. in 2.2.q.10.ar.1. Vno modo secundū puram siue secundū simplicem negationem ut dicatur quis infidelis ex hoc solo ꝙ non habet fidem, & hoc modo ut dicit sanctus Tho. ubi supra in his qui nihil audiuerunt de fide non habet rationem peccati sed magis pœnę, quia talis ignorantia diuinorū ex peccato primi parentis est subsecuta. Secundo capitur infidelitas secundū contrarietatem ad fidē quia.s. aliquis repugnat auditui fidei uel etiam contemnit ipsam secundum illud Esa.5. Quis credidit auditui nostro, & in hoc perficitur ratio infidelitatis. Cum aūt apostoli non sint dicendi simplicem negationē fidei habuisse cum multa de fide, & resurrectione audierint a Christo, immo etiam ipsi confessi fuerint fidem diuinitatis in Christo quando a Christo interrogāti, uos aūt quem me esse dicitur, Petrus pro se & omnibus aliis respondit. Tu es Christus filius Dei uiui. Præterea Aug. super Ioan. inquit ꝙ apostoli a Christo creduntur baptizati, & per consequens habuerunt fidē Christi, & ita non possunt dici infideles per simplicē negationem fidei. Ceterū non potuerunt etiā dici infideles secundo modo. s. secundū contrarietatem ad fidem, quia nusquā leguntur fidei contradixisse tenendo aut pertinaciter defendendo contrariū. Cū aūt dicatur fuisse infideles necesse est ponere tertium modū infidelitatis qui. s. medius si inter duos modos prædictos qui est quædā fluctuatio inter duas partes nec uni nec alteri firmiter adhærendo de quo uidetur satis conuenienter ad propositum loqui c.1. extra de hæreticis dubius in fide infidelis est. Fides enim ut inquit beatus Bern. ambiguū non habet uel si habet fides non est, & isto modo possunt intelligi tā dicta sacræ scripturæ quàm sanctorum patrum ubi uidentur apostoli dici increduli siue infideles. Et ex his patet ꝙ nulla illarum trium specierū uidelicet paganorum Iudæorum hæreticorum de quibus arguebatur apostoli sunt censendi infideles, quia apostoli non dicūtur fuisse infideles secundo modo infidelitatis. s. secundum contrarietatem ad fidem cuiusmodi infidelitatis sunt præfatæ tres species, ut superius est explanatum.

Cap. LXII. Quod ad Romanum pontificem spectat corrigere, & damnare concilia quæ in perniciem fidei aut scandalum ecclesiæ processisse contingit.

QVEMADMODVM ad Romanum pontificē ut ad ecclesiæ principem pertinet concilia uniuersalia si bene processerint approbatione, & auctoritate sua confirmando honorare, ita ipsius est ea concilia quæ in perniciem fidei aut totius ecclesiæ perturbationem celebrata reperta fuerint corrigere reprobare ac cassare, ea quæ minus iuste minusq; bene acta sunt retractando, & condemnando, sicut de concilio Ariminen. patet, quia enim in eo fides læsa fuit, & infidelitas conscripta Damasus papam eam annullat, ut iam diximus supra in capitulo 58. Item idem patet de Ephesino concilio secundo quod licet auctoritate apostolica fuerit congregatum, & amplissimo prælatorum numero uenerabile,

bile, uerumtamen quia ut dicit Leo papa in eo non fuit obseruata iustitię moderatio nec fidei religio idem Leo papa beatissimus non modo sine ipsius synodalis congregationis assensu submouit, sed etiam condemnauit cassauit atque reprobauit documento eius qui ait Esa. 79. Dissolue colligationes impietatis, atque in correctionem eius synodum calcedonen. sua auctoritate instituit. Pro cuius synodi male acte condemnatione scribit Galla placida semper Augusta Helenę pulcherrimæ piissimo semper Augusto orans ut de illa synodo Leo papa permitteretur iudicare sicut ad eum iure primatus sui pertinebat ita dicens. Cum ergo beato Petro nostram præsentiam dedissemus illic multitudine sacerdotum Romanus Leo papa circundatus pro dignitate sui loci uos primus adiit qui propter impositam gemitus sui tristiciam desiderium plene suum uerbis insinuare non poterat, uicit tamen constantia sapientiæ sacerdotis ut lachrymas paululum retineret, & causam uiolatę fidei tanquam huius uindex manifesto sermone proferret. In quo sermone cognouimus nostris catholicam fidem esse turbatam quam a diuo patre nostro Constantino nostri generis parentes seruauerunt, ergo tua clementia secundum catholicam fidem (quod semper nobiscum fecit, & nunc similiter conspirare uidetur) dignetur ut quicquid in illius tumultuoso miseroq; concilio (scilicet Ephesino) constitutum est omni uirtute submoueatur & omnibus integris permanentibus ad iudicium apostolicæ sedis (in qua primitus beatissimus apostolorum Petrus qui etiam claues regni cœlorum suscipiens sacerdotii principatum tenuit) episcopatus causa mittatur. hæc illa. Item pro eadem causa scribens imperatori Theodosio sic inquit. Dum in ipso ingressu ciuitatis hanc curam habuissemus ut cultum beato Petro redderemus in ipso adorando altari martyrum reuerendus Leo episcopus paululum se post orationem retinens propter catholicam fidem apud nos defleuit, & infra hac ergo gratia tua mansuetudo tantis turbis resistens ueritatem immaculatam fidei catholicæ religionis seruare præcipiat ut secũdum formam, & diffinitionem apostolicæ sedis quam etiã nos tanquã præcellentem similiter ueneramur instituta sacerdotii illæso manente per omnia Flauiano ad concilii, & apostolicę sedis iudicium transmittantur in qua primus ille qui cœlestes claues dignus fuit accipere principatum episcopatus ordinauit. hæc illa. Item pro eadem causa, & cum eadem fide Valentinianus Imperator scribens Theodosio Imperatori ita dicit. Cũ aduenissem in urbem Romam ad diuinitatem placandam sequenti die ad Basilicã beati Petri apostoli processi, & illic a Romano episcopo, & ab aliis cum eo ex diuersis prouinciis congregatis rogatus sum scribere uestræ mansuetudini de fide quæ cum sit conseruatrix animarum dicitur perturbata quã nos a nostris maioribus traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem proprię uenerationis beato apostolo Petro intemeratã, & in nostris temporibus cõseruare quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis episcopus cui principatum sacerdotii super oẽs antiquitas contulit, locũ habeat, & facultatem de fide, & sacerdotibus iudicare. hæc ille. Ex quibus manifeste patet ꝙ ad Romanum pon. iure principatus sui pertinebat iudicare de quibuscunque sacerdotum congregationibus si errore aliquo istas contingeret maculari. Quocirca sanctus Dionysius papa scribens, Seuero episcopo dicit sic. Olim & ab initio tantam per-

cepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam ut habeamus au-ctoritatem uniuersali ecclesiæ auxiliante domino subuenire, & quicquid nociuum est auctoritate apostolica corrigere, & emendare, ad hoc enim diuinæ dispensationis prouisio gradus, & diuersos constituit ordines esse distinctos, ut sic dum minores potioribus reuerentiam exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent una concordiæ fieret ex diuersitate contexio, & ratione officiorum gereretur administratio singulorum, hæc ille. De hac uero auctoritate Rom. pon. in cassando concilia nequiter celebrata, & hoc pro sua auctoritate qua a Christo donatus est cum ei dictum est. Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque solueris super terram &c. loqui papa Nicolaus in epistola illa gloriosa quam scribit archiepiscopis metropolitis, & episcopis Constantinopolitanæ sedi subiectus pulchrum testimonium faciens ita inquit. Necnon & patrum prædecessorum nostrorum secuti uestigia qui soliti sunt etiam uniuersorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum si quæ socia sunt crebro dictæ uel exemplaria fortassis epistolæ, &c. Vnde in gestis octauæ synodi de papa Nicolao ita habetur, tunc cognoscens papa Nicolaus, scilicet quæ fecerat focius contra ignatium, & scrutans omnia fecit synodum, & conuocauit omnes occidentales episcopos archiepiscopos, & metropolitas, & omnem clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ atque totum senatum principum Romanorum, & damnauerunt liberium, & concilium malignantium quod factum est aduersus sanctissimum uirum ignatium & deposuit Apocrisarios qui uenerant huc raydealdum. scilicet & Zachariam, & ab omni honore sacerdotali ac omni communione reppulit eos, quoniam communicauerat, & consenserunt, & constituerunt inuasorē, & adulterum focium & abdicauit concilium malignantium. hæc ille. Item synodus Romæ congregata tempore adriani qui secutus est Nicolaum supplicans ut persequeretur quod inceperat papa Nicolaus dicit sic. Quapropter oramus te o angelicæ papa ut eundem habens spiritum eundemque zelum pietatis quem & fratres tui feruentissimi præsules conciliabulum cum gestis suis quod Constantinopoli nuper contra ueritatem sub tyrannicæ imperante Michaele congregatum est ita sententiæ uestræ falce recidatur ut nullum de eo momentum, nullum de eo remaneat omnino uestigium sed ad sui damnationem uel execrationem ariminen. synodo uel ephesino latrocinio sit modis omnibus comparandum. Et infra Adrianus ipse prosequens petitionem præfatæ synodi ita inquit. Conciliabulum uanitatis a focio, & huius fautore Michaele uidelicet tyrannicæ imperante Constantinopoli aduersus apostolicæ sedis reuerentiam, & priuilegium congregatum utpote ueritatis inimicum, & omni falsitate repletum quod & sibi consentientium animas interficiens ephesino latrocinio comparandum fore statuimus, & ipsius execranda gesta quibuscunque habeantur monimentis inserta summi iudicis Iesu Christi sanctorumq; principum apostolorū Petri, & Pauli nostraq; mediocritatis auctoritate penitus abolenda decernimus ita ut igni uoranda tradantur, & anathematæ perpetuo percellantur, similiter, & de ceteris scripturis quæ uiris iam nominatis auctoribus contra eandem sedem tempore diuerso sunt edite, gerendis modis omnibus diffinimus. hæc ille. Item idem Adrianus papa scribens tepasio patriarchæ in septima synodo dicit sic. Vestra sanctitas suggerat pius

Impe-

Imperatoribus, ut in primis Pseudo sylogus(id est falsum collegium) ille qui sine apostolica sede inordinate, & syllogicæ factus est aduersus uenerabilium patrum traditionem contra diuinas imagines anathematizetur præsentibus Apocrisariis nostris,& omne zizanium eradicetur ab ecclesia, & domini nostri Iesu Christi sermo compleatur,quia portæ inferi non præualebunt aduersus eam,& rursus. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam & tibi dabo claues regni cœlorum,& quodcunque ligaueris super terram &c. cuius sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget,& caput omnium ecclesiarum Dei consistit. hæc ille. Item idem testatur papa Pelagius scribens uniuersis episcopis per dardaniam constitutis,ut testatur dominus Aymarus in lib.de synodis, & habetur etiam in cap.Cuncta 9.q.3.ubi ita dicit.Cuncta per mundum nouit ecclesia quòd sacrosancta Romana ecclesia de omni ecclesia phas habet iudicare nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est,ab illa autem nemo appellare permissus est,sed nec illud præterimus quòd apostolica sedes frequenter more maiorum etiam sine ulla synodo præcedente exoluendi quem uel quos synodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla existente synodo quos oportuit habuit facultatem,& hoc nimirum pro suo principatu quem beatus Petrus apostolus domini uoce tenuit, & semper tenebit,sanctæ quippe memorie Athanasium synodus addixerat quem tamen exceptum sedes apostolica quia damnationi græcorum non consensit absoluit, itaque flauianũ pontificem græcorum congregatione damnatum pari tenore quoniam sibi sedes apostolica non consensit potius qui illic receptus fuerat Dioscorũ sedis secundæ præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam synodum non consentiendo sola submouit auctoritate ut synodus fieret calcedonen. sola decreuit.hæc ille.Huic autem sententiæ (ut dominus Aymarus subiungit) alii sanctissimi patres,scilicet Calixtus,Fabianus,Sixtus,Siluester,Iulius,& reliqui innumerabiles astipulantur quam a Deo amplexi sunt ueritatem,ut potius mori quàm mentiri deliberauerint. hæc Aymarus. Item beatus Grego.in registro scribens Eulogio, & Anastasio episcopis dicit sic. Ante hos quidem annos octo sanctæ memorie prædecessoris mei Pelagii tempore frater, & coepiscopus noster Ioan.in Constantinopolitana urbe ex alia causa occasionem quærens synodum fecit in qua se uniuersalem appellare conatus est quod mox ipse prædecessor meus, ut agnouit directis apostolis sancti Petri apostoli auctoritate eiusdem synodi acta cassauit. hæc ille.

Cap. LXIII. De ordine conciliorum adinuicem cui standum sit si sibiinuicem discrepare siue dissonare inueniantur.

QVONIAM quandoq; concilia uniuersalia aduersari siue dissonare abinuicem uidentur,ut in ca. Domino sancto dist.50.ab Isido.innuitur,iam uidendum est cuius concilii sententiæ magis obtemperandum siue standum sit. Circa hanc quæstionem conclusio uidetur esse beati Augu. Concilia prouincialia debere credere uniuersalibus, & uniuersalia priora quandoq; posterioribus emendari. Vnde ipse Augu.ponens Opinio primæ

gradus uarios inter eos qui auctoritatem habent in ecclesia ita loquitur lib 2. de baptismo contra donatistas, quis inquiens nesciat sacram scripturam tam ueteris quàm noui testamenti certis suis terminis contineri, eamq; omnibus posteriorum episcoporum litteris ita præponi ut de illa omnino dubitari uel disceptari non possit utrum uerum uel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit, episcoporum autem litteris quę post confirmatum canonem uel scriptæ sunt uel scribentur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea repotiores, & per aliorum episcoporum grauiorem auctoritatem doctorumq; prudentiam, & per concilia licere repræhendi si quid in eis forte a ueritate deuiatum est & ipsa concilia quæ per singulas regiones uel prouincias fiunt plenariorum conciliorũ auctoritate quæ fiunt ex uniuerso orbe Christiano sine ullis ambagibus cedere ipsaq; plenaria concilia sæpe priora posterioribus emendari cum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quòd latebat sine ullo typo sacrilege superbiæ, sine ulla inflata ceruice arrogantiæ, sine ulla contentione liuide inuidiæ cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. Item in eodem loquendo de Cypriano ita ait, si autem concilium eius attenditur huic est uniuersæ ecclesiæ posterius concilium præponendum cuius se membrum esse gaudebat. Nam & concilia posteriora prioribus apud posteros præponenda, & uniuersum partibus semper optimo iure præponitur. hæc August. Sed fortassis uidebitur alicui huic sententiæ August. aduersari sententia beati Isidori qui ut habetur in cap. Domino sancto dist. quinquagesima dicit: quòd quotienscunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur illius concilii magis sententia teneatur cuius antiquior, & potior existit auctoritas. hæc ille. Cui sententiæ etiam fauere uidetur Leo papa sanctissimus qui scribens Anatholio episcopo ita inquit. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia nec 300. illis, & 18. episcopis quantum libet copiosior numerus sacerdotum uel comparare se audeat uel præferre cum diuinitus, & priuilegio nicena sit synodus consecrata ut siue per pauciores siue per plures ecclesiastica iudicia celebrentur omni penitus auctoritate sit uacuum quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum. Item eadem sententia reperitur ab eodem papa Leone scribente episcopis in sancta Calcedonen. synodo fueret congregati. Item Nicolaus papa in epistola ad Michaelem Imperatorem ut habetur in octaua synodo ad argumentum focii, & suorum qui a numero patrum arguebant dicentes in concilio uniuersali ubi ignatius fuit depositus tot fuisse episcopos sicut in Niceno concilio, respondit ita. Nos quidem non numerosum tantum sanctorum episcoporum collegium Niceni uel Calcedonen. conciliorum ceterorumq; sanctorum patrum synodicas constitutiones sequimur sed eorum liberales ueneramur iustas, & diuinitus inspiratas sententias, & non tantum pro suorum multitudine obseruantur a nobis quia reuera multi in personis fuere sed in ualidissimis sententiis eos perpendimus plures. Verum pro concordia horum uisum est nobis saluo semper meliori iudicio fore distinguendum: quoniam dissonantia illa quæ inter concilia plenaria uniuersalia dicitur esse uel est circa ea quæ fidei sunt aut non, sed circa iudicia uel instituta circa proficua. & regimen humanæ uitæ siue ecclesiasticã disciplinã, si primo modo sit ista conclusio. Si discordia inueniretur inter concilia

Opinio secunda.

Cócordia opi.

Cóclusio prima auctoris

cilia uniuersalia (quod non credimus iuxta dicta possibile) standũ esset sententiæ antiquioris siue prioris concilii dum tamen fuerit uniuersale plenarium auctoritate Ro.pon.& approbatione fulcitum,& roboratum,cũ enim ut supra diximus tale concilium in fide stantiæ diuina promissione errare non possit,& fides sit simplex,& incommutabilis,ut ait Aug.& Leo papa: nõ potest sequens concilium illi in ueritate aduersari nisi alterum ipsorum a ueritate fidei deuiaret,quia uero non nisi falsum dissonat.aut ergo controuersia uera non est(quod magis credendum est)aut aliquod illorum catholicum non est quod magis de posteriori præsumendum esset cum antiquũ iam totius ecclesiæ acceptatione fuisset approbatum.pro qua parte uidetur facere dictum beati Isid.in cap.domino sancto dist.50.quod supra inductũ est,ubi etiam non parum utile erit aduertere quod sanctus Tho.dicit in 4. contra gentiles cap.25. quòd cum dicitur in Calcedonen.synodo quòd patres apud Constantinopolim congregati doctrinam Nicenæ synodi roborauerint non est intelligendum per modum additionis quasi ad id quod minus esset inferentes,sed per modum declarationis ea quæ de spiritusancto dicta sunt contra eos qui eum dominum respuere tentauerunt scripturarum testimoniis roborantes.unde beatus Hylarius li.5.de synodis in defensione synodi Calcedonen . contra quosdam criminantes eandem synodum quia aliqua uidebatur addidisse quæ non fuerunt in Niceno concilio ita dicit,nescientes regulam,& consuetudinem conciliorum sic noua posterioribus conciliis prout necessitas emergentium hæreticorum exegerit sancire decreta ut tamen in uita permaneant qui dudum antiquioribus conciliis contra ueteres hæreticos fuerunt promulgata. Nam si post Niceni concilii statuta nihil amplius liceret recipere qua auctoritate spiritumsanctum unius gloriæ cum patre auderemus asserere quod ibi constat omnino tacitum fuisse.hæc ibi . Si uero dissonantia quæ reperitur inter concilia sit circa ea quæ iuris sunt positiui,circa regimen humanæ uitæ aut disciplinam ecclesiasticam, magis standum uidetur posterioribus per quæ in talibus agibilibus, quia eorum materia est uariabilis sæpe priora supplentur moderantur, & etiam corriguntur, sicut dicit beatus August. ut supra inductum est quòd sæpe priora posterioribus emendantur cum aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. In talibus ergo non habet locum antiquitas: quoniam aliqua superioribus temporibus erant conuenientia quæ nostris ualde inconuenientia forent,& dispendiosa.unde canones apostolorum licet ceteris uetustiores sint tamen in multis eorum rigide sententiæ non statur , sed sententiæ per pietatem mitigatæ per alia sequentia concilia, in illis enim erat statutum ut presbyter fornicationem quomodolibet committens deponeretur, sed talis rigor per Grangren.concilium hodie mitigatur, & illi statur , & ita præiudicatur canonibus apostolorum , ut dist.82.presbyter . Ita etiam concilio Niceno circa dispositionem sedium patriarchalium præiudicatum est per concilium uniuersale sextum:quoniã iuxta dispositionem concilii Niceni Alexandrina ecclesia habebat primum locum post Romanam, iuxta uero dispositionem concilii Constantinopolitani sexti Constantinopolitana habebat locum ante Alexandrinam ut in cap. Renouantes distin. uigesima secunda,& illi nunc statur, & præiudicatur Niceno licet antiquiori,uerum ut tangitur in glo.præfati ca.domino sancto dist.50.aliqui distin-

Cõclusio secunda eiusdem .

gunt de constitutis in quibus concilia reperiuntur dissonare: quoniam constitutiones ille aut sunt locales, & temporales aut sunt generales, si locales & temporales tunc præponenda est illa constitutio quam plures, & grauiores recipiunt illi quam pauciores auctoritate obseruant iuxta regulam datam in cap. Canonicis dist. 19. & ita uidetur standum esse in isto casu concilio cuius potior est auctoritas. Si uero sunt generales posterior uidetur præiudicare priori. extra de cogna. spi. ca. 1. & ff. de legi. non est nouum ubi dicitur quòd posteriores leges trahunt ad se priores. Sed quærit tam glossator quam Hugo: qualiter potest esse contrarietas in canonibus cum dicantur esse conditi per spiritumsanctum, ut in cap. Violatores 25. quæst. 1. Ad hoc respondens Hugo dicit quòd potest dici quòd sancti patres non semper loquebatur per spiritumsanctum, & ita potuerint dicere contraria uel ignoranter uel scienter, uel potest dici quòd non est ibi contrarietas nisi quo ad nos qui non plene intelligimus. hæc ille. Glossator uero respondet quòd duo canones possunt esse contrarii, & tamen uterq; est iuste institutus, quia unus statuit, & iustę, alter contrarium potest statuere, & iustæ, ut 63. dist §. uerum quod intelligendum est habita consideratione ad diuersas causas uel circunstantias temporum uel locorum. unde proprie non sunt contrarii. Nam diuersitas statutorum nequaquam contraria esse censetur si diuersitas locorum, & temporum atque personarum quibus distributa sunt intelligatur.

Cap. LXIIII. Cuius iudicio standum sit: si in concilio uniuersali contingat patres a papa uel eius legato dissentire.

POSTQVAM uisum est quid agendum sit cum discors sententia reperitur in statutis uniuersalium conciliorum, iam enucleandum uenit cuius sententiæ siue iudicio standum sit cum patres concilii in synodo congregati super diffiniendis atque statuendis siue iudicandis dissentiunt. Pro quo uidetur nobis per distinctionem procedendum: quoniam dissensio siue discordia inter papam, & patres concilii aut est in materia fidei aut non. Si in materia fidei hic dupliciter, aut est materia illa iam diffinita prius per apostolicam sedem quam patres concilii aut uellent refutare aut immutare, & in tali casu sit ista conclusio, quòd sententiæ papæ firmiter standum est, iuxta beatum Hiero. in cap. Hæc est fides 24. quæst. 1. Et in hoc sensu uidetur intelligenda glo. super ca. Quodcunque, quæ ita dicit argumentum quòd sententia totius ecclesiæ præferenda est Romanæ si in aliquo sibi contradicant argumentum 93. di. legimus, sed contrarium credo argumentum hæc est fides 24. q. 1. nisi erraret Romana ecclesia quod non credo posse fieri quia Deus non permitteret, argumentum infra e. a recta & cap. Pudenda. hæc glo. Item glo. super ca. Nemo 9. q. 3. sic dicit ar. quòd concilium non potest papam iudicare, ut extra de elect. cap. Significasti. unde si totus mundus sentiret contra papam uidetur quòd sententiæ papa standum esset, ut 24. q. 1. hæc est fides, hæc glo. Secundo modo possumus loqui quòd prædicta contrarietas sit in materia fidei sed nondum diffinita sed quæ nouiter per concilium ueniret diffinienda, tunc in tali casu ponatur ista conclusio secunda, quòd magis regulariter standum foret iudicio

De dissensione in materia fidei

patrum

patrum totius concilii quàm iudicio Rom.pont. Ista conclusio in primis ui detur colligi ex gl.in c.Anastasius dist.19.quæ ita habet papa tenetur requi rere concilium episcoporum ubi de fide agitur & tunc synodus maior est papa quod intelligendũ est maioritate discretiui iudicii secundum quod nõ dubium quin regulariter concilium sit maius Rom. pon. Nam ut Bern.dicit,quæ maior superbia quàm ꝙ unus homo toti congregationi iudicium suum præferat tanquam ipse solus habeat spiritum Dei . propter quod Arch.approbans gl.præfati c.Anastasius dicit . Periculosum esset, fidẽ nostram committere arbitrio unius hominis.Et non modo papa uniuersali cõcilio, sed etiam unicuiq; qui melius sentiret deberet credere plus quã sibi.Sicut exemplum habemus de beato Petro qui Paulo resistenti sibi rationibus acquieuit,de quo pulchre Cyprianus in quadam epistola ita loquitur. nã nec Petrus quem primum dominus elegit, & super quem ædificauit ecclesiam suam cum secum Paulus de circuncisione postmodum disceptasset nec uendicauit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit nec dixit se primatũ tenere,& obtemperari a nouellis,& posteris sibi potius oportere nec despexit Paulum quòd ecclesiæ prius persecutor fuisset sed consilium ueritatis admisit & rationi legitime quam Paulus uendicauit facile consensit documentum nobis,& concordiæ tribuens,ut non pertinaciter nostra amens siqua aliquando a fratribus,& collegis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur si sint uera, & legitima ista potius quàm nostra dicamus . Diximus autem regulariter,quia non esset impossibile quòd quandoque unus homo,& maxime papa multiplici respectu in aliqua materia melius sentiret ceteris omnibus.unde secundum communem doctrinam doctorum in sola beata uirgine fides mansit inuiolata catholica in triduo, & sanctitas ecclesiæ,dicitur etiam in ca.Nicena 31.dist.ꝙ phanuncius confessor contradixit Nicenæ synodo uolenti instituere quòd episcopi,& presbyteri atque dyaconi cum uxoribus quas ante consecrationem duxerant non dormirent dicit glo.unus ergo potest contradicere uniuersitati si habet rationabilem causam,ut extra de his quæ fi.a ma.par.ca.c.1. Vbi tamen aduertendũ ꝙ quando talis controuersia in materia fidei orta esset inter papam,& patres concilii licet uniuersitas patrum sequenda esset utpote iudicio discretionis præeminentior, & superior nihilominus nihil uideretur concilialiter concludendum quousque concorditer papa, & patres in unam simul conuenirent conclusionem, & sententiam.Si uero materia circa quam dissensio,& contrarietas est inter patres,& Romanum pon.non pertineat ad fidem sed ius positiuum , tunc distinguendum,quia aut ista dissensio est super condendo nouum ius aut super tollendo ius alias positum aut super dispensando in ueteri iure. Si super ius nouum condendum est distinguendum aut tale ius siue constitutio habet qualitates legis quas beatus Isid. ponit in c.erit autem lex dist.4.uidelicet ꝙ sit honesta iusta rationabilis iuxta naturam & consuetudinem patriæ loco temporiq; conueniens necessaria utilis &c.sit ista conclusio.Quod sententia papæ est preferenda sententiæ omnium aliorum.Quæ conclusio patet tum ex superioritate Romani pon.qua in ecclesia præeminet uniuersis,ut prælatus magister, & princeps , & habet plenitudinem potestatis,ut 2.q.7.decreto,& extra de au.& usu pal.ad honorem. Tum ex qualitate legis quæ talis esse ponitur ꝙ religioni congruat disciplinæ conueniat,& proficiat saluti.unde iusta huiusmodi , & præcepta Ro-

De dissensione in alia materia.

Cõclusio prima auctoris

manæ ecclesiæ ab omnibus seruanda sunt ut di.12.ca.2.& in c.enim d i.19. dicit Stephanus Papa quintus. Enimuero quia in speculum,& exemplū sancta Romana ecclesia cui nos Christus præesse uoluit posita est omnibus quicquid statuit, & quicquid ordinat perpetuo, & irrefragabiliter obseruandum est, hæc est sententiæ Hug.& Archi.in ca.in istis dist.4.addentes q ubi subditi nollent acceptare rationabilem constitutionem posset eos ad hoc compellere,& sic factum est ut inquit Archi.23.q.5.de liguribus, ut ibi patet in casu ut cum alias eius potestas esset de lusoria. Si uero contingat quòd id quod Ro.pon.instituere uult non habeat qualitates præfatas legis ita quòd nec religioni congruat nec disciplinæ conueniat nec proficiat utilitati aut etiam non sit loco temporiq; conueniens, sit ista conclusio q potius standum esset contradictioni episcoporum quàm uoluntati papæ

Cóclusio secunda

Ista conclusio est glo.in ca.in istis di.4.quæ ita habet. Cum papa uult condere canones episcopi possunt contradicere, & dicere canon iste non conuenit consuetudini religionis nostræ. Si uero controuersia sit super tollendo ius antiquum utputa q episcopi uellent tollere aliquos canones aut instituta antiqua, & papa nollet sit ista conclusio. Sententiæ papæ in hoc casu potius standum est. patet conclusio. Tum quia episcopi legati sunt per uetus ius, & ideo non possunt de ueteri iure iudicare nec ipsum tollere di.4. in istis. Tum quia quod semel approbatum est a modo non potest reprobari nisi papa consentiente 8.q.2.dilectissimi,& c. Licet,& glossa in c. Veniam 35.q.9.dicit, quod papa approbat non licet aliis reprobare 24.q.1. hæc est fides. Si uero controuersia sit in dispensando contra uetus ius sit ista conclusio. Sententiæ papæ est magis standum quàm opinioni aliorum. patet conclusio ex ca. Veniam 35.q.9.ubi papa dispensat cum uno a prædecessoribus suis damnato ad præces seu petitionem episcoporum quod non fuit necesse, quia cum ipse solus plenitudinem potestatis habere uepote princeps legum ecclesiæ ad ipsum per se pertinet dispensatio pro tempore & loco canonum,& regularum sanctorum patrum prout utilitati ecclesiæ prospexerit expedire. ut in ca. Necessaria 1.q.7.inquit papa Pelagius ut supra plene circa ca.54.dictum est. Sed arguunt quidam aduersariorum q si papa præferret in aliquo iudicium suum patribus existentibus in concilio uniuersali cum illi repræsentent eccclesiam uniuersalem existimaret posse errare damnabiliter, & per consequens credere ecclesiam non sanctam contra articulum. Credo sanctam ecclesiam sed uidetur nobis hoc argumentum ualde debile. Tum primo quia si loquamur de iudicio auctoritatis siue potestatis iurisdictionis cum hoc iudicio apostolicæ sedis nullum sit maius, ut supra ostendimus a maxime in secundo li.& habetur in c. Patet 9.q.3.papa præferendo se in auctoritate huius iudicii omnibus aliis fidelibus qui siue sint dispersi siue congregati omnes sunt eius oues, & ei subditi non præfert se uniuersali ecclesiæ, ut uniuersalis ecclesia nominat corpus cum capite suo, sed bene præfert se uniuersali ecclesiæ prout nominat corpus uniuersitatis fidelium subditorum ipsi Christi uicario. Tum secundo, quia si loquamur de iudicio discretionis si etiam papa in aliquo casu in aliqua materia præferret iudicium suum iudicio aliorum patrum existentium in concilio non sequitur propter hoc quòd papa existimaret uniuersalem ecclesiam posse damnabiliter errare. Tum primo, quia falsum est quòd aliqua congregatio presbyterorum secluso Romano ponti-

Cóclusio tertia

Cóclusio quarta

Obiectio

Respósio

uero,& catholico qui princeps,& caput uniuersalis ecclesię est repręsentet uniuersalem ecclesiam. Tum secundo, quia licet uniuersale concilium ecclesiam uniuersalem repræsentare dicatur non tamen est ipsa ecclesia uniuersalis,& ideo aduersariorum consequentia nulla est, uniuersale conciliũ errat ergo uniuersalis ecclesia errat.unde licet concilia aliqua, ut Arimin. & ephesinum secundum errasse damnabiliter dicantur non tamen propter hoc dicitur uniuersalis ecclesia damnabiliter errasse. Tum tertio quia non omnis error est damnabilis aut obuius sanctitati,ecclesia enim in multis fallit,& fallitur,ut in ca. A nobis sen.ex.& nihilominus talis error non derogat sanctitati militantis ecclesiæ obuiaret autem sanctitati triumphantis, ut patet,quoniam illa nullum errorem nullumq; defectum patitur seu admittit sed omnia ibi in luce clarescunt.

Cap. LXV. Cui parti patrum de concilio standum sit si inter eos dissensionem interuenire contingat.

RELIQVVM est iam uidere si dissensionem inter patres concilii oriri contingat quæ illarum pars præferenda sit ut ei stetur an scilicet semper arguendum a maiori parte. Ad quod responsuri sic distinguendum iudicamus:quoniam materia super qua est inter patres dissensio aut habet pro aliqua sui parte ita euidentem rationem aut ita apertam auctoritatem quòd eius oppositum manifeste est falsum & in isto casu sit ista conclusio.in conciliis uniuersalibus in prædicto casu non est arguendum semper a maiori parte, quæ conclusio. patet primo exemplariter de concilio Ariminen.ubi cum inter patres numero DCCCXXX.fuisset dissensio & maior multo pars fuerat errantium,ut patet ex historia male argutum fuisset tunc a maiori parte. unde Dama. papa scribens episcopis per illyricum constitutis. Nec enim præiudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum quando constat nec Romanum episcopum cuius ante omnia dicebat expectare decretum nec Vincentium qui tantis annis episcopatum inuiolabiliter custodiuit nec alios talibus præbuisse assensum.Secundo patet in secundo concilio ephesino in quo cum etiam plures fuerint qui declinauerunt a ueritate pauci uero pro ueritate certantes malum fuisset si in illo concilio a maiori parte fuisset argutum.possunt etiã alia exempla poni de aliis conciliis quæ superius errasse commemorata sunt.unde planum est quòd in tali casu ubi apparens, & euidens ratio ueritatis est sacrilegium esset arguere a multitudine sicut leguntur fecisse Iudæi contra Christum,qui ut inquit Chrisost. conuenerunt ut multitudine uincerent quem ratione superare non poterant a ueritate se nudos professi sunt qui se multitudine armauerunt. Si uero materia super qua est controuersia non sit clara & euidens ut oppositum per rationem aut auctoritatem scripturæ sanctæ ac sanctorum patrum diffinita manifeste ostendatur falsum sed uideatur habere probabilitatem ad utramque partem sic ista conclusio,quòd in tali casu regulariter a maiori parte sit arguendum. Patet ista conclusio, quia ubi maior pars ibi præsumitur esse ecclesia ut quinquagesimasexta distinctione,apostolica,iuxta glossam. Tum secundo, quia ut in cap. In cunctis,extra de his quæ fi.a ma.par.capi. dicit concilium lateranen. In cunctis ecclesiis, quod pluribus, & senioribus fra-

tribus uisum fuerit incunctanter debet obseruari, graue nimis est, & repræhensione dignum, quod per quasdam ecclesias pauci quandoque non tam ratione quam propria uoluntate ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. hæc ibi. Ad hoc etiam iuuat ca. Sicut dist. 15. hinc in concilio nono toletano est ordinatum sub hac forma, quòd cum quælibet synodus agitur aut pacifice inter pontifices quippiam diffinitur, si pauciores per nescientiam uel contentionem forte dissentiunt aut commoniti plurium sententiæ cedant aut ab eorum cetu cum dedecore, & confusione abscedant aut excommunicationis annue lauant pœnam. Bene autem dicitur per nescientiam uel contentionem dissentiunt: quoniam si pauciores immo etiam unus cum rationabili causa contradicit uniuersitati ut in superiori cap. tactum est, non est culpabile iuxta ca. Nicena 31. di. Sane non est prætereundum hic silentio quid olim sancti patres obseruandum dixerũt, ne in uniuersalibus conciliis super huiusmodi dubiis uentilandis controuersia aliqua oriretur, & ut ueritas plenius, & citius illustrata acceptabilis fieret toti ecclesiæ. Plane ut tam ex antiquorum conciliorum historiis quàm ex beati August. sententia colligere possumus hoc apud ueteres patres obseruatum est. Summus enim pon. quando patriarchis, & aliis ecclesiæ prælatis denunciaret uoluntatem suam de congregando concilio uniuersali semper explicabat necessitatem cõueniendi, & materiam super qua foret prouidendum mandans, ut ipsi primo in suis prouincialibus conciliis deliberarent, & quid totius prouinciæ patribus in unum congregatis uisum esset per nuncios mittendos ad uniuersale concilium ipsi uniuersali concilio explicarent. unde beatus Aug. contra donatistas hoc aperte testari uidetur sic dicens. quomodo enim potuit res ista tot altercantium nebulis inuoluta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemq; deduci nisi prius diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus, & collationibus episcoporum pertractata constaret.

Cap. LXVI. Quòd papa possit transferre concilium congregatum de loco ad locum id rationabili causa exigente.

SANE ex his quæ supra de principatu apostolicæ sedis ac prærogatiua dignitatis quam habet Rom. pon. super uniuersalia concilia enucleauimus manifesta luce colligere possumus hanc conclusionem ꝙ Rom. pon. sua auctoritate causa legitima occurrente potest concilium uniuersale congregatum de loco ad alium locum transferre. Ista conclusio nõ solum exemplis multis in ecclesia Dei in quibus aut propter pestem aut guerrarum angustias translationes sæpe factæ leguntur conciliorum, sed ita ratione sit manifesta ut uacuus sensu omnino iudicandus ueniat qui Romanum pontificem ad quem, & uniuersalia concilia spectat congregare auctorizare confirmare interpræetari dispensare, & male celebrata cassare, ut in superioribus est demonstratum neget posse causa legitima occurrente siue existente concilium sua propria auctoritate de loco ad locum transferre. Præterea si pastor potestatem habet transferendi gregem de loco ad locum prout gregi pascendo cognouerit expedire quis

re quis nisi sensu uacuus negabit Romanum pontificem qui pastor est universalis ecclesiæ,& per consequens concilii eam repræsentantis posse trãsferre uniuersale concilium cum hoc rationabilis causa exposcit. Ceterum si iuxta sanctorum patrum irrefragabilia testimonia superius inducta summus pontifex ratione sui primatus pro conditione, & necessitate rerum auctoritatem habet ut moderator si canonum profecto multo magis existente temporis rerumq; necessitate concilium transferre, cum iuxta Grego. in ca. Nouit. dist. 12. Non pro locis res sed pro rebus loca amanda sunt & 2. Macha. 5. dicatur, quòd non propter locum gentem sed propter gentem locum dominus elegit. Plane non uidetur parum circa fidem auctoritatis summi pontificis desipere qui hoc priuilegium apostolicæ sedi denegaret, uerum si per aduersarios huius conclusionis inducatur decretum Constantien. concilii quod incipit frequens, quod etiam confirmatum asseritur per dominum papam Martinum in quo uidetur dari lex scripta papæ in transferendo concilium, conciliorum autem uniuersalium decreta uidentur obseruanda esse quemadmodum lib. 4. euangeliorum, ut attestatur Greg. in ca. Sicut dist. 15. Respondetur tamen breuiter abstinendo a multis quæ rationabiliter in hoc dici possent quòd constitutio illa Constantien. concilii non artat papam aut stringit quin papa posset dictam constitutionem moderari siue in ea pro temporum personarumq; necessitate dispensare aut in totum tollere quemadmodum in superioribus de canonibus sacrorum conciliorum manifesta ueritate ostendimus, manifeste etiam habetur ex. §. ex his 25. q. 1. papa enim non subiicitur legibus conciliorum ut in cap. Significasti, extra de elect. & in l. princeps. ff. de legi. quia non rex legi sed lex est subiecta regi, quæ lex animata dicitur. Quod autem inductum est de ca. Sicut, quòd decreta conciliorum obseruanda sunt sicut 4. li. euangeliorum non obstat quia illud sicut glo. testatur, & in superioribus plene declarauimus uniuersaliter non est uerum, sed tantum habet ueritatem in his quæ de fide utputa circa articulos fidei ac sacramenta per concilia diffinita sunt. Nec consequenter obstat quòd etiam dicitur ꝙ constitutio illa frequens fuerit confirmata per Martinum: quoniam approbatio siue confirmatio Martini præfata in hoc genere rerum nullum potuit inferre præiudicium suis successoribus pari immo eadem post eum potestate functuris cum par in parem non habeat imperium in ca. metuit. §. quamuis de elect. & in l. Marcus de arbi. unde ipse dominus Marti. non obstante prædicta constitutione concilii Constantien. & confirmatione sua dedit præsidentibus suis in concilio senen. potestatem transferendi conciliũ nulla facta mentione consensus concilii. unde ratio aduersariorum non militat.

Cap. LXVII. Quòd Rom. pon. causa legitima siue rationabili existente possit auctoritate sua uniuersale concilium dissoluere etiam inuitum.

PLANE considerata bene superioritate Rom. pon. atq; auctoritate quam habet in uniuersali ecclesia nullus Christianus uertet in dubiũ quin Ro. pon. qui ecclesiæ princeps est cui totius ecclesiæ uniuersalis cura ab ipso immortali ac omnipotente Deo commissa est poterit uniuersale concilium congregatum rationabili causa exposcente absq; cuiuscunq;

alterius consensu dissoluere aut in alium locum transferre. quam conclusionem licet multis rationibus firmare possemus ex superioribus aliqua commemorando paucis agemus. Primo sic ex illo quod ait Christus beato Petro Math.18. Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis,& quodcunque solueris super terram erit solutum,& in cœlis.unde contra hanc potestatis prærogatiuam dicere uidentur qui negantes Ro. pon.ex causa rationabili posse dissoluere concilium aggregatum.Secundo sic.principium regulare ff.de leg.l.1.est,quòd eiusdem est soluere cuius est condere.unde etiam iuris regula prima situata extra de regulis iuris est,quòd per easdem causas res dissoluitur per quas nascitur,cum autem uniuersalia concilia auctoritate Ro.pon.& congregentur, & robur accipiant, ut patet dist.17.per totum patet quòd Ro.pon.poterit concilium uniuersale rationabili causa exposcente dissoluere . unde remota potestate papæ iam non remanet concilium sed conuenticulum, ut dicit tex. dist.17.multis.Tertio sic.si ut superius ostensum est concilia non rite celebrata Ro.pó. utpote totius ecclesiæ iudex potest sua auctoritate sine cuiuscunq; alterius consensu cassare,& reprobare,ut in c.Cuncta per mundū 9.q.3.quis nisi insensatus negabit Romanum pontificem concilia non rite celebrata aut in malum machinantia posse auctoritate sua sine consensu cuiuscunq; dissoluere,attento maxime ꝙ dominus per prophetam Esaiam ait cap.54. Solue colligationes impietatis. Quarto confirmatur auctoritate papæ Gelasii qui in ca.Cuncta 9.q.3.ita inquit. Cuncta per mundū nouit ecclesia quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri ius habet dissoluendi utpote qui de omni ecclesia fas habeat iudicandi . Quinto sic. negare ꝙ Ro.pon.non possit dissoluere concilium congregatum rōnabili causa exposcente uidetur esse nimium periculosum Christianæ fidei & unitati ecclesiæ ergo nullo modo est dicendum. consequentia patet , & antecedens colligitur ex casibus multis,primo quidem & maxime cum contingeret quod ad eorum hominum impietatem synodus esset deuoluta quorū studia priuata in euersionem fidei pacis,& unitatis agitarentur ecclesiæ,sicut ait Leo papa de secunda synodo ephesina. Secundo cum episcoporū qui patres,& columnæ dicuntur ecclesiæ iudicio contempto inferiores multitudine seditiosa præualente hierarchicū ordinem molirentur confundere. Tertio cum synodus in tyrannidē esset conuersa. Quarto cū aliqui in concilio nouis ausibus usurpare iura apostolici principatus pertinaci animositate cōtenderent.Quinto cum contingeret ꝙ concilium faueret hostibus Romanæ ecclesiæ ac summi pontificis.Sexto cum princeps terrę in qua celebrari synodum cōtingeret multitudine clericorum dominii sui aduersus Romanum pontificem uel Romanam ecclesiam aut alios prælatos Christianos aliquod sinistrum intentare præsumeret. Septimo cum synodus ad manus deuolueretur eorū qui pro principatus sui gloria augenda aut temporali utilitate consequenda perpetuare concilium niterentur. Octauo cū cautulosæ aut malitiosæ id ageretur, ut adueniente Romani pon. decessu ad eos futuri pontificis deuolueretur electio.Et sic de similibus quæ tam ex antiquorum quorundam conciliorum prǽtica quam ex prauis Basilien. studiis nota sunt.Quis aūt in huiusmodi casibus nisi rōne uacuus dogmatizare præsumeret Romanū pontificē uniuersalis ecclesię principē pastorem & custodem non posse absque cuiuscunq; alterius consensu concilium uni-

uersalis ecclesiæ dissoluere? Plane non nisi satanus assereret quod turbe luporũ insidiantiũ uitæ ouiũ pastor non posset absq; luporum consensu lupis illis obuiare, & illos profugare de loco. Ex quibus manifeste confutatur error dicentiũ quod Ro. pon. etiam rationabili causa exposcente non possit propria auctoritate sine consensu concilii dissoluere ipsum cógregatum concilium. Contra quem errorem possunt facere omnia quæ superius inducta sunt de Ro. pon. auctoritate, & superioritate tam ex auctoritatibus sanctorum patrum, & canonum quam glossarum quorum sententiæ potius standum uidetur quam quorumcunque nouellorum magistrorum adinuentionibus. Nam ut inquit Nicolaus papa in ca. Ridiculum di. 12. Ridiculũ, & satis abominabile dedecus ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus infringi patiamur. unde Prouerbiorum 22. dicitur. Non transgrediaris terminos quos posueru nt patres tui.

Cap. LXVIII. In quo obiicitur per aduersarios contra prædicta.

ADVERSARII impugnantes præfatam conclusionem arguunt multipliciter in contrariũ illius. Primo ex decreto frequens concilii Constan. in quo cum prohibeatur mutatio loci prorogatio téporis concilii sine consensu concilii multomagis prohiberi uidetur dissolutio. Secũdo sic. conciliũ cum sit congregatum ad aliqua agenda uidetur tanto tépore debere durare quousq; causę propter quas est cógregatũ finé sortiantur optatũ, perfecta. n. debent esse opera concilii, perfectum aũt est cui nihil deest. ergo uidetur quod nullo modo conuenienter dissolui possit ante complementũ eorum operum propter quæ sit congregatũ. Tertio sic. si conciliũ est pro causa papæ cógregatũ utputa quia diffamatus est de hæresi clarum est quod dissoluere id non pót papa: ergo conclusio præfata falsa. consequentia uidetur bona. Quarto. si conciliũ congregetur pro extirpanda aliqua hæresi, quia ut habet gl. in ca. Anastasius di. 19. in quęst. fidei papa debet requirere conciliũ episcoporũ, uidetur quod ante expeditionem rei papa non posset dissoluere sine consensu concilii: ergo &c. Quinto sic. si papa posset sua auctoritate dissoluere cóciliũ, similiter posset prohibere ne unquã celebrarentur uniuersalia cócilia, sed hoc non pót ut patet. Ipsi. n. potestas & priuilegia sunt ad ædificationé non aũt ad destructionem, prohibere aũt celebrationé conciliorũ caderet in euersione fidei ruinã ecclesiæ, & perturbationé populi Christiani. Sexto sic. si papa posset dissoluere unũ conciliũ propria auctoritate ita, & aliud & sic de singulis, & ita posset omnia concilia antequam aliquid concluderent dissoluere, quod non modo scandalosum sed perniciosum fieret ecclesiæ Dei. Septimo sic. si hæretici uellent cóuerti, & non nisi per conciliũ clarum est quod tale conciliũ papa non posset dissoluere nisi consensu interueniente patrum ipsius concilii. Octauo sic. si concilium congregatum est pro bono uniuersalis ecclesiæ, & tale bonum papa solus prohibere non potest uidetur quod papa sine consensu concilii dissoluere non posset, alias uideretur magis hostis ecclesiæ quam protector.

Arg. primum

Secundũ

Tertium

Quartũ

Quintũ

Sextum

Septimũ

Octauum

Cap. LXIX. In quo respondetur obiectionibus factis.

IAM facile responderi potest obiectionibus factis ut unico quasi uerbo satisfieri posset omnibus simul uidelicet quòd nos non dicimus ꝙ Romanus pontifex pro libito uoluntatis quæq; concilia dissoluere posset sed tantum legitimis rationibus siue rationabilibus causis hoc exposcentibus, hoc enim solum dicimus quòd non modo in sanctorum patrum libris sed in practica cognouimus uniuersalis ecclesiæ uidelicet quòd sicut in Romani pontificis facultate, & potestate est pro arduis magnisq; causis concilia temporibus, & locis congruis congregare, ita rationabilibus causis exposcentibus absque cuiuscunque alterius consensu ipse sua auctoritate utpote qui uices Christi gerit in terris transferendi illa, & dissoluendi illa liberam habeat facultatem. Et qui contrarium dicit non modo illius priuilegiis diuinitus concessis derogare uidetur, sed Christo Saluatori nostro cuius uicarius est qui nisi talem facultatem uicario suo dedisset non uideretur ei dedisse plenitudinem potestatis necessarię ad ecclesiæ suę uniuersalis gubernationem, & defensionem, & ita minus sufficiẽter fuisset prouisum ecclesiæ quod de Deo cuius prouidentia amplissimæ est liberalitatis, & quæ in sui dispositione non fallitur non est phas dicere. licet ergo ista sufficerent ad singulas obiectiones in communi, nihilominus ad singulas in particulari respondebimus. Ad primam de decreto Constantien. plene responsum est in cap. 66. præcedenti. Præterea decretum illud non est ita abusiue interpætandum quòd causa imminente siue urgente papa non habeat facultatem dispensandi circa loci mutationem tẽporisq; prorogationem concilii, & per consequens dissolutionem eiusdem cum etiam nec tale statutum esse posset iuxta superius demonstrata, & clare habetur extra de elect. ca. significasti. Ad secundam cum dicitur ꝙ concilium tanto tempore debet durare &c. respondetur uerum est nisi aliud impediat propter quod rationalis causa exposceret ut dissolueretur tale concilium, & reseruarentur illa opera complenda alio in loco & alio tempore. Ad tertiam cum arguitur de concilio congregato ratione hæresis de qua papa esset infamatus, &c. respondetur quod in hoc casu ut nobis apparet papa maxime si in fraudem faceret non posset sine consensu cõcilii quod in illa parte iudex est, dissoluere concilium. Ad quartam quando arguitur de concilio congregato pro extirpanda hæresi, respondetur quòd uidetur nobis rationabile quòd in tali casu papa non sic dissolueret sine consensu concilii, nihilominus ubi papa de certo talem dissolutionem non faceret in fraudem sed manifeste cognosceret quòd pro dicta hæresi extirpanda alio tempore, & alio loco conuenientius celebraretur uniuersale concilium posset ipse sua potestate quæ a nullo quàm a Deo dependet nec ligari potest, illud concilium dissoluere, & aliud pro eadem causa instituere celebrandum. Ad quintam cum arguitur quòd pari ratione posset prohibere &c. respondetur negando consequentiam, manifestum est enim ꝙ ex hoc quòd papa habeat potestatem rationabili causa exposcente dissoluere congregatum concilium non sequitur ergo põt prohibere ne unquã celebrarentur concilia, concilia. n. uniuersalia cũ (ut inquit Aug.) sint saluberrimę auctoritatis illorũ celebratio, ut in prin. 3. l. ostẽdimus ex multis utilissima, & accõmodatissima est in ecclesia Dei, & pertinere uidetur ad numerũ eorũ quæ uniuersalẽ statũ uniuersalis ecclesiæ respiciunt. unde si Ro. pon. instãte maxime causa necessaria celebrationis cõcilii uniuersalis celebrationẽ

Ad primã

Ad secundum

Ad tertiũ

Ad quartum

Ad quintum

brationé eiusdem impedire reperiretur tanquam hostis fidei & ecclesiæ habendus esset. Ad sextam cum arguitur ergo potest singula concilia dissoluere, respondetur negando consequentiam, & ratio est: quoniam rationabilis causa seu legitima dissolutionis concilii ante complementum operum propter quæ congregatum est non potest omnibus conciliis esse communis licet alicui aut aliquibus possit accidere. Concedimus enim ꝙ omnia illa concilia papa dissoluere posset quibus eadem causa rationabilis dissolutionis esset communis, qnia ubi eadem causa ibi idem ius uidetur habere locum. Ad septimam cum arguitur de hæreticis respondetur quòd in illo casu si aliud non interueniret uerum est, sed nihilominus si sub colore conuersionis hæreticorum, aut reformationis ecclesiæ alia mala committerentur sicut contingit in basilien. concilio ubi sub colore reductionis bohemorum & reformationis ecclesiæ in capite & in membris practicata sunt multa mala & scandala orta. usurpata enim sunt apostolicæ sedis priuilegia, plurima mala dogmata seminata, papa posset reuocare sicut sanctæ me. do. Eugenius fecit de præfato concilio basiliensi. Ad octauam cum arguitur de concilio congregato pro bono uniuersalis ecclesiæ, respondetur sicut ad præcedentem multa autem in his aduersariorum argumentationibus præsupponuntur, utputa quòd solus papa inter omnes de concilio obuiet bono uniuersalis ecclesiæ, aut quòd ipse uideret necessitaté ecclesiæ & fidei periclitationem nisi concilium continuaretur, & tamen ꝙ ipse solus nollet continuationem concilii & multa similia quæ aduersarii facile & temerariæ iudicant in summus pontificibus licet tantæ iniquitatis exempla nusquam superioribus temporibus expresse in aliquo uero Roma. pont. legerint. non respondemus. non quia credamus illa tanta facilitate possibilia quanta aduersarii illa possibilia supponunt. Nobis enim non uidetur tantum malum de summis pontificibus facile iudicandum considerata maxime prærogatiua illius apostolicæ sedis tam ex parte diuinæ pollicitationis quã ex parte excellentiæ meritorum sanctorum pontificum qui in ea sederunt. unde Symachus papa in c. Non nos dis. 40. dicit. quis enim sanctum dubitat quem apex tantæ dignitatis extollit. In quo si desunt bona acquisita per meritum sufficiant quæ a loci prædecessore testantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit aut qui eriguntur illustrat. Et tantum dictum sit pro isto tertio libro huius præsentis summæ de ecclesia.

Ad sextã

Ad septimum

Ad octauum

Finis tertii libri.

QVARTVS ET VLTIMVS EIVSDEM SVMMÆ LIBER,

QVI DVAS PARTES AMPLECTITVR.

In quarum prima de scismate, & scismaticis. In secunda de hæresi & hæreticis auctor est argutæ disputaturus.

PRIMA PARS.

Cap. I. Quid sit scisma.

Quid scisma



ONSVMMATIS auxiliante domino benignissimo Saluatore nostro tribus primis libris, ad quartum eiusdem gratia comite calamum extédemus. In quo de scismaticis & hæreticis aliqua utilia disputare & notare sub breuitate decreuimus. Explicabimus autem in primis quid sit scisma, & per consequens qui scismatici ueniant dicendi. Pro quo notandum q̃ cũ tam Isid. in lib. Ethy. quàm Pelagius in c. scisma 24. q. 1. dicant, scisma scissurarum quandam sonat. Scisma multipliciter potest sumi scilicet generaliter & minus generaliter & stricte. Generaliter captum scisma dicit diuisionem animarum siue licitam siue illicitam ab unitate quacunq; hominum siue uniuersitate, & ita potest sonare in bono & in malo, & hoc modo capitur scisma Ioan. 9. ubi de iudæis uario modo interpretantibus quibusdam bene quibusdam male miraculum factum per Christum in ceco nato dicitur, q̃ scisma erat inter eos. ubi dicit quædam glo. si omnes fuissent mali scismate caruissent. Secundo modo scilicet minus generaliter capitur scisma pro quacunque illicita diuisione siue dissensione, & hoc modo capitur 1. Cor. 1. idipsum dicatis omnes & non sint in uobis scismata. Et hoc modo capiendo scisma diffinitur uariæ a diuersis. Frater Raymundus claræ memoriæ ordinis prædicatorum compilator decretalium in summa sua de casibus li. 1. ti. de scismaticis diffinit sic primo. Scisma est illicita discessio inter eos inter quos unitas esse debet. Secundo sic. Scisma est illicitus ab unitate & uniuersitate discessus. Scisma uero sumptum stricte siue specialiter diffinitur ab Alexandro de Alis in secundo suo super sententias hoc modo. Scisma est illicita ab unitate ecclesiæ discessio uerum quia ista diffinitio scismatis uidetur adhuc generalis eo quòd ab unitate ecclesiæ potest fieri multipliciter illicita discessio. unde sanctus Thom. super illud 1. Corin. 1. Non sint in uobis scismata dicit sic. proprie scismata sunt quando uel propter diuersam fidei professionem, uel propter diuersas sententias de agendis homines unius collegii se in diuersas separant partes secundum illud Esa. 22. Scissuras ciuitatis Dauid uidebis quia multiplicatæ sunt, ubi gl. interli. super uerbo scissuras dicit, scismata scilicet ecclesiæ. Quocirca specialius & strictius loquendo de scismate scilicet, ut dicit discessionem siue diuisionem ab unitate ecclesiæ distinctam ratione a discessione ab unitate ecclesiæ, per diuersam fidei professionem

fessionem diffini ur sic primo ab Augu. contra cresconium grammaticum sic dicente. Scisma est recens congregationis ex aliquarum diuersitate sen tentiarum dissensio. Ab hostien.in summa titu. de scismaticis sic. Scisma est illicita diuisio per inobedientiam ab unitate ecclesiæ facta. Ista diffinitio inter ceteras sufficienter comprehendit ea quæ explicant rationem scismatis proprie dicti & causam originalem. unde dicere possumus quòd ponitur in ea pro genere illicita diuisio. Scismatis enim nomen dicit Isid. a scissura uocatum est. uerum quia uario modo, ut prædiximus potest huiusmodi diuisio illicita contingere ponitur loco differentiæ, per inobedientiam facta, ad differentiam hæresis quæ fit per falsam contra fidem opinionem. unde beatus Cyprianus in epistola quadã ad Corneliũ sic inquit. Nec aliunde nata sunt scismata quàm quando sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus iudex Christi uice cogitatur cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas uniuersa non discidio unitatis Christi ecclesiam scinderet. hæc ille. Patet ergo ꝙ scisma dicit diuisionem per inobedientiam factã summo sacerdoti siue iudici Christi uicem gerenti. Sunt autem hic duo aduertenda. Primum ꝙ recte dicitur quòd scisma sit diuisio illicita, quæ est cum quis se diuidit a papa per inobedientiam in his quæ licita sunt & honesta & ad iurisdictionem spectantia: quoniam si Romanus pontifex aliqua imperaret quæ de se mala sunt utpote diuinæ legi aut fidei, aut animarum saluti contraria, in talibus diuisio per inobedientiam a Romano pontifice non foret illicita nec per consequens scisma esset dicenda. Secundo est aduertendum quòd quia non quælibet inobedientia sufficit ad rationem scismatis constituendam, sed quæ sit pertinax cum rebellione quadam. ideo recte inobedientia illa per quam incurritur scisma accipienda est cum pertinacia quadam. Vnde Alexander de alis ubi supra in secundo dicit quòd scisma proprie sumptũ dicitur quando pertinaciter receditur ab obedientia capitis ecclesiæ. Et beatus Thom. in 2.2.q.39.ar. 1. dicit in responsione ad argumentum secundum, quòd non parere præceptis cum rebellione quadam constituit scismatis rationem. Dico autem cum rebellione cum & pertinaciter præcepta contemnit & iudicium eius subire recusat. Sequitur in diffinitione scismatis, ab unitate ecclesiæ scilicet totius ad differentiam diuisionis siue discessus illiciti ab aliqua particulari hominum congregatione siue societate, talis enim diuisio a tali particulari fraternitate, siue societate non constituit scisma nisi largo modo, sed discessio ab unitate uniuersalis ecclesiæ quę dicitur unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum adinuicem ordinatur ad unitatem ecclesiæ sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Est autem notandum iuxta sanctum Thom. ubi supra ꝙ ecclesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum adinuicem siue in communicatione. secundo in ordine omnium membrorũ ad unum caput de qua unitate Leo papa in tertio sermone ordinationis suæ ita inquit. Licet uniuersa ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diuersis membris sacrati corporis subsistat integritas, nos tamen oẽs sicut ait apostolus in Christo Iesu unũ sumus nec quisquã sic ab alterius ita est diuisus officio ut non ad connexionem permeat capitis cuiuslibet humilitas portionis, hæc ille. Discedere ergo ab isto capite ecclesiæ est recedere ab illa unitate ecclesię

secundum illud ad Colo.2. Inflatus sensu carnis suæ & non tenens caput ex quo totum corpus per nexus & annexiones subministratum & constitutũ crescit in augmentũ Dei. hoc autẽ caput est ipse Christus cuius uicem in ecclesia gerit summus pontifex. & ideo scismatici dicuntur, ut inquit sanctus Thom. hi qui subesse renuunt summo pontifici, & qui membris ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Ex quibus manifeste colligitur quòd scisma sit illicita discessio ab illa principali unitate ecclesiæ qua s. totum ecclesiæ corpus ordinatur & coadunatur ad unum caput rectorem & ducem siue principem illius. unde Cyprianus in epistola ad Forentium. Inde enim scismata oriuntur dũ episcopus qui unus est & præest superba quorundam præsumptione contẽnitur & homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus iudicatur. Item in epistola ad Gratianum hæc enim sunt initia hæreticorum & ortus atque conatus scismaticorum male cogitãtiũ ut sibi placeant præpositum superbo tumore contemnant. sic de ecclesia receditur sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem atque unitatem rebellatur, hæc ille. hæc autem sententia exemplariter patet in scismate quod Chore Dathan & Abyron cum complicibus suis fecerunt quod inde ortum habuit ꝙ subesse renuerunt Moysi duci Israel & Aaron summo sacerdoti. de quo habetur Numeri 26. Item patet in scismate quod decem tribus fecerunt eo quòd contempto rege suo alterum sibi statuerunt scilicet Hieroboam de quo 3. Reg. 12. Hinc rationabiliter dictum est quòd scismatici ueniunt dicendi primo qui subesse renuunt summo pontifici qui caput est uniuersalis ecclesiæ, ut in 2. li. multipliciter ostendimus. unde Pelagius in c. non uos 23. q. 3. Quisquis ab apostolicis diuisus est sedibus in scismate esse non dubium est. ubi dicit gl. ergo scisma est non habere caput Romanam ecclesiam, ut 24. q. 1. hæc est fides, & c. quoniã uetus. unde dominus Aymarus libro suo de synodis ait iuxta attestationem sanctorum patrum Aug. & Pelagii papæ illos indubitãter scismaticos esse quicunque diuisi sunt ab apostolica sede. Quocirca dicit beatus Calixtus papa in c. non decet dist. 12. Non decet a capite membra discedere, sed iuxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli uero dubium est quòd apostolica ecclesia mater sit omnium aliarum ecclesiarum a cuius uos regulis nullatenus conuenit deuiare. Item beatus Greg. in c. præceptis ea. dist. inquit. Præceptis apostolicis non dura superbia resistatur sed per obedientiam quæ a sancta Romana & apostolica auctoritate iussa sunt salutifere impleantur si eiusdem sanctæ Dei ecclesiæ quæ est caput nostrum communionem desideratis. Et infra rationem assignans. cum nulli dubium sit quòd non solum pontificalis causatio, sed communis sanctæ religionis relatio ad sedem apostolicam, quæ est caput ecclesiarum & debeat referri & inde normam sumere unde sumpsit exordium. ne caput institutionis uideatur omitti cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes qui nolunt ab apostolicæ Petræ super quam Christus uniuersalem fundauit ecclesiam soliditate diuelli. hæc Gre. Hinc græci & Armeni & Iacobitæ ab unitate corporis Christi quod est ecclesia abscisi dicuntur, quia Romanum pon. caput eorum non cognoscunt. Dicuntur præterea scismatici qui membris ecclesiæ Romano ponti. subiectis communicare recusant. unde Pelagius in c. scisma 24. q. 1. de quibusdam scismaticis ita loquitur contra apostolicam sedem temere credentes pessi

Qui scismatici

ma

ma diuisit opinio. quod scisma specialiter esse beatus denunciat Augu. dicens de talibus aduersus auctoritatem ecclesiarum quæ ab apostolica sede accipere epistolas meruerunt temere credendo immanissimum scismatis crimen a se propulsare non potuerunt. Patet ergo quòd scisma importet diuisionem oppositam charitatis unioni & quòd scismatici illi dicãtur qui concordiam non seruant in ecclesiæ obseruantiis, ut ecclesiæ prælatis obediant uolentes per se ecclesiam constituere singularem, ut dicit sanct. Tho. in 4. distinct. 13.

Cap. II. In qua obiicitur contra posita in præcedenti capitulo.

VT eorum quæ superius diximus splendidior habeatur intellectus, inducemus aliquas aduersariorum obiectiones contra prædicta & respondebimus in sequ. c. Imprimis obiicitur contra hoc quod dicitur quòd scisma locum habeat in ecclesia Dei. Primo sic. ubi nulla potest esse diuisio scisma quod diuisionem sonat siue scissuram non habet locum, sed in ecclesia Dei non potest esse diuisio quia cum sit una ut patet Cãtic. 6. Vna est columba mea, & in symbolo dicitur. Credo unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, & in unitate scissura esse non potest, ut in c. scisma 24. q. 1. dicit sanctus papa Pelagus, sequitur quòd in ecclesia Dei scisma non habeat locum. consequentia uidetur nota. Secundo sic. confirmando rationem. tunicam Christi quæ figurabat ecclesiam inconsutilis fuit & contexta desuper per totum, ut habetur Ioan. 19. & in gl. idem in c. sicut 16. q. 7. dicitur. Sicut domini uestimentum scissum non est, sed de eo sortiti sunt, ita nec ecclesia scindi debet quia in unitate tota consistit. ergò idem quod prius. Tertio arguitur contra diffinitionem illam scismatis uidelicet quòd scisma sit illicita discessio ab unitate ecclesiæ, quia si ista diffinitio esset bona sequeretur quòd quilibet peccator existens in peccato mortali esset scismaticus, sed hoc est falsum. ergo &c. consequentia tamen patet: quoniam peccatum mortale scissuram & quandam diuisionem dicit a Deo, & per consequens ab ecclesia quæ est sponsa Dei, secundum illud Esa. 59. Peccata uestra diuiserunt inter uos & Deum uestrum. Quarto arguitur contra diffinitionem datam per Hostien. cum dicitur ꝙ scisma sit illicita diuisio per inobedientiam ab unitate ecclesiæ facta, quia si ista diffinitio esset bona sequeretur quòd omnes transgressores canonum, & præceptorum apostolicæ sedis forent scismatici, sed hoc est falsum ut manifestum est. ergo & diffinitio præfata ex qua sequitur. consequentia tamẽ uidetur nota. Quinto arguitur contra id quod dictum est quòd diffinitio illa intelligatur de pertinaci inobedientia cuiusmodi non est omnis inobedientia transgredientium præcepta apostolicæ sedis. Contra. inobedientia cum pertinacia non uidetur sufficere ad constituendum aliquem scismaticum alias omnis excommunicatus diceretur scismaticus cum excommunicatio non feratur nisi contra contumacem. iuxta c. absit 10. q. 3. quod tamen est falsum. ergo diffinitio illa est insufficiens. Sexto arguitur. scisma dicitur illicita diuisio ab unitate principali ecclesiæ, ut fuit declaratum in præcedenti c. sed principalis unitas attenditur quò ad Christum quem Deus dedit caput super omnem ecclesiam ad Ephe. 1. & non quò ad papam

Arg. primum

Secũdum

Tertium

Quartũ

Quintum

Sextum

quo etiam mortuo ecclesia semper manet una unitate fidei. spei & charitatis. ergo scisma non uidetur bene diffiniri per hoc quòd sit diuisio ab apostolica sede siue a summo pontifice, sed per hoc quòd sit diuisio a Christo.
Septimũ Septimo sic. cum fideles abinuicem diuidantur per diuersas sententias de agendis manente una & eadem fide apud omnes, non uidetur magis una pars eorum dici ecclesia quàm alia cum apud utrosque una & eadem fides maneat indiuisa & dicat Hier. super psal. 133. Ecclesia est ubi fides uera est. non ergo uidentur magis dicendi scismatici illi quam illi.
Octauum Octauo sic. dicitur Math. 18. ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum. ex hoc arguitur sic. Apud illos est dicenda esse ecclesia in quorum medio est Christus, sed apud omnes fideles etiam in duas partes diuisos possunt aliqui congregari in nomine Christi. ergo apud illos etiam dicenda est ecclesia.

Cap. III. In quo respondetur obiectionibus factis.

PRÆFATIS obiectionibus facile est respondere. unde dicimus imprimis quòd scisma locum habet in ecclesia sicut notissimum est ex superius dictis in primo c. unde etiam apostolus 1. Cor. 12. inquit. Ne scisma sit in corpore gl. i. in ecclesia in qua debet esse unitas. Verum notandum quòd cum scisma dicitur habere locum in ecclesia non est intelligendum quòd ecclesia ipsa proprie diuidatur ita quòd ecclesia quæ una est diuidatur in plures ecclesias. unde Cyprianus in epistola de unitate ecclesiæ dicit. Vnus Deus est Christus, unus & fides una & plebs in solidam unitatem concordiæ glutino copulata, scindi unitas, non potest nec corpus unum discidio compaginis separari diuulsis laceratione uisceribus in frustra discerpi. hæc Cyprianus. Sed hoc modo dicitur habere in ecclesia locum scisma, quia ab unitate qua omnes fideles, Christi institutione diuina ordinati coadunati sunt sub uno ipsius ecclesiæ capite uidelicet Rom. pont. secundum illud Ioan. 10. Erit unum ouile & unus pastor contingit aliquem uel aliquos fideles diuidi, uel separari per inobedientiam pertinacem cum rebellione quadam & contradictione subeundi iudicium eius. Secundo dicimus quòd diffinitiones assignatæ scismatis sunt conuenientes iuxta intelligentiam superius datam. unde dicendum est ad rationes in
Ad primũ contrarium. Ad primam cum dicitur quòd in ecclesiam nulla cadit diuisio, respondetur quòd licet uerum sit ut prædiximus quòd ecclesia proprie non possit diuidi cum tota in unitate consistat & in unitate diuisio & discessio esse non potest, ut dicit papa Pelagius in c. scisma 24. q. 1. nihilominus ab ecclesiæ unitate diuisio & discessio esse potest & talis diuisio rationem scismatis constituit. unde scisma a scissura uocatum est, non quæ fiat proprie in ecclesia, sed quæ fiat ab unitate ecclesiæ, ut superius plenius
Ad secundum explanauimus. Ad secundam cum arguitur de tunica Christi, &c. respondetur ꝙ non ideo dicitur ecclesiæ charitas siue unitas designari per inconsutilem tunicam Christi ꝙ nullus ab ea diuidi uel separari possit, sed quia ut dicit Aug. super Ioan. & habetur in gl. ecclesia scindi non debeat sicut nec uestis illa scissa fuit. unde ait. Merito uestis qua significatur ecclesia desuper contexta perhibetur, inconsutilis autem ne aliquando dissuatur, & ad unum peruenit quia in unum omnes colligit. hæc ille. Nihilominus
quantun-

quantuncunque aliqui ab ea recedant semper manet ecclesia cum nulla esse non possit, ut inquit Aug. in c. pudenda 24. q. 1. unde ratio non procedit. Ad tertiam cum arguitur quòd per peccatum fiat diuisio hominis a Deo &c. & tamen non omnis peccator est scismaticus. respondetur iuxta sanctum Thom. in 2.2.q.39.ar.1. negando consequentiam, & ratio est, quia diuisio hominis a Deo per peccatum non est intenta a peccante, sed præter intentionem eius accidit ex inordinata conuersione eius ad commutabile bonum. Sicut autem in naturalibus id quod est accidens non constituit spem, ita etiam nec in rebus moralibus. in quibus id quod est intentũ est per se, quod autem sequitur præter intentionem est quasi per accidens, & ideo diuisio illa hominis a Deo per peccatum cum non sit intenta per se a peccante non est scisma per se loquendo, nec peccator quilibet est dicendus per se scismaticus. Ad quartam cum arguitur quòd si illa diffinitio Hostien. esset bona quilibet transgressor canonum esset scismaticus. respondetur negando consequentiam, & ratio est quoniam ut supra exposuimus in primo c. diffinitio illa non loquitur de quacunque inobedientia, sed de inobedientia simpliciter & pertinaci sicut dictum est, & dico simpliciter, quia ut dominus Petrus de palude dicit in 4. dist. 13. qui in uno articulo non obedit non propter hoc scismaticus statim reputatur, puta si adulterã statim non dimittit aut aliquid huiusmodi. dico autem pertinaci cum scilicet præcepta contemnit apostolicæ sedis & iudicium eius subire recusat. hoc autem non facit quilibet inobediens præceptis apostolicæ sedis siue quilibet canonum transgressor, & ideo non omnis transgressor canonum dicitur scismaticus. Ad quintam cum arguitur quòd ex illa diffinitione sequatur quòd omnis excommunicatus foret scismaticus negatur consequentia. Tum quia contumacia in uno articulo non arguit simpliciter discessum ab unitate ecclesiæ siue ab obedientia capitis ecclesiæ, sicut nec omnis inobedientia quemadmodum supradiximus. Tum secundo quia non in omni contumacia importatur illa pertinacia cum rebellione quæ cõstituit scismatis rationem. Ad sextam cum arguitur quòd principalis unitas ecclesiæ attendatur respectu Christi & non Romani pontifi. respondetur negando minorem. uidelicet ꝙ non attendatur unitas ecclesiæ in ordine ad summum pontifi. Pro quo notandum ꝙ quemadmodum duplex distinguitur influxus in membra corporis ecclesiæ secundum ꝙ in superioribus li. 2. & c. 23. notauimus. uidelicet interior secundũ quẽ gratia & uirtutes atq; alia spiritualia dona membris ecclesiæ infundũtur, & alter exterior qui attenditur quantum ad exteriorem gubernationẽ. ita dupliciter potest considerari & attendi unitas corporis ecclesiæ. Vno modo quantũ ad influxum interiorem & hoc modo cũ solus Christus sit caput ecclesiæ ita in ordine ad ipsum tantũ attenditur unitas ecclesiæ. Alio modo potest in ecclesia quæ est multitudo fidelium attendi unitas quantum s. ad influxũ exteriorẽ & sic unitas ecclesiæ attenditur in ordine ad unum qui toti ecclesiæ tanquã princeps & caput loco Christi præsideat. sicut amplissime tam li. 1. c. 6. quã 2. c. 2. prædiximus, de qua unitate beatus Cypr. in c. loquitur dominus 24. q. 1. ita dicit. Loquitur dominus ad Petrũ ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petrã ædificabo ecclesiam meã. super unum ædificauit ecclesiam & quamuis apostolis omnibus post resurrectionẽ suam parem (id est similem) potestatem tribuat & dicat. Sicut misit me pater sic & ego mitto

Ad terti

Ad quartum

Ad quintum

Ad sextũ

uos. accipite spiritumsanctum, tamen ut unitatem manifestaret unitatis eiusdem originem ab uno incipiétem auctoritate sua disposuit. hæc Cypria. Hæc autem unitas quæ attenditur penes principalem Christi Vicarium nó est dicta principalis respectu illius quæ est in ordine ad Christum, sed respectu illius particularis unitatis quæ est membrorum adinuicem. sicut in primo c. est expositum. Quod dicitur mortuo papa adhuc ecclesia manet una, non obuiat: quoniam licet actualis habito totius ecclesiæ ad hanc personam papæ deficiat per mortem huius personæ semper tamen manet ad apostolicam sedem quæ nunquam moritur, ut habetur extra de rescrip. c. gratiose & habitualis ad personam eligendam sicut de hac re plenius diximus in 2. lib. c. 8. Ad septimam cum arguitur quòd non magis dicenda sit ecclesia hæc pars quam illa &c. respondetur quòd assumptum est falsum quoniam cum ecclesia una sit & scindi non possit & unitas eius ut supra expositum est consideretur ex ordine per obedientiam ad unum caput & rectorem eius, illi soli dicendi sunt ecclesia Christi in quibus manet ordo ille obedientiæ ad illum rectorem uices Christi gerentem. Alii uero ab huiusmodi unitate se diuidentes non possunt dici ecclesia Christi quod clarissime nobis sanctus Cyprianus testatur in epistola ad Magnum ita dicens. Dominus insinuans nobis unitatem de diuina auctoritate uenientem ponit & dicit. Ego & pater unum sumus. ad quam unitatem redigens ecclesiam suam denuo dicit. Et erit grex unus & unus pastor. si autem grex unus est quo modo potest gregi annumerari qui in numero gregis non est. item in epistola ad Florentium. dominus quoque in euangelio cum eum loquentem discipuli derelinquerent conuersus ad duodecim dixit. Nunquid & uos uultis ire? respondit ei Petrus dicens. Domine ad quem ibimus uerbum uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es filius Dei uiui. loquitur illic Petrus super quem ædificata fuerat ecclesia, ecclesiæ nomine docens & ostendens, quia & si contumax ac superba obedire nolentium multitudo discedat. ecclesia tamen a Christo non recedit, & illi sunt ecclesia plebs sacerdoti adunata & pastori suo grex adhærens. unde scire debes episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo & qui cum episcopo non est in ecclesia non est. quod etiam ponitur 7. q. 1. Ad idem est beatus Aug. qui ut deducit papa Pelagius in c. pudenda 24. q. 1. ita dicit. Si nullo modo potest dici ecclesia ubi scisma est restat, ut quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit quam in sedis apostolicæ per successiones episcoporum radice constitutam hominum nullorum malitia ullo modo ualeat extinguere. Item idem Pelagius in c. scisma, ad summam aut illos esse ecclesiam creditis & cum duæ ecclesiæ esse non possint nos quod absit scismaticos iudicabitis, aut si ueram in apostolicis sedibus esse constat ecclesiam & illos ab unitate diuisos cognoscite, & communionis quæstionem esse sublatam quam ueram nisi in unitate constat esse non posse. Noli ergo quasi nulla scismaticorum & ecclesiæ differentia sit uelle indifferenter utrorumq; sacrificiis satiari. non est Christi corpus scilicet quò ad effectum quod scismaticus conficit si ueritate duce dirigimur. nec enim diuisum esse Christum poterit quisquam sine apostoli reprobatione confingere. unam autem ut sæpe dictum est quæ Christi corpus est constat esse ecclesiam quæ in duo uel plura diuidi non potest. simul enim cum ab ea quisque discesserit ecclesia esse desistit. Ad illud uero quod arguebatur quòd

Ad septimum

maneret

maneret eadem fides. respondetur quòd non sufficit fides sola informis ad hoc quòd quis in ecclesia Christi esse dicatur, sed requiritur quòd maneat in unitate ecclesiæ quæ attenditur in ordine ad caput ecclesiæ & ita quod subsit iuxta Christi ordinationem capiti ecclesiæ quod est Rom. pon. unde beatus Cypr. in epistola & habetur in c. denique 7. q. 1. Quòd uero eundem quem nos Deum patrem eundem filium: eundem spiritumsanctum & nosse scismatici dicuntur nec hoc adiuuare tales potest. Nam & Chore & Dathã & Abyron cum sacerdote Aaron & Moyse eundem Deum nouerant pari lege & religione uiuentes: unum uerum Deum qui colendus atque inuocandus fuerat inuocabant. tamen quia loci sui ministerium transgressi cõtra Aaron sacerdotem qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perfecerat sacrificandi sibi licentiam uendicauerunt diuinitus percussi penas statim pro illicitis conatibus rependerunt nec potuerunt rata esse & proficere sacrificia irreligiose & illicite contra ius diuinæ dispositionis oblata, hæc ille. Quocirca beatus Hieron. huic sententiæ fauet scribens ad Damasum papam, & habetur in c. quoniam uetus oriens 24. q. 1. Cum successore piscatoris & discipulo Christi loquor ego nullum præmium nisi Christum sequens beatitudini tuæ i. cathedræ Petri cõmunioni consentior super illam petram fundatam ecclesiam scio quicunq; extra hanc domum agnum comederit prophanus est. si quis in archa Noe non fuerit peribit regnante diluuio, & infra quicunque tecum non colligit spargit, hoc est qui Christi non est antichristi est. Item huius sententiæ est beatus Ambr. super epistolam ad Thim. c. 3. Scribo tibi ut scias quomodo ecclesiã ordines quæ est domus Dei, ut cum totus mundus Dei sit ecclesia, tamen domus eius dicatur cuius hodie rector est Damasus. Mundus nanque præuaricationis est diuerso turbatus errore ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei & ueritas, ubi secundum uoluntatem suã timetur. Ad dictum autem Hier. dicentis. Ibi ecclesia ubi fides. respondetur, ut dictum est ꝙ uerum est dum tamẽ ab unitate ecclesiæ non recedatur. Vel dicendum ꝙ intelligitur de fide nedum ad Deum, sed etiam quò ad ecclesiam: erga quam fidem i. fidelitatem scismatici seruare non tenentur qui ab unitate ecclesiæ membra eius diuidi patiuntur, ut in c. aduocauit 24. q. 1. Ad octauam rationem respondetur negando minore uidelicet quòd in nomine Christi possent dici congregati quicunque sunt diuisi ab unitate ecclesiæ & obedientia Vicarii Iesu Christi. unde in c. audiuimus 24. q. 1. dicit Alexander secundus. Christus non habitat in cordibus eorum qui superbæ singularitatẽ secuti a corporis Christi compage semetipsos abrumpunt. unde beatus Cyprianus quia præ fatę auctoritatis uana interprætatione tempore suo quidam scismatici decipiebantur. respondit hoc modo. Comptores euangelii atque interpræte falsi extrema ponunt & superiora prætereunt partem memores, & partem subdolo comprimentes, ut ipsi sicut ab ecclesia scissi sunt ita capituli unius sententiam scindunt dominus enim cum discipulis suis unitatem suaderet & pacem dico inquit uobis, quia si duo ex uobis conuenerint in terra de omni re quæcunque petieritis contingant uobis a patre meo qui in cœlis est ubicunque enim duo fuerint, aut tres collecti in nomine meo ego sum cũ eis, ostendit non multitudini, sed unanimitati depræcantium plurimum tribui. Si duo inquit de uobis conuenerint in terra &c. unanimitatẽ prius posuit concordiam pacis ante præmisit, ut ita conueniat uobis fideliter & fir-

Alii prius & cõmunionẽ cõsortior legunt

Ad octauum

Alii corruptores legunt

miter docuit. Quo modo autem potest ipse cum alio conuenire qui cum corpore ipsius ecclesiæ & cum uniuersa fraternitate non conuenit: quomodo autem possunt duo aut tres in nomine Christi colligi quos constat a Christo & ab eius euangelio separari? Hæc Cyprianus in capitulo Alienus 24. quæst. 1.

Cap. IIII. In quo ostenditur quomodo differat Scisma ab Hæresi.

SICVT enim fides & charitas sunt diuersæ uirtutes quamuis quicunque caret fide careat charitate. ita etiam scisma & hæresis sunt diuersa uitia quamuis quicunque est hæreticus sit etiam scismaticus, sed nõ conuertitur. propria autem differentia horum sumenda est secundũ ea quibus utrunq; per se & directe opponitur. Opponitur aũt hæresis fidei. scisma uero unitati ecclesiasticæ charitatis. Vnde recte inter hæresim & scisma assignatur differentia penes hoc ꝙ hæresis sit peruersum dogma circa ea quæ sunt fidei. scisma uero scissurã dicit ab unitate ecclesiastica, & hoc est quod Hier. dicit in epistola ad Gal. & inducitur a Gratiano 24. q. 3. c. inter hæresim. Inter hæresim & scisma hoc interesse arbitror quòd hęresis peruersum dogma habet. scisma post episcopalem discessionem ab ecclesia pariter separat. Vnde beatus Aug. in libro contra Faustum distinguens inter scisma & hæresim ita dicit. Scisma est eadem opinantem ac eodem ritu colentem quo ceteri solo congregationis delectari discidio. Hæresis uero diuersa opinatur ab his quæ catholica credit ecclesia. Item idem beatus Aug. in libr. quæstionum euangeliorum differentiam assignans inter hæreticos malos catholicos & scismaticos ita dicit. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest quòd hæretici falsa credunt, illi autẽ uera credentes non ita uiuunt ut credunt. Solet autem quæri etiã scismatici quid ab hæreticis distent & hoc inueniri ꝙ scismaticos non fides diuersa facit sed communis dirupta societas. Item hanc eandem distinctionem ponit beatus Aug. in libro de fide & symbolo ita dicens. Credimus sanctam ecclesiam utique catholicam & apostolicam. Nam hæretici & scismatici congregationes suas etiam ecclesias uocant, sed hæretici falsa de Deo sentiendo ipsam fidem uiolant. Scismatici autem dissensionibus suis iniquis a fraterna charitate dissoluunt quamuis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici nec scismatici pertinent ad ecclesiam. uerum sicut amissio charitatis est uia ad amittendum fidem secundum illud 1. ad Thim. 1. A quibus quidam abeuntes scilicet a charitate conuersi sunt in uaniloquium. ita etiam scisma uia est ad hæresim. unde Hier. ubi supra subdit ꝙ scisma a principio aliqua in parte potest intelligi diuersum ab hæresi. Ceterum iam inueteratũ siue continuatum nullum scisma est nisi sibi aliquam hæresim confingat, ut recte ab ecclesia recessisse uideatur: hæc Hier. Cui sententiæ beatus Aug. consonans sic contra Cresconium grammaticum ait. Inter scisma & hæresim magis eam distinctionem approbo qua dicitur scisma esse recens cõgregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio. nec enim fieri potest nisi diuersum aliquid sequantur qui faciunt, hæresis etiam est scisma inueteratum. hæc ille. Considerato autem hoc quòd scisma sit uia ad hæresim gl. in c. inter hæresim 24. q. 3. dicit etiam quasi omnes doctores iu-

ristæ

ristæ dicunt quòd differentia inter scisma & hæresim sit quæ est inter dispositionem & habitum,& quia omnis hæreticus est scismaticus & non econuerso, sicut differentia inter genus & speciem . hæc uero licet aliquo modo habeant ueritatem capiendo nomen scismatis generaliter,non tamen capiendo proprie est uerum quòd talis sit differentia inter scisma & hæresim qualis est inter dispositionem & habitum aut genus & speciem: quoniam licet scismatis nomen generaliter sumptum prout scilicet sumitur pro qualibet discessione illicita secundum quem modum sumitur Exo.20.Non ædificabis altare de lapidibus sectis, ubi dicit gl. secti lapides sunt qui unitatē scindunt, potest esse genus ad hæresim. non tamen scisma proprie sumptā prout scilicet dicit recessum cum pertinacia ab obedientia ecclesiæ quantumcunque simul concurrat hæresi semper distat tamen specie ab ea cum sint peccata specie distincta quod non est de dispositione & habitu genere & specie . licet ut dictum est supra scisma etiam proprie sumptum uia sit ad hæresim quoniam scismaticus diu esse non potest nisi sibi aliquam hæresim confingat in defensionem dissensionis suæ . Ex quibus confutatur sententia aliquorum iuristarum qui non intelligentes distinctionem specificam horum peccatorum dicunt quòd scisma transit in hæresim quasi substantialiter unum in reliquum.

Cap. V. De grauitate peccati scismatis siue scismaticorum.

QVAM grauissimum autem sit peccatum scismatis ac oculis diuinæ maiestatis detestabile facile ex attestationibus sanctorum patrum colligitur ac ex multis aliis. Dicit enim Aug. contra epistolam Parmeniani quòd sacrilegium scismatis omnia scelera transgreditur , & libro 4. contra Cresconium grammaticum dicit ꝙ malum scismatis Cyprianus idolatriæ comparauit.Aggrauatur ergo in primis scismatis peccatum eo ꝙ scismatici hostes Dei specialiter dicuntur. Ait enim Cyprianus in epistola ut habetur in c.alienus 24.q.1.Alienus est prophanus est hostis est,habere non potest Deum patrem qui uniuersalis ecclesiæ non tenet unitatem.Secundo ostenditur grauitas huius peccati eo ꝙ singulariter odisse dicitur dominus,immo etiam proiicere ciuitates & sacrificia scismaticorum.unde dominus de eis per Amos prophetam loquens c.5. quod transfert Gratianus in c.odit 24.q.1.ita inquit.Odi & proieci festiuitates uestras , & nō capiam odorem cetuum uestrorum ꝙ si obtuleritis mihi holocaustomata & munera uestra non accipiam & uota pinguium uestrorum respuam . Odit autem dominus inquit Hier.& non solū odit sed proiicit festiuitates eorū qui non celebrant festiuitatē Dei.sed suas,& infra.Et si holocausta obtulerint, ut uideantur ieiunare dare elemosynas pudicitiā polliceri quę holocausta sunt uera non ea suscipit dominus.Nā non sacrificiorum magnitudinem seu offerentiū merita & causas diiudicat.Item beatus Aug.hoc idem testatur in de fide ad Petrum.Firmissime tene & nullatenus dubites quemlibet scismaticum siue hæreticum in nomine patris & filii & spiritussancti baptizatum si ecclesiæ non fuerit aggregatus quantascunq; elemosynas fecerit , & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit nullatenus posse saluari . Omni

enim homini qui ecclesiæ non tenet unitatem nec elemosyna quãtumlibet copiosa neq; baptismus neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem quãdo in eo uel hæretica, uel scismatica peruersitas perseuerat quæ ducit ad mortẽ. Nimirum si scismaticorum sacrificia & oblationes non acceptet altissimus: quoniam ut inquit Cyprianus in quadam epistola. Nihil potest esse gratum & firmum apud Deum quod illi faciũt quos Deus hostes & aduersarios suos dicit in euangelio suo ponens. Qui non est mecum aduersum me est & qui non colligit mecum spargit. Ceterum scisma ostenditur grauissimum. Tum quia tunicam domini inconsutilem quam milites Pilati non fuerunt ausi scindere scismatici Christi crucifixoribus crudeliores unitatem ecclesiæ per illam significatam scindere præsumunt. Contra quos beatus Aug. in epistola ad Seuerinum contra scismaticos ita inquit. Quare diuisores uestimentorum domini esse uultis & tunicam illã charitatis desuper contextam quam nec persecutores eius diuiserunt tenere cum toto orbe non uultis. Et beatus Cyprianus in epistola de unitate ecclesiæ. Quis sic sceleratus & perfidus quis sic discordiæ furore uesanus, ut aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei uestem domini ecclesiam Christi. monet nos ipse in euangelio & docet dicens. Et erit unus grex & unus pastor. Ceterum grauitas huius sceleris scismatis ostenditur ex eo quòd scismatici uidentur negare fidem Christi. unde Ambr. & habetur in c. aduocauit 24. q. 1. loquens de Cypriano ita dicit. Non putauit fidem esse in scismate. nam & si fidem erga Deum tenerent scilicet scismatici tamen erga Dei ecclesiam non tenebant cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi & membra lacerari. Etenim eum propter ecclesiam Christus passus sit & corpus Christi sit ecclesia non uidetur ab his exhiberi fides Christo a quibus euacuatur passio eius atque distrahitur. Amplius grauitas huius sceleris attenditur ex eo ꝙ uidetur esse infirmitas desperata. unde Aug. de uerbis domini li. 3. sermone 12. Christus caput ecclesiæ est & ecclesia corpus eius & in eius corpore unitas membrorum & compago charitatis tanquam sanitas existit. Quicunque autem in charitate frigescit infirmatur in corpore Christi sed potens est ille qui iam exaltauit caput nostrum ẽt infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate præscindantur, sed hæreant corpori donec sanentur. Quicquid. n. adhuc hæret corpori non desperatæ sanitatis est quod autẽ præscisum fuerit nec curari, nec sanari potest. Ceterũ detestabilis huius peccati grauitas colligitur ex grauitate pœnæ qua a Deo legitur punitũ nõ tantũ in principalibus auctorib. sed ẽt in complicibus & consentientibus ac sequacibus. unde beatus Aug. in epistola ad Emeritũ de hoc ita loquitur. Quanti autẽ diuino iudicio pendatur hoc facinus lege quod te legisse non ambigo, inuenies aũt Dathan & Abiron hiatu terræ deuoratos ceteros omnes qui eis consenserant igne de medio eorum exeunte consumptos. Illud ergo scelus ad exemplum deuitãdi dominus Deus præsenti supplicio demonstrauit, ut cum talibus patientissime parcit quale ultimo iudicio referuet ostenderet hæc August. & beatus Cypr. ex eadem radice grauitatẽ huius sceleris demonstrans in epistola, & habetur in c. denique 7. q. 1. ita ait. Denique quàm sit inseparabile unitatis sacramentum, & quàm siue spe sint & perditionem sibi maximã de indignatione Dei acquirant qui scisma faciunt & relicto episcopo alium sibi foris pseudo episcopũ constituunt, declarat scriptura diuina in lib. regum, ubi a

tribu iuda & de Beniamin decem tribus scisse sunt & relicto rege suo alterum sibi foris instituerunt indignatus est inquit dominus omni semini Israel & demoliuit eos & dedit eos in direptionem donec abiecit eos a facie sua quia dissipatus est Israel a domo Dauid & constituerunt sibi regem Hieroboam filium Nabath. Indignatum esse Deum dixit & eos in perditionem dedisse, quia ab unitate dissipati alterum sibi regem constituissent & tanta indignatio domini extitit aduersus illos qui scisma fecerunt ut etiam cum homo Dei ad Ieroboam missus esset qui ei peccata sua exprobraret atque ultionem futuram prædiceret panem apud illos ædere & aquam bibere uetaretur, quod cum non custodisset & contra præceptum domini prætendisset statim diuina censura percussus ut inde regrediens impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Sed adhuc in euangelio dominus maius intelligentiæ suæ lumen manifestat quòd iidem qui tunc se a tribu Iuda & Beniamin sciderant inter pseudo prophetas & gentiles computarentur. Nam cum primo discipulos in ministerium salutis mitteret mandauit & dixit. In uiam nationum ne ieritis & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis ad iudæos prius mittens gentiles adhuc præteriri iubet. addendo autem & ciuitatem Samaritanorum debere omitti ubi erant scismatici ostendit scismaticos gentibus adequari. Item beatus Hiero. & habetur in c. non afferamus 24 q. 1. de grauitate huius sceleris loquens ita ait. Non afferamus stateras dolosas ubi appendamus quod uolumus pro arbitrio nostro dicentes hoc graue, hoc leue est, sed afferamus iam diuinam stateram de scripturis sanctis tanquam de thesauris dominicis & in illa quid sit grauius appendamus. tempore quo dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit & Idolum fabricatum atque adoratum est & propheticus liber ira contemptoris regis incensus, & scisma tentatum, idolatria gladio punita est, exustio libri bellica cede & peregrina captiuitate, scisma hiatu terræ sepultis auctoribus uiuis & ceteris cœlesti igne consumptis. Quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum quod est grauius uindicatum? hæc ille.

Cap. VI. De differentia grauitatis peccati inter scisma & hæresim.

VIDEBITVR fortassis ex dictis alicui quòd scisma grauius peccatum sit quàm hæresis aut infidelitatis peccatum cum maius peccatum grauiori pœna puniendum sit secundum illud Deuter. 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Peccatum autem scismatis grauius inuenitur punitum quàm etiam peccatum idolatriæ, ut dictum est secundum quòd legitur Deutero. 32. quòd propter idolatriam sunt aliqui humana manu gladio interfecti. De peccato autem scismatis legitur Numeri 16. Si nouam rem fecerit dominus, ut aperiens terra os suum degluciat eos & omnia quæ ad eos pertinent descenderintq; uiuentes in infernum scietis, quia blasphemauerunt dominum. Decem etiam tribus qui uitio scismatis a regno Dauid recesserunt sunt grauissime puniti 4. Reg. 7. Nihilominus non est ita in ueritate quòd scisma sit grauius peccatum quã infidelitas. Regula est enim generalis quòd omne quod se habet per additionem ad aliud potius sit illo in bono uel in malo. sic autem est quòd hæ-

resis se habet per additionem ad scisma, addit enim peruersum dogma, ut patet ex auctoritate Hier. supra inducta . unde non est dubium ꝙ scisma absolute loquendo minus peccatum sit quàm infidelitas. Pro quo notandũ iuxta sanctum Thom. in 2.2.q.39.ar.2. quòd grauitas peccati potest dupliciter considerari. uno modo secundum suam speciem. alio modo secundum suas circunstantias , & quia circunstantiæ particulares infinitis modis possunt uariari, cum quæritur in communi de duobus peccatis quod sit grauius intelligenda est quæstio de grauitate quæ attenditur secundum genus peccati. genus autem seu species attenditur ex obiecto & ideo illud peccatum quod maiori bono contrariatur est suo genere grauius peccatum, sicut peccatum in Deum quàm in proximum . Manifestum est autem quòd infidelitas est peccatum contra ipsum Deum secundum quòd in se est ueritas prima cui fides innititur , scisma autem est contra ecclesiasticam unitaté quæ est quoddam bonum participatum & minus quàm sit ipse Deus . unde manifestum est quòd peccatum infidelitatis in suo genere est grauius quàm peccatum scismatis licet posset contingere quòd aliquis scismaticus grauius peccet quam quidam infidelis, uel propter maiorem contemptũ , uel propter maius periculũ quod inducit uel propter aliquid huiusmodi. Nec obuiat huic ueritati quòd scisma dicatur opponi charitati quæ maior uirtus est quàm fides cui opponitur infidelitas : quoniam charitas habet duo obiecta. unum principale s. bonitatem diuinam & aliud secundarium s. bonum proximi. scisma autem & alia peccata quæ sunt in proximum opponuntur charitati quantum ad secundarium bonum quod est minus quam obiectum fidei quod est ipse Deus & ideo ista peccata minora sunt quam infidelitas, sed odium Dei quod opponitur charitati quantum ad principale bonum non esse minus , tamen inter peccata quæ sunt in proximum peccatũ scismatis uidetur esse maximum quia est contra spirituale bonum multitudinis. De hoc autem ꝙ scisma aliquando fuerit grauius & insolita pœna punitum quam infidelitas sicut Num. 16. potest assignari multiplex ratio. Prima iuxta sanctum Tho. in 2.2. ubi supra, quia populo illi hebræorum manifestum erat iam per legem susceptam quòd erat unus Deus & ꝙ non erãt alii colendi & hoc erat apud eos per multiplicia signa cõfirmatum & ideo non oportebat quòd peccantes contra hanc fidem per idolatriam punirentur uerificata aliqua sola pœna, sed solum communi, sed non erat sic notum apud eos ꝙ Moyses deberet semper esse eorum princeps & ideo rebellantes eius principatui oportebat miraculosa & insueta pœna puniri. Secunda ratio . peccatum scismatis fuit quandoque in populo illo grauius punitum quia erat ad seditiones & scismata promptus. dicitur enim 1. Esdr. 4. Ciuitas illa a diebus antiquis aduersus regem rebellabat & seditiones & prælia concitantur in ea. pœna autem maior infligitur quandoq; pro peccato magis consueto . Pœnæ autem sunt medicinæ quædam ad arcendum homines a peccato. unde ubi est maior pronitas ad peccandum debet seuerior pœna adhiberi. Tertia ratio, scisma punitur quandoque grauius quia est peccatum periculosum ualde & perniciosum. Pro quo notãdum ut dicit idẽ sanctus Tho. in q. de malo. ar. 10. in responsione ad 4. arg. ꝙ pœnæ quæ inferuntur a Deo in futura uita respondent grauitati culpæ. unde Apostolus ad Roma. 2. dicit. ꝙ iudicium Dei est secundum ueritatem in eos qui talia agunt, sed pœnæ quæ in præsenti uita infliguntur siue a Deo siue ab homine non

semper

semper respondent grauitati culpæ. interdum enim minor culpa grauiori pœna punitur temporaliter propter maius periculum euitandum, pœnæ n. præsentis uitæ quasi medicinæ adhibentur. peccatum autem scismatis perniciosissimum est rebus humanis, quia dissoluit totum regnum humanæ societatis. Quarta ratio potest assignari iuxta magistrum Alexandrum de Alis in 2. lib. quare scisma grauius punitum fuit in illis est, quia ex maiori contumacia uidentur illi fecisse quàm alii in hæresim incidisse, quanto autem maior est contemptus tanto magis scelerate peccatur.

Cap. VII. Quid spiritualis potestatis in scismaticis maneat.

CVM autem scismatici ab ecclesiæ corpore sint diuisi ac separati, & extra unitatem ecclesiæ spiritusanctus non accipitur, non immerito dubitatur an apud ipsos tali scissura ab ecclesia segregatos aliquid maneat potestatis spiritualis, quocirca de hoc uenit aliquid dicendũ. Pro quo notandum iuxta san. Tho. in 2.2.q.39.ar.3. ꝙ duplex est spiritualis potestas s. sacramentalis alia iurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur. omnes autẽ consecrationes ecclesiæ sunt immobiles manentibus quæ consecrantur. sicut patet etiam in rebus inanimatis. nam altare semel consecratum non consecratur iterum nisi fuerit dissipatum, & ideo talis potestas secundum suam essentiã manet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quãdiu uiuit siue in scisma siue in hæresim labatur. quod patet ex hoc ꝙ rediens ad ecclesiã non iterum consecratur. De quo beatus Augu. in lib. contra Donatistas dicit. Sicut redeuntes ad ecclesiam qui priusquã recederent fuerũt ordinati non utiq; rursus ordinantur. retinent ergo scismatici potestatem sacramentalem ordinem retinentes. Præterea hoc idem aperte colligitur ex eo ꝙ Vrbanus papa dicit & habetur in c. ordinationes 9.q.1. ꝙ qui ab episcopis quondam catholicæ ordinatis sed in scismate a Romana ecclesia separatis cõsecrati sunt eos cum ad ecclesiæ unitatem redierint seruatis propriis ordinibus misericorditer suscipi iubemus, si eos uita & scientia commendat. hoc autem non potest esse nisi spiritualis potestas per consecrationem data apud scismaticos maneret. Verum quia ptãs inferior non debet ire in actum nisi secundum ꝙ mouetur a ptãte superiori sicut ẽt in rebus naturalibus patet. inde est ꝙ tales usum potestatis amittunt ita s. ꝙ non liceat eis sua potestate uti, si tamen usi fuerint eorum ptãs effectum habet in sacramentalibus quia in his hõ non operatur nisi sicut instrumentũ Dei. unde effectus sacramentales nõ excluduntur propter culpã quãcunq; conferrẽtis sacramẽtũ. unde auctoritates dicentes scismaticos & hæreticos non habere ptãtem spiritualẽ præfatã s. sacramentalẽ semper sunt intelligendæ quantũ ad legitimũ usum illius. non aũt sunt referendæ ad ipsam essentiam ptãtis sicut est illud extra de scis. c.1. ubi lateranense concilium dicit ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæresiarchis factas & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus. Et idem habetur in ca. ordinationes 9.q. 1. hoc autem intellige ut ait gloss. quantum ad executionem nisi cum eis fuerit dispensatum. uel si ordinatus probaret se nesciuisse illum fuisse scismaticum qui eum ordinauit ut in capit. ordinationes ubi supra. Ex quibus manifeste

etiam habetur apud scismaticos uera esse sacramenta dum tamen in forma ecclesiæ dentur siue dispensentur. unde Aug. libro de unico baptismo ait. Potest sacramentum tradere separatus sicut potest habere separatus. nam ut idem Aug. contra Petilianum donatistam testatur. Sacramentis Dei nihil obsunt mores malorum hominum quòd illa uel non sint uel minus sancta sint. unde omnes auctoritates sanctorum patrum quæ uidentur sonare, quòd apud scismaticos uel hæreticos non sit uera sacramenta uel intelligantur de illis scismaticis & hæreticis qui formam ecclesiæ non seruant sicut illud Pelagii papæ in c. pudenda 24. q. 1. Qui diuisus est ab apostolicus sedibus execrat potius ipse & non consecrat. iure ergo execratus tantũ & non consecratus poterit dici, & similes auctoritates, uel intelliguntur auctoritates præfatæ de sacramentis non quantum ad ueritatem essentiæ sacramentorum, sed quantum ad rem sacramenti siue effectum salutiferum eorum: quoniam uerum est quòd si manifeste sint ab ecclesia præscisi quicunque accipiunt ab eis sacramenta peccant nisi sacramentum baptismi in articulo necessitatis, & per hoc impediuntur ne effectum sacramenti consequantur & ita quantum ad rem sacramenti dicuntur illa sacramenta falsa aut mania. hoc modo accipiendum dicit s. Thom. in tertia parte illud quod Leo papa scribens ac Leonem Augustum ait quòd in Alexandrina sede omnium celestium sacramentorum lumen extinctum est intercepta sacrificii oblatio deficit chrismatis sanctificatio, &c. Dicta uero Cypriani quæ uidentur uelle apud scismaticos & hæreticos non esse uera sacramenta non cogunt quia eius sententia non tenetur ut dicit sanctus Aug. Potestas autem iurisdictionalis est quæ ex simplici iniunctione hominis confertur, & talis potestas non immobiliter adhæret. unde in scismaticis & hæreticis non manet. unde non possunt absoluere nec excommunicare nec indulgentias facere aut aliquid huiusmodi, quòd si fecerint nihil est actum, de qua potestate uidetur accipienda auctoritas Cypriani in epistola, & habetur 7. q. 1. cap. Nouatianus. Qui nec unitatem spiritus nec communionis pacem obseruat & se ab ecclesiæ uinculo atque sacerdotum collegio separat nec episcopi potestatem habere potest nec honorem. Item idem Cyprianus in epistola ad Magnum, & habetur in ca. didicimus 24. q. 1. Didicimus omnino hæreticos & scismaticos nihil habere potestatis ac iuris. Quocirca in c. 1. extra de scisma post illa superius allegata dicitur sic. Adiicientes ut qui dignitates ecclesiasticas seu beneficia per dictos scismaticos acceperunt careant impetratis. alienationes quoque quæ per eosdem scismaticos siue laicos factæ sint de rebus ecclesiasticis omni careant firmitate. & hoc ideo quia apud scismaticos nihil remanet potestatis iurisdictionalis. unde gloss. super uerbo omni careant firmitate ait, quia dum ecclesia pastorem habet hæreticum uel scismaticum uacare intelligitur supra de rescrip. cap. primo.

Cap. VIII. De pœna scismaticorum.

SCISMA autem & punitur a Deo & punitur ab ecclesia, quam grauiter autem punitum legatur a Deo superius in c. 5. exemplariter induximus de Dathan & Abyron qui hiatu terræ absorti sunt Numeri 16. cap. Item de decem tribubus quæ quia Hieroboam adhæserunt datæ

sunt in

sunt in dispersionem 3.Regum 12.& 13.& aliis multis exemplis patet. Iam loquendum restat de punitione qua ab ecclesia scismatici puniantur. Puniuntur autem ab ecclesia multipliciter. Primo excommunicatione, ut patet extra de scisma.cap.2.& per consequens cum scismatici sint excommunicati, sicut etiam habetur in ca.de liguribus 23.quæst.5.& cum excommunicationis non sit cōmunicandum sequitur quòd cum scismaticis scienter communicandum non sit.unde Nume.16.dicitur. Recedite a tabernaculis hominum impiorum, qui scilicet scisma fecerant, & nolite tangere quæ ad eos pertinent ne inuoluamini peccatis eorum. Secundo si scismatici per excommunicationem non resipiscant puniuntur pena depositionis, ut in ca.in nomine domini 23.dist. Ceterum si pertinaciter adhuc præsumerent ita quòd non possent coerceri præfatis penis, tertio ueniunt puniendi manu armata siue coercendi potestate brachii secularis. Harum autem penarum conuenientia sumitur iuxta san.Tho.in 2.2.quæst.39.ar.4. sic.sicut habetur Sapientiæ 11.Per quæ quis peccat dum puniri. Scismatici autem ut ex dictis patet in duobus peccant.In uno quidem, quia separant se a communione membrorum ecclesiæ,& quantum ad hoc conueniens pœna scismaticorum est ut excommunicentur. Peccant secundo, quia subdi recusant capiti ecclesiæ & ob hoc merito a dignitate deponuntur. Et quia coerceri nolunt per spiritualem potestatem ecclesiæ iustum est ut potestate temporali coerceantur.pœnæ aut præsentis uitæ sunt medicinales,& ideo quando una pœna non sufficit ad coercendum hominem superadditur altera.Sicut & medici diuersas medicinas corporales apponunt quando una non est efficax,& ita ecclesia quando aliqui per excommunicationem non sufficienter reprimuntur adhibet coertionem brachii siue potestatis secularis,sed si una sit sufficiens alia non debet adhiberi. De hac autem pœna brachii siue potestatis secularis loquuntur multa cap.in decreto maxime 22.q.5.ut in cap.de liguribus,& c.quali,ubi papa Pelagius Narse patricio scribens ita ait. Salutantes paterno affectu gloriam uestram petimus,ut præfatis qui a nostra sede directi sunt in omnibus præbeatis auxilium nec putetis peccati esse alicuius si huiusmodi homines præmuntur, hoc enim & diuinæ, & humanæ leges statuerunt, ut ab ecclesiæ unitate diuisi,& eius pacem iniquissime perturbantes a secularibus potestatibus cōprimantur,nec quicquam maius est unde Deo positis sacrificium offerre quàm si id ordinetis, ut qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur competenti debeant rigore compesci.

Cap. IX. Quæ scismata fuerunt in ècclesia.

QVONIAM non parum huic parti pro cautela futurorum temporum utile arbitrati sumus commemorari scismata superioribus temporibus in ecclesia orta, & modos quibus sopita siue ablata sunt, idcirco nos sub breuitate illa perstringere uoluimus,uerum quia scismata in ecclesia uario modo contingunt uidelicet aut per introductionem peruersi dogmatis: quoniam hæresis in se includit scisma aut per separationem,& diuisionem per pertinacem inobedientiam ab apostolica sede, aut per usurpationem apostolicæ sedis, primo modo de scismatibus loquendo non est propositi nostri scismata præterita aut præsentia numerare, quia

hoc longum esset & difficillimum ualde, cum tot uenirent scismata repetenda quot fuerunt hæreses aut impræsentiarum sunt. nec etiam scismata secundo modo introducta intẽdimus commemorare: quoniam in illis sicut in primis hæreses multę inuolutę sunt. de illis enim proprie intelligitur dictum Hier. in c. inter hæresim 24. q. 1. dicentis, quòd omne scisma inueteratum aliquam hæresim sibi confingit ut recte ab ecclesia recessisse uideatur, sicut patet in scismate græcorum, in scismate Iacobitarum & Armenorũ & nũc Bohemorum, qui in colorem separationis ab ecclesia Romana multas hæreses confinxerunt. Sed impræsentiarum solum ea scismata enumerare proposuimus quæ per illicitum ausum usurpationis apostolicæ sedis introducta sunt in ecclesiam. Primum scisma fuit inter beatum Cornelium, & Nouatianum urbis Romæ presbyterum, primus itaque qui post legitimã successionem pontificum adnisus est sedem apostolicam usurpare, ut ecclesiasticæ ferunt historiæ fuit Nouatianus Romanæ ecclesiæ presbyter, & princeps hæresis nouatianorum extitit qui se catharos. i. mundos nominabant lapsis spem ueniæ denegantes. unde lapsis fratribus non communicabunt nec eorum pœnitentiam dicebant esse suscipiendam & ita Nouatianus in scisma, & hæresim lapsus est, ob quam rem papa Cornelius in urbe concilium congregat 70. episcoporum presbyterorumq; totidem cum dyaconibus plurimis in qua Nouatiano cum omnibus suis sectatoribus ab omnibus execrato, & hæresi sua condemnata statuitur, ut lapsis penitentibus uenia promitteretur, & reconciliatio post dignam penitentiam cõcederetur. Secundum scisma fuit inter Felicem, & Liberiũ, sane liberio papa propter fidem exulante a Constantino Augusto Felix presbyter de consensu ipsius Liberii substituitur in papatu qui tandem propter fidei constantiam congregato Arrianorum concilio a papatu deponitur. Liberius qui exilii tedio deuictus reuocatus est in hæretica prauitate se subscribens in sede repositus est quam sex quasi annis tenuit. Hoc scisma sopitum est morte. Nã primo Felix papa martyrio coronatur, deinde post annos 6. Pseudo papa Liberius mala morte præcibus sanctorum extinctus est quem post papa Damasus synodali iudicio publice condemnauit, & omne quod fecerat annullauit. Tertium scisma fuit inter Damasum papam primum, & Vrsinum dyaconum cardinalem, hic enim Damasum prælatum non ferens seditionem Damaso excitat, & seditiosorum hominum potentia in Basilica quæ Sisini appellatur episcopum se fieri extorquet legis ordine, & traditione peruersis, quo facto magna turbatio orta est. Quod scisma auctore Deo sopitum est. nam congregato concilio Damasus qui a maiori, & saniori parte electus fuerat in sede constituitur. Vrsinus de urbe eiectus episcopus Neapolitanus efficitur. Quartum scisma fuit inter Bonifacium primum, & Eulaliũ presbyterum urbis Romæ. Bonifacius ordinatur in Basilica sancti Petri Eulalius in Basilica Constantina. Sopitur hoc scisma sic: quoniam ambo iussu Imperatoris Honorii urbem egrediuntur, & facta inquisitione de ueritate electionis amborum reprobatur Eulalius, & Bonifacius qui a maiori, & saniori parte fuerat electus apostolicæ sedi restituitur. Quintum scisma fuit inter Symachum primum & Laurentium. Nam Symachus est electus in papam in Basilica Constantina ab una parte cardinalium & clero. Laurentius uero ab alia parte in Basilica sanctæ Mariæ eligitur. Sopitum est hoc scisma hoc modo, quia cum unus alteri non cederet constituerunt, ut

lis

lis tota iudicio Theodorici regis qui tunc in Italia plenum habebat dominium diffiniri deberet, qui Rauennæ existens auditis utriusque partis plene legatis decreuit ut qui prius electus esset aut quem maior pars cleri simul & populi elegisset in sede apostolica resideret, & quia Symachus prius ordinatus fuerat maiorq; pars ei faueret obtinuit qui ex misericordia Laurentium episcopum fecit Nucherinum, uerum post paucos annos criminatur ex inuidia Symachus per falsos testes, & apud Augustum accusatus reuocatur occulte Laurentius, & iterato scismate diuisus est clerus. Sed sopitur hoc modo. nam iussu præfati regis Theodorici congregatur concilium 115. episcoporum in urbe. ut patet distinct. 17. cap. concilia. §. hinc etiam in quo Symacho purgato de crimine falso & damnatis tam falsis testibus quàm episcopo Laurentio apostolicæ sedis inuasore Symachus cum summo honore & gloria restituitur. Sextum scisma fuit inter Siluerium primum, & Vigilium Vigilius enim Romanæ ecclesiæ archidyaconus cum ad apostolicæ sedis apicem aspiraret pontifici suo Siluerio parat insidias. nam cum papa Siluerius nollet ad suggestionem Augustę reuocare Antonium Constantinum episcopum quia hæreticus esset Vigilius spospondit se hoc facturum atque ita beato Siluerio per Guilisarinum patricium in exilio deportato. Vigilius fauente Augusta gratia factæ promissionis male concupitam sedem arripuit quanquam postea beata confessione crimen diluerit. Scisma hoc sopitum est, quia ut quædam historiæ referunt mortuo Siluerio in exilio Vigilius ab omnibus in papam assumptus est. Septimum scisma fuit inter Eugenium secundum, & alium quendam in discordia coelectum quod scisma sopitum est potentia Lotharii filii Lucii Imperatoris qui Romam ueniens statum populi pacificauit cum pontifice Eugenio deprauatum per suos antecessores, & ita reiecto antipapa Eugenius mansit in papatu cui etiam maior pars nobilium & populi fauebat. Octauum scisma fuit inter Leonem quintum, & Christoforum Pseudo Antipapam, qui Christoforus diabolica præsumptione ita execratus est ut Leonem papam ui capere, & carceri mancipare præsumpserit, & ita hoc ordine apostolicam sedem usurpauit sed Leone papa in carcere mortuo, & Christoforo antipapa turpiter reiecto Sergius secundus ad apostolatum eligitur, & sic scisma sopitur. Nonum scisma fuit inter Ioannem duodecimo, & Leonem octauo nam licet Ioannes duodecimo ob demerita sua quia lubricus erat & uenator congregato concilio episcoporum Italiæ per Ottonem Imperatorē foret depositus & Leo in apostolatu constitutus, nihilominus post recessum Imperatoris Ioannes fauore suorum receptus est a Romanis, & collecta synodo reassumit papatum Leone deposito quo tandem iusto Dei iudicio a diabolo extincto scisma sopitum est. Decimum scisma fuit inter prædictum Leonem & Benedictum quintum, qui Benedictus cum ab amicis Ioannis adhuc uiuente Leone eligeretur scisma ortum est. Quod scisma sopitur sic reuertitur enim Imperator hoc audiens ad urbem, & obsidione illam fatigat quousque Benedictus sibi traditus est quem Imperator in exilium in Saxoniam mittit, & Leo restituitur, & ita potentia Imperatoris scisma sopitur. Vndecimum scisma fuit inter Gregorium quintum, & quendam Ioannem episcopum Placentinum quem Crescentius consul pecunia corruptus in apostolicam sedem uiolenter intru-

ſit,ſed hoc imperator cum multo dolore audiens ad urbem celeriter regreditur,& Creſcentium trucidari iubet & dictum Ioannem oculis effoſſis priuatum in caſtro ſancti angeli carceri perpetuo mancipauit, & Gregorius reſtituitur,& ſic poteſtate imperatoris ſciſma ſopitur. Duodecimum ſciſma fuit inter Benedictum nonum & alios tres aſſumptos. Legitur enim quòd Benedictus nonus poſtquam in ſede apoſtolica aliquibus annis ſederat deiicitur, & datus eſt papatus Ioanni Sabinenſi epiſcopo qui poſtea uocatus eſt Silueſter tertius quo potentia aliquorum Romanorum qui Alberto patri præfati Benedicti fauebant eiecto. Benedictus eſt reſtitutus quo iterato reiecto datus eſt papatus Ioanni præsbytero ſancti Ioannis ante portam latinam qui Gregorius ſextus eſt dictus qui ob ruditatem litterarum ut ferunt ad uices officii exequendas alium ſecum conſecrari fecit quæ coadiutoris inſtitutio cum multis non placeret tertius ſuperinducitur qui ſolus uices duorum impleret. Inter tres ergo de papatu contenditur uno contra duos, & duobus contra unum de papatu altercantibus uenit Henricus imperator Romam, & tribus eiectis quartus ſubſtituitur qui uocatus eſt Clemens ſecundus, & ita potentia imperatoris ſciſma ſopitur. Tredecimum ſciſma fuit cum Benedictus decimus fretus potentia aliquorum nobilium Romanorum ſedem occupauit apoſtolicã qui tandem conſcientia ductus ceſſit agnoſcens ſe per oſtium non intraſſe, & factus eſt Nicolaus ſecundus. Quartumdecimum ſciſma fuit inter Alexandrum ſecundum,& Cadulum permenſem epiſcopum. Sane epiſcopi Lombardiæ dicentes non debere eligi in Romanum pontificem niſi de Italiæ Paradiſo ſiue Iardino quem uocabunt Lombardiam contra morem eccleſiæ prædictum cadulum in papam eligunt fauente eis ad hoc Imperatorem Henrico,ſed hoc ſciſma ſopitur hoc modo, nam Henricus Imperator rediens ad cor condolens turbationi eccleſiæ Romam proficiſcitur, & Alexandro reconciliatur.Cadulus uero hoc uidens recognoſcens errorem dimiſſa præſumptione papatus uenit ab obedientiam Alexandri. Decimumquintum ſciſma fuit inter Gregorium ſeptimum, & Clementem quendam. Sane cum inter papam Gregorium ſeptimum & Henricum Imperatorem quartum oriretur diſcordia ſuper inueſtituris epiſcoporum in imperio ſuggerente imperatore ſuperinducitur alius.nam conuenientibus epiſcopis, & archiepiſcopis Lombardiæ apud Brixiam archiepiſcopus Rauennaten.nomine Gilbertus in papam eligitur qui uocatus eſt Clemens. unde ſecutum eſt ſciſma grauiſſimum quod durauit uſque ad mortem præfati antipapæ,& præfati Henrici imperatoris qui ſciſma illud fouebat, & ita morte illorum ſopitum eſt ſciſma. Decimumſextum ſciſma fuit inter Paſchalem ſecundum, & alios tres Pſeudo pontifices. Sane cum Paſchalis poſt deceſſum urbani ſecundi in pontificem eſſet aſſumptus coronato in imperium Henrico quarto aliqui ex clero in pontificem exurgentes tres diuerſis temporibus hæreſiarchas in papatum promouere moliti ſunt. uidelicet Albertum, Arnulfum, & Theodoricum qui quanquam in initio prophanæ aſſumptionis turbationes non mediocres excitarunt, mox tamen per uerum pontificem reſtricti ſunt quibus tandem mala morte extinctis ſopitum eſt ſciſma eorum morte. Decimumſeptimum ſciſma fuit inter Gelaſium ſecundum,& Burdinum Antipapam. Sane Henricus quartus occaſionem aſſumens quòd ad electionem Gelaſii non fuerit uocatus electioni

ctioni

ctioni præfatæ se opponens Burdinum quendam ex hispanis in papam fecit ordinari. Gelasio autem mortuo apud Cluniachum in Francia eligitur Calixtus secundus qui Romam ueniens in sutrio Burdinum capit & confusibiliter ad urbem deducit carcere recludit, & scisma sopitur. Decimum octauum scisma fuit inter Innocentium papam secundum & Petrum Leonis licet a minori parte fuerit electus, nihilominus potentia parentum suorum uallatus præualebat in urbe qua de causa papa Innocentius cum cardinalibus sibi adhærentibus recessit de urbe in Franciam. Petrus uero Leonis manens in urbe arripuit pręsulatum iubensq; se uocari Anacletum. Scisma hoc finitur hoc modo: quoniam Lotharius Imperator ad urbem ueniens partem totam Petri Leonis extirpat, & dictum Innocentium papã restituit, & ita potentia Lotharii scisma illud sopitur. Decimumnonum scisma fuit inter Alexandrum tertium, & quattuor Pseudo antipapas, cum enim Alexander præfatus propter discordiam ortam inter ipsum, & Fredericum primum coactus esset Italiam relinquere iuit in Franciam ubi quasi per 18. annos mansit quo tempore intermedio fauente præfato Frederico quattuor antipapæ successiue intrusi sunt apostolicam sedem prophanantes, primus fuit Octauianus qui se uocari fecit Victorem, secundus fuit Guido Cremonen. qui se uocari fecit Paschalem, tertius fuit Ioannes Fremen. qui se uocari fecit Calixtum. quartus fuit Laudo qui se uocari fecit Innocentium qui omnes ab Alexandro excommunicati mala tandem morte interierunt, composita autem pace inter papam Alexandrum, & præfatum Fredericum scisma sopitum est. Vigesimum scisma fuit inter Ioannem papam uigesimo secundo, & Pseudo pontificem fratrem Petrum de Corberio. Sane Ludouicus Bauarus, quia præfatus papa Ioannes sibi non fauebat in facto imperii sed magis sibi foret contrarius ueniens Romam in despectum eius fecit præfatum pseudo religiosum ordinis minorum fratrem Petrum de corberio erigi in papã ab eo imperii coronam usurpans, & ita ortum est graue scisma in ecclesia. Verum disponente domino præfatus antipapa capitur, & papæ Ioanni præsentatur tandem in castro Cremonen. moritur, & sic scisma sopitur. Vigesimumprimum scisma fuit quasi temporibus nostris pro parte, fuit enim inchoatum circa annum domini M.ccclxxviii. & durauit usque ad tempora nostra, uacante enim apostolica sede per mortem Gregorii undecimo, fuerunt duo ad summum pontificatum assumpti, primo quidem Bartholomeus episcopus Baren. & uocatus est Vrbanus sextus, tandem recedentibus cardinalibus, & conferentibus se ad Auinionem ubi se securos credebant electus est cardinalis Gebennen. & uocatus est Clemens septimus, & ita scisma magnum ortum est in ecclesia Dei, quod multis annis durauit. Nam post mortem Vrbani sexti per cardinales per eum factos assumptus fuit ad papatum Bonifacius nonus & post istum Innocentius septimus, & post eum Gregorius duodecimo, pro alia uero parte post mortem clementis assumptus est Benedictus, decimotertio, tandem per cardinales aliquos Gregorii, & Benedicti celebratũ est concilium Pisis, anno domini M.ccccviii. & de positis Gregorio & Benedicto quantum in eis fuit electus est ad papatum frater Petrus de Candia magister in Theologia qui dictus est Alexander quintus post quem electus est Ioannes uigesimotertio, & ita ubi primo duo contendebant iã contendebant tres, uerum Dei misericordia opitulante religiosa solicitu-

dine domini regis Sigisinundi congregatum est concilium Constantiæ, in quo tribus obedientiis tandem conuenientibus renunciat Gregorius iuri suo. Ioannes, & Benedictus deponuntur, & ita sopito scismate reddita est pax ecclesiæ. Vigesimumsecundum scisma fuit hoc nostro tempore inter Eugenium papam quartum & pseudo pontificem Amedeum ducē Sabaudie Felicem nuncupatum. Sane cum inter prefatum Eugenium, & Basilien. concilium quod cepit de anno 31. de mense Iulii super aliquibus temere attentatis in progressu ipsius per aliquos patres ipsius concilii qui nunquam alias per quæcunque alia uniuersalia concilia uno existente in apostolica sede indubitato pontifice fuerunt attentata. Et maxime super loco ad quem græci pro eorum unione tractanda erant uenturi grauis orta foret dissensio, & plurimum scandalosa. nam intantum quorundam impiorum hominum qui post dissolutionem concilii Basileæ pertinaciter remanserunt, creuit audacia, ut Amedeum ducem Sabaudię in pseudo pontificē prophanarent, quem Felicem nominarunt cui, & si pauci exceptis illis de dominio suo obedirent, nihilominus stulta præsumptione uulnerata est ecclesia, uerum mortuo Eugenio, & succedente beatissimo domino nostro Nicolao papa 5. ad suggestionem illustrissimorum regum, & dominorum, uidelicet regis Franciæ & Angliæ præfatus dominus Amedeus destitit ab impræsia summi pontificatus quem Amedeum tam pro nobilitate sanguinis quàm pro pace reddita ecclesiæ sanctissimus dominus noster Nicolaus pro sua clementia maxima cum charitate suscipiens cardinalē legatum cū certis prærogatiuis in tota terra Sabaudiæ perpetuum instituit ac creauit & ita scisma Deo gratias sopitum est.

Cap. X. De multiplici uia sopiendi siue tollendi scismata.

EX PRÆDICTIS in superiori ca. facile quis colligere potest plures uias esse quibus scismata sopiri atque tolli possunt de ecclesia. Notauimus autem inter alias decem uias. Prima uia est discussionis ueritatis, & iustitiæ, ut uidelicet discutiatur quis inter contendentes sit uerus papa, & ista uia est multum conueniens: quoniam per eam uincit ueritas, & lucescit iustitia falsitas repellitur temeritas reprobatur, & audacia compescitur, ne decreto defacili fiant scismata per impræssionis uel alios modos illicitos. unde hoc modo uia præcluditur futuris scismatibus, & unitas ecclesiæ firmatur cum iustitia & pax osculate fuerint, ut inquit psalm. uerum hæc discussio ueritatis de iustitia contendentium quandoque facta legitur per imperatores antiquis temporibus cum Imperatores potentiores essent, & hoc maxime quando scisma erat recenter introductum, & non dum ut ita dicam extra muros urbis processerat, & parum habebat dubitationis, sicut patet in scismate quarto in præcedenti cap. commemorato. Nam cum inter Bonifacium primum, & Eulalium præsbyterum urbis Romæ foret super papatu contentio iussu Imperatoris ambo contendentes urbem egrediuntur & inquisitione facta de ueritate electionis amborum, & reperto quòd Bonifacius a maiori & saniori parte fuerat electus suscipitur, & Eulalius reiicitur. Nec miretur aliquis sicut quidam ad pauca respicientes faciunt quòd Imperatoris ita fecerunt: quoniam non ut iudices

dices aut usurpantes ecclesiasticum iudicium illud egerunt sed ut patroni ecclesiæ, & protectores pacis, & unitatis ecclesiæ per modum habendæ declarationis ueritatis, ut sciretur per doctos uiros quis contendentium esset uerus pontifex cui fauere debeant,& quis intrusus quem expellere teneantur iuxta ca.si quis pecunia dist.79. Quandoque uero inquisitio ista ueritatis,& iustitiæ facta est per concilium prælatorum,& hoc quando dubium de ueritate papatus inter contendentes erat aliquantulum probabile, & maxime cum utraque pars habuit potentes dominos tam seculares quàm ecclesiasticos fauentes aut cum aliquantisper esset antiquatum, & ex hoc magis firmatum & hoc factum uidetur conuenienter, quoniam huiusmodi dubii cōueniens iudex uidetur esse concilium ut uidetur secundū aliquos colligi ex gl.c.si duo di.79.ubi tamen gl.non nisi hoc quærit. Glo, sed quis erit iudex de hoc:an electio sit contra phas. Non ipsi cardinales, quia sic essent iudices in proprio facto.nam nullus potest superior inueniri ut extra de elect.licet in fine.Dic illud c.locum habere quando neuter est electus a duabus partibus,uel dic concilium conuocabitur.hæc glo. Hug. uero dicit in apparatu suo sic. Sed cuius examini committetur hęc causa utrum sint ita electi uel non forte loquitur de manifesto uel ad cardinales spectat hoc cognoscere,uel si cardinales adeo dissentiunt debebit concilium conuocari auctoritate cardinalium,hæc Hug. Hac uia scilicet per uiam concilii sopita sunt plura scismata,sicut patet in cap.præcedenti.Sic enim sopitum est scisma tertium quod legitur fuisse inter papā Damasum primum & Vrsinum. Nam ut dictum est in præcedenti c.congregato concilio,& inuento ꝙ Damasus fuerat a maiori, & a saniori parte electus suscipitur & Vrsinus de urbe expulsus Neapolitanus constituitur episcopus. Item hac uia sopitum est scisma quintum secūdo ortum inter Symachum,& Laurentium.Nam ut dictum est & habetur in §.hinc etiam distin.17.præcepto Theodorici regis congregato concilio multorū prælatorum sed auctorizato per eundem Symachum Symachus restitutus est,& Laurentius eiectus. Hic tamen notandum ꝙ pro discussione ueritatis contendentium de papatu nunquam legitur superioribus temporibus conuocatum aliquod concilium uniuersale utpote prælatorū totius orbis sed fuit conciliū bene particulare,quia aut prælatorū unius prouinciæ.s.Italiæ tantum,aut aliquarum paucarum,sicut patet ex dictis in præcedenti c.Secunda uia sedandi scismata est uia compromissi ut.s.contendentes de papatu compromittant in arbitros, & in arbitratores promittentes stare eorū iudicio siue eorum sententiæ siue arbitratores isti sint laici siue clerici. Et ad hanc uiam reducitur illud quo contendentes de papatu committerent aliquibus potestatem discutiendi de iure eorum utrum eorum aliquis sit uerus papa uel nullus, & promittendo cum hoc ꝙ stetur eorum sententiæ absque aliqua contradictione.Hac uia sopitum est scisma quintum primo ortum inter Symachum & Laurentiū.Nā ambobus ut dictum est in præcedenti c.compromittentibus in regē Theodoricum ipsius regis iudicio acceptus est Symachus papa: quoniā maior pars cleri & populi eū elegerat, & reiectus est Laurentius. Tertia uia est per nouam electionem, ut.s.ille inter contendentes inter quos est dubium quis sit uerus papa habeatur pro papa qui noua electione a maiori parte uniuersitatis fuerit electus, & hoc modo currit capit.si duo forte distin.79.in quo Honorius imperator ad Bonifacium papam ita

scribit. Si duo forte contra phas temeritate concertantium fuerint ordinati, id est electi nullum ex eis futurum sacerdotem permittimus sed illum solum in sede apostolica permanere censemus quem ex numero clericorũ ordinatione, id est electione noua diuinum iudicium, & uniuersitatis consensus elegerit, hæc ille, dicit Hug. uel maioris partis. Quarta uia est, ut expulsis siue reiectis omnibus contendentibus alius eligatur, & hæc uia uidetur conueniens quando de iure nullius contendentium habetur certitudo aut quando si alter illorum remaneret foret scandalum magnum & sic uidetur currere glo. quæ habetur in cap. si forte dist in 63. in quo determinatur. Cum uota eligentium in duas se diuidunt partes quis sit præferendus alteri, ubi gloss. super uerbo tamen ut nullus, ita dicit q.d. Si timetur scandalum utriusque electio cassabitur, ut distin. 79. si duo Hac uia sopitum est scisma octauum quod fuit inter Leonem quintum, & Christoforum. Nam ut dictum est in præcedenti cap. Leone in carcere mortuo & Christoforo turpiter eiecto Sergius secundus electus est, & sic scisma sopitum est. Item eadem uia sopitum est scisma duodecimum quod fuit inter Benedictum nonum, & alios tres aduersarios: quoniam omnes contendentes potentia Henrici Imperatoris eiecti sunt & electus est unus alius qui dictus est Clemens secundus. Item hac uia uidetur sopitum diebus nostris scisma magnum in concilio Constantien. ubi Ioanne uigesimotertio, & Benedicto 13. depositis electus est Martinus quintus. Quinta uia est cessionis siue cessationis a persecutione papatus alterius contendentium. Hac uia sopita sunt aliqua scismata, sopitum est enim scisma. 13. quia Benedictus decimo, conscientia ductus cessit papatui quem per uiolentiam ingressus fuerat, & Nicolaus secundus est electus. Item scisma. 14. inter Alexandrum secundum & Cadulum qui ut patet in præcedenti cap. deficiente sibi fauore imperatoris Henrici destitit a persecutione papatus. Item scisma uigesimosecundo quod fuit inter sanctissimum dominum nostrum papam Nicolaum, & Amedeum quendam ducem Sabaudie, quod clementer apud nos agente omnipotente domino Amedeo cessante a prosecutione papatus ablatum est. Sexta uia est uia armorum adhibita contra intrusos. hæc uia maxime conuenit quando habetur certitudo de iure unius & de intrusione alterius. Hac enim uia plura scismata ablata leguntur sicut scisma septimum inter Eugenium secundum, & aduersarium eius. Item scisma octauum inter Leonem quintum, & Christoforum. Item scisma decimum inter Leonem octauum & Benedictum quintum, & sic de multis aliis, ut in cap. præcedenti plenius continetur. Septima uia est uia reconciliationis cum imperatoribus siue principibus quorum fauore scisma fouetur atque manutenetur. Hoc modo sopitum est scisma 14. quod fuit inter Alexandrum secundum, & Cadulum. Et scisma 19. inter Alexandrum tertium, & alios quattuor antipapas, ut in cap. præcedenti uisum est. Octaua uia est cum contingente morte alicuius de contendentibus suscipere alterum contendentium, sic legitur scisma sopitum inter Siluerium, & Vigilium quoniam ut dictum est in præcedenti ca. Siluerio in exilio pro Christi fide mortuo Vigilius licet male ingressus fuerit ab omnibus tamen receptus in papam creditur tamen quòd per nouam electionem. Item hac uia sopitum est scisma secundum quod fuit inter Felicem, & Liberium. Felix martyrio coronatus est. Liberius uero factus hæreticus qui alio nomine

mine Leo uocatus uixit post occupationem apostolicæ cathedræ per plures annos postea mala morte extinctus periit, & Damasus electus est,& sic scisma illud extinctum est. Nona uia sedandi scisma est per capturam intrusi uel intrusorum quod possibile quandoque est opitulante diuina misericordia maxime cum paucos habent fautores & minus potentes. Hac uia sopitum est scisma inter Calixtum secundum & Burdinum antipapam. Nam papa Calixtus cepit in butrio præfatum Burdinum antipapam & scisma sopitum est. Item hoc modo sopitum est scisma 20. inter Ioannem 22.& Petrum de corberio. nam captus est Petrus de corberio & ductus ad præfatum Ioannem 22.& ita scisma ablatum est. Decima uia est uia persuasionis fiende per principes magnos maxime cum non solum pro excellẽtia dignitatis reuerendi sunt, sed etiam pro celsitudine potestatis metuendi existunt. debet enim dari modus, ut per huiusmodi magnæ & reuerendæ auctoritatis & potestatis metuendæ principes persuadeatur intruso siue intrusis ut pro reuerentia Dei & ecclesiæ honore uelint a proposito desistere addentes minas quòd alias oportet eos ea facere quæ tenentur in fauorem unitatis ecclesiæ.Hac uia sopitum est scisma ultimum quod introduxerunt Basilien. de Amedeo duce Sabaudiæ quo suasibus illustrissimorum dominorum regum scilicet Franciæ & Anglię desistente a proposito scisma ablatum est ut in præcedenti cap. plenius dictum est.

Cap. XI. In quo declaratur an papa possit in scisma incidere uel esse scismaticus.

SVRGIT ex prædictis quæstio non parua apud aliquos. an scilicet Romanus pontifex cum caput ecclesiæ sit possit in scisma incidere, uel scismaticus esse. Et uisum est aliquibus quòd non. Tum primo, quia si scisma iuxta superius habita sit diuisio illicita per inobedientiam ab unitate ecclesiæ militantis cuius caput est papa, ut dicit Hostien. nullusq; possit a seipso separari (ut notum est) non uidetur quòd papa uerus possit in scisma incidere sicut nec a seipso separari uel diuidi. Tum secundo, quia nullus in quo & apud quem est ecclesia incidit in scisma, sed uerus papa est huiusmodi, ut 24.q.1. loquitur & c.dicimus, immo per separationem ab eo incurritur scisma secundũ illud Cypriani in ca.scire 7.q.1.sic dicentis.Scire debes episcopũ in ecclesia esse & ecclesiam in episcopo, & si quis cum episcopo non sit in ecclesia non esse. ergo nullus uerus papa pót in scisma incidere.cõsequentia uidetur bona, & antecedens uidetur patere pro utraque sui parte. Aliis aũt uidetur contrarium qui saluo semper meliori iudicio uidentur nobis sapius loqui. unde uidetur ꝙ Romanus pontifex possit in scisma incidere non solũ ex ea parte qua pót incidere in hæresim iuxta c.si papa 40.di.& per consequens in scisma cum in hæresi scisma includatur, ut in superioribus declarauimus in ca.1.sed etiã ex ea parte qua scisma distinguitur ab hæresi,& pót sine illa esse, pro quo aperte uidetur facere gl.c.1.24.q.1.in summa, ubi ita dicitur. Maxime cum scisma non possit esse sine hæresi nisi forte in summo pontifice ut si duo crearentur, & uterq; crederet ecclesiã apud se esse 7.q.1.factus. Ecce ꝙ gl. hæc manifeste supponere uidetur ꝙ papa possit incidere in scisma quod etiã manifeste uidetur asserere beatus Cyprianus de Nouatiano loquẽs in epistola ad Antonianũ

Opi. primæ ratio prima

Ratio secunda

Opi. auctoris

sic di. Episcopatum autem tenere non posse etiam si episcopus prius factus a coepiscoporum suorum corpore & ab ecclesię unitate discederet: quoniã apostolus, ut inuicem nosmetipsos sustineamus ne ab unitate quam Deus constituit recedamus, & dicat sustinentes inuicem in charitate sat agentes seruare unitatem spiritus in coniunctione pacis, hæc Cyprianus. Consequẽter ratione probatur præfata conclusio sic. papa potest illicite se diuidere ab unitate ecclesiæ, & ab obedientia capitis ecclesiæ. ergo potest in scisma incidere. consequentia est bona per locum diffinitionis ad diffinitũ, antecedens probatur sic: quoniam papa potest a Christo qui est principale caput ecclesiæ, & respectu cuius maxime unitas ecclesiæ attẽditur per inobedientiam recedere non obediendo legi eius aut præcipiendo ea quæ naturali aut diuino iuri contraria sunt, & per consequens separare se a corpore ecclesiæ Christo subiectæ per obedientiã, & ita absq; dubio uidetur ꝙ papa possit in scisma incidere. Secundo sic. si papa potest separare se sine aliqua rationabili causa sed pura uolũtate sua a corpore ecclesiæ, & collegio sacerdotum per non obseruantiam eorum quę uniuersalis ecclesia ex traditione apostolorum obseruat, iuxta c. ecclesiarum di. 11. aut per non obseruantiam eorũ quæ per uniuersalia concilia aut apostolicæ sedis auctoritatẽ sunt uniuersaliter ordinata maxime ad cultum diuinũ utputa nolendo obseruare in se ea quæ uniuersalem statum ecclesiæ aut uniuersalẽ ritum cultus ecclesiastici concernunt, ut ꝙ nollet celebrare in uestibus sacris aut locis sacratis aut cum luminaribus aut signare se signo crucis sicut residuum sacerdotum collegium facit & similia quæ ad perpetuam generaliter ordinata uidentur utilitatẽ contra ca. quę ad perpetuam & ca. uiolatores & ca. sunt quidam & c. contra statuta 25. q. 1. ergo uidetur ꝙ papa in talibus diuidẽdo se ab obseruantia uniuersalis ecclesiæ cum pertinacia possit in scisma incidere. consequentia est bona, & antecedens non est dubium, quia sicut possit incidere in hæresim ita in inobedientiam, & pertinacem non obseruantiam eorũ quæ ordinata sunt ad communem statum ecclesiæ. Vnde Inno. in c. de consue. dicit ꝙ in omnibus obediendum est papæ dum non ueniat contra uniuersalem statum ecclesiæ, in eo enim casu dicit ꝙ non est sustinendus sine causa rationabili. Tertio argui potest sic. contendentibus aliquibus de papatu si etiam is qui esset uerus papa dubius tamen probabiliter apud aliquos ita negligenter, & pertinaciter se haberet ad unionem ecclesiæ procurandam quòd nollet facere quicquid in se esset pro unitate ecclesiæ reintegranda talis uideretur scismatis nutritor, quemadmodum multi diebus etiam nostris argumentabantur de Benedicto 13. & Gregorio 12. His habitis dici posset ad rationes in oppositum: quoniam non uidentur militare.

Ad primã rationem primę op.

Non quidem prima, quia scisma non solum est diuisio ab unitate ecclesiæ in ordine ad papam per inobedientiam factam a primario, & principali capite quod est Christus. Nec illud probat aduersariorum propositum quod inducunt dicentes quòd papa non possit a seipso separari: quoniam licet hoc uerum sit potest tamen separari per inobedientiam a capite Christo cuius uicarius est & ab institutione apostolicæ sedis inquantum se diuidit ad obseruautia eorum quæ sancti patres prædecessores in apostolica sede generaliter ad communem ecclesiæ utilitatem siue statum constituerunt sicut diximus.

Ad secundam

Ad secundam respondetur per alios dicendo ad minorem quòd tunc apud papam intelligitur uere esse Christi ecclesia quando

ipse manet subiectus capiti Christo cuius est uicarius recognoscendo ab eo potestatem suam pendere, debitam illi subiectionem seruando, & obseruantiis uniuersalis sanctæ matris ecclesiæ ipsius Christi sponsæ canonicæ se confirmando.

Cap. XII. De opinione quorundam quòd propter scisma tollendum uerus, & indubitatus papa possit compelli cedere, aut nollens cedere possit deponi.

QVONIAM præter uias supra nominatas ad tollendum scisma uolunt aliqui ponere unam aliam uiam, uidelicet per uiam compulsionis ad cedendum, & ubi cedere noluerit quòd deponi possit, ut scilicet compellatur papa quantumcunque sit uerus, & indubitatus per aliquem modum utputa per subtractionem obedientiæ uel captionem personæ. Et hanc suam opinionem multipliciter fundare nituntur, primo exemplis aliquibus sacræ scripturæ, secundo practicis aliorum conciliorum, tertio auctoritatibus, quarto rationibus. Vnde primo quòd uerus pontifex in huiusmodi casu debeat propter scisma tollendum cedere proprie dignitati sic probant exemplo mulieris illius meretricis de qua legetur 3. Regū 3. quæ filium suum uerus potius aduersariæ mulieri per mendacium uendicanti ad iudicari concessit quàm filium diuidi siue secari, in quo signo cognitum est quòd ipsa esset uera mater pueri. ergo similiter Romanus pōtifex antequam permittat ecclesiæ corpus secari debet cedere dignitati. Secundo idem arguitur exemplo Christi cuius actio nostra debet esse instructio, qui exinaniuit semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis, ut inquit Apostolus ad Philip. 2. ergo Romanus pontifex exemplo ipsius Christi cuius est uicarius pro salute populi sui, & unione ecclesiæ deberet etiam se exinanire usque ad cessionem suæ dignitatis. Tertio sic arguitur, ex practica concilii Pisani quod duos contendentes de papatu deposuit. uidelicet Gregorium, & Benedictum quorum alter uerus papa credebatur & electus est unus alius, uidelicet Petrus de Candia. Quarto patet etiam idem exemplo Constantien. concilii in quo depositi sunt etiam duo. s. Ioannes 23. & Benedictus, & electus est Martinus. Quinto arguitur auctoritate, dicitur enim Ioan. 10. quòd bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, ergo Romanus pontifex qui totius dominici gregis pastor est ouium Christi secundum illud Ioan. ult. Pasce oues meas, debet uitam suā ponere, & multo magis dignitatem quæ minus est quàm uita pro ouibus suis ne pereant. Sexto auctoritate iuris ex ca. nisi cum pridem de renun. §. pro graui quoque, ubi uidetur haberi quòd prælatus pro scismate aut scandalo tollendo cogi possit ad cessionem sed quod de alio episcopo inferiori reaccipitur pari ratione in episcopo urbis, tum quia sola administratione præcellit illum, tum quia maius scandalum oritur ex perturbatione uniuersalis ecclesiæ quàm unius diocesis. Septimo arguitur idem ex glo. ca. si forte dist. 63. ubi dicitur quòd si duo eligantur in discordia, ille iudicio metropolitani alteri præferatur qui maioribus adiuuatur studiis, & meritis, ut tamen nullus detur episcopus inuitis &c. ubi gl. ait q. d. Si timetur scandalum tunc utriusq; cassatur electio. ut 79. di. si duo ergo uidetur ꝙ

Probatio prima

Secunda

Tertia

Quarta

Quinta

Sexta

Septima

propter euitandum scandalum scismatis in ecclesia, & ne inuitis sit pontifex,& per consequens odibilis papa cedere debeat,& ad hoc posse cópelli.
Octaua Octauo sic ratione. quicunque peccans pertinaciter contra articulum fidei potest non modo compelli cedere sed etiam deponi a concilio uniuersali,ut satis patet ex cap.si papa dist.40.sed papa nolens cedere pro unione ecclesiæ cum uideatur facere ꝙ ecclesia non sit unita uidetur errare, & peccare in articulum. Vnam sanctam ecclesiam ut notat Hostien.in summa de scismaticis.& ad hoc facit ca.aduocauit 24.q.1.ergo sequitur quòd in tali casu etiam uerus papa possit compelli cedere,& ubi noluerit possit
Nona deponi. Nono sic.quicunque potest scandalum tollere,& non tollit censetur huiusmodi scandalum efficere,ut in ca.error dist.80. & 2.q.7.negligere,sed papa potest tollere scandalum scismatis de ecclesia cedendo.ergo si non uult uidetur ipse scisma introducere siue nutrire, sed huiusmodi
Decima potest deponi per concilium. ergo &c. Decimo sic. prælatus uidens ecclesiam suam periclitari in spiritualibus, & temporalibus propter scandalum personæ suæ tenetur cedere,ut notant doct.in cap.nisi cum pridem de renun.§.pro graui quoq;, & fortius hoc potest dici de papa cum maius immineat periculum retinendo ecclesiam totam in scismate ꝙ teneatur cedere.ergo uidetur quòd ubi non uult cedere possit compelli ad cedendum uel nolens cedere deponi.

Cap. XIII. Quid in præfata quæstione dicendum uideatur secundum ueritatem,& respondetur rationibus in oppositum.

Prima có clusio auctoris. AD hanc quæstionem quid secundum ueritatem saluo semper meliori iudicio respondendum uideatur sub duabus conclusionibus ponemus. Prima est ꝙ in casu scismatis in quo unus est uerus indubitatus papa & alter intrusus seu contra phas ordinatus si talis intrusus magnos,& potentes habeat sequaces siue adhærentes, ita ut pseudo papa non possit manu armata comprimi,& non habeatur spes quòd alia uia scisma sopiri possit quàm per cessionem ueri pontificis,habeaturq; certitudo ꝙ per cessionem ueri pontificis reintegretur ecclesia, & oues disperse ad unicum & sub unico pastore reducantur ouile hoc casu Romanus pontifex quantumcunque clarum, & indubitatum ius habeat in papatu uidetur debere cedere papatui pro integranda unione ecclesiæ. Pro qua conclusione faciunt plures rationes quæ factæ sunt in præcedenti ca.maxime illa quæ sumitur ex euangelio Ioan.ubi Christus ait, ꝙ bonus pastor animam suam ponit pro ouibus,ubi uidetur iuri diuino consonum ut pastor ecclesiæ pro ouibus suis errantibus in unum gregé,& ouile congregandis si alia uia congregandi non habeatur nec speretur nisi iuri suo cedendo renunciare debeat ut sub alio pastore cũ sub eo fieri non possit dominicus grex reintegretur.Item plurimum confortat hanc conclusionem ratio quæ assignatur in ca.nisi cum pridem de renun.§.pro graui quoq; ubi ita dicit papa pro graui quoq; scandalo cum aliter cedari non pót licet episcopo petere cessioné ne plus temporalé honoré quàm æterná uideatur affectare salutẽ, memor illius quod dicit Apostolus.Si scandalizauero fratré meum nó manducabo carnes in æternum. Hanc conclusionem uidetur confirmare bea-

tus Augu. in multis locis. Ait enim super psal. Deus iudicium tuum regi da. super uerbo. Suscipiant montes pacem. Excellentes quippe in ecclesia uigilanti intentione consulere debent ne propter suos honores superbæ agedo scismata faciant unitatis compage dirupta. Nam qua fronte in futuro seculo promissum a Christo sperabimus honorem si Christianam in hoc seculo noster honor impediat unitatem? hæc ille. Item secundo hoc manifeste confirmat libro secundo contra Crescunium grammaticum dicit. Nec episcopi propter nos sumus sed propter eos quibus uerbum, & sacramentum dominicum ministramus, ac per hoc ut eorum sine scandalo sese necessitas habet, ita uel non esse debemus, quod non propter nos sed propter alios sumus, denique nonnulli sancta humilitate præditi uiri propter quædam in se offendicula quibus pie religiosæq; mouebantur episcopatus officium non solum sine culpa, uerum cum laude deposuerunt. Item in libro gestorum cum Emerito ca. 10. Pro pace Christi episcopi debent esse aut debent non esse, & subdit. Quid dubitamus redemptori nostro sacrificium istud humilitatis offerre, an uero ille de cœlis in membra humana descendit, nisi membra eius essemus, & nos ne membra eius crudeli diuisione lanientur de cathedris descendere formidamus propter nos sufficit quòd Christiani fideles, & obedientes sumus. hoc ergo semper sumus, episcopi autem propter Christianos populos ordinamur, quod ergo Christianis populis ad Christianam pacem prodest hoc de nostro episcopatu faciamus, & infra ca. 11. Propter nos hoc debemus esse quod uos, quid debes esse tu cuicunque loquor utrum Christianus fidelis obediens hoc tu propter te hoc & ego pro me: ergo quod tu propter te & ego propter me semper debemus esse, quod autem sum propter te tibi sim si tibi prodest, & non sim si obest. Et infra subdit. Si serui utiles sumus cur domino æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus inuidemus, episcopalis dignitas nobis fructuosior erit si gregem Christi de posita magis collegerit quàm retenta disperserit, & infra. Fratres mei si Deum cogitamus locus iste altior specula munitionis est non fastigium superbientis, si cum uolo retinere episcopatũ meum dissipo gregem Christi, & quoniam non est damnum gregis honor pastoris, & infra Nã qua fronte in futuro seculo promissum a Christo sperabimus honorem si Christianam in hoc seculo noster honor impedit unitatem. Secundo principaliter patet præfata conclusio ex illa regula Hiero. Omnia quæ possunt prætermitti salua tripliciter ueritate sunt propter scandalum dimittenda, sed papa in casu præfato potest cedere papatui salua triplici ueritate, ut patet. ergo uidetur ꝙ propter scandalum mouendum scismatis de ecclesia debeat cedere papatui. Tertio sic: papa plus debet diligere salutem spiritualem ouium suarum quæ impeditur per scandalũ scismatis quàm quodcunque bonum temporale, & per consequens quàm dignitatẽ suam quæ temporalis est, sed id quod minus diligitur est dimittendum propter id quod magis diligitur, si tale aliter haberi non possit. ergo papa in præcedenti casu cedere debet. Secunda conclusio, ꝙ papa uerus, & indubitatus qui non sit a fide deuius non põt cogi ad cedendum, nec cedere nolens põt deponi. Ista conclusio patet ex omnibus rationibus, & doctorum testimoniis quibus in 2. li. ca. 93. probatum est ꝙ Roma. pon. uerus, & indubitatus extra casum hæresis non possit a quocunque nisi a Deo deponi. Idẽ patet ex omnibus illis rationibus quibus in 3. lib. ca. 44. ostensum est quòd

Secunda conclusio

Romanus pon. auctoritate iuriſdictionis ſuperior ſit uniuerſali concilio. manifeſtum eſt autem quod inferior non habet poteſtatem iuriſdictionis in ſuperiorem diſt. 21. inferior, & extra de ma. & obe. cum inferior. Nihilominus ex aliis ſic oſtenditur præfata cõcluſio, communis ſententia eſt ſanctorũ canonum ut in 2. lib. oſtendemus ꝙ papa propter nullum crimen deiici poteſt, niſi cũ ſit a fide deuius di. 40. ſi papa. licet enim electionẽ ſummorũ pontificum Deus commiſerit clericis religioſis, deiectionem tamen ſuo duntaxat iudicio reſeruauit 79. di. electionẽ, & notatur per doct. uidelicet per Ioan. diſt. 79. in ſumma per Hoſt. in ſumma de conſtit. §. quis poſſet, in principio, per archi. de hæreticis in fidei li. 6. & ibidem per Ioan. an. & de auct. & uſu pal. & de renun. ca. 1. li. 6. & de elect. licet de uitanda. Si itaque papa propter crimen quodcunque magnum excepta hæreſi non poteſt deponi etiam ſi foret eccleſiæ inutilis, & negligens, & remiſſus, ut notatur de renun. ca. 1. li. 6. in glo. ordi. quomodo concedendum erit pro cum ſit innocens propter aliorum crimina, hoc eſt ſciſmaticorum proteruam pertinaciã ueniat deponendus aut deiiciendus. Secundo confirmatur iſta ratio ſic: contra iuſtitiam eſt ꝙ innocens propter malitiam aliorũ ueniat honore & dignitate ſua quam iuſte habet priuandus ut manifeſtum eſt. ergo papa uerus, & indubitatus innocens, & immaculatus propter malitiam quorumcunque ſciſmaticorum non uidetur poſſe compelli ad cedendum dignitati ſuę nec poſſe deponi, alias daretur uia ꝙ nullus in dignitate ſi quantumcunq; ſanctus eſſet ſtabilis ſi propter ſedandum ſciſma exortum malitia quorundã impiorum hominum cedendum eſſet honori dominio, & dignitati quod maximum ſcandalum poſſet parere in Dei eccleſia, & tanto maiora quanto talis uiolentia ſeu tyrannis in altiorem dignitatem, ſicut eſt papatus attentaretur. Tertio ſic. nullus poteſt compelli cedere bonis temporalibus in quibus habet clarum ius, & indubitatum propter ſcandalum ſiue ſciſma quorumcunque: quia alias ut dictum eſt daretur malis occaſio rapiendi, & nocendi bonis. unde ſan. Tho. in 2. 2. q. 44. art. ulti. dicit, quòd propter eos qui ſcandala concitant non ſunt temporalia dimittenda, quia hoc etiam noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occaſio. ergo multo minus quis poteſt compelli cedere dignitati, cum multo præſtantior ſit bonis aliis temporalibus propter alios ſcandala, & ſciſmata ſuſcitantes. Quarto præfata concluſio confirmari uidetur auctoritate beati Cypriani qui in epiſtola ad Iuuaianum epiſcopum ſuper ſciſmate inter Nouatianum, & Cornelium loquens inquit. Quid ergo quia honorem cathedræ ſacerdotalis Nouatianus uſurpat, nunquid idcirco nos cathedræ renunciare debemus, & quia Nouatianus altare collocare, & ſacrificia offerre contra phas nititur ab altari, & ſacrificiis ceſſare nos oportet ne paria, & ſimilia cum illo celebrare uideamur, uanum prorſus, & ſtultum eſt, ut quia Nouatianus extra eccleſiam uendicat ſibi ueritatis imaginem relinquat eccleſia ueritatem. hæc Cyprianus. Quinto præfata concluſio oſtenditur ſic. apud iuriſperitos non parum dubitatum fuit ſuperioribus temporibus utrum papa uolens ſponte ex cauſa puta quia eſſet inſufficiens, & inutilis ad regnum Romanæ atque uniuerſalis eccleſiæ papatui renunciare, foret admittendus ad renunciationem. In cuius rei teſtimonium diſputatio cum fortiſſimis pro utraque parte rationibus ſatis abunde, & eleganter recitata eſt per Ioan. an. in cap. 1. de renun. lib. 6. in gloſſ. &

plenius

plenius in nouel. Ad cuius quoque quæstionis decisionem processit illa constitutio in cap. 1. de renun. li. 6. modo si iam fuisset diffinitum aut ita iure diuino aut humano fundatum quòd papa propter iustam causam tollendi scismatis aut grauis uitandi scandali non tantum uolens, sed etiam inuitus compelli posset cedere, nulla profecto fuisset dubitatio apud tot & tantos iuris sapientes an ex iusta causa sponte uolens cedere foret admittendus cum ergo papa uerus, & indubitatus propter uitandum scisma exortum per alios possit compelli ad cedendum nullo iure caueatur non uidetur sine periculo conscientię indifferenter hoc attentandum. unde una de causis quare scisma Chore Dathan & Abiron graui, & insolita pœna punitum est Num. 16. ut dicit sanctus Thom. in quarta dist in ctio. 13. quia expediebat ne prælati ecclesiæ contemnerentur, plane cum sint locum Christi tenentes in ecclesia cum magna reuerentia tractandi sunt. Sexto sic. quenquam cogi suo iuri cedere, & ius suum inuitum abdicare uel amittere est de genere uetitorum, ut patet ex regula iuris. ergo uidetur quòd papa uerum ius habens non possit cogi cedere iuri suo. Septimo patet eadem conclusio: quoniam si papa uerus propter tollendum quodcunque scisma cedere compellatur res efficietur ex templo perniciosissima, patet: quoniam potestatibus laicorum in futuris temporibus uia parabitur qua Romanum pontificem inuitum, & reluctantem suis prauis requisitionibus renunciationi pro uoluntate eorum subiiciant, confingent quandam hæresim contra eum uel minus canonicam electionem criminabuntur, & apostaticum erigent quem sua magna potentia perperam suffragantes non aliter quàm si uerus apostolicus cesserit sedere patientur. Præterea de coniuratione fortasse cardinalium aliquorum quibus per eandem exempli effigiem uia consimilis aperietur, & apostolici deponendi facultas pari consequentia tribuetur, & principatus apostolicus ex malorum arbitrio dependebit, quod quàm inconuenientissimum sit nullus mente sanus ignorat. Propter quod inquit Cyprianus in epistola ad Iuuaianum, & habetur septima quæst. 1. quàm periculosum autem sit in rebus diuinis ut quis cedat iuri suo, & potestati scriptura sancta declarat &c. Sic ut inquit Hug. & Archi. Cornelius fatigatus labore scisma agere uolebat. Sed quærit Hug. nunquid non licet cuique renunciare iuri suo respondet, aut enim renunciatio nocet sibi & aliis aut aliis tantum & non sibi, & sic non licet ei renunciare, & mortaliter peccat renunciando. si sibi soli nocet forte non peccat, quia cuique licet renunciare iuri suo quod tangit ipsum & non alium ar. 2. q. 5. mandastis, quibus habitis dicendum est ad rationes in oppositum.

Ad primam cum arguitur exemplo mulieris &c. respondetur breuiter, ꝙ non facit ad propositum: quoniam mulier illa non coacta a rege aut ab aliqua potestate, sed sponte cessit iuri filii sui animaduertens sectionem illam irrecuperabilem. unde licet posset ex illo exemplo sumi argumentum quòd papa cum unio ecclesiæ alias reparari non posset, nisi cedendo papatui ꝙ cedere deberet iuri suo, nihilominus non arguitur, quòd compelli posset. Ad primã probationẽ ca. 12.

Ad secundam cum arguitur exemplo Christi, respondetur ꝙ etiam non uideatur facere ad propositum arguentium. Tum primo, quia licet Christus pro salute ouiũ suarum humiliauerit se usq; ad mortẽ, nõ tamen usq; ad cessionẽ dignitatis suę. unde ex hoc bene arguitur ꝙ papa Christi uicarius pro salute ouiũ suarũ debeat si necesse fuerit uitã propriam exponere nã aiãt ap. Ad secundam

guitur ꝙ debeat proprie dignitati cedere,& deposito officio curam gregis sibi commissi relinquere,hoc enim non fecit Christus. Tum secundo exemplum non militat:quia si Christus pro salute humani generis usque ad mortem se humiliauerit,hoc tamen non coactus non compulsus, sed sponte & uoluntariæ fecit.Oblatus enim est quia ipse uoluit ut dicitur Esa.53.licet ergo ex illo caperetur exemplum ꝙ papa & uitæ & honori cedere deberet pro bono ecclesiæ,non tamen arguitur quòd ad hoc aliqua temporali potestate posset compelli aut deponi si cedere nollet.

Ad tertiã

Ad tertiam rationem quæ sumitur ex practica concilii Pisani respondetur dupliciter. Primo ꝙ cum illud concilium non fuerit indubitatum per totam ecclesiam uniuersale concilium esse,ex practica illius non potest sumi argumentum aliquod alicuius firmitatis. Respondetur secundo quod non facit ad propositum: quoniam nullus illorum qui in præfata congregatione depositus est fuit uerus papa indubitatus,nec ipse etiam qui ibi electus est.

Ad quartam

Ad quartam rationem quæ sumitur ex practica concilii Constantien. respondetur eodem modo,uidelicet ꝙ non facit ad propositum. Tum primo quia Greg. cessit uoluntariæ non coactus. Tum secundo, quia Ioannes,& Benedictus qui fuerunt depositi non fuerunt ueri,& indubitati pontifices.

Ad quintam

Ad quintam quæ sumitur ex illo Ioan.10. Bonus pastor responsum est supra in responsione ad secundam:quoniam licet bene sequatur quòd pro bono reintegrationis gregis dominici cedere deberet, non tamen sequitur quòd ad id cogi uel compelli possit, aut quòd nolens iuri suo indubitato cedere possit deponi.

Ad sextã

Ad sextam rationem sumptam ex cap.nisi cum pridem de renun.ca.1.respondetur primo ꝙ non facit ad propositum:quoniam tex.ille dicit sic. Pro graui quoque scandalo euitando, cum aliter sedari non potest licet episcopo petere cessionem,non dicit quòd possit cogi aut compelli. Secundo respondetur ꝙ dato quòd ita intelligendus esset tex. ille de prælato inferiori qui sui superioris auctoritate posset compelli quod non est in papa qui pro sui principatus excellentia superiorem non habet,ut extra de elect.c.licet in fi.propter quam rationem non est simile de prælato inferiori,& papa,licet maius scandalum sit quod oritur in uniuersali ecclesia quàm quod oritur in una diocesi.

Ad septimam

Ad septimam de c.si forte di.58.respondetur ꝙ non uidetur facere illud c.ad propositum propter duo.Primo,quia c. illud loquitur de electo nondum confirmato, nos autem loquimur de uero apostolico qui ipso facto ꝙ a duabus partibus cardinalium electus est confirmatus intelligitur,facilius quippe impeditur promouendus quàm eiiciatur iam promotus,ut de iureiuran.ca.quemadmodum Christus. Turpius enim eiicitur quàm non admittitur hospes. Secundo quia ibi fit mentio de inferiori prælato. Vnde ait ꝙ talis metropolitani iudicio præferatur, hoc autem non conuenit papæ qui pro eminentia pontificatus sui metropolitanum non habet,ut in cap.in nomine domini distinct.21.inquit Nicolaus papa,& ita ratio non militat.

Ad octauam

Ad octauam rationem cum dicitur &c. negatur minor propositio, uidelicet quòd papa nolens cedere peccaret in articulum &c.hoc enim falsum est. nec Hostien. dicit illud, nec etiam est uerum quod Hostien.dicere uidetur in sum.uidelicet quòd omnis scismaticus peccet in articulum. Vnam sanctam &c.quia tunc omnis scismaticus esset hæreticus cum peccaret in unum articulum fidei, quod tamen manifeste falsum est,ut supra dictum est in cap.inter hæresim 24.quæst.3.ponitur

tur

tur differentia inter hæresim & scisma. Ad c. aduocauit. respondetur quòd non est ad propositum, quia cum ait quòd Cyprianus non putauit fidem in scismate non accipitur ibi fides pro fide qua Deo creditur sed pro fidelitate, sicut aperte colligitur si quis bene ponderet uerba Cypriani. alias omnis scismaticus foret hæreticus quod est falsum, sicut supra est ostensum. Ad nonam cum arguitur quòd tenetur ad tollendum scandalum cedere, &c. respondetur primo quòd maior propositio est falsa uniuersaliter, maxime ut dicit sanct. Tho. in 2.2. q. 43. ar. 7. quando scandalum procedit ex malitia aliquorum cuiusmodi est scandalum pharisæorum nec c. error. quod inducit nec c. negligere. probant illam: quoniam aliud est resistere errori cum possit aut negligere turbare peruersos & aliud est cedere honori suo aut bonis suis propter scandalum aliquorum malitiosorum & peruersorum hominum qui nolendo obedire uero pontifici perturbant Dei ecclesiam. Præterea si maior illa esset uera omnes illi dicerentur scandala efficere quicunque temporalia bona sua non dimitterent ad uoluntatem multorũ qui scandalizati sunt, cum tamen hoc falsum sit, sicut patet de beato Tho. archiepiscopo Cantuarien. qui repetere non cessauit res ecclesiæ non obstante scandalo regis Angliæ, & beatus Tho. in 2.2. ubi supra ar. 8. ostendit quòd quando scandalum nascitur ex malitia quod est scandalum pharisæorum ꝙ propter eos qui sic scandala concitant non sunt tẽporalia dimittenda, quia hoc etiam noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occasio. hæc sanctus Tho. Nam cum non ex culpa papæ, sed ex propria malitia aliquis gratis impingit in factum, uel dictum eius & decidit in peccatum nõ est uero & indubitato papæ imputandum. quod satis aperte colligitur ex euangelio. ubi cum discipuli dixissent Christo. Magister scis quia audito uerbo pharisæi scandalizati sunt, & ille huiusmodi scandalum pro nihilo habens. sinite inquit ceci sunt & duces cecorum. Quamobrem dicit Cyprianus. Quod ad nos attinet & conscientiæ nostræ conuenit semper operam dare ne quis nostra culpa de ecclesia pereat. si quis autem ultro & de crimine suo perierit & pœnitentiam agere atq; ad ecclesiam redire noluerit, nos in die iudicii inculpabiles futuros credimus qui eorum consulimus sanitati, & illos solos in penis remansuros qui nolunt concilii nostri salubritate sanari, nec mouere nos debet contumacia perditorum, quo minus a rectitudinis uia ac certa regula recedamus. hæc ille. Et ita apparet quòd ratio illa licet uisa sit apparens parum ualeat. Præterea etiam si maior illa esset uera omnes litigantes & habentes ius in causis uenirent iudicandi factores scandalorum & scismatum nutritores & bellorum, quia cũ possint iuri suo cedendo scandalum tollere non faciunt, quod tamen non est uerum, & ita falsum est quod concluditur quòd papa nolendo cedere iuri suo maxime cum aliæ uiæ sedandi scisma possint reperiri Deo magis grate & ecclesiæ honorabiliores & iustitiæ magis propinquæ & antiquioribus temporibus conformiores dicatur scandalum efficere siue nutrire, aut quòd propter hoc possit dici scismaticus aut nutritor scismatis, & per consequens quòd ratione huius concilium habeat auctoritatem super eum. Ad decimam cum arguitur de c. nisi cum pridem. de renuncia. respondetur quòd dato quòd ita sit quòd in illo casu prælatus cedere teneatur & similiter papa: non tamen sequitur quòd si non uult possit compelli aut propter hoc deponi, quod manifeste colligitur ex c. si papa. si plene legatur, ubi sic

Ad nonã

Ad decimam

dicitur. Si papa suæ & fraternæ salutis negligens depræhenditur inutilis & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus quod magis officit sibi & omnibus nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum uapulaturus, huius culpas redarguere præsumit nullus mortalium, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi deprælhendatur a fide deuius.

Cap. XIIII. An omnes adhærentes intruso siue antipapæ ueniant scismatici dicendi.

OPORTVNVM uisum est nobis hic ultimo quærendũ an omnes obedientes siue adhærentes alteri contendentium de papatu qui in ueritate non sit papa, credant tamen eum uere esse papam ueniant dicendi scismatici. Et uidetur aliquibus quòd non dicentes ꝙ ad hoc aliqui sint ueri scismatici oportet ꝙ credant illum qui est fore uerum papam & nihilominus ex intentione se ab obedientia illius subtrahentes pertinaciter ab eo & eius subditis se diuidant. Et ex consequenti dicunt ꝙ qui sine intentione & pertinacia scilicet ignorantes illum qui est uerus papa se diuidunt ab eo non sunt uere scismatici. Pro qua conclusione roboranda inducunt pro se beatum Tho. in 2.2.q.39.ar.1. qui ait, quòd propriè scismatici dicuntur qui ex intentione ab unitate ecclesiæ se diuidunt. Ecce quòd dicit ex intentione. Confirmant etiam conclusionem suam aliquibus rationibus. Primo sic: errans in fide hæreticus non est censendus qui paratus est corrigi 24.q.1. hæc est fides 2.q.3. dixit apostolus cum ibi notatis, & de sum.tri & fid.cath.c.damnamus in fi. ergo similiter non sunt dicendi scismatici adhærentes intruso uel antipapæ si parati sunt cum de ueritate constiterit suam opinionem corrigere, & uero Romano pontifici obedire. Secundo sic, si obediens antipapæ uel intruso credens eum uerum papam esset scismaticus, tunc a simili adorans diabolum credens eum esse Christum & adorans hostiam non consecratam quam credit esse consecratam esset idolatria, quod est contra communem doctorum sententiam; & cognoscens uxorem proximi sui credens cognoscere suam propriam esset adulter, quod non est uerum, ut in c. in lectum 34.q.1. & in glo. ergo &c. Verum quia ista opinio nõ uidetur nobis usquam bene resoluta, & per consequens nec grata, maxime quia eorum fundamentum uidetur manifeste falsum in quo dicunt ad hoc quòd quis sit uere scismaticus requiri ꝙ credat ꝙ sit uerus papa a quo ex intentione pertinaciter se separat & diuidit. Tum primo quia etiam qui ignorantia aut simplicitate siue errore a uero Romano pontifi. diuisi sunt uere scismatici esse dicuntur, ut in c. scisma 24.q.1. & in c. quotiens 1.q.7. apertissime patet: quæ infra plenius ostendemus. Tum secundo: quoniam dato illo fundamento nec Græci nec Armeni dicendi uenirent scismatici cum Romanum pontifi. a quo se diuidunt non credunt uerum esse caput uniuersalis ecclesiæ a quo unitas ecclesiæ sumenda sit, & ita ex intentione non dicerentur diuidi a capite ecclesiæ, quod est inconueniens. Nec id quod sanctus Thom. dicit suffragatur eis cum ait quòd illi sunt scismatici qui ex intentione se ab unitate ecclesiæ

Cóclusio quorũdã

Probatio prima

Secunda

Cõtra dictã cócl.

clesiæ separant, quia cum sanctus Thom. simpliciter loquitur dicens quòd scismatici sint qui ex intentione se ab ecclesiæ unitate diuidunt non addendo quam credant, uel non credant ueram ecclesiam simpliciter est intelligendus & non restringendus ad aliquem particularem sensum. unde non uidetur esse de mente sua quòd ly ex intentione determinet quod sequitur ab unitate ecclesiæ, ut sit sensus, quòd illi solum qui ex intentione id est intendentes se diuidere ab unitate ecclesiæ, id est ab illa quam reputant ueram ecclesiam ab ea se scindunt, & separant sunt proprie ueri scismatici & non alii. Præterea contendentibus duobus de papatu, & habentibus diuersas obedientias sibi adhærentes, non dubium quòd est scisma in populo Christiano. ergo aliqui adhærentium sunt scismatici. non qui uero adhærent: ergo qui antipapæ. unde ad quæstionem præfatam respondentes saluo semper meliori iudicio uidetur nobis respondendum sub quinque propositionibus. Prima propositio, quòd qui ex intentione se diuidunt ab eo quem sciunt esse uerum Romanum pontificem sunt ueri scismatici. Ista propositio est manifesta ex dictis supra ubi dictum est, illos ueræ scismaticos esse, qui ex intentione ab unitate ecclesiæ siue ab apostolica sede se diuidunt. Item idem colligitur ex cap. scisma uigesimaquarta quæstione prima. Secunda propositio, adhærentes antipapæ ex ignorantia praua quæ est cum quis directe uult ignorare ueritatis scientiam ne retrahatur a peccato secundum illud: noluit intelligere, ut bene ageret, sunt scismatici. Patet propositio, quia talis ignorantia cum sit uoluntaria non excusat sed accusat, & peccatum adauget, secundum illud Ambro. in gl. ad Roma. 2. grauissime peccas si ignoras. unde cum adhærentes intruso tali ignorantia similes esse uideantur illis de quibus dicitur Iob. 21. qui dixerunt Deo, recede a nobis scientiam uiarum tuarum nolumus, uerissime censendi ueniunt scismatici. Tertia propositio, qui adhærent intruso uel antipapæ ex errore uel ex ignorantia crassa uel supina, utputa quia non curant diligentiam apponere, sed negligunt informari de ueritate ad quam inquirendam tenebantur, uidelicet quis in ueritate esset papa non excusantur a labe siue reatu scismatis. Patet ista propositio, tum quia talis adhæsio antipapæ procedit ex ignorantia quæ quodammodo est uoluntaria cum uoluntariæ contemnit aut negligit scire illud quod scire tenetur. Non enim quis excusatur per ignorantiam qui potest habere copiam peritorum. ff. de iuris & fac. ig. l. regula, & maxime in quibus quis inquirere tenetur, iuxta id quod habetur in c. innotuit de elec. Ostenditur etiam uera præfata propositio ex c. quotiens 1. q. 7. ubi manifeste innuitur quod propter errorem uel ignorantiam talem nullus excusatur a scismate. Item ex c. scisma 24. q. 1. ubi Pelagius papa ad quendam episcopum scribens de quibusdam scismaticis qui a papa Pelagius discesserant, quos tamen ipse episcopus a scismate propter simplicitatem, & ignorantiã excusauit ita inquit. Sed nec eis id prodest quod eos in eisdem litteris uestris uel ignorantia rationis uel simplicitate intellectus sui a nostra se communione suspendisse perhibetis. Idipsum enim magis est propter quod scismatici sunt, quia non eos diuersa sentiendi iudicium, sed quædam apud se delata, tamen sibi incognita metuentes, & contra apostolicam sedem temere credentes pessima diuisit opinio. hæc ille. Ecce manifestum testimonium quòd ignorantia crassa, & supina a labe scismatis non excusat. quod

Prima propositio responsalis

Secunda

Tertia

glo. in præfato c. ita dicens confirmat, magis scismatici sunt qui tantũ per simplicitatem suam separantur ab ecclesia quàm sint illi qui propter subtilitatem aliquam errant. falsa enim subtilitas istos compellit in quam cadunt non uoluntarii, sed inuiti, illos decipit ignorantia uoluntaria. hæc gl. Item hoc idem apertissime colligitur ex cap. relegenter 23. q. 5. ubi Pelagius papa cuidam patritio scribens de quibusdam scismaticis ab eo diuisis ita inquit. Nec sine illius scilicet Dei prouidentia factum esse credendum est ut insensati & peruersissimi homines usque ad hoc prosilirent, ut suam diuisionem catholicam esse credentes ecclesiam a sua nos pollutione prohiberent, sic enim per misericordiam Dei etiam nescientibus illis hoc factum est, ut a scismaticorum opinione eruti catholicæ quam diligitis seruari uos contigisset ecclesiæ, &c. Ecce quàm clare Romanus pont. confitetur non excusari a scismate aliquos per hoc quòd credant se ueræ ecclesiæ aut parti catholicæ siue uero papæ adhærere.

Quarta

Quarta propositio illi qui facta exacta diligentia ad sciendum ueritatem quis sit uerus papa & non potuerunt plene clarificari & inducti aliquibus probabilibus rationibus adhærent antipapæ, cum proposito tamen semper adhærendi uero pontifici ipso facto quòd de hoc ueraciter informari possent uidentur excusari a labe & reatu scismatis. Probatur ista, quia ignorantia istorum est omnino inuoluntaria cum sit inuincibilis & absque aliqua inordinatione uoluntatis, & per consequens absque omni culpa est actus sequens. unde dominus Vlricus in summa sua dicit. Si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulit de quo nullam habet auctoritatem expressam utrum ita sit uel non sit dummodo formet sibi bonam conscientiam postquam magis peritos consuluit, etiam si res aliter se habet non peccauit. fecit enim quod potuit, Deus autem nihil requirit ab homine impossibile. hæc ille.

Quinta

Quinta propositio, simplices populi & ideo te non habentes scientiam iuris nec facti uidentur excusari a labe scismatis & reatu obediendo & adhærendo illi cui obediebant & adhærebant prælati sui si habeant tamen animi promptitudinem obediendi cuicunque cuius ius uel Deo reuelante, uel ecclesia declarante, uel alio quouis modo ualeret sufficienter monstrari. Patet ista propositio: quoniam isti tenebantur obedire prælatis suis. iuxta illud. Obedite præpositis uestris & subiacete illis. ad Hebr. ul. & sequi quod mater sua ecclesia tenet. iuxta illud Iob 1°. Boues arabant & asinæ pascebantur iuxta illos, quia uidelicet minores qui significantur per asinas debent in credendis adhærere maioribus qui per Boues signantur, ut Greg. in 2. libr. moralium exponit. Quibus habitis dicendum est ad rationes in oppositum.

Ad probationẽ cõclusionis

Ad primam cum dicitur, quòd sicut errans in fide non est dicendus hæreticus, &c. respondetur quòd dato quòd sit simile, dicitur quòd similitudo currit, dum tamen ueram informationem quam tenetur accipere accipiat, aut inquirendam ueritatem non negligat. Nam si quis cardinalibus quibus credendum maxime est in facto electionis papæ informationi sicut tenetur acquiescere nollet, sed omnino uellet alteri contendentium adhærere, iste quia non uidetur paratus corrigi, scismaticus indubitanter cẽsendus ueniret. sicut patet in simili inducto de hæretico. nam quamuis errore deceptus crederet temere contra ueritatem fidei: nihilominus si non acquiescit uere doctrinæ cui acquiescere tenetur nec deserat errorem nõ desinit esse hæreticus. Præterea idem iudicium uidetur currere de prælatis qui

tis qui intellecta contentione aliquorum super papatu non facta præuia exacta & matura diligentia de inquirenda ueritate sicut inquirere omni iure tenentur quis sit uerus ecclesiæ pastor uerus Christi Vicarius ne adhæreant intruso. Ad secundam rationem quæ uidetur esse trimembris, respondetur quò ad singulas partes. Primo sic quò ad partem primam, quòd si adorans diabolum credens eum esse Christum haberet rationes & probationes uel uerisimiles præsumptiones aut coniecturas siue iudicia in cōtrarium, uel si per aliquem doctum siue sanctum aut ecclesiam quibus magis credendum est quàm diabolo ostenderetur ei uerisimile uel dubiū probabile esse quòd apparens non esset Christus sed diabolus, & non obstantibus huiusmodi præsumptionibus, & coniecturis in contrarium nihilominus ipse adoraret diabolum licet crederet eum esse Christum, idolatra talis uideretur iudicandus. In tanta enim nouitate insolite apparitionis non debet homo moueri leuiter ad credendum maxime existentibus coniecturis probabilibus in contrarium. unde sanctus Tho. in 3. distin. 9. Non potest diabolus in specie Christi apparens sine peccato adorari nisi sit conditio actu explicata, quia ipsa nouitas rei insolite considerationem & attentionē requirit, sicut dicitur de uirgine Lucæ 1. quòd cogitabat qualis esset ista salutio. hæc sanctus Tho. Secundo dicimus ad secundam partem ꝙ si adorās hostiam non consecratam quam credit consecratam informaretur per presbyterum qui eam consecrasse uidebatur ꝙ non esset consecrata & nihilominus his informationibus non obstantibus ipse adoraret proculdubio idolatra censeretur. Tertio dicimus ad tertiam partem quòd si cognoscenti uxorem proximi aliquis fide dignus diceret attende & recognosce quia ista non est uxor tua, sed proximi, & ipse negligens uel contemnens prædicta eam cognosceret adulter esset. iuxta notata in allegato ca. in lectum 34. q. 1. & 29. q. 1. §. unico. circa finem. Ita in proposito nostro qui contemptis informationibus eorum qui melius nouerunt ueritatem, uel prælatorum ad quorum officium pertinent informare conscientias inferiorum adhæret intruso non uidetur excusari a labe scismatis. sicut enim superius diximus non omnis ignorantia excusat. cum dicat Apostolus primæ Corin. 14. Ignorans ignorabitur, quod de eo intelligendum est qui noluit intelligere, ut bene ageret. unde Augu. in lib. q. Non omnis ignorans immunis est a pœna. id est a peccato pro quo debetur pœna. Ignorans enim potest excusari a pœna qui quod disceret non inuenit, illis autem ignosci non poterit qui habentes à quo discerent operam non dederunt, sicut habetur in c. ideo distinct. 37.

Ad secundam

Cap. XV. De forma obiurationis scismatis obseruanda, cum aliquis ad unitatem ecclesiæ reuertitur.

CVM ad unitatem ecclesiæ contingat aliquos de scismate reuerti & suscipi a pia matre ecclesia quæ nulli uolenti reuerti gremium suum pro sua clementia solita est claudere, dignum duximus in hoc ultimo huius partis c. de forma susceptionis eorum aliquid dicere. Imprimis scismatici ad ecclesiam redeuntes debent abiurare scisma & promittere satisfactionem ad mandatum ecclesiæ, quo facto debent recipi. cum ma

nus impositione, ut accipiant spiritum sanctum qui extra ecclesiam, nec est nec dari potest 24.q.1.didicimus,& c.pudenda,& c. scisma. Forma autem abiurationis quæ obseruanda est in susceptione scismaticorum habetur in c. quotiens 1.q.7.ex registro beati Greg.sumpta sub uerbis quæ sequuntur. Ego N ciuitatis illius episcopus cóperto diuisionis laqueo quo tenebar diuina mecum deliberatione pertractans prona & spontanea uoluntate ad unitatem sedis apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum, & ne impura mente & simulata reuersus existimer spondeo sub ordinis mei casu & anathematis obligatione, atque promitto tibi N. & per te sancto Petro apostolorum principi atque eius Vicario N. beatissimo uel successoribus ipsius me nunquam quorumlibet persuasionibus, uel quocunque alio modo ad scisma de quo redemptoris nostri gratia liberante exceptus sum reuersurum, sed semper me in unitate sanctæ ecclesiæ catholicæ, & communione Romani pontificis per omnia permansurum. unde iuratus dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta quattuor euangelia quæ in manibus meis teneo me in unitate, sicut dixi catholicæ ecclesiæ ad quam Deo propitio sum reuersus, & communione Romani ponti. semper & sine dubio permanere, quòd si quod absit me in hac unitate aliqua excusatione, uel argumento diuisero periurii reatum incurrens æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum auctore scismatis habeam in futuro seculo portionem hanc autem confessionis promissionisque meæ cartulam tibi N. notario meo cum consensu presbyterorum, & diaconorum & clericorum qui me hac in unitate obligantes se etiam in suprascriptis omnibus proina similiter uoluntate secuti atque propriis manibus subscripti sunt scribendam dictaui & propria manu subscribens tibi tradidi. Acta in loco. N. die illa consulibus suprascriptis. Subscriptio episcopi. Ego enim N. episcopus ciuitatis N. hæc confessioni promissioniq; meæ præstito de obseruandis suprascriptis omnibus sacramento subscripsi.

Secunda pars libri quarti.

Cap. I. In quo declaratur quid sit hæresis.


ONSVMMATA parte prima huius quarti libri, ubi de scismatibus, & scismaticis aliqua pauca perstrinximus, reliquum est partem secundam aggredi in qua polliciti sumus de hæresibus, & hæreticis modica, sed utilia tamen pertractare, quam partem de cœlesti auxilio confisi aggredientes inchoabimus a diffinitione hæresis. Pro quo notandum iuxta sanctum Thomam in quarta distinctione tertiadecima, quòd nomen hæresis græcum est, & diuisionem importat secundum Isidorum libr. Ethyc. unde & dieretica diuisiua dicuntur, & quia in electione fit diuisio unius ab altero electio pro hæresis dicitur primo Ethyc. diuisio autem conuenit parti per recessum a toto. prima autem congregatio quæ est in hominibus est per uiam cognitionis, quia ex hac omnes aliæ oriuntur. unde & hæresis consi

stit in singulari opinione præter communem opinionem. unde & phylosophi qui quasdam positiones habebant præter communem sententiam aliorum sectas, uel hæreses constituebant. unde de ratione hæresis uidetur esse quòd aliquis priuatam disciplinam sequatur quasi per electionem propriam non autem disciplinam publicam quæ diuinitus traditur. Quibus bene consideratis uidentur nobis satis conuenienter hæresim in sua generalitate diffinire dicentes. Quòd hæresis sit opinio, uel assertio falsa siue dogma falsum catholicæ ueritati contrarium in eo qui Christianam fidem professus est. Cuius diffinitionis conuenientia patet tam auctoritate quàm ratione. Auctoritate primo quidem, dicit enim August. contra Faustum. Hæresis est quæ diuersa opinatur ab his quæ catholica credit ecclesia. Item secundo beatus Hiero. in c. inter hæresim 24. q. tertia differentiam assignans inter hæresim & scisma dicit, quòd hæresis peruersum dogma habet. id est falsum & perniciosum in doctrina religionis Christianæ. Item tertio glo. super illud 2. ad Corinth. 3. non sumus sufficientes, &c. dicit. Fides est cogitare aliquid de credibilibus cum assertione recta, & per oppositum hæresis est cogitare aliquid de credibilibus cum assertione non recta. Ratione uero ostenditur præfatæ diffinitionis conuenientia: quoniam in ea continentur ea quæ sunt tam de substantia hæresis quàm ea quibus distinguitur ab aliis assertionibus falsis. patet: dicitur enim quòd hæresis sit assertio siue opinio siue dogma falsum, hoc ponitur loco generis. nam omnis hæresis est assertio falsa sed non econuerso. Nam secundum Aug. in encheridion in multis rebus errare nullum, aut minimũ est peccatum. Et primo de tri. inquit. errare potero, sed hæreticus non ero. Notanter autem dicitur assertio falsa siue dogma peruersum & non factum, quia factum peruersum ut ostendemus plenius non est hæresis, nec facit hæreticum. uerbi gratia, si quis furatur, si quis adulter est agit contra ueritatem scripturæ quæ dicit. Non mechaberis. Non furtum facies. Ex tali enim facto non efficitur quis hæreticus, efficeretur autem si pertinaciter assereret quòd licitum foret furari & adulterari, quia sic sentiens sentiret contra catholicam ueritatem. Sequitur, catholicæ ueritati contrariũ. in quo tangit materia circa quam est hæresis, quia circa ea quæ ad catholicam ueritatem pertinent. ueritas autem catholica principaliter dicitur articulus fidei. dicitur etiam ueritas cath. quæcunque in canone bibliæ assertiue posita, uel per apostolos Christi nobis ex eius instructione, uel instinctu spiritussancti tradita seu per uniuersalem ecclesiã seu generalia concilia determinata & approbata, ut infra plenius cum de ueritatibus catholicis loquemur explicabimus. Differt autem per hanc differentiam dogma siue assertio hæretica ab aliis dogmatibus falsis quæ nõ formaliter nec incompossibiliter repugnant catholicæ ueritati. Additur autem in eo qui Christianam fidem professus est loco ultimæ differentiæ. per hoc enim hæresis differt ab aliis speciebus infidelitatis, uidelicet a falsis dogmatibus gentilium paganorum, & iudæorum, quæ etsi sint contrariæ fidei orthodoxæ siue catholicæ ueritati, non tamen dicitur proprie loquendo in eis hæresis. hæresis enim est species infidelitatis pertinens ad eos qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Pro cuius pleniori noticia est notandum cum san. Tho. in 2. 2. q. 11. ar. 1. quòd nomen hæresis electionem importat. electio autem est eorũ quæ sunt ad finem præsupposito fi-

næ. in credendis autem uoluntas assentit uero tanquam proprio bono. unde quod est principale uerum habet rationem ultimi finis, quæ autem secundaria sunt habent rationem eorum quæ sunt ad finem, quia uero quicunq; credit alicuius dicto assentit, principale uidetur esse & quasi finis in unaquaque credulitate, ille cuius dicto assentitur, quasi autem secundaria sunt ea quæ quis tenendo uidetur alicui assentire. Sic ergo qui recte fidé Christianam habet sua uoluntate assentit Christo in his quæ uere ad suam doctrinam pertinent. A rectitudine ergo fidei Christianæ dupliciter aliquis potest deuiare, uno modo, quia ipsi Christo non uult assentire & habet malam uoluntatem circa finem ipsum quod pertinet ad speciem infidelitatis paganorum uel iudæorum. Alio modo per hoc quòd intendit quidem Christo assentire sed deficit in eligendo ea quibus Christo assentiat, quia eligit ea quæ non sunt uere a Christo tradita, sed ea quæ propria mens suggerit. Et ideo bene dictum est quòd hæresis sit species infidelitatis pertinens ad eos qui Christi fidem profitentur. hinc beatus Aug. lib. de pastoribus capit. decimosexto super illud post greges sodalium tuorum dicit. quòd omnes hæretici a Christo exierunt, & super Math. homelia 11. super illud. Faciet ignem de cœlo descendere. quid est ignem de cœlo descendere nisi hæreses de ecclesia cadere, sicut scriptum est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.

Cap. II. In quo aliquæ obiectiones ponuntur contra præ fatam hæresis diffinitionem.

VERVM ut plenior habeatur intelligentia præfatæ diffinitionis quam de hæresi posuimus, inducemus aliquas obiectiones contra eam ut splendidior nobis fiat ipsa ueritas. Primo sic, hæresis ut dicit Isid. idem est quod diuisio, diuisio autem unioni opponitur. unio autem fit per charitatem, quia amor est uirtus unitiua ut dicit Dyon. ergo hæresis magis includere uidetur peruersitatem odii quàm dogma aduersum fidei. Secundo sic, superstitio religioni opponitur non fidei, sed hæresis superstitio dicitur. ergo non uidetur pertinere ad peruersitatem fidei, sed magis ad peruersitatem religionis. Tertio sic, multa falsa siue peruersa fidei & ueritati catholicæ contraria fiunt nouiter hæreses quamuis non de nouo incipiant esse contraria fidei & ueritati catholicæ. cum ergo priusquam debeant hæreses reputari sint dogmata falsa catholicæ fidei & ueritati contraria, uidetur quòd non omnia dogmata falsa catholicæ ueritati contraria sint hæreses dicenda, & per consequens diffinitio hæresis assignata non uidetur conueniens, cum non conuertatur cum suo diffinito. consequentia est bona. & antecedens pro maiori parte colligitur tamē ex c. notandum 24. q. 3. ubi Vrbanus dicit quòd sanctus Aug. cum legatis sanctæ Romanæ ecclesiæ & cum sanctis episcopis suis Pelagium & Celestinum nouam hæresim in sanctam Dei ecclesiam introducentes excommunicauit. Tum secundo ex illo quod Gratianus ait 24. q. 1. §. 1. Omnis hæreticus aut iam damnatam hæresim sequitur aut nouam fingit. Ex quibus habetur aperte quòd fuerunt & esse possunt nouæ hæreses, quæ tamen nō sunt noua falsa fidei contraria orthodoxe. Quarto arguitur sic, ut dicit beatus Hiero. 24. q. 3. c. hæresis. hæresis græce ab electione dicitur scilicet

Arg. primum

Secundū

Tertium

Quartū

ret quòd eam sibi unusquisque eligat disciplinam quam putat esse meliorem. ergo uidetur quòd nullum dogma quantumcunque falsum, aut peruersum sit antequam quis ipsum elegerit & asseruerit aut dogmatizauerit, debeat inter hæreses computari, & per consequens diffinitio præfata non est conueniens. Quinto sic, si diffinitio illa foret conuenienter posita, sequeretur quòd assertiones infidelium, puta paganorum, aut iudæorum dicendæ uenirent hæreticæ, cum illę sint dogmata peruersa & contraria catholicæ ueritati & tamen consequens est falsum: quoniam pagani licet infideles sint, non tamen hæretici esse dicuntur. ergo diffinitio prædicta non uidetur conuenienter posita. Sexto sic. multæ assertiones sunt quæ in rei ueritate sunt contrariæ catholicæ ueritati, quæ nihilominus antequam sint ab ecclesia condemnatæ non sunt inter hæreses numerandæ quemadmodum multæ ueritates consone diuinæ scripturæ, quia tamen non sunt ab ecclesia diffinite uel determinate non sunt inter ueritates catholicas annumerandæ. ergo non uidetur hæresis conuenienter diffiniri cum dicitur quòd sit dogma peruersum catholicæ ueritati contrarium &c. assumptum patet exemplis. græci enim negantes spiritumsanctum procedere a filio ante condemnationem assertionis eorum non fuerunt hæretici se putati, qui tamen post damnationem eiusdem inter hæreticos deputantur. Item assertores opinionis abbatis Ioachim a concilio generali damnate post damnationem hæretici iudicarentur, ipse tamen abbas Ioachim quamuis ante damnationem assertionem eandem tenuerit non fuit hæreticus, ut habetur extra de summa trinitate & fide catholica cap. damnamus. ergo &c.

Quintum

Sextum

Cap. III. In quo præfatis obiectionibus respondetur.

HIS non obstantibus dicimus quòd diffinitio hæresis assignata est conuenienter posita. unde dicendum est ad rationes factas. Ad primam respondetur negando consequentiam: quoniam licet amor faciat completam unionem nihilominus principium unionis est ex cognitione, & ideo diuisio quæ est in fide hæresim constituit. Ad secundam respondetur negando consequentiam, & ratio est, quia fides est principium eorum quæ ad religionem requiruntur, quia omnis religio siue cultus Dei est quædam fidei protestatio. hinc ueritas fidei dicitur ueritas quæ est secundum pietatem, ad Ty. 1. & ideo etiam quæ hæresis sunt ad superstitionem pertinent, & ita superstitio sicut opponitur religioni ita & fidei. Ad tertiam cum dicitur quòd aliqua falsa dogmata fiant nouiter hæreses. respondetur quòd argumentum non procedit, & ratio est, quia quòd aliqua hæresis dicatur noua non ideo est, quia in rei ueritate incipiat nouiter esse hæresis id est diuisa a communi doctrina catholicæ fidei, sed quia nouiter est ab aliquibus asserta. unde propositio contraria catholicæ fidei non dicitur noua hæresis ex parte suiipsius, ita quòd inceperit esse quod prius non erat, sed ex parte assertoris siue defensoris, quia scilicet incipit de nouo assertores habere. Qui sensus manifeste colligitur ex c. 1. uigesimaquarta quæst. 1. ubi Gelasius papa dicit quòd achatius non est inuentor noui erroris, sed ueteris imitator. Ex quibus uerbis datur in-

Ad primũ arg.

Ad secundum

Ad tertiũ

telligi, quòd si Achatius fuisset primus sui erroris assertor fuissent noui erroris inuentor, & tamen idem error fuisset antea error censendus. Ad

Ad quartum quartam cum arguitur de c. hæresis &c. respondetur quòd ratio non militat: quoniam procedit ex mala intelligentia dicti beati Hier. non enim uult Hier. dicere in dictis illis quòd nullum falsum dogma debeat inter hæreses computari antequam ab aliquo eligatur siue asseratur, sed uerus intellectus Hier. est tam iuxta Albertum in 4. in si. dist. 13. quàm iuxta san. Thom. in 2. 2. quòd hæresis dicatur ab electione, quia hæreticus eam eligit disciplinam. non quam scriptura sancta aut catholica docet ecclesia, & credendam tradit fidelibus, sed quam sibi propria mens suggerit. Ad quintam

Ad quintum cum arguitur de infidelibus & paganis. respondetur negando consequentiam loquendo de hæresi proprie dicta quæ dicitur esse illa quæ eam pertinaciter asserentem facit hæreticum cuiusmodi non est nisi dogma contrarium catholicæ ueritati cadens in eum qui Christianam religionem ante professus est. Hinc est quòd dogmata paganorum contraria fidei & catholicæ ueritati, licet pertineant ad infidelitatem non tamen proprie dicuntur hæreses, nec etiam pagani saraceni atque iudæi dicuntur proprie loquendo hæretici, sed potius infideles ratione supra assignata in c. 1. Dicimus autem proprie loquendo: quoniam large loquendo ut quibusdam placet dogmata paganorum fidei contraria hæreses possunt dici & ipsi pagani

Ad sextū hæretici appellari. Ad sextam cum arguitur multæ assertiones sunt catholicæ fidei contrariæ ante determinationem ecclesiæ inter hæreses non annumerandæ, &c. respondetur negando antecedens, dicimus enim quòd quemadmodum quantum ad ea quæ ad fidem pertinent Romanus pon. nec tota ecclesia Dei potest de assertione non uera facere ueram, aut de non falsa falsam, ita non potest de assertione non catholica facere catholicam, nec de assertione non hæretica facere hæreticam nec econuerso, quia sicut ueritates catholicæ absque omni approbatione ecclesiæ ex natura rei sunt immutabiles, & immutabiliter uere, ita immutabiliter catholicæ sunt reputandæ, & similiter sicut hæreses absque omni damnatione ecclesiæ sunt hæreses. uerum quia de aliquibus assertionibus quòd sint contrariæ catholicæ doctrinæ & per consequens hæreticæ non est notum semper aliquando enim primo super hoc disceptationes inter etiam magnos uiros oriuntur. sicut inter Hiero. & Aug. super cessatione legalium contigit sic bene declaratio & determinatio horum per Romanum pontifi. ad quem horum dubiorum spectat determinatio iuxta cap. quotiens fidei ratio uentilatur, & cap. hæc est fides papa beatissime uigesimaquarta quæst. 1. & ita papa bene diffinit, aut determinat an assertio sit catholica an hæretica. non autem facit catholicam aut hæreticam, quia dependet a natura ipsius iuxta illud Arist. Ab eo quòd res est, uel non est oratio dicitur uera uel falsa. primo perihermenias.

Cap. IIII. Quòd hæresis in intellectu sit ut in subiecto ponenda, & de differentia inter hæresim sectam & superstitionem.

HÆRESIS autem in primis quòd in intellectu sit ponenda satis ex diffinitione sua manifestum habetur. Ex eo etiam aperte colligitur quòd fides ipsa cui hæresis contrariatur cum sit spiritualis

quædam

quædam cognitio cui uisio in patria respondet secundum illud Apostoli 1. ad Corin. 13. Videmus nunc per speculum & in enigmate &c. in intellectu sicut in subiecto proximo in ordine ad uoluntatem ponitur, opposita autem ad idem subiectum pertinere noscuntur. Pro cuius tamen pleniori intellectu est notandum cum sancto Thom. in 2. 2. q. 10. ar. 2. quod peccatum dicitur esse in illa potentia quæ est principium actus peccati. Actus autem peccati potest habere duplex principium. unum quidem primum & uniuersale quod imperat omnes actus peccatorum & hoc principium est uoluntas, quia omne peccatum est uoluntarium. Aliud autem principiũ peccati est proprium & proximum quod elicit peccati actum, sicut concupiscibilis est principium luxuriæ secundum hoc gula, & luxuria dicuntur esse in concupiscibili. dissentire autem qui est proprius actus infidelitatis siue hæresis est actus intellectus, sed moti a uoluntate sicut & assentire. Et ideo infidelitas & hæresis sicut & fides est in intellectu sicut in subiecto in uoluntate autem sicut in primo motiuo, & hoc modo dicitur omne peccatum esse in uoluntate. Rursus quia assertio falsa Christi fidei contraria quandoque reperitur nominata hæresis quandoque secta quandoque superstitio, uidendum duximus de differentia horum nominum. Differentia autem secundum sanctum Thom. sic assignari potest. hæresis ab eligendo dicitur, secta a sectando sicut ait Isid. in lib. ethy. Superstitio uero quia contraria est fidei Christi quæ est primum fundamentum religionis Christianæ. Dominus autem Bonauentura in 4. in fi. distinct. 13. inter ista nomina differentiam assignans inquit. Differt hæresis a scismate, quia hoc est contra fidem scisma autem contra uinculum charitatis, secta autem contra fidem ratione adinuentionis dici potest, superstitio uero est superflua institutio. ratione adhæsionis dicitur hæresis. ratione defensionis secta loquendo per appropriata, uel hæresis quia contra ueritatem, secta quia contra communitatem, superstitio quia contra utilitatem quasi superflua institutio, uel hæresis ab eligendo, secta a sequendo, superstitio a superstando, unde hæresis dicit præsumptuosam & deliberatam falsi ad inuentionem, secta superaddit imitationem, superstitio diuturnitatis inueterationem sicut senes superstites delirant, sic & hæretici, & ideo dicitur hæresis superstitio quia uetustati, & superstiti concordat. proprie autem superstitio dicitur a superstando, nam sicut in fide intellectus captiuatur ita etiam errore instatur & eleuatur. hæc dominus Bonauen.

Cap. V. De eo quod inquit apostolus. Oportet hæreses esse, & quid utilitate ecclesiæ ex eis accrescat.

CVM autem, ut in superioribus iuxta cap. quintum primæ partis huius quarti libri ostenderimus peccatum hæreseos ex suo genere maximum esse peccatorum utpote quod maiori bono scilicet ipsi Deo secundum quòd in se est ueritas prima contrariatur & quod magis noceat cum subuertat fundamentum omnium bonorum sine quo nihil boni remanet s. ipsum fidem, mirabitur fortassis quispiam cur dicat Apostolus 1. ad Cor. 11. q oporteat hæreses esse. cũ de aliis peccatis non dicatur q Obiectio

necesse sit illa esse utputa fornicationem inuidiam superbiam & huiusmodi, ideo decreuimus hic prædictum apostolicum uerbum explanare. Pro quo notandum quod iuxta Arist. 5. methaph. necessarium accipitur multipliciter. Vno modo dicitur necessarium quod impossibile est aliter se habere & hoc modo non dicitur hæresis necessaria ecclesiæ. Alio modo dicitur aliquid necessarium quod secundum se est expediens & hoc etiam modo non est necessarium hæreses esse. Tertio modo dicitur necessarium quod secundum accidens est utile. Deus enim cum sit summæ bonus hæreses & mala atque peruersa dogmata esse non permitteret nisi in nostram cederent utilitatem. quoniam ut dicit Aug. in enchiridion, Deus cum summæ sit bonus & iustus & sapiens non sineret mala fieri nisi bona inde eliceret, & secundum quod dicitur Math. 18. Necesse est, ut ueniant scandala, ueruntamē ue homini illi per quem scandalum uenit. Et secundum hoc dicit hic apostolus in auctoritate prædicta quod oportet hæreses esse, eo quòd Deus malitiam hæreticorum ordinat in bonum fidelium. unde Aug. de uera religione. Ecclesia catholica per totum orbem diffusa omnibus erratibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cum uigilare noluerint. utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, scismaticis ad documentum stabilitatis suæ, iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. hæc Aug. Specialiter autem ex hæresibus Dei potentia multiplex bonum in ecclesia elicitur. Primum est quod ueritas fidei magis elucidatur. Vnde Aug. in gl. ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio. multa quidem ad fidem pertinentia dum hæreticorum calida inquietatione exagitantur, ut aduersus eos defendi possint & considerantur diligentius & intelliguntur clarius & prædicantur instantius. unde & Prouer. 27. dicitur. Ferrum ferro acuitur & homo exacuit faciem amici sui. & Aug. li. 7. confessionum. Improbatio hæreticorum facit eminere quid ecclesia sentiat & quid habeat sana doctrina. Item in tractatu de consonantia Math. & Luc. de generatione Christi. Vtiles sunt hæretici ad inueniendam ueritatem dum calumniantur ad seducendum in errorem. Negligentius enim ueritas quæreretur si mendaces aduersarios non haberet: oportet enim inquit Apostolus hæreses esse. Hæc August. Secundum bonum quod ex hæresibus elicitur, est catholicorum doctorum pigritiæ excitatio ut euigilent & doctrinæ insistant contra uersutias hæreticorum ne simplices decipiantur. Vnde Aug. super Gen. contra Manichæos dicit. Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permisit, ut cum insultant nobis, aut interrogant nos ea quæ nescimus uel sic excutiamus pigritiam uel diuinas scripturas nosse cupiamus. propterea Apostolus ait, oportet hæreses esse hæc Aug. Idem in de uera religione. Vtamur hęreticis nō ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes uigilantiores & cautiores simus etiam si eos ad salutem reuocare non possumus. hæc ille. Item tertium bonum ex hæresibus resultans est augmentum scientiæ & sapientiæ in doctoribus ecclesiæ. unde Aug. super Ioan. Ad hoc Deus abundare permisit hæreticos ne semper lacte nutriamur & in bruta maneamus infantia. Quartum bonum quod ex hæresibus elicitur est quòd exercetur patientia fidelium, hæretici enim uiolenti per superbiam & contumeliosi in ecclesiam seuientes rixis & contentionibus exercēt ecclesiæ & bonorum patientiā. unde Aug. li. 16.

Necessariū quot modis accipiatur

Primū bonū ex hæresi nascens

Secundū

Tertium

Quartum

li.16.de ciui.Dei.Calidum est genus hæreticorum non spiritu sapientiæ, sed impatientiæ qua solent hæreticorum feruere præcordia & pacem conturbare sanctorum, sed hæc in usum cedunt proficiendi iuxta illud Apostoli. Oportet hæreses esse, & in lib. 18. inquit. Hæretici ueris illis catholicis membris Christi malo exemplo suo prosunt dum Deus utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum, inimici omnes ecclesiæ uel errore excecati, uel malitia deprauati prosunt, quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi exercent eius patientiam. si uero male sentiendo aduersantur exercent eius sapientiam, ut autem etiam inimici diligantur exercent eius beniuolentiam. Quintum bonum quod ex hæresibus diuina potentia elicit est augmentum meritorum in bonis & fidelibus doctoribus: quoniam cum catholici doctores circa conuersionem hæreticorum, aut persecutionem si conuerti noluerint, laudabili studio laborare satagunt, non dubium quin taliter de sibi creditis talentis operantes crescant eis merita quibus ad beatitudinem perducantur. Sextum bonum quod ex hæresibus elicitur est quòd manifestatur firmitas fidei in his qui recte credunt, & hoc est quod subdit Apostolus, ut qui probati sunt id est approbati sunt a Deo manifesti fiant in uobis, id est inter uos. Sapientiæ 3. Tanquam aurum in fornice probauit illos. Vnde beatus Aug. li. de uera relig. Sunt enim innumerabiles in sancta ecclesia Deo probati uiri, sed manifesti non fiunt inter nos quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire maluimus quàm lucem ueritatis intueri. Et ita apparet quomodo utile sit hæreses esse, & per hoc ad id quod in principio arguebatur quòd non erat sic de aliis peccatis quòd nec esse fuisset ea esse. patet responsio: quoniam ut ait magister Alexander de Alis in secundo, non est omnino simile in aliis peccatis & in isto. Alia enim peccata, & si in se mala sint & ex illis aliquod bonum eliciat Deus, non tamen quantum ex isto peccato, occasione enim huius peccati maxime acquiritur exercitium ecclesiæ, sicut ex persecutione quæ a tyrannis infertur sicut superius explanatum est.

Quintu

Sextu

Respõsi

Cap. VI. De triplici genere credibilium ad quod hæresis se extendit.

DISTINGVITVR autem iuxta doctores theologos triplex genus credibilium, quod tamen uariæ designatur ab eis. Vno enim modo designatur quòd credibile ad intellectum tribus modis se habet, de quo beatus Aug. li. 83. q. ita dicit. Credibilium tria sunt genera. Alia sunt quæ semper creduntur & nunquam intelliguntur, sicut est omnis hystoria temporalia & humana gesta percurrens. Alia mox ut creduntur intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanæ. Tertium eorum quæ primo creduntur & postea intelliguntur, qualia sunt ea quæ de diuinis rebus sunt. hæc Aug. Est ergo triplex genus credibilium. Primum est credibilium eorum quæ se habent ad intellectum incompossibiliter, sicut sunt hystoriæ de gestis hominum. hæc enim cum accipiant fidem a sensu tãtum ut dicit Albertus, non habent potentiam uniuersalitatis, sicut quæ se habẽt ad intellectum compossibiliter, & ita sunt de genere eorũ quæ semper creduntur, & nunquam intelliguntur. Secundum genus credibilium est quod

q. 83.

ſe habet ad intellectum antecedenter, ut ſunt diuina ſupergredientiá humanum intellectum in quæ non poteſt intellectus niſi luce fidei ſibi infula, ſicut articuli fidei qui non intelliguntur niſi prius credantur. Eſa. 7. ſecundũ translationem 70. Niſi credideritis non intelligetis. Tertium genus credibilium eſt quod ſe habet ad intellectum conſequenter, ſicut ſunt illa, ut exemplificat Alexander de Alis ad quæ intellectiua attingere poteſt ex ſe ſiue per lumen ſibi innatum, ut quoniam Deus eſt, & ꝙ unus eſt & omnipotens & huiuſmodi, & hæc dicuntur mox credi cum intelliguntur. Hoc autem genus triplex credibilium aſſignatur ab aliis aliter dominus enim Bonauentura in 3. diſt. 25. dicit ſic, quòd doctrina fidei quædam habet antecedentia quædam conſequentia quædam principalia, ſicut in aliis ſcientiis uidemus eſſe quædam principia communia quæ ſupponuntur, ſicut dignitates, quædam uero ſicut principia propria illarum ſcientiarum, ut ſunt intrinſeca principia ſuarum demonſtrationum, quædam uero ſunt conſequẽtia ſicut propoſitiones correlariæ. Per hunc etiam modum in doctrina fidei antecedentia ſunt illa quæ ſunt de dictamine iuris naturalis, principalia uero ſunt illa ad quæ fidei illuminatio directe dirigit, & iſta dicuntur articuli fidei. conſequentia ſunt illa quæ ex illis articulis poſſunt elici & ad illos articulos habent ſequi. hæc ille. Hac autem credibilium diſtinctione habita dicimus pro concluſione quòd hæreſis ad tria genera huiuſmodi credibilium ſe extendat. Hæc concluſio probatur. primo ſic. fides ſe extendit ad omnia iſta credibilia, ſed hæreſis opponitur fidei: ergo ad omnia illa credibilia ſe extendit ipſa fides. ergo & per conſequens hæreſis ſe extendit ad illa tria genera credibilium. conſequentia patet: cum oppoſita paris ambitus eſſe uideantur. Secundo ſic: fides eſt circa ueritatem ſecundum pietatem quæ dicitur ſacra ſcriptura ad Tytum 3. unde Hug. de ſancto uict. Veritas ſecundum pietatem eſt ſacra ſcriptura, quia ea docet & amando complectitur quæ ad religionem Dei pertinent. ergo hæreſis etiam attenditur ad omnia quæ ſunt in ſacra ſcriptura, ſed in illa continentur omnia præfata genera credibilium. ergo error circa quæcunque credibilia contenta in ſacra ſcriptura ſiue pertineant ad hyſtorias ſiue ad articulos fidei ſiue ad mores dicetur hæreſis.

Cap. VII. In quo obiicitur contra prædicta, & reſpondetur obiectionibus.

SED uidetur fortaſſis aliquibus quòd hæreſis non extendatur ad omnia genera credibilium pręfata, & primo uidetur quòd non ſe extẽdat ad credibilia primi generis cuiuſmodi ſunt quæ ſemper credũtur & nunquam intelliguntur ſicut ſunt hyſtoriæ. Primo ſic, quia ſi hoc eſſet uerum cum ſancti diuerſa ſiue contraria ſentiant circa hyſtorias ex altera parte hæreſis cenſeretur, ſed non cenſetur cum propter hoc ex nulla parte aliquis iudicatur hæreticus. non ergo uidetur quòd hæreſis ſit circa id genus credibilium. Secundo ſic. quidam ſancti ſenſerunt contraria de operibus ſex dierum ex neutra tamen parte eſt hæreſis. ergo hæreſis non ſe extendit ad illud genus credibilium. Tertio arguitur quòd hæreſis non ſe extendat ad credibilia tertii generis uidelicet quæ ſimul intelliguntur, & creduntur. Primo ſic. quicunque eſt hæreticus deuiat ab aliquo articulo fidei,

Arg. primum

Secundũ

Tertium

lo fidei, sed deuians ab illis credibilibus tertii generis non uidetur deuiare ab aliquo articulo fidei utputa qui diceret fornicationem non esse peccatum mortale. ergo non est hæresis circa talia credibilia. Quarto sic. inter alia credibilia quæ simul creduntur & intelliguntur assignantur rationes humanæ & scientiæ uel de numeris uel de quibuscunque aliis disciplinis, sed circa has non est hæresis. unde Hier. super epistolam ad Tytū. Si quis artem grammaticam uel dialecticam nouerit nō improbamus, scientiæ enim sunt ueritatis non pietatis: ergo hæresis tantū est circa credibilia quæ pertinent ad pietatem sicut est fides sicut dictum est. ergo hæresis non est circa credibilia quæ simul creduntur & intelliguntur siue sint principia siue sint rationes, siue scientiæ humanæ. Sed istis non obstantibus dicendum est sicut prædiximus quòd hæresis ad tria genera præfata credibilium extenditur quemadmodum & fides cui opponitur, tamen ut inquit magister Alexander de alis in secundo secundum quandam analogiam scilicet per prius & secundario directe & indirecte principaliter & minus principaliter. Nam circa illa credibilia quæ prius creduntur & postea intelliguntur scilicet circa articulos fidei inuenitur prima ratio fidei, & ita per oppositum ipsa hæresis prius inuenitur circa illa. Pro quo notandum quòd ut inquit sanctus Thom. in 2. 2. q. 1. ar. 6. quædam sunt credibilia de quibus est fides secundum se. Aliqua uero sunt credibilia de quibus non est fides secundum se, sed in ordine ad alia. Sicut etiam in aliis scientiis quædam proponuntur, ut per se intenta quædam ad manifestationem aliorum. Quia uero fides est de his quæ uidenda speramus in patria secundum illud ad Hebr. 11. Fides ex substantia rerum sperandarum ideo per se ad fidem pertinent illa quæ directe nos ordinant ad uitam æternam, sicut sunt tres personæ, omnipotentia Dei, mysterium incarnationis Christi & huiusmodi. unde secundum ista distinguuntur articuli. Quædam uero proponuntur in sacra scriptura, ut credenda nō quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem, sicut quòd Abraham habuit duos filios, & quòd ad tactum ossium Helisæi suscitatus est mortuus & alia huiusmodi quæ narrantur in sacra scriptura in ordine ad manifestationem diuinæ maiestatis, uel incarnationis Christi, & ita sicut circa prima credibilia est primo fides ita per oppositum est hæresis. Ceterum secundo fides se extendit ad illa credibilia quæ simul creduntur & intelliguntur; ut quòd fornicatio est peccatum mortale & huiusmodi,& per oppositum hæresis. Tertio fides se extendit ad illa credibilia quæ creduntur & nunquam intelliguntur,sicut sunt hystoriæ in sacra scriptura contentæ, & ita per oppositum hæresis.Et huic sententiæ sanct.Thom. concordat in 2.2.q.11.art.2.cum ait quòd dupliciter aliquid pertinet ad fidem uno modo directe & principaliter, sicut articuli fidei. alio modo indirecte & secundario, sicut omnia illa ex quibus sequitur correlarie corruptio alicuius articuli, & circa utrunque potest esse hæresis eo modo quo & fides. Vnde dicendum est ad omnes in oppositum. Ad primam cum arguitur quòd sequeretur quòd sancti,&c. respondetur negando consequentiam. Pro quo notandum iuxta magistrum Alexandrum de alis, quòd aliud est dicere hystoriam non esse ueram, & aliud est hystoriam exponere sic uel sic & opinari circa eius expositiones. Ille autem qui diceret hystoriam non esse ueram, & hoc pertinaciter hæreticus iudicaretur, sed sic non faciebāt san

Quartū

Ad primū

esti uaria opinantes circa hystorias, licet in expositione earum uaria senti-
Ad secundum rent. Et hoc modo respondetur ad id quod secundo loco arguitur de operibus sex dierum: quoniam sancti non negant hystoriam ipsam: immo in ea omnes concordant differenter tamen eam exponunt, quia quidam exponunt eam de diebus materialibus quidam de spiritualibus, sed hoc nó est destruere, aut negare hystoriam, sed exponere. unde tales expositiones sunt declaratiue sacræ scripturæ quas sancti patres fecere inducti ad hoc bonis rationibus. unde Augu. Sancti patres quòd ita diuersa senserunt a spiritusancto est. concordant ergo omnes in hystoria, quia hystoria dicit tot fuisse dies, sed discordant in expositione dierum. unde a spiritusancto mouentur illi sancti ad istas expositiones ad scripturæ declarationem, & si sit ibi aliquando falsitas hoc non est ex natura hominis primitus instituti, sed ex pœna damnati. In natura enim prius instituta non erant opiniones nec erunt similiter in gloria, sed modo sunt quia opinio importat pœnalitatem. Ad tertiam cum arguitur de credibilibus tertii generis, respon-
Ad tertiũ detur quòd circa illa etiam est hæresis cum scilicet male creditur circa illa. Et ad rationem cum dicitur ꝙ quicunq; hæreticus, &c. respondetur dupliciter. Primo negando maiorem: quoniam non oportet ꝙ omnis hæreticus deuiet ab aliquo articulo fidei: bene est econuerso ꝙ omnis deuians ab aliquo articulo fidei sit hæreticus. nam sicut fides non solum se extendit ad articulos, immo etiam ad alia credibilia quæ non sunt articuli fidei, sed sunt sicut principia, ita dicimus de hæresi. unde non oportet ꝙ ubi est hæresis quòd ibi sit deuiatio ab aliquo articulo nisi sit hæresis circa credibilia quæ prius creduntur, & postea intelliguntur circa quæ est hæresis secundum suam primam rationem quemadmodum & fides. Secundo respondetur negando minorem & dicimus ꝙ errans circa credibilia tertii generis licet non deuiet directe & formaliter ab aliquo articulo fidei. tamen cum ex negatione illa sequitur illum dicere scripturam sanctam continere falsitatem indirecte obuiat articulo illi. Credo in spiritumsanctum, a quo scriptura diuina inspirata est. Scribitur enim ad Gala. 5. Manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, &c. & postea subdit. Qui talia agunt regnũ Dei
Ad quartum non possidebunt, quod non esset si fornicatio non esset peccatum mortale. Ad quartam cum arguitur quòd circa humanas disciplinas non est hæresis, respondetur quòd errare circa humanas disciplinas, utputa errare circa geometriam & huiusmodi bene concedimus quòd non sit hæresis. nec de his loquitur August. cum dicit. quędam simul intelliguntur, & creduntur, sed de his quæ sunt quasi principia quædam per se nota in theologia sicut est quòd fornicatio sit mortale peccatum & superbia huiusmodi quæ pertinent ad mores.

Cap. VIII. Quid dicatur ueritas catholica.

CVM autem in superioribus hæresim diffinientes dixerimus quòd hæresis sit assertio falsa catholicæ ueritati contraria, & manifestum sit quòd ad pleniorem noticiam huius diffinitionis plurimum opitulabitur scire quid dicatur catholica ueritas maxime cum cognitio unius contrariorum ad cognitionem alterius nonnunquam conferre dinoscatur, dignum duximus circa hoc aliquid considerare. Pro quo notandum

dum repetendo aliqua breuiter ex his quę amplissime diximus li. 1. c. 15. q catholicum nomen græcũ est & latinę sonat uniuersale catholica ergo ueritas, est idem quod ueritas uniuersalis sicut fides Christi dicitur catholica, id est uniuersalis. Et ad hoc ad præsens duplici utar ratione. Primo, quia uniuersaliter est uera non habens instantiam aliquam aut exceptionem quia tali ueritati nunquam, & nusquam subiuit subest aut suberit aliquod falsum, sicut contingit in doctrinis philosophorum quę etsi in aliqua sui parte uera dicant siue supponant, in multis tamen a ueritate deficiunt, fides autem Christi siue ueritas catholica non potest cadere a ueritate. unde propheta in psal. In æternum domine permanet uerbum tuum, & in seculum seculi ueritas tua. Item Christus ait. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. Luc. 21. Et apostolus secundæ ad Cor. 1. Fidelis autem dominus, quia sermo noster qui fuit apud uos non est in illo, est & non glo. i. mendacium, ut in sermone pseudo prædicatorum, sed est in illo fuit, id est simplex ueritas, propter hoc etiam ipse filius Dei dicitur Ioan. 4. quia uniuersaliter uera sunt quæcunque docuit per se aut sanctos suos per quos locutus est. Secundo ueritas dicitur catholica, quia ubique prædicanda est & omnibus gentibus credenda proponitur. unde dominus Math. ulti. ait. Euntes docete omnes gentes &c. Has duas rationes assignat Boetius in principio li. de tri. sic dicens. Fides dicitur catholica. Primo, quia præcepta est non uni genti tantum obseruanda sed omnibus gentibus proponitur. Secundo quia nihil falsitatis aut iniquitatis ei admiscetur. Ex quibus uidetur quòd catholica ueritas duo importat. Primum est quòd sit uniuersaliter uera, sic ut ei non subsit, nec subesse unquam possit falsum, ita quòd sit perpetue & infallibilis ueritatis. Secundum est quòd omnibus fidelibus necessaria sit ad credendum explicite uel implicite, hæc autem profecto habere non potest quæcunque doctrina nisi spiritualiter originem a fonte incommutabili diuinæ ueritatis trahat, aliæ enim doctrinæ quæ ex palude humanæ inuestigationis originem trahunt hanc conditionem habere non possunt: quoniam spiritus humanus, ut ait beatus Thom. super Ioan. ualde fallax est, & excogitatio humana fallacissima. Sapientiæ 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Et propheta inquit, in psal. Omnis homo mendax. Ex quibus talem possumus catholicæ ueritatis elicere diffinitionem ut dicamus. Catholica ueritas est quæ ex diuinæ reuelationis lumine supernaturali immediate uel mediate est habita explicite in propria uerborum forma uel implicite bona, & necessaria consequentia. Dicitur autem lumine supernaturali ad differentiam ueritatum quæ generali quadam diuina reuelatione mediante generali lumine habentur, de quibus apostolus inquit ad Rom. 1. quod notum est Dei manifestum est in illis, scilicet philosophis, Deus enim illis manifestauit, & Ambrosius in glo. 1. ad Cor. 12. dicit. Verum a quocunque dicatur a spiritusancto est. Cum enim lumen generale quo homines in notitiam ueritatum humanarum disciplinarum ueniunt non possit esse nisi a primo lumine, ut dicit August. li. de matrimonio. Necesse est ut omnis ueritas a quocunque dicatur, ut inspirante Deo dicatur. unde August. lib. confessio. dicit. Non alio domine præter te inspirante credo me uerum dicere cum tu sis ueritas, omnis autem homo mendax, & ideo qui loquitur mendacium de suo loquitur, ut uerum loquar de tuo loquar hæc ille. Veritas autem catholica oportet

Catholicę ueritatis diffinire.

quòd speciali modo uidelicet supernaturali lumine deriuetur a Deo. Dicitur autem mediate uel immediate: quoniam aliqua nobis Deus immediate per seipsum reuelauit, & reuelat sicut fecit euangelium. unde Ioan. 1. Vnigenitus Dei filius qui in sinu est patris ipse enarrauit nobis, & Esa. 52. Ecce egoipse qui loquebar adsum. & ad Heb. 1. inquit apostolus. Olim Deus loquens patribus in prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in filio &c. Aliquando uero reuelat per alios, sicut per angelos sanctos siue per apostolos siue per alios sanctos uiros, unde 2. Petri 1. inquit beatus Petrus. Non enim uoluntate humana allata est prophetia, sed spiritusancto inspirati locuti sunt Dei homines. Et ideo non tantum ueritas catholica dicenda est a Deo per seipsum immediate fidelibus tradita, sed etiam mediate quæ per sanctos ab eo doctos, & inspiratos habita est cum spiritus sanctus quo inspirati sancti Dei homines locuti sunt & loquuntur non nisi ueritatem docet atque spirat Ioan. 16. Cum uenerit ille spiritus ueritatis ille docebit uos omnem ueritatem. Dicitur consequenter. Explicite in propria uerborum forma &c. His enim duobus modis dicitur aliquid contineri in sacra scriptura aut in propria forma uerborum sicut ista est. Christus fuit homo, & aliquid implicite, quod scilicet bona & necessaria consequentia expositis formaliter in littera sequitur, sicut ex illa. Christus fuit homo, sequitur quod habuit animam rationalem intellectum agentem & possibilem, & omnes potentias animæ. Item quòd in corpore suo fuerunt nerui, & uene & similia, quorum tamé nullum in propria uerborum forma habetur in littera sacræ scripturæ. Et hæc sufficiant pro habendo quæ sit catholica ueritas dicenda.

Cap. IX. De multiplici genere siue gradu catholicarum ueritatum.

DATA diffinitione catholicæ ueritatis, cum notum sit inter ueritatis catholicas plurimas esse ueritates quibus firma credulitate adhærendum sit, opportunum duximus gradus siue genera eorum distinguere, uidetur autem nobis septem posse distingui genera catholicarum ueritatum. Primum est eorum quæ in canone sacræ scripturæ ueteris aut noui testamenti, & in propria uerborum forma continentur. Et huiusmodi genus ueritatum catholicarum potest distingui etiam secundũ tria genera credibilium supra posita, inter quæ ut prædiximus principalius annumerandum est genus credibilium quæ ante creduntur quàm intelligãtur cuiusmodi sunt ea quę ad articulos fidei pertinent, ex quibus principaliter salus nostra pendet. Quod autem huiusmodi ueritates in sacra scriptura formaliter contente catholicæ ueniant reputandæ manifestum est, cum de ueritate sacræ scripturæ nullo modo dubitandum sit. unde beatus August. libro de unico baptismo, ut recitatur in cap. quis nesciat dist. 9. ait. Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam ueteris quàm noui testamenti certis terminis contineri, eamq; posteris omnium episcoporum litteris ita præponi ut de illa omnino dubitari uel disceptari non possit, utrum uerum uel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum constiterit, &c. Secundum genus ueritatum catholicarum est earum quæ ex solis contentis in sacra scriptura consequentia necessaria, & formali possunt

Primum genus catholicarũ ueritatũ.

Secundũ

possunt inferri. unde cum tales ueritates eandem ueritatis firmitatem, & credulitatis necessitatem habeant quam habent ueritates ex quibus necessaria,& formali consequentia inferuntur, manifestum est eas inter catholicas ueritates numerari,sicut est hæc ueritas,Christus est uerus Deus & uerus homo,quæ licet in tota serie sacræ scripturæ sic formaliter non inueniatur,nihilominus quia ex contentis in sacra scriptura consequentia formali,& necessaria infertur catholica tenetur, & eam credere necessarium est ad salutem. Tertium genus ueritatum catholicarum est eorum quæ circa canonem sacræ scripturæ continentur, quæ tamen per reuelationem,& approbationem tantum mediantibus apostolis ad fideles deuenerunt. Sane cum Christus cum uiueret in carne mortali cum apostolis multa docuerit,& fecerit quæ in canone sanctæ scripturæ non habentur secundum illud Ioan.ul.Multa alia fecit Iesus quæ non sunt scripta in libro hoc.multas alias ueritates catholicas Christus apostolos docuerit docendas per eos quæ in canone scripturæ non habentur. Vnde August.tertio de baptismo paruulorum dicit.Illa quæ non scripta seruat uniuersalis ecclesia acceperit ab apostolis Christo docente. sic enim Apostolus de corporis, & sanguinis dominici communione 1.ad Corin.11.dicit. Quod accepi a domino hoc tradidi uobis,cetera autem cū uenero disponam, id est ordinabo.Item ad idem est idem Augu.qui ut habetur in ca. ecclesiasticarum dist.11.ita ad propositum dicit.Ecclesiasticarum constitutionum quasdam scripturis,quasdam uero apostoli traditione per successores in ministerio confirmatas suscepimus,quasdam uero consuetudine roboratas approbauit usus quibus par ritus,& idem utriusq; pietatis debetur affectus. hæc ille.Amplius cum secundum promissionem Christi spiritussanctus superuenturus in discipulos docturus esset eos omnem ueritatem, multa profecto credendi sunt a spiritusancto didicisse quæ postea fideles docuerunt, quæ tamen in canone bibliæ posita non fuerunt. Vnde Alexander tertius in cap.cum marte.extra de celebra.mis.super forma consecrationis eucharistiæ loquens ita ait. Sane multa tam de uerbis quàm de factis dominicis inuenimus ab euangelistis omissa quæ etiam apostoli uel suppleuisse uerbo uel facto exposuisse leguntur. Paulus enim in actibus apostolorum sic ait. Meminisse nos oportet uerbum domini nostri Iesu Christi qui dixit. Beatus est dare quàm accipere. hoc tamen nullus quattuor euangelistarum descripsit.unde gloss.Act.2.& est beati Hiero.ait.Hoc in euangelio non legitur,non enim omnia scripta sunt sed forsan Paulus hoc ab apostolis audiuit uel a spiritu sancto percepit. Et idem prosequitur magister Nicolaus de lyra in expositione.unde tales ueritates, & quæ ex eius consequētia necessaria impermutabiliter possunt inferri inter catholicas ueritates ueniunt computandæ. Quartum genus ueritatum catholicarum est earum quæ ab ecclesia uniuersali in conciliis plenariis tanquam ad fide Christianæ religionis pertinentia diffinita sunt, licet expresse in canone scripturæ sacræ non inueniantur. Et ratio huius manifesta est: quoniam ut superius lib.3.cap.58.amplissime, & irrefragabiliter ostendimus concilia plenaria uniuersalis ecclesiæ in his quæ fidei sunt errare non possunt. unde beatus Grego.in ca.sicut distinct.15.ait,quòd sicut sancti euangelii quattuor libros sic quattuor concilia suscipere,& uenerari me fateor. Et ratio est:quoniam ut ait beatus Grego. in tractatu qui intitulatur de catholica

Tertium

Quartum

ueritate. Sicut Deus ueritas est ita ea quæ apostolica ecclesia de Deo docuit uera sunt. unde merito dicitur Prouer. primo. Ne dimittas legem matris tuæ glo. i. ecclesiæ. Notanter autem dictum est. Quæ apostolica ecclesia docuit, scilicet diffinitione iudiciali esse credenda. quod dicitur propter multa quæ in ecclesia legi a fidelibus permittuntur, & tolerantur quæ omnia credere nõ est de necessitate salutis, nec inter catholicas ueritates sunt reputande licet multæ earum pie a fidelibus credantur, sicut sunt multa contenta in legendis siue historiis sanctorum, & uitis patrum, quæ cum manifeste non cognoscuntur falsa esse: sed potius habere aliquam probabilitatis apparentiam, possunt credi pro eo quòd ad commouendos pios actus fidelium ad deuotionem proficiunt secure leguntur, & pie creduntur dum tamen animus assertione pertinaci illis non adhæreat. Quintum genus catholicarum ueritatum est earum quæ in materia fidei apostolicæ sedis iudicio diffinite sunt, quæ licet in canone scripturæ sacræ non reperiantur contineri, sunt tamen inter catholicas ueritates computandæ: quoniam sicut in superioribus tam auctoritatibus quàm rationibus manifeste ostendimus li. 2. cap. 109. Apostolicæ sedis iudicium in his quæ fidei sunt errare a ueritate non potest. Pro quo facit promissio illa Christi. Luc. 22. Ego rogaui pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quod etiam apertissime confirmare uidetur beatus Augu. in cap. in canonicis distinct. 19. ubi inter canonicas scripturas computandas ponit epistolas quas apostolica sedes habere meruit & alii meruerunt ab ea accipere. Item Agapto papa in cap. sic. eadem dist. ubi ita ait. Sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatæ. Item beatus Hiero. luce clarissima hoc confirmat in c. hæc est fides 24. q. 1. ubi sic dicit. Si hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio approbatur, quicunque me calumniare uoluerit se imperitum, & maliuolum uel non esse catholicum sed hæreticum comprobabit. Sextum genus ueritatum catholicarum uidetur esse earum quæ de tenenda fide & confutatione hæreticorum a doctoribus ab uniuersali ecclesia approbatis assertiue traditæ sunt, licet in canone scripturæ sacræ expresse non contineantur. patet hoc: quoniam cum ecclesia uniuersalis quæ regitur spiritu sancto doctores aliquos approbauit, eorum doctrinam tanquam ueram recipiens, necesse est ut talium doctrina assertiue posita, & nunquam alias retractata uera sit & ab omnibus fidelibus firma credulitate tenenda in ea parte in qua ab uniuersali ecclesia est recepta, alias uniuersalis ecclesia uideretur errasse approbando, & acceptando eorum doctrinam tanquam ueram quæ tamen uera non esset. Qui autem sunt hi doctores per uniuersalem ecclesiam in uniuersalibus conciliis approbati colligitur ex 5. concilio uniuersali, in quo ut san. Thom. recitat in 4. contra gentiles cap. 24. ita habetur. Sequimur per omnia sanctos patres, & doctores ecclesiæ. Athanasium, Hylarium, Basilium, Gregorium, Theologum, & Gregorium Nicenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum. Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem Porcium, & suscipimus omnia quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Hæc ibi. Postea uero papa Gelasius in synodo sua alios doctores approbando addit, ut patet in canone sancta Romana ecclesia distinct. 25. Verum circa approbationem opusculorum præfatorum doctorum est aduertendum, & notandum quòd synodus

Quintũ

Sextum

nodus uniuersalis quinta non approbauit simpliciter omnia contenta in opusculis præfatorum doctorum, sed tantum ea quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Per quod satis datur intelligi quòd per hoc ꝙ opuscula aliquorum doctorũ approbauit uel approbat ecclesia non est necesse ꝙ omnia in eis contenta approbata intelligantur, sed tantum quo ad ea quæ de recta fide, & de condemnatione hæreticorum exposuerunt quæ tanquam necessaria ad credendum fidelibus tradiderunt. Nec per consequens ex approbatione præfata habetur quòd omnes ueritates in prefatorum sanctorum doctorum approbatorum opusculis contente sint tanquam catholicæ ueritatis habendæ, sed tantum ueritates præfati generis, quæ .s. de recta fide & condemnatione hereticorum exposuerunt. Multa alia quidem sunt in eis contenta alterius generis .s. probabilitatis. unde Aug. qui de numero approbatorum per uniuersalem ecclesiam est, inquit ad Vincentium Victorem, & habetur in ca. negare non possum di. 9. Negare nó possum inquiens, nec debeo sicut in ipsis maioribus, id est scriptis maiorum, ita multa esse in tam multis opusculis meis quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Nec obuiat præfato generi catholicarum ueritatum illud quod beatus Augu. dicit in ca. noli. & in ca. ego solus di. 9. Quoniam ut glo. inquit in ca. noli. Augu. loquitur secundum illa tempora cum adhuc scriptura Aug. & aliorum sanctorum patrum non erat autentica, sed hodie iubentur omnia teneri usque ad ultimum iota, ut di. 15. c. ulti. Septimum genus catholicarum ueritatum est earum quæ ex 4. 5. & 6. genere catholicarum ueritatum consequentia necessaria, & formali inferri possunt. Necessaria, & formali consequentia dicimus, quia si aliquid solum probabili consequẽtia inferretur non diceretur proprie ueritas catholica, sed probabilis tantum. Octauum genus distingui potest earum ueritatum quæ etsi absolute catholicæ non sint: sunt nihilominus catholicam ueritatem sapientes, sunt enim catholicis ueritatibus propinque. Vnde ueritas sapiens catholicam ueritatem potest sic diffiniri. Veritas sapiens catholicã ueritatem siue fidem ex consequenti est illa, quæ adiuncta sibi aliqua alia ueritate ad fidem non pertinente, sed nihilominus quæ rationabiliter negari non potest, fiet ueritas catholica. Exempli gratia, quia nunc in apostolica dignitate sedet magister Thomas de Sarzana. Ista. Thomas de Sarzana est papa, est propositio sapiens ueritatem catholicam. Patet quoniã adiuncta sibi illa ueritate quæ negari non potest, uidelicet ꝙ fuerit rite, & canonice electus, utputa a toto dominorum cardinalium collegio uel duabus partibus, efficitur ueritas catholica dicenda. Magister Thomas de Sarzana rite canonice electus, & in papam ab uniuersali ecclesia susceptus est uerus papa, ista propositio est catholica ex determinatione uniuersalis ecclesiæ, ut in ca. in nomine domini. Item in epistola decretali Martini de concilio Constantien. Inter credenda cuilibet fideli ponitur, quòd papa canonice electus qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri habens auctoritatem supremam in ecclesia Dei. Ex præfatis facile est intelligere ueritates omnes non esse eiusdem maneriei, sed diuersorum generum aut graduum. Quædam enim ut uisum est sunt catholicæ, quædam catholicam ueritatem sapientes, & quædam probabiles tantum, quædam pie credibiles, quædam impertinentes.

Septimũ

Octauum

Cap. X. De multiplici specie hæresum.

EX his quæ parum ante de multiplicitate generum siue graduum catholicarum ueritatum exposuimus, perfacile erit intelligere hæresim quæ catholicæ ueritati contrariatur, sub se etiam multa genera siue species continere. Cunque iuxta Aristo. sententiam, quot modis dicitur unum oppositorum tot modis dicatur, & reliquum, rectius species hæresum non poterunt describi quàm iuxta species catholicarum ueritatum quibus opponuntur. Dicamus ergo quòd prima species hæresum est earum assertionum falsarum quæ ueritatibus catholicis primi generis in propriis terminis contradicunt, uidelicet ueritatibus sub propria forma in sacra scriptura contentis. In quo genere sunt istæ assertiones, uidelicet quòd in principio non erat uerbum, aut quòd non omnia per ipsum facta sunt, siue quòd uerbum non sit caro factum, quæ in propriis terminis contradicunt ueritatibus contentis formaliter in euangelio sancti Ioannis. Secunda species hæresum est earum assertionum falsarum quæ repugnant ueritatibus secundi generis catholicarum ueritatum, uidelicet quæ ex solis contentis in sacra scriptura consequentia necessaria, & formali inferuntur. In quo genere hæresum sunt istæ, uidelicet angeli non habent esse a Deo, aut quòd Christus non habuit intellectum passibilem aut agentem. Quorum opposita manifeste consequentia necessaria inferuntur ex contentis in sacra scriptura. Tertia species hæresum potest distingui earum assertionum quæ contrariantur ueritatibus tertii modi catholicarum ueritatum, uidelicet quas apostolorum traditione siue reuelatione uniuersalis ecclesia credit, & obseruat. Hoc genere est hæretica ista, quòd cruce fideles non debeant insigniri, aut quòd usus signi crucis non debeat esse in ecclesia. Quarta species hæresum est earum falsarum assertionum quæ ueritatibus quarti modi catholicarum ueritatum contradicunt, uidelicet diffinitis, & determinatis iudicio uniuersalis ecclesiæ in conciliis uniuersalibus. Quinta species hæresum est earum falsarum assertionum quæ ueritatibus quinti modi ueritatum catholicarum contrariantur, uidelicet determinatis, & diffinitis apostolicæ sedis iudicio. Sexta species hæresum est earum falsarum assertionum quæ ueritatibus sexti modi catholicarum ueritatum contradicunt, scilicet doctrinis sanctorum patrum ab ecclesia uniuersali approbatorum in his quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorũ exposuerunt. Septima species hæresum est earum falsarum assertionum, quæ ueritatibus septimi modi catholicarum ueritatum contradicunt, scilicet ueritatibus quæ ex quarto quinto & sexto genere catholicarum ueritatum necessaria, & formali consequentia inferuntur. Præter autem has species hæresum distinguitur quædam species falsæ assertionis, uidelicet assertionum quæ etsi absolute hæreticæ non sint, sunt tamen hæresim sapientes quia hæresi propinquæ, qualis est quæ asserit dogma peruersum ex quo cum notorio uero quod negari non potest sequitur hæresis proprie dicta. Verbi gratia, ista propositio, omnis homo existẽs Romæ est in peccato mortali, potest dici sapere hæresim, quia ex ea cum aliquo uero assumpto, uidelicet ꝙ infans nouiter baptizatus est Romæ, sequitur quòd infans nouiter baptizatus Romæ sit in peccato mortali, quod est hæreticum. Nam in baptismo

Baptismo omnis homo siue paruulus siue magnus moritur peccato, ut testatur Aug. in Enchiridion & habetur de cōse. di. 4. c. A paruulo, ubi inquit. A paruulo recenter nato usq; ad decrepitum senem sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo &c. Item in ca. Regenerante, eadem dist. idem dicit.

Cap. XI. De multiplici genere damnabilium propositionum.

SVPERIVS iam dictis rite intellectis apparet quòd non unum sed multiplex sit genus damnabilium propositionum. Est enim propositio temeraria, est ꝑpositio erronea est propositio iniuriosa, est propositio male sonans siue scandalosa aut piarum aurium offensiua, est propositio seditiosa, est propositio hæretica, est propositio hæresim sapiens. Propositio enim temeraria est propositio asserens aliquid tanquam certum quod non potest efficaciter probari ratione uel auctoritate, sicut propositio asserens quòd mundus finietur infra centum uel ducentos annos. Hæc autem licet posset esse uera, tamen hoc asserens tanquam certum dicitur temeraria, quia ad hoc nec auctoritas nec ratio efficax habetur. Propositio erronea dicitur propositio asserens aliquid quod est falsum. unde Aug. libro de Academicis dicit. Error est falsi pro uero approbatio. Propositio uero iniuriosa est quæ detrahit statui alicui fidelium aut alicui notabili personæ. Propositio scandalosa aut male sonans siue piarum aurium offensiua, dicitur propositio quæ occasionem ruinę præberet auditoribus, ut propositiones multæ quæ licet cum modificatione adiuncta sint uere, per se tamen, & absolute sine modificatione prolatę uidentur fauere propositionibus hæreticalibus, ut si quis assereret simpliciter patrem maiorem filio, & Deum in incarnatione factum creaturam, & similes quæ iuxta doctores magis sunt exponendæ quam extendendæ. Propositio seditiosa dicitur assertio quæ diuisioné & scisma induceret in populo, ut est propositio illa quòd malo prælato aut principi non est obediendum, & huiusmodi. Propositio autem hæretica aut hæresim sapiens quæ sit superius in ca. præcedenti explicauimus. Est autem hic aduertendum quòd ista propositionum genera non ita distinguuntur, quin quandoque simul multa eorum in unam propositionem concurrant. Erit enim una & eadem quandoque propositio, & temeraria, erronea, iniuriosa, male sonans, & piarum aurum offensiua, & etiam hæretica, ut manifestum est.

Cap. XII. De uariis modis quibus quis dicitur hæreticus.

EXPOSITO quid sit hæresis, & quæ species eius, reliquum est uidere quis sit hæreticus censendus. Pro quo imprimis notandum est, quòd ut tam ex gloss. in cap. illi. §. quoniam 24. quæst. tertia quàm ex aliis doctorum sententiis multis, uariis modis dicitur hæreticus. Glossa præfata ponit nouem modos, & ex aliis colliguntur tres, & ita possumus assignare duodecim modos quibus dicatur hæreticus. Vno modo dicitur hæreticus quicunque est dubius in fide, extra de hæreti. cap. dubius. De fide enim nullus dubitare habet sed firmiter tenere ea quæ sibi credenda

proponuntur, extra de sum.tri.& fide ca.in prin.firmiter credimus, &c. Et in symbolo Athanasii. Hæc est fides catholica quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit saluus esse non poterit. Nam ut dicit Bernar. fides ambiguum non habet, & si habet fides non est. Hoc tantum intelligendum est de dubitante qui determinate, & animo deliberato in dubietate persistit æqualiter se habens ad utramque partem contradictionis, secus de illo qui tentatur de fide cum dolore cordis, & anxietate. Secundo modo dicitur hæreticus omnis Simoniacus 1.q.1.quisquis. ubi dicit Greg. Quisquis per pecuniam ordinatur ad hoc quòd sit hæreticus promouetur. Tertio modo dicitur hæreticus omnis præscisus ab ecclesia, secundum quòd excommunicatus dicitur hæreticus 4.q.1.quòd autem. ubi super illud. Hæreticos autem inquiunt, dicimus tam eos qui olim ab ecclesia præscisi sunt quàm qui post a nobis Anathematizati sunt. dicit glo. nota quòd omnis excommunicatus dicitur hæreticus, ut infra 23.q.4.ipsa pietas. Quarto modo dicitur hæreticus qui sentit contra sacram scripturam siue contra ea quæ necessaria, & formali consequentia ex ea eliciuntur siue qui scripturam sanctam male interpretatur 24.q.3.cap. Hæresis, ubi beatus Hiero. ita loquitur. Quicunque sacram scripturam aliter intelligit quàm sensus spiritussancti efflagitat a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit tamen hæreticus appellari potest. Quinto modo dicitur hæreticus qui nouam opinionem inuenit uel inuentam sequitur, inuenit ut hæresiarcha, puta Arrius, & Sabellius. Sequitur, ut qui hæresiarcham imitatur uelut Arriani, & Sabelliani 24.q.3.cap. Hæreticus, ubi dicit August. Hæreticus est qui alicuius temporalis commodi maxime gloriæ principatusq; sui gratia falsas atque nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Sexto modo dicitur hæreticus, qui Romanæ ecclesiæ priuilegia ab ipso summo ecclesiarum tradita auferre conatur dist.22.cap.omnes. Septimo modo dicitur hæreticus, qui præcepta sedis apostolicæ pertinaciter transgreditur 19.di.ca.nulli. Quod ut dicit Ioan. in glo. intelligas, si dicat Romanam ecclesiam non esse caput nec posse condere canones, alias non est hæreticus licet peccet, extra de rescrip.si quem. Octauo large dicitur hæreticus, qui non tenet articulos fidei, & secundum hoc Iudæi, & gentiles sunt hæretici. Nono dicitur hæreticus, qui aliter sentit de articulis fidei quàm Romana ecclesia 24.q.1. hæc est fides. Hi nouem modi sunt iuxta gl. superius assignatam. Possumus decimo loco dicere quòd hæreticus sit qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentit & docere præsumit quàm sacrosancta Romana ecclesia prædicat, ut notat Ber. in cap. ad Abolendam extra de hæreti. & Hostien. Vndecimo dicitur quis hæreticus qui non recipit 4. concilia generalia de quibus in cap sicut sancti distinct.15. Duodecimo in summa, & generaliter dicitur hæreticus qui aduersus quodcunque genus ueritatis catholicæ supra exposite opinionem suam peruersam atque prauam pertinaciter defendit, ut in cap. ubi in ecclesia 24.quæst.tertia, & est beati August. contra Manicheos.

Cap. XIII. Quis proprie dicendus sit hæreticus.

ASSIGNATA uarietate modorum quibus in generali dicitur quis hæreticus, nunc uidendum est per diffinitionem quis proprie

prie censendus ueniat hæreticus. Et consideratis multis quæ ad esse proprie hæreticum per doctores assignantur possumus sic proprie hæreticum describere. Hæreticus est qui post susceptam religionem Christianā Christi fidem in generali profitens, aliquam uel aliquas in speciali opinionem contrariam catholicæ ueritati, pertinaciter tenet uel sequitur. Quæ diffinitio quò ad singulas eius partes in quibus designantur quæ requirantur ad hoc ꝙ quis proprie hæreticus censeatur sic declaratur. Dicitur autem in prima particula. Qui post susceptam religionem Christianam. Ad hoc enim ꝙ quis proprie censeatur hæreticus necessario requiritur ꝙ primo Christianam religionem sit professus. nam si errans in fide nunquam suscepisset per baptismum Christianam religionem non diceretur proprie hæreticus sed simpliciter infidelis aut Paganus Saracenus aut Iudæus, & tales foris sunt de quibus nihil ad nos iudicare. 1. ad Cor. 5. Dicitur autem in secunda particula. Christi fidem profitens in generali. Quia ut dicit sanctus Tho. in 2. 2. q. 11. ar. 1. hæresis pertinet ad eos qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Vnde qui sic a fide Christi recedit ꝙ nihil de ea credit, & omnimode a Christi nomine & eius ueritate recedit proprie non est hæreticus sed apostata, quasi omnino recedens a consortio Christianorum unde tales qui nihil tenent de Christi doctrina nec gaudent nec uolunt esse sub nomine Christiano proprie hæretici non sunt, quia ut dicit Greg. 8. lib. moralium cap. 25. Ore cum eosdem patres quos nos ueneramur laudant, sed intellectu deprauato ipsi nos eorum laudibus impugnant. Hæreticus ergo aliquid tenet de fide, & nomine Christiano sub quo impugnat fidei ueritatem. unde Aug. 18. de ciui. Dei c. 5. dicit. Dyabolus nouit hæreticos qui sub nomine Christiano doctrinæ resistunt Christianæ. Sequitur tertia particula. Erroneam opinionem aliquam in speciali. Hoc plane requiritur ad hoc quòd quis proprie censeatur hæreticus, ꝙ erroneam opinionem habeat in intellectu, ita ꝙ male sentiat de ueritate. Vnde Aug. lib. de utilitate credendi, & habetur in ca. Hæreticus 24. q. 3. Hæreticus est qui falsas ac nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Et ratio huius est, quia hæresis est species infidelitatis. Infidelitas autem ut supra explanauimus, est in intellectu subiectiue, & ita uidetur quòd hæresis quæ est eius species per necessitatem supponat errorem in intellectu. Ex quo sequitur correlarie quòd factum sine errore in intellectu non facit proprie hæreticum, utputa si aliquis fornicatur uel mechatur, licet agat contra ueritatem quæ dicit non mechandum, non tamen ex hoc est hæreticus nisi crederet aut opinaretur esse licitum mechari. Et ratio huius est quia quandocunque aliqua necessario requiruntur ad constitutionem alicuius altero deficiente impossibile est illud esse, quia ad oppositum, uidelicet quòd sine illo esse posset, iam non requireretur necessario ad constitutionem illius. Sed ut probatum est ad hoc quòd aliquis proprie dicatur hæreticus requiritur necessario error in intellectu. Ergo nullum factum absolute accipiendo sine errore in intellectu facit hæreticum. Sequitur quarta particula diffinitionis. Contraria catholicæ ueritati. Hoc plane necessario requiritur ad hoc quòd quis proprie hæreticus ueniat nominandus, quòd opinionem habeat contrariam repugnantem catholicæ ueritati, & hoc siue formaliter siue incompossibiliter contrarietur, prout superius de multiplici genere catholicæ ueritatis loquentes explicauimus. In aliis autem quæ ad fidem non per-

Diffinitio hæretici.

Cap. XIIII. In quo obiicitur contra descriptionem hæretici iam positam.

PRO ampliori illustratione ueritatis mouebimus aliquas obiectiones contra prędictā descriptionē. Et arguitur primo contra particulā primam in qua dicitur. Qui post susceptā religionem Christianam, in quo uidetur innui requiri ad esse hæreticum, ut primo fuerit Christianæ religioni per susceptionem baptismatis incorporatus. Contra quod arguitur primo sic. Sicut hæreses, & sectæ in Christianis sunt ita etiā fuerunt in pharisæis, & Iudæis, sicut Isido. dicit li. Ethimo. ergo de ratione hæresis nō uidetur esse ꝙ primo susceperit religionem Christianam. Secundo sic. Omnis qui non tenet articulos fidei est hæreticus, ut habet glo. 24. q. 3. §. quia uero, sed multi qui nunquam susceperunt religionē Christianam, ut gentiles Pagani, Iudæi, & Saraceni, non tenent articulos fidei immo contrarias assertiones illis: ergo ad hoc ꝙ quis hæreticus sit dicendus non requiritur ꝙ primo fuerit in religione Christiana. Tertio contra particulam secundā in qua dicitur. Christi fidē profitens in generali, sic. Non uidetur possibile ꝙ quis Christi fidē in generali profiteatur, & neget aut dubitet de aliquo particulari articulo ad fidē Christi pertinente ꝙ sit uerus, sicut nemo utens rōne profitetur ꝙ omnis homo currit, & neget sortē currere. ergo uidetur ꝙ particula ista non sit bene posita. Quarto sic contra eandē. Qui discredit unū articulum fidei de nullo articulo fidei pōt habere fidē, etiā informem. patet: quoniā sicut peccatū mortale opponitur charitati, ita fidei discedere unū articulum fidei sed charitas non remanet in homine post unū peccatū mortale: ergo nec fides postquā discredit unū articulum fidei: ergo sequitur ꝙ non sit possibile ꝙ aliquis fidē Christi profiteatur, & discredat in aliquo articulo ad fidē pertinente. Quinto arguitur contra particulam illā ubi dicitur. Opinionem contrariā catholicæ ueritati sic. Aug. diffiniens hæreticū ut habetur in c. hæreticus 24. q. 3. dicit sic. Hæreticus est qui alicuius tēporalis cōmodi maxime gloriæ principatusq́; sui gratia falsas ac nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Ex quibus uerbis innuuntur duo esse de rōne hæretici. Primū est ꝙ alicuius temporalis cōmodi & maxime gloriæ principatusq́; gratia moueatur. Secundū est ꝙ nouas opiniones gignat uel sequatur. Sed ista duo non sunt cōia omnibus qui habent opinionem contrariā catholicæ ueritati, cum multi nec gratia commodi temporalis ad hoc moueantur, multi insuper non nouas sed antiquas opiniones sequantur. ergo uel diffinitio data est male posita uel Augustini. Sexto sic. Multi possunt tenere opiniones contrarias catholicæ ueritati qui tamen non sunt hæretici dicendi. ergo descriptio non est bene posita. consequentia est bona. Antecedens probatur de multis quæ continentur in sacra scriptura, quæ tamē non omnes credere tenentur explicite. sicut ꝙ Abraam habuit duos filios, aut quod Dauid fuerit filius Isai, aut Esau fuerit homo pilosus, & similia. Opposita autem talium credere non facit aliquem esse hæreticum ut uidetur. Item arguitur etiam de multis opinionibus inter doctores quæ nō sunt adhuc diffinite per ecclesiam uniuersalem, & tamen nihilominus tangunt materiā fidei. Septimo sic. Simoniaci dicuntur hæretici ut in ca. quisquis 1. q. 1. & tamen non habent opinionem contrariam catholicæ ueritati. ergo &c. Octauo arguitur contra particulā illā de pertinacia ubi dicitur.

Arg primum

Secundū

Tertium

Quartū

Quintū

Sextum

Septimū

Octauum

Pertinaciter &c. Arguitur primo sic. quòd particula illa sit superflue posita, Innocentius 3. extra de uerbo.sig. scribens conuēti Tholosano ait. Tua deuotio postulauit a nobis, qui sint dicendi hæretici manifesti. Super quo tibi duximus respondendum illos intelligendos manifestos hæreticos esse, qui contra fidem catholicam publicæ disputant atque profitentur seu defendunt errorem, uel qui coram prælatis suis conuicti sunt uel confessi uel ab eis sententialiter damnati super hæretica prauitate. In quibus uerbis de pertinacia nulla fit mentio. Quicunque ergo contra fidem catholicam licet non pertinaciter erret hæreticus uidetur esse censendus. Idem arguitur ex multis alijs locis, sicut ex illo Hierony. Hæc est fides 24.q.1. & ex cap. quicunque ibidem. Item ex ca. hæresis, & ex ca. hæreticus 24.q.3. ubi nulla mentio fit de pertinacia. ergo uidetur quod pertinacia non pertineat ad diffinitionem hæretici.

Cap. XV. In quo respondetur obiectionibus præmissis.

HIS autem respondere per facile est si quis iam per nos in expositione descriptionis proprie hæretici notata memorari uoluerit & quæ magister Alexan. de alijs in 2. suo super sententias ponit. Dicit enim quòd nomen hæretici aliquando sumitur communiter, aliquando proprie, aliquando propriissime. Cómuniter cum dicitur quòd hæreticus potest dici quicunque scripturam sanctam aliter intelligit quam spiritussanctus efflagitat iuxta Hiero. in cap. hæres. 24.q.3. Proprie autem hæreticus dicitur quicunque alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusq; sui gratia falsas uel nouas opiniones gignit uel sequitur, ut diffinit Aug. in ca. hæreticus 24.q.3. Propriissime autem dicitur hæreticus cum superadditur ipsa pertinacia in defendendo falsitatem uel impugnando ueritatem. Quo habito respondendum est ad singulas obiectiones. Ad primā cum arguitur, quòd secte, & hæreses fuerunt etiam in Iudæis &c. respondetur, negando consequentiam. Dicimus enim quòd licet de ratione hæretici communiter dicti prout ualet hæreticus dicitur sicut in primo cap. diximus, omnis qui ab aliorum communi disciplina diuisus propriam opinionē siue sectam constituit, non sit ut Christianam religionem susceperit, sed solum ꝙ prius fuerit aut Iudæus aut pharisæus, est tamen de ratione hæretici in Christianis. Nā ut supradictum est dicit sanctus Tho. ad hoc ꝙ quis proprie censendus sit hæreticus oportet ꝙ prius Christianam religionē susceperit. Ad secundā cum arguitur. Omnis qui non tenet fidei articulos &c. respondetur ꝙ assumptum est uerum loquendo de hæretico largo modo sumpto, sicut in ca. 12. non aūt de hæretico siue proprie siue propriissime dicto de quo noster sermo est. Ad tertiā cum arguitur ꝙ non uidetur possibile &c. respondetur negando hoc assumptum: quoniam stant simul ꝙ aliquis credat fidē Christianā absolute esse uerā & nihilominus aliquid quod pertinet ad fidē Christianam quod tamē ipse non credat ad ipsam pertinere teneat esse falsum. Sicut etiam patet in exemplo proposito, si quis negaret sortem esse hominem. Ad quartam cum arguitur. Qui discredit unum articulum fidei respondetur quòd licet qui discredit unum articulum fidei nō habeat de alijs articulis fidem, habet tamen opinionem quandam secundū propriam uoluntatem, ut dicit sanctus Thom. in 2.2. quæstione lib. ar. 3. Et

Ad primū arg.

Ad secundum

Ad tertiū

Ad quartum

Et hoc modo loquendo intelligitur id quod dictum est in particula illa diffinitionis quòd Christi fidem sit profitens in generali, non quidem per fidei habitum quia hoc non posset stare cum pertinaci errore alicuius articuli, sed ꝙ aliquo modo teneat, scilicet iudicio proprie uoluntatis, & hoc est bene possibile. Ad quintam rationé cum arguitur de diffinitione beati Aug. respondetur negando consequentiam. Dicimus enim ꝙ utraque diffinitio sit bene posita. Et cum arguitur primo ꝙ multi sunt qui habent opinioné contrariam catholicæ fidei qui nullius commoditatis temporalis gratia mouentur. Respondetur primo iuxta magistrum Alexandrum de alis in secundo ꝙ Aug. non ponit id quasi essentiale sit hæretico, sed ponit id quod frequentius accidit. Frequenter enim accidit ꝙ hæretici hoc faciunt istis de causis. Iuxta tamen sanctum Tho. in 4. dist. 13. ita respondetur ꝙ illi qui hæresim confingunt de nouo constat ꝙ aliquod commodum expectant saltem principatum, uolunt enim habere sequaces, hoc etiam in omnibus ex superbia procedit quæ est amor proprie excellentiæ ꝙ a communi uia discedunt aut leuitate aut peruersitate. Ad id uero quod dicitur. Non omnes sequuntur nouas opiniones, respondetur iuxta sanctum Tho. ubi supra. ꝙ omnis opinio quæ non habet initium a doctrina Christi quæ est fundamentum, noua reputatur quantumcunque secundum tempus sit antiqua. Vel dicendum ꝙ Aug. loquitur quantum ad primos hęresum inuentores. Ad sextam respondetur ꝙ descriptio illa intelligitur de opinione quam manifeste constat contrariari catholicæ ueritati, licet autem omnes ueritates contente in sacra scriptura tam ille quas omnes fideles explicite credere tenẽtur quàm aliæ plurimę quas non omnes fideles credere tenentur sint ueritates catholicæ, non tamen est notum omnibus omnes illas esse ueritates catholicas nec hoc scire tenentur præter ea quæ ad articulos fidei pertinent, sed tantum cum ostenditur eas in sacra scriptura contineri. Dicimus ergo ꝙ oés qui tenent pertinaciter aliquid quod eis constat contrarium esse dictis sacræ scripturæ quodcunq; sit illud sunt hæretici dicendi. Secus auté est cum quis sine pertinacia tenet contrarium huius quod in sacra scriptura continetur de numero eorũ quæ explicite credere non tenetur nesciens ꝙ oppositũ eius quod tenet in sacra scriptura contineatur, sicut infra plenius enucleabimus. Quod uero arguebatur de opinionibus quæ nondũ per ecclesiã sunt diffinite non est ad propositum, quia in illo casu nescitur quæ sit catholica ueritas. Ad septimam cum arguitur de Simoniacis, respondetur iuxta sanctum Tho. ubi supra ꝙ Symoniaci non dicuntur uere, hęretici, sed per similitudiné quandam, quia sicut hæreticus contra fidem sentit, ita Symoniachus operatur ac si cõtra fidé sentiret dum pręcio uult sacra adipisci uel dare ac si æstimaret donum spiritussancti pecunia possideri. Ad octauã cum arguitur ꝙ particula de pertinacia sit superflue posita, respondetur ꝙ hoc sit falsum. Et cũ arguitur ꝙ in diffinitionibus assignatis per sanctos patres non sit aliqua mentio de pertinacia, respondetur dupliciter. Primo iuxta distinctionem superius positam magistri Alexandri uidelicet ꝙ in illis diffinitionibus non est diffinitum nomen hæretici propriissime ut nunc loquimur, sed communiter aut proprie ut distinguitur contra propriissime. Secundo respondetur & melius quod licet in diffinitionibus præfatis non expresse ponatur pertinacia, intelligitur tamen cum sit de essentia eius ut supra satis aperte ex auctoritatibus beati Aug. ostendimus.

Ad quintum

Ad sextũ

Ad septimum

Ad octauum

Cap. XVI. Quid sit pertinacia, & de uiginti modis quibus aliquis præsumitur pertinaciter errare contra fidem.

QVONIAM pertinacia in errore, ut diximus est quæ maxime constituit aliquem hæreticum, utile duximus describere quid sit pertinacia, & assignare modos per quos debeant catholici aliquem contra fidem errantem tanquam pertinacem habere, & quomodo de pertinacia in iudicio possit quis conuinci. Circa primum notandum ꝙ ut san. Tho. deducit in 2.2.q.138.ar.2. declarans qualiter pertinacia, & molicies contrarientur perseuerantiæ. Petinax ut dicit Isid. li. Ethimo. dicitur qui est impudenter tenens quasi per omnia tenax. Et hic idem dicitur pertinax eo quòd in proposito suo ad uictoriam perseuerat. Antiqui enim dicebāt Naciā quam nos uictoriam. Et hos philosophus uocat 7. Ethi. Ischyriomones. i. fortis sententiæ uel Idionomones, id est proprie sententiæ, quia s. perseuerant in propria sententia plus quàm oportet, mollis autem minus quàm oportet. Vnde patet ꝙ perseuerans laudatur sicut in medio existens. pertinax autem uituperatur sicut secundum excessum medii. molis aūt secundum defectum. hec S. Tho. Ex quibus primo habetur ꝙ pertinacia semper est uiciū, & in malo sumitur. unde Tul. in sua Rhetorica dicit ꝙ ita se habet pertinacia ad perseuerantiā sicut superstitio ad religionem. Et papias etiā assignās differentiā inter perseuerantiā, & pertinaciā dicit ꝙ perseuerantia in uirtute est, pertinacia uero in uicio. Secundo habetur ꝙ pertinacia posset sic describi in proposito nostro. Pertinacia est impudens persistentia in proprio errore. Alii uero diffiniunt pertinacē sic. Pertinax est qui persistit in eo quod de necessitate debet dimittere uidelicet in errore uel dubitatione. Circa secundum notandum ꝙ modi plures ponuntur ab aliquis doctoribus & ab ocham in dialogo suo. Primus autem modus quo quis potest de pertinacia comprehendi est, si facto uel uerbo monstrat se non firmiter credere fidē Christianā esse ueram, & sanam, puta si dixerit fidē Christianā esse falsam uel dubiā, uel ad sectam aliam puta Iudæorū uel Saracenorū se cōuertat, de tali enim licet cuilibet iudicare ꝙ pertinaciter errat. Secundus modus conuincendi aliquem de pertinacia in errore circa fidem est, si quis dicit aliquam partē noui aut ueteris testamenti falsum aliquid asserere uel non recipiendā esse talis enim quicunque sit est pertinax hæreticus iudicandus nisi forte fuerit adeo simplex quòd nesciat quid per nouum, & uetus testamentum importetur, & seductus ab aliis dicat nouum uel uetus testamentum uel aliquam partem recipi non debere, firmiter tamen credens totā fidem ecclesiæ esse recipiendā. Tertius modus conuincendi de pertinacia est, si quis credit aut teneat uniuersalē ecclesiam errare uel errasse. Quartus modus conuincēdi est si quis Christianus capax rationis negat quamcunque ueritatem catholicam quæ apud omnes catholicos fideles cum quibus conuersatns est tanquam catholica diuulgatur, & a prædicantibus uerbum Dei publicæ prædicatur, sicut de ista Christus fuit Crucifixus, & de similibus. Quintus modus cōuincendi de pertinacia est, cum quis negat aliquam assertionem quā scit in scriptura diuina uel determinatione ecclesiæ contineri. Sextus modus conuincendi errantes de pertinacia est, cum quis scienter negat do-

ctrinam sanctorum. Septimus modus conuincendi de pertinacia est, cum quis correctus legitime ostenso sibi quòd error suus catholicę obuiat ueritati se non corrigat nec emendat suam uidelicet hæresim reuocando. Hoc ex uerbis Aug. in ca. Qui in ecclesia 24.q.3. aperte colligitur. Octauus modus errantem de pertinacia conuincendi est, si quis alios ad suum pertinaciter errorem defendendum præceptis comminationibus pœnis promissionibus iuramentis uel alio quouis modo artare molitur. Patet: quoniam si ut inquit Leo papa extra de hære. cap. Qui alios. Qui alios cum potest ab errore non reuocat, seipsum errare denunciat. multomagis qui compellit alios hæresim pertinaciter defensare uel hæresi pertinaciter adhærere est pertinax hæreticus iudicandus. Nonus modus conuincendi de pertinacia aliquem errantem est, si aliquam ueritatem catholicam abiurare pœnis minis uel præceptis aut ueritatem catholicam negare, compellit. patet ex præcedenti. Decimus modus conuincendi de pertinacia quempiam est, cum quis abiurasse reperitur catholicam ueritatem uel iurat se quamcunque assertionem quæ est in rei ueritate hæretica, tanquam catholicam in perpetuum seruaturum. Vndecimus modus conuincendi errantem de pertinacia est, si quis impedit ueritatem catholicam defensantes aut prauitatem hæreticam impugnantes. Duodecimus modus conuincendi errantem de pertinacia est, si errans contra fidem catholicam correctioni, & emendationi illius uel illorum cuius uel quorum interest subiicere se recusat. Tertiusdecimus modus cōuincendi est, si quis reprehensus a peritis de aliquo errore contra fidem, renuit de ueritate informari. Decimusquartus modus conuincendi est si quis uerbis uel factis protestatur se assertionem suam quæ est hæreticalis minime reuocaturum. patet: quia talis non est paratus corrigi, & per consequens pertinax est censendus. Decimusquintus modus est, si quis in fauorem hæreticæ prauitatis prohibet legi scripturas catholicas prædicari uel publicari catholicas ueritates. patet, quia talis manifestus est defensor hæreticæ prauitatis, & catholicæ ueritatis offensor. Decimussextus modus est, cum quis in defensionem hæreticæ prauitatis nouos errores fingit, & defendit. patet quia talis non est paratus corrigi nec quirit cauta solicitudine ueritatem. ego pertinax est censendus. Decimusseptimus modus conuincendi specialiter papam de pertinacia in hæretica prauitate est, si errorem diffinit solenniter, & a Christianis asserit tan quam catholicum esse tenendum. patet: quia talis artans alios ad errorem pertinaciter defendendum est pertinax reputandus. Decimusoctauus modus est, cum quis præfatæ diffinitioni hæreticæ prauitatis facto consentit consulendo cooperando inducendo, uel diffiniendum esse taliter asserendo. patet: quia facientes, & consentientes iuxta canones par pœna constringit. Decimusnonus modus conuincendi errantem aliquem pertinacem est, si quis inferior summo pon. aliquam assertionem hæreticam per sententiā diffinitiuam determinet esse tenendam, iniungens aliis, & imponens quòd ipsam sentiant, & reputent esse catholicam, quicunque enim tali determinationi consenserit pertinax, & hæreticus uidetur esse censendus, sicut patet ex præcedentibus. Vigesimus modus conuincendi errantem de pertinacia est, si quis potestatem habens prauitati hæreticæ non resistit. patet per illud Hiero. in cap. error di. 83. Error cui non resistitur approbatur. Qui autem errorē approbat uidetur pertinax iudicandus, ergo qui errori non

resistit cum potest pertinax est censendus. Item Leo papa & habetur extra de hære.ca. Qui alios, ait. Qui alios cum potest ab errore non reuocat seipsum errare demonstrat, & in cap. Facientis distinctio.86. dicit Ioan. papa Facientis proculdubio culpam habet qui quod potest corrigere negligit emendare. Præterea est circa hoc aduertendum quòd pertinacia non est tantum iudicanda ex actu exteriori, utputa quòd solus reputetur pertinax qui uerbis aut scriptis aut factis contra catholicam ueritatem resistit aliquo modorum iam expositorum, uerumetiam uidetur contumax contra apertam, & prædicatam catholicam ueritatem qui in ecclesia latenter in errore diu persistit uel usque ad mortem. Talis enim cum nouerit talem errorem esse damnatum per ecclesiam excusari non potest per ignorantiam, cum magis per obstinatam malitiam persistere in errore uideatur. Et ideo ecclesia tales quos reperit contra catholicam ueritatem in errore usque ad mortem perseuerasse tanquam hæreticos præsumit iudicat, & punit.

Cap. XVII. De auditoribus diuersorum magistrorum tenentium contrarias opiniones, an excusantur a peccato opiniones eorum sequendo, etiam si sint contra ueritatem catholicæ fidei.

QVONIAM non paruus scrupulus nascitur apud multorum animos. An doctoribus sentientibus contraria possit homo secure quãcunque illorum opinionem sequi. Ideo super hoc uisum est nobis merito aliquid esse dicendum. Quia autem dicit August. lib.2. de prædestinatione sanctorum interest inquantum, & in quibus rebus erretur, & quam facile se quisquam corrigat uel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem, ideo ad plenum respondendo quæstioni proposite multiplici opus est consideratione. Prima quidem consideratio est de materia circa quam est uarietas opinionum inter doctores. Secunda de ipsorum doctorum opinantium conditionibus. Tertia de efficacia rationum, & fundamentorum quibus ipsi doctores astruunt suas uarias opiniones. Quarta est de ipsorum auditorum qualitatibus. Quinta de modo adhærendi auditorum uariis opinionibus ipsorum doctorum. Primo ergo consideranda est materia circa quam est uarietas opinionum inter doctores, quia uel est materia ad fidem, & ad bonos mores pertinens uel non, sed est circa alias facultates, puta de geometricalibus aut logicalibus, & similibus, circa quæ nihil eorum interest ad fidem utrum sic uel aliter se habeant. Si sit materia ad fidem pertinens, & ad bonos mores tunc distinguendum est quia aut ea quæ ad fidem pertinent, & ad bonos mores expresse habentur in sacra scriptura uel etiam auctoritate uniuersalis ecclesiæ sunt manifeste exposita fidelibus ad credendum, aut sunt talia quorum nec expressum testimonium ex sacra scriptura habetur, nec doctrina ecclesiæ uniuersalis aliquid de eis expresse docet. Qua consideratione habita sit ista prima conclusio. In materiis nõ pertinentibus ad fidem nec ab bonos mores sine peccati periculo quantum est ex parte materię possunt auditores utramque opinionem sequi magistrorum. Ista conclusio patet, quia in talibus, ut inquit

Quinque considerationes notandæ.

Prima cõsideratio.

Prima cõclusio primę cõsiderationis.

quit sanctus Tho. cuius est præfata conclusio quotlibeto 3.art.10.habet locum quod dicit Apostolus. Vnusquisque in suo sensu abundat. Notantur dicimus quantum est ex parte materiæ opinionum quia ex parte intentionis bene potest ibi quis peccare utputa ex inordinatione affectus, ut si ex inuidia odio amore precio, uel ex inordinata affectione potius sequeretur unam opin.quam aliam. Si uero materia circa quam est uarietas doctorum pertineat ad fidem & bonos mores primo modo dicto, ualet quòd expresse habeatur in sacra scriptura, est adhuc distinguendum iuxta sanct. Thom. tam in 2. 2. quàm in quæstionibus de ueritate, quòd ad fidem pertineat aliquid dupliciter. Vno modo directe & principaliter, sicut sunt ea quæ sunt in articulis fidei explicata, & de talibus sit ista conclusio secunda.

In his quæ sic principaliter pertinent ad fidem catholicam nullus rationis capax excusatur a peccato si opinionem erroneam alicuius magistri sequatur. Ista conclusio est beati Tho.in quotlibeto supra nominato. in talibus enim inquit ignorantia non excusat, alioquin qui secuti sunt opin. arrii & Nestorii & aliorum hæresiarcharum essent excusati. Neque possunt habere excusationem propter simplicitatem si in talibus opi. erroneam sequantur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus, sed potius ut dicit Augu.3. de doctr. Christiana, consulere debet quis regulam fidei quam de scripturarum planioribus locis & ecclesiæ auctoritate percepit. Concludit ergo sanctus Thom. ubi supra. Qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium siue contra id quod publice tenetur secundum ecclesiæ auctoritatem non potest ab erroris uicio excusari. Si uero materia circa quam est uarietas magistrorum sit de pertinentibus ad fidem indirecte & secundario quæ explicite credenda omnibus non proponuntur sit ista conclusio tertia. Absq; peccati periculo potest quis tenere contrarium quod expresse habetur in canone sacræ scripturæ, ut quòd Abraham non habuit duos filios, aut quòd Dauid nõ fuit filius Isai & similia. Patet conclusio, quia cum talia non teneatur quis explicite credere, sed solum implicite, ut scilicet paratus sit credere quicquid in diuina scriptura continetur, sed tunc solum tenetur explicite credere quando ei hoc in doctrina fidei constiterit contineri. Interim uero ꝙ non constat cum credere explicite non teneatur potest aliquis sine periculo contrariam opinionem absque tamen pertinacia tenere & sequi. Si uero ea quæ pertinent ad fidem sint talia quorum nec scripturæ sacræ testimonium expressum habetur nec expressa uniuersalis ecclesiæ doctrina de eis aliquid docet, quanquam includatur in his quorum explicita fides necessaria est omnibus fidelibus sit ista quarta conclusio. In talibus absq; periculo peccati potest quis sequi opinionem alicuius magistri contrariam ueritati fidei, dum tamen facta determinatione doctrinam amplectatur ecclesiæ. Hæc conclusio est sancti Thom. in 2. 2. q. 11. ar. 2. Et ratio sancti Thomæ est, quia tales pro illo tempore non habent electionem contradicentem ecclesiæ doctrinæ. Si autem postquàm essent auctoritate uniuersalis ecclesiæ determinata quis tali determinationi ecclesiæ repugnaret hæreticus censeretur. Secunda consideratio principalis est de doctorum diuersa opinantium conditionibus scilicet quales sint si famosi si experti in facultate sua, si moribus graues si iudicio humiles, ut magis delectentur sequi sanctorum patrum doctrinas quàm proprias adinuenciones & fanta-

Secunda

Tertia

Quarta

Secunda consideratio

Quinta conclusio ftas, secundum hanc considerationem potest esse ista quinta conclusio. Nõ uidetur esse omnino immunis a peccato qui in materiis fidem tangentibus nõ nititur sequi opinionem magistrorum magis doctorum & celebrium ac expertorum in facultate sua & qui in moribus grauiores existunt: quoniã alia uidetur habere locum uerbum euangelii. Si cecus ceco ducatum præstat ambo in foueam cadunt. debent enim quilibet in huiusmodi materia magistrorum diuersa opinantium animum suum conformare regulariter doctoribus qui sanctorum patrum doctrinis magis soliti sunt adhærere. unde Eccl. 8. dicitur. Ne despicias narrationem presbyterorum id est doctrinam seniorum doctorum, & in prouerbiis eorum conuersare, id est secundum eorum doctrinam uiue. ab istis enim disces sapientiam scilicet diuinorum, cuiusmodi sunt credibilia, & doctrinam intellectus quæ est bonorũ morum in quibus uita fidelium est adornanda. Ceterum consideranda est quantitas discreta magistrorum, quot uidelicet sint doctores pro una opinione, quot pro alia, quia probabilius est ceteris paribus ueriorem esse illam in quam plures magistri docti concurrũt quàm illam quam unus aut pauci sequuntur sicut de sententia dicitur quæ plurium iudicio roboratur, dist. 69. si transitus, & extra de elect. c. Licet unde Eccl. 6. dicitur. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde cõiungere. secundum quam considerationem fit ista conclusio sexta. Non

Sexta conclusio uidetur immunis a peccato qui in tangentibus fidem ac bonos mores relicta opinione plurium magistrorum sequitur opinionem unius, aut paucorum ceteris paribus. Conclusio patet ex dictis, & colligitur ex dictis beati August. lib. de doctrina Christiana, & habetur in ca. In canonicis distin. 19. ubi ait. In his uero scilicet scripturis quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas quas plures grauioresq; accipiunt eis quas pauciores minorisq; auctoritatis ecclesia tenet.

Tertia cõsideratio Tertia consideratio est habenda circa motiua & fundamenta quibus doctores suas opiniones fundare ac fulcire nituntur, quæ consideratio merito est habenda. Tum quia in rebus dubiis non de facili est præstandus assensus. unde Eccl. 19. dicitur. Qui cito credit leuis est corde. Tum quia ea præstantiori ratione aut efficaciori motiuo fulcita sunt cum sint maioris auctoritatis aliis præferenda ueniunt. Vnde in opinione utrum raptor possit contrahere cum rapta, beatus Hieron. præfertur opinioni concilii aquisgrani dicentis quòd non, ut patet in cap. Placuit 36. q. 2. Et hoc quia ut dicit glo. beatus Hierony. roborat opinionem contrariam auctoritate ueteris testamenti & auctoritate concilii melden. & ita statur sententiæ beati Hiero. Hinc monaldus in prologo summæ suæ dicit, quòd non generatur aliquando præiudicium erga ueritatis sententiam, cum inter opiniones diuersas quæ a magistris & probatis doctoribus scriptis autenticis annotatas illam opinionem quis amplectitur quæ sibi magis consona uidetur rationi Item Host. extra de cog. spi. super cap. Sed uir. dicit, quòd ubi sunt diuersæ opiniones & diuersa iura semper humanior est præferenda id est rationabilior & equior, extra de transla. cap. fi. ubi uero utraque humana est, standum est illi quæ meliori innititur rationi. extra de fer. c. Capellanus, secundum quam considerationem posset

Septima conclusio poni talis septima conclusio. Quòd culpandus uenit qui absque huiusmodi inuestigatione diligenti & ponderatione rationum & motiuorum quibus doctores suas uarias fundant opiniones leuitate quadam animi amplectitur opinio-

opinionem contrariam ueritati fidei. Patet conclusio: agit enim contra illud Iob 29. Causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam. Et Ambr. li. de paradiso dicit. Nemo debet se alteri credere nisi cuius uirtutem probauit. Quarta consideratio habenda est circa qualitates auditorum. Circa quos considerandum est, quòd non omnes æqualiter tenentur habere fidem explicitam, nec omnes sunt eiusdem capacitatis ad discernendum conditiones & differentias magistrorum diuersorum diuersa opinantium siue docentium, & ad ponderandum robur & uirtutem ac efficaciam motiuorum siue rationum quibus præfati magistri suas fundãt opiniones, sed sunt plures eorum ualde simplices qui bona simplicitate adhærẽt doctrinæ suorum maiorum, credentes in omnibus bene credere in quibus ab illis informantur. De quibus Iob 1. dicitur. Boues arabant & asinæ pascebantur circa eos, quia uidelicet minores qui significantur per asinas debent in credendis adhærere maioribus qui per boues significantur, ut Greg. exponit 1. moralium secundum quam considerationem ponitur ista octaua conclusio. Quòd simplex homo sequens opinionem alicuius magistri contrariã fidei non ueniet culpãdus ubi ueniret alius intelligens, aut superioris status & conditionis. Conclusio patet ex dictis. Verum ne ex hoc quod dictũ est, quòd minores habent fidem implicitam in fide maiorum uideatur aliquod periculum aut præiudicium fidei minorum generari cum contingeret maiores ipsos siue magistros errare, est notandum iuxta sanctum Tho. in 2. 2. q. 2. ar. 6. quòd minores non habent fidem implicitam in fide maiorum nisi quatenus maiores adhærent doctrinæ diuinæ. Vnde & apostolus dicit 1. ad Cor. 4. Imitatores mei estote sicut & ego Christi, cum humana cognitio non sit regula fidei, sed ueritas diuina, a qua si quis maiorum deficiat non præiudicat fidei simplicium qui eos rectam fidem habere credũt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra uniuersalis ecclesiæ fidẽ, quæ deficere non põt dicente domino Luc. 21. Ego pro te rogaui petre, ut non deficiat fides tua. Quinta consideratio habenda hæc est circa modum adhærendi auditorum opinionibus magistrorum opinantium contra ueritatem fidei in his quæ nec scriptura sacra expresse habentur, aut si habentur non pertinent directe & principaliter ad fidem, nec uniuersalis ecclesiæ auctoritate diffinita fidelibus credenda reperiũtur exposita. Est.n. quidam modus adhærendi cum pertinacia. Alius modus adhærendi est sine pertinacia, uidelicet cum animi præparatione tenendi cõtrariũ si contrariũ uerum esse sibi ostensum fuerit, aut ratione aut auctoritate scripturæ sanctæ, aut auctoritate uniuersalis ecclesiæ. De quorũ uarietate modorum plura sunt dicta superius. Sic ergo iuxta istam consideratione 9. conclusio. Qui pertinaciter adhæret opinioni alicuius magistri contrariæ catholicæ ueritati errat & errando peccat & hæreticus censendus uenit. Ista conclusio est beati Aug. contra manichæos. & habetur 24. q. 3. c. Qui in ecclesia, ubi ita ait. Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid prauumq; sapiunt, si correcti ut sanum rectumq; sapiant resistunt contumaciter suaq; pestifera atque mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt hæretici sunt. Decima conclusio. Adhærere sine quacunque pertinacia opinioni alicuius magistri contrariæ ueritati fidei in his materiis fidei de quibus in principio considerationis huius fecimus mentionem nullum potest esse peccatum. Hæc conclusio ex sententia beati Augustini

Quarta consideratio

Octaua conclu[sio]

Quinta consideratio

Nona conclusio

Decima conclusio

colligitur, qui ut habetur in c. Apostolus 24.q.3. ita inquit. Si qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine ueritatem corrigi parati cum inuenerint nequaquã sunt inter hæreticos computandi. hæc Aug. Et hæc de præsenti quæstione saluo semper meliori iudicio dicta sunt, maxime quia doloribus podagre laborantes illud taliter qualiter expleuimus.

Cap. XVIII. In quo inuestigatur an omnis prælatus ecclesiasticus siue sit papa siue quicunque alius ipso facto quòd factus sit uere, & proprie hæreticus sit prælatione priuatus.

CVM autem iuxta canones sacros hæreticus quadrupliciter puniri dicatur, uidelicet excommunicatione, depositione, rerum ablatione, & militari persecutione, duximus hic merito disputandum an prælatus ecclesiasticus siue sit papa siue quicunque alius inferior prælatus factus hæreticus pertinax sit ipso facto iure & potestate prælationis priuatus. Et circa hoc reperimus duos modos extremos dicendi. Quidam enim dicunt quòd sic, quidam quòd non. Primi uero dicentes quòd prælatus siue papa siue quicunque alius inferior factus hæreticus siue manifestus siue occultus est ipso facto prælatione & potestate iurisdictionis priuatus, nituntur opinionem suam ueram ostendere & roborare primo auctoritatibus sacræ scripturæ & ita iure diuino. Secundo auctoritatibus sacrorum canonum siue sanctorum patrum, & ita iure humano. Tertio efficacia rationum. Pro primo inducunt decem auctoritates sacræ scripturæ quibus præcipitur, ut hæretici omnes indifferenter uitentur non sustineantur non admittantur ad societatem fidelium, sed profugentur siue interficiantur, arbitrantes quòd talia uniuersaliter contra omnes indifferenter hæreticos non fuissent diuina lege sancita si prælati facti hæretici manerent adhuc prælati, maxime cum dominus dicat de malis prælatis bonis tamen quò ad doctrinam Math. 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint uobis seruate & facite, secundum opera autem eorum nolite facere. Et apostolus ait ad Heb. 11. Obedite præpositis uestris non tantum modestis, sed etiam discholis. Prima sacræ scripturæ auctoritas est illa Deuter. 17. Eum constitues quem dominus Deus tuus elegit de numero fratrum tuorum glo. interli. Non de aliena secta. Sequitur. Non poteris alterius gentis hominem regem facere qui non sit frater tuus. Ex qua auctoritate uidetur quòd sicut ex lege populus non poterat habere regem in temporalibus qui non esset de numero filiorum Israel, ita populus Dei non posset habere prælatum & rectorẽ in spiritualibus qui non esset de numero fidelium Israel enim interprætatur uidens Deum. Secunda auctoritas est illa Deuteron. 18. Propheta autem qui arrogantia deprauatus uoluerit loqui in nomine meo glo. inter lin. ut sibi credatur quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum interficietur. Ex quo uidetur quòd quicunque nullo

Prima uia primæ opinionis

excepto

excepto uisus fuerit de uia domini & ueritate & catholica fideles auertere sit de medio fidelium auferendus. Tertia auctoritas est illa nume. 16. Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent ne inuoluamini peccatis eorum. Quarta auctoritas est illa Math. 5. Vos estis sal terræ, quòd si sal euanuerit gl. i. doctor errauerit. in quo salietur. gl. i. populus firmabitur. ad nihilum ualet ultra nisi ut mittatur foras, glo. ab officio docendi uel ecclesia. Quinta auctoritas est illa Math. 24. Surgent pseudo prophetæ & pseudo Christi & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur etiam electi si fieri potest, si ergo dixerint uobis, ecce in deserto est nolite exire, &c. Sexta auctoritas est illa Luc. 21. Multi uenient in nomine meo dicentes, quia ego sum & tempus appropinquabit, nolite ergo ire post illos. Septima auctoritas est illa 2. Thes. 3. Denunciamus uobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate & non secundum traditionem quam receperunt a uobis, glo. in nomine Iesu Christi. i. per Iesu Christi auctoritatem præcipimus. Octaua auctoritas est illa ad Gala. 1. Si quis (generaliter scilicet quicunque sit ille) euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Nona auctoritas est illa ad Ty. ult. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita sciens quia subuersus est qui huiusmodi est & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Decima auctoritas est 2. Ioan. 2. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert nolite eum recipere in domum nec aue ei dixeritis, qui enim illi dixit aue communicat operibus eius malignis. Ex quibus omnibus dicunt haberi manifeste quòd hæretici sunt omnino fugiendi & uitandi auctoritate diuinæ scripturæ & per consequentia quòd prælati facti hæretici ipso facto prælatione ecclesiastica & honore sunt priuati, quia alias si prælati manerent honor reuerentia, & obedientia deberetur eis & non contraria eis exhiberi præciperentur. Secunda uia ualet auctoritatibus sanctorum patrum idem sic probare nituntur. Primo sic, dicit beatus Cyprianus in quadam epistola & habetur 7. q. 1. in ca. nouatianus, quòd qui nec unitatem spiritus nec communionem pacis obseruat, & se ab ecclesiæ uinculo atque sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere nec honorem. Secundo ad idem inducunt quod Inno. papa ait, & habetur in c. hæretici 24. q. 1. ubi dicitur quòd hæretici dum a fide catholica destiterint perfectionem spiritus quam acceperunt amiserunt. perfectio autem spiritus uidetur hic nominari potestas spiritualis ecclesiæ. Tertio ad idem inducunt quod beatus Ambr. dicit, & habetur in c. qui dignior. ita dist. Si uero præceptor hæreticus deformet habitaculum uitanda hæreticorum communio fugienda synagoga censetur. Quarto ad hoc est Beda super Math. & habetur in c. Quicunque. Quicunque ab unitate fidei uel societatis Petri apostoli quomodolibet seipsos segregant tales nec a uinculis peccatorum absoluunt, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi, ubi uidetur quòd hæreticus sit priuatus ligandi & absoluendi potestate. Quinto ad idem inducitur beatus Cyprianus in c. Didicimus, qui ait. Didicimus omnes omnino hæreticos & scismaticos nihil habere potestatis atque iuris. Sexto ad idem est cap. Achatius 24. q. 1. ubi dicit Gelasius, quòd quicunque in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit, ubi glo. inquit. Hic est casus in

Secunda uia eiusdē

quo papa papam ligare potest, in quo papa in canonem late sententiæ incidit. Nec huic obuiat regula illa, par parem soluere, uel ligare non potest, quia si papa hæreticus est in eo quia hæreticus est minor est quolibet catholico 12. q. 1. scimus. §. promulgator, quia lex factum notat etiam sine sententia, ut ff. de ritu nupt. l. palam. §. ult. Septimo ad idem est idem in c. 2 Achatius. §. si ergo, ubi sic dicit. Si ergo episcopus ille in hæresim damnatam lapsus est antiqua excommunicatione damnatus alios damnare non poterit excommunicatus enim alios excommunicare non ualet. Octauo ad idem est cap. Audiuimus, ubi sic dicitur. Si autem in corde suo nouam hæresim confinxerit ex quo talia prædicare cepit neminem damnare potuit, quia non potest deiicere quenquam iam prostratus. Nono ad idem est quod in eodem cap. in fine legitur, ubi sic dicitur. Liquidum constat eum qui ab integritate catholicæ fidei recedit maledicendi & benedicendi potestatem minime habere, utpote se superiorem maledicere non ualet in alienum a fide tanquam sibi equalem sententiam dare non potest. Tertia uia scilicet rationibus præfatorum doctorum opinio multipliciter roboratur. Primo sic. Ecclesia & eius iurisdictionis auctoritas fundata est super fidei petram. unde confitenti Petro & dicenti ad Christum. Tu es Christus filius Dei uiui, ait Christus Petro. Super hanc petram glo. i. fidei confessionem ædificabo ecclesiam meam. Et sequitur. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. ergo sequitur quòd quicunque cadit a fidei petra cadat ab omni honore prælationis ecclesiæ. consequentia uidetur necessaria: quoniam sublato fundamento necesse est ruere quæ super illud fundata sunt. Ista est ratio domini Vlrici in sum. sua theologiæ, qui uidetur esse opinionis præfatæ. Vnde li. 6. tractatu 4. c. 22. dicit, quòd stabilis manet auctoritas papæ quamdiu in petra quæ est Christus fundatur, & hoc fit etiam per informen fidem qua sola manente non habet iudicem superiorem a quo iudicari possit. Et infra. Si uero per infidelitatem a petra in qua auctoritas Petri solidatur remotus fuerit tunc necesse est sublato fundamento ruat, non autem potest de hoc crimine etiam si nó est notorium accusari & condemnari 40. dist. c. Si papa. hæc ille. Ex quibus manifeste datur intelligi quòd ipso facto quòd a petra Christo cadit papa, cadit ab auctoritate. Secunda ratio est. Claues sunt date ecclesiæ, ut ait Aug. super Ioan. & habetur in ca. Quodcunque 24. q. 1. Petrus quando claues accepit ecclesiam significauit: ergo existens extra ecclesiam non habet eas. consequentia est beati Ambr. in pastorali suo, & habetur de pœ. dist. 1. §. nemo ubi ita ait. Dominus par ius & soluendi esse uoluit & ligandi. Et infra. Certum est quòd ecclesiæ utrunque licet, hæresi utrunque non habet. Ius enim hoc solum permissum est sacerdotibus. Recte ergo ecclesia hoc uendicat qui ueros habet sacerdotes, hæresis uendicare non potest quæ sacerdotes Dei non habet. hæc ille. Item hoc idem argumentum ponitur in ca. Audiuimus 24. q. 1. ubi sic habetur. Ligandi namq; & soluendi potestas ueris non falsis sacerdotibus a domino traditur. apostolis enim dicturus. Quorum remiseritis peccata &c. præmisit. Accipite spiritumsanctum, ut euidenter cunctis ostenderet eum qui spiritumsanctum non habet peccata nó posse tenere, uel remittere. Porro spiritumsanctum nemo nisi intra ecclesiam accipit. hæc ibi. Tertia ratio. Hæreticus est ab ecclesiæ corpore separatus: ergo ipso facto quod est hæreticus est priuatus honore & ptãte ecclesiasti-

Tertia uia 1. opi.

etæ iurisdictionis siquam habuit.antecedens est manifestũ, quia cum ecclesia dicitur collectio fidelium, ut in c.Ecclesia de conse.dist.1. Quicunque a fide Christi se diuidit a corpore Christi quod est ecclesia necessario diuisus & segregatus est censendus,consequentia uero illa patet. Tum ratione, quia membrum a corpore separatum priuatũ est omni uitali uirtute & sensu ac motu.Tum auctoritate beati Cypriani qui eadem ratione utitur in c. Nouatianus 7.q.1.ita di.Qui nec unitatem spiritus nec coniunctionem pacis obseruat & se ab ecclesiæ uinculo & sacerdotũ collegio separat,episcopi nec ptãtem pót habere nec honorem. In hac ẽt rõne fundatur beatus Tho. in 2.2.q.39.ar.3.ꝙ in hæreticis & scismaticis potestas iurisdictionis nó manet ẽt secundum substantiam.unde nó possunt absoluere nec excóicare, nec indulgentias facere nec aliquid huiusmodi, quod si fecerint nihil est actũ. hæc sanctus Tho.Cui sententiæ alludit aperte c.Audiuimus 24.q.1. ubi sic habetur. Quicunque ab unitate ecclesiæ quæ per Petrum intelligitur fuerit alienus execrare pót consecrare non potest,excoicationis uel reconciliationis potestatem non habet.Quarta ratio sic.nullus præscisus a corpore ecclesiæ potest esse caput ecclesiæ, cum caput non possit esse extra corpus, sed prælatus factus hæreticus pertinax ipso facto est præcisus a corpore: ergo ipso facto desinit esse caput ecclesiæ.consequentia patet. Ista est ratio Petri de palude in li.suo de ecclesiastica potestate ita dicentis. Formaliter loquendo de papa quando papa labitur in hæresim tunc eoipso præcisus est ab ecclesia & desinit esse papa & tũc deponitur de facto i. ipso facto est depositus non de iure, quia qui non credit iam iudicatus est de iure s. hoc est autem iudicium,quia eoipso ꝙ est hæreticus ab ecclesia est præcisus.Non pót aũt caput a corpore præcisum quãdiu est præcisum esse caput corporis a quo est præcisum.Vnde papa per hoc desinit esse caput corporis ecclesiæ ipso facto ꝙ ab illo per hæresim præciditur, secũdũ illud Deuter.17.Nó poteris alterius generis hominẽ facere regem. unde hæreticus nec pót esse nec manere papa,quia extra ecclesiã existens non pót habere claues ecclesiæ. per peccata aũt alia est caput languidũ & non propter hoc desinit esse caput.unde nec pót per consequens a mẽbris iudicari. hæc do. Petrus de palude. Quinto prælatur ecclesiæ ipso facto ꝙ factur est hæreticus non pót influere amplius in corpus ecclesiæ nec sensum fidei nec motũ operationis sanctæ,patet cũ careat fide quæ principiũ est spiritualis influxus,cũ iustus ex fide uiuat. ad Rom.1.& ipsa sit (ut ait Aug.in de fide ad Petrum) bonorum omnium fundamentum:ergo prælatus eoipso ꝙ factus est hæreticus desinit esse rector & caput corporis ecclesiæ.patet cõsequentia: quia caput dicitur,ut dicit Isido. quòd inde alia membra capiant sensum & motum.Ista ratio est magistri Aug.de anchona in li.suo de ecclesiastica potestate q.1.ar.1.qui ita ait.Capitis est influere uitam omnibus mẽbris.principium autem uitæ spiritualis est ipsa fides,quia sine fide est impossibile placere Deo.Vnde apostolus ad Heb. 11. fidem dicit esse substantiam i. fundamentum rerum sperandarum. si ergo papa depræhenditur deuius a fide caret uita spirituali,& per consequens aliis influere non pót.unde sicut mortuus non est homo, sic papa in hæresi depræhensus non est papa propter quod ipso facto est depositus. hæc ille. Sexto ratio sic. prælatus factus hæreticus eoipso est antichristus. unde 1. Ioan. 4. Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic antichristus est: ergo ipso facto quòd

ſcopali ergo nec de papali . conſequentia patet . antecedens probatur per c.audiuimus 24.q.1.ubi dicitur de epiſcopo hæretico, ſi autẽ in corde ſuo nouam hæreſim confinxit ex quo talia prædicare cœpit neminem damnare potuit. Ex quo ut dicunt euidenter colligitur ꝙ antequam epiſcopus hæreſim prædicet uel doceat damnare ſeu excõicare poteſt, ſed hoc non eſt ſine iuriſdictione. ergo &c. Secundo arguunt de iuda ſcarioth & de iudæis qui cognouerunt Chriſtum & tamen iſti non fuerunt ipſo facto depoſiti. Tertio ſic. ſi ſic eſſet ꝙ papa propter occultam hæreſim caderet a papatu, cum dubitari poſſit de papa, an occulte eſſet hæreticus, dubiũ naſceretur an robur haberent ea quæ ipſe facit, ſed hoc uidetur inconueniens & poſſet eſſe cauſa multorum errorum. Quarto ſic. Illa aſſertio nullatenus eſt tenenda ad quam ſequitur totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ confuſio, ſed ſi papa occulte hæreticus diuino iure eſſet papatu priuatus poſſet ſequi totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ confuſio . ergo &c . maior eſt manifeſta . & minor probatur, quia ſi ſic tunc nullus prælatus factus per papam hæreticum eſſet uerus prælatus & per conſequens totus eccleſiaſticus ordo eſſet confuſus, quia nullus eſſet uerus prælatus, nec eccleſia Dei quæ de occultis iudicare non poteſt ualeret tali confuſioni obuiare : ergo non eſt tenendum quòd papa effectus hæreticus ſtatim iure diuino ſit papatu priuatus. Secunda concluſio iſtorum eſt quòd papa factus etiam hæreticus manifeſtus non eſt ipſo facto iure diuino priuatus nec ſuſpenſus. Pro iſta concluſione inducunt plures rationes. Primo ſic. ſicut papa eſt caput fideliũ qui ſunt ſub noua lege, ita ſummus ſacerdos quantum ſpectat ad legem diuinam caput erat fidelium qui erant ſub lege ueteri conſtituti, ſed ſacerdos ſummus in ueteri lege quamuis erraſſet a fide non fuiſſet ipſo facto iure diuino priuatus, quia ut uidetur plures ſummi ſacerdotes in antiqua lege deuiarunt a fide, tamen poſtea ſummo ſacerdotio fungebantur. ergo licet papa erret a fide & efficeretur manifeſtus hæreticus non propter hoc eſſet diuino iure papatu priuatus. Secundo ſic, papa non eſt deterioris conditionis quàm alii prælati & epiſcopi, ſed alii prælati & epiſcopi, ſi efficiantur hæretici non ſunt iure diuino omni dignitate priuati. ergo nec papa maior eſt certa. minor probatur, quia ſi alii prælati & epiſcopi effecti hęretici eſſent iure diuino omni dignitate priuati non poſſent abſque noua electione ad ſuas recipi dignitates uel ſaltem ſuas dignitates minime retinerent, ſed nonnulli prælati facti hæretici abſque noua electione ad ſuas dignitates recepti fuerunt uel retinuerunt eaſdem prima quæſtio. ſeptima maximum 2.quæſt.1.cauſas cuiuſlibet & c. Quotquot . ergo & papa quãuis efficiatur hæreticus papalem retinet dignitatem, & ita nequaquam eſt iure diuino priuatus. Tertio ſic, non deterioris conditionis eſt papa quàm imperator uel princeps ſecularis, ſed iſti facti hæretici non ſunt ipſo facto iure diuino a ſuis dignitatibus priuati . ergo nec papa . conſequentia uidetur bona . maior patet . minor etiam eſt manifeſta . nam in ueteri lege multi reges idolatrę & hæretici effecti fuerunt & tamen ueri reges remanſerunt. Iulianus autem apoſtata hæreticus de Chriſtiano fuit effectus, & tamen fuit uerus Imperator 2.q.9.Iulianus. Quarto . ſi hoc eſſet uerum quòd papa factus hæreticus eſt iure diuino priuatus, hoc non eſſet propter aliam cauſam niſi quia hæreticus catholicis præeſſe non poteſt, ſed hoc non quoniam hæreticos & infideles præfuiſſe catholicis & catho-

Secunda

Tertia

Quarta

Secũda cõcl. eiuſdem

Probatio prima

Secunda

Tertia

Quarta

licos illis obediuisse est manifestum. Ioseph enim obediuit pharaoni, & Daniel Nabuchodonosor, & Christiani plures infidelibus Imperatoribus, seruierunt: ergo non est contra legem diuinam quòd hæreticus, uel infidelis fidelibus præsit: ergo non est contra scripturam sanctam quòd papa hæreticus remaneat papa. Quinto sic. ad quem pertinet institutio alicuius ad eundem destitutio spectat eiusdem. extra de hære. cum ex iniuncto, sed papa non instituitur iure diuino, sed eligentium electione canonica: ergo nec papa destituitur iure diuino, sed si est destituendus oportet q ipsum destituant electores. Sexto sic. talis pœna papæ hæretici scilicet priuationis in tota scriptura scripta non reperitur: ergo falsum est quòd papa hæreticus diuino iure sit priuatus. consequentia patet: & antecedés est manifestum cum nullus locus in lege diuina siue in ueteri siue in nouo testamento reperiatur in quo talis pœna contineatur: ergo &c. Tertia conclusio istorum sic opinantium est, quòd crimen hæresis etiam manifestum ex propria siue specifica natura ipsius hæresis non inducit quò ad homines effectum depositionis, aut suspensionis in papa ipso facto. Hanc conclusionem probant ex glossa decreti distin. 21. nunc autem, super uerbo Marcellinus, ubi quærit glossator, quare concilium non deposuit Marcellinum de hæresi confessum, respondit quòd dicit Hugo quia paratus erat corrigi non deponitur, ut 24. q. 3. dicit apostolus. Ex quo dicto (ut aiunt) manifeste inducitur præfata conclusio. Quarta conclusio. nullus canon nullaq; censura ecclesiastica aut humana papam iam lapsum in hæresim deponit suspendit, aut priuat iurisdictione papali. Probatur conclusio, quia papa non potest incidere in canonem, cum sit superior canonibus. Consequenter respondere uolentes ad rationes primæ opinionis arguentes quòd hæreticus cum sit a corpore præcisus non possit esse caput ecclesiæ. dicunt, quòd multæ sunt connexiones in corpore mystico. Vna est charitatis & istam dicunt habere membra ecclesiæ alia uero sunt uelut præcisa. Secunda est in donis naturæ. alia in similitudine participationis sacramentorum præsertim in unitate baptismatis in quo character imprimitur, in qua unitate connectuntur omnes qui baptisma rite susceperunt, etiam ubi fidem actualem, uel habitualem perdidissent, & hoc uidetur absolute sufficere ad hoc quòd aliquis rite electus maneat caput ecclesiæ quousque fuerit per sententiam diffinitiuam depositus. Hæc sunt uerba unius magistri in quodam sermone siue tractatu de unione intitulato.

Quinta; Sexta; Tertia concl.; Quarta conclusio; Probatio; Responsio ad rónes 1. opi.

Cap. XX. In quo respondetur ad rationes factas pro secunda opinione.

QVONIAM nobis saluo semper meliori iudicio rationabilior uidetur primus modus dicendi atque beati Thom. doctrinæ quem ducem & magistrum in omnibus huiusmodi dubiis sequendum duximus conformior apparet: respondebimus ad rationes inductas pro secundo modo dicendi. Obseruabimus autem in respondendo ordinem obseruatum ab aduersariis. Dicemus enim circa singulas conclusiones eorum quid nobis iuxta primum modum dicendi uidetur, subiungentes responsa

ad sin-

ad singulas rationes pro eis inductas. Prima autem conclusio ex aduerso opinantium non uidetur uera. in qua dicunt quòd papa occulte in hæresim lapsus non sit iure diuino papatu priuatus: quoniam cum factus hæreticus esset cultus ceciderit a petra fidei supra quam totius ecclesiastici ædificii fabrica & potestas consurgit necessario uidetur quòd a potestate ecclesiastica ruerit. Nec rationes inductę per aliter opinantes probant aliquo modo intentum. Vnde ad primam quæ sumitur de cap. Audiuimus 24. q. 1. respondetur quòd per hoc quod in cap. illo dicitur quòd episcopus ille ex quo talia prædicare cepit neminem damnare potuit, non arguitur quòd occulte hæreticus antequam publice hæresim suam prædicauit posset damnare aliquem, cum glo. in principio eiusdem quæstionis apertissime doceat contrarium sic dicens. Sed tu dic manifeste quòd siue ueterem siue nouā hæresim sequatur excommunicatus est. licet sit occultus, & ideo alium non potest excommunicare. extra de hære. ad abolendam. Alia tamē quæ agit tenent interim dum toleratur ar. 3. q. 7. §. tria & sententia excommunicationis quam tulit toleranda est dum ipse est occultus licet sit nulla. Et infra. Quia omnis hæreticus est excommunicatus quantumcunque sit occultus, ideo non potest alios excommunicare. unde si scirem prælatum meum esse hæreticum quia nouam fingit hæresim, nec tamen prædicat, si me excommunicaret celebrare possem in occulto non in aperto, quia enim non possem probare illum esse hæreticum sic me excommunicatum deponeret, sed quid de alia sententia. idem: quia nulla est sententia quā tulit, sed tamen alia quæ agit tenent dum toleratur. hæc glo. Ex qua manifeste apparet ratio aduersariorum uacua. Ad secundam rationē in qua arguitur de iuda & iudæis respondetur non facere ad propositum. Tū quia illi nullam habebant iurisdictionem spiritualem ecclesiasticam. Tum quia non probatur quòd illi in hæresim lapsi fuerint & non fuerint in ueritate priuati potestate iurisdictionis siquam habuerint. Ad tertiam rationem cum arguitur quòd dubitari posset &c. respondetur negando consequentiam: quoniam quamdiu toleraretur ualida reputarentur ea quæ agit iuxta glossam superius inductam de cap. Audiuimus 24. q. 1. Ad quartam rationem in qua arguitur quòd totus ordo ecclesiasticus confundaretur, &c. respondetur negando consequentiam secundum quosdam alterius opinionis. dicunt enim quòd cum uniuersalis ecclesia regatur a spiritusancto nunquam deficiet in his quæ necessaria sunt ad salutem, licet in aliis deficere posset. unde si papa esset occultus hæreticus, & per consequens papatu priuatus, & ideo illa quæ iurisdictionis sunt exercere non posset, quamuis posset facere ea quæ sunt ordinis, Deus ecclesiæ suæ prouideret reuelando ei perfidiam papæ, & quòd non ualuerunt quantum ad ea quæ iurisdictionis sunt illa quæ fecit, uel preseruando aliquos episcopos per alium modum sibi possibilem licet nobis ignotum. Et ideo nullus ordo ecclesiasticus necessarius ad salutem ecclesiæ uniuersalis confunderetur licet multa sine quibus potest esse salus possent esse confusa. præseruaret enim Deus ne confunderentur illa quæ uniuersali ecclesiæ sunt necessaria ad salutem. Similis uidetur esse responsio sancti Thomæ in quarta distinctione uigesimaquarta ad casum in quo quidam non baptizatus promoueretur in episcopum, ubi ita dicit. Illi quos talis ordinat non habent ordinem, sed tamen pie credi potest quòd quantum ad ultimos effectus

Improbatio 1. concl. 2. opi.

Ad primā prob. eius

Ad secundam

Ad tertiā

Ad quartam

sacramentorum summus sacerdos suppleret defectum & quòd non permitteret hoc ita latere per quod periculum ecclesiæ imminere posset. hæc sanctus Thom. Et ita in proposito uidetur dicendum. Præterea ratio illa aduersariorum æqualiter concludit quòd mulier non potest putari papa & haberi pro papa, & quòd paganus & infidelis reputatus tamen Christianus & fidelis non potest haberi pro papa sicut quòd papa hæreticus & iure diuino papatu priuatus non potest haberi pro papa. Patet quia si mulier, uel paganus haberetur pro papa & de facto consecraret episcopos & ordinaret ac Christianos ad dignitates ecclesiasticas promoueret, non minus confunderetur ecclesiastica hierarchia quàm si hæreticus iure diuino papatu priuatus putaretur a catholicis esse papa. licet enim ordinando de facto & consecrando nulli tribueret executionem officii, ueruntamen ordinem conferret dummodo formam seruaret ecclesiæ. mulier autem aut paganus uel iudæus qui nunquam fuit Christianus nec executionem, nec aliquem ordinem uerum conferret licet seruaret formam ecclesiæ. Cum ergo constet quod aliquando mulier a cunctis catholicis putabatur papa & eadem ratione aliquis paganus uel iudæus retinens in corde infidelitatis perfidiam posset putari Christianus & in papam assumi non est incredibile quod aliquando hæreticus habeatur pro papa licet uerus papa non sit eo quod iure diuino sit papatu priuatus. Sic ergo constat quòd maior difficultas est si mulier habeatur pro papa quàm si papa fiat hæreticus licet iure diuino ipso facto sit papatu priuatus. Et ideo si in casu superiori diuina prouidentia ecclesiam suam protegente non est secuta totius ecclesiasticæ Hierarchiæ confusio, multominus sequeretur in casu præfato si papa occulte esset hæreticus. Præterea nec secunda conclusio posita ex aduerso est uera in qua dicitur quòd papa factus hæreticus manifestus non sit ipso iure diuino papatu priuatus. Eius enim opposita superius tam auctoritatibus sacræ scripturæ quàm canonum quàm etiam rationibus probata est habere ueritatem. Rationes aũt factæ pro conclusione illa etiam non procedunt, unde dicendum est ad illas. Ad primam cum arguitur de sacerdote summo ueteris legis respondetur dupliciter. Primo negando minorẽ. dicitur enim quòd summus sacerdos ueteris legis eoipso quòd efficiebatur hæreticus fuit summo sacerdotio priuatus. nec tunc erat summus sacerdos secundum ueritatem licet extiterit secundum opinionem hominũ summus sacerdos. Secundo respondetur quòd non est simile de sacerdote summo antiquæ legis & summo sacerdote nouæ legis. Tum primo, quia summus sacerdos antiquæ legis sacerdotium habuit iure successionis, sacerdos uero summus nouæ legis non. Tum secundo quia sacerdotium antiquæ legis fuit carnale, sacerdotium uero nouæ legis spirituale. Ad secundam rationem cum arguitur quòd papa non sit deterioris conditionis quàm alii prælati, respondetur negando minorem. dicitur enim ab his qui sunt primæ opinionis, quòd omnes episcopi & prælati incurrentes prauitatem hæreticam siue publice siue occulte iure diuino suis dignitatibus sunt priuati, quia in his quæ sunt propriæ religionis Christianæ nulla potest esse communicatio hæretici ad fidelem, & ideo quantum ad illa quæ spiritualia sunt hæreticus fidelibus præesse non potest. Quod sic ostenditur. Distinctio enim fidelis & infidelis non est ex iure humano canonico, & ciuili, sed est ex iure diuino. Et ideo quòd infidelis qualis est

[Margin: Improbatio 2. conclu. 2. opi.]

[Margin: Ad primã proba. 2. opi.]

[Margin: Ad secundam]

lis est omnis hæreticus fidelibus in spiritualibus præesse non debeat est ex iure diuino. quare iure diuino omnis hæreticus omni prælatione ecclesiastica uidetur priuatus. quod apostolus 2. ad Corinth. 6. insinuare uidetur cum dicit. Nolite iugum ducere cum infidelibus. quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad belial, aut quæ pars fidelis cum infideli, aut consensus templi cum idolis. In quibus uerbis apostolus uidetur præcipere fidelibus uniuersis ne subsint infidelibus & ne communicent cum eis, quod potissime ueritatem habet quantum ad spiritualia & ea quæ propria sunt religioni Christianæ. Quamuis enim in temporalibus possint fideles subesse infidelibus & communicare ipsis in spiritualibus tamen eis subesse nó debent. Et ita omnis hæreticus cum sit infidelis iure diuino omni prælatione ecclesiastica uidetur esse priuatus, & ita minor illius rationis est falsa secundum opinionem istorum, quæ nobis uidetur magis apparens. Et ad probationem eius respondetur, quòd licet episcopi inferiores summo pontifice & alii prælati si hæreticam incurrerent prauitatem sint iure diuino omni ecclesiastica prælatione priuati, tamen ex causa rationabili per ecclesiam potest dispensari, ut reuersi ad fidem suis dignitatibus restituãtur, & talis restitutio uel est noua electio uel æquiualens prouisioni nouæ. Ad tertiam rationem cum arguitur de Imperatore & de regibus respondetur, quòd non est simile. Et ratio est, quia prælatio ecclesiastica introducta est iure diuino & fundata supra petram fidei. ex ordinatione enim diuina est quòd unus fidelis aliis fidelibus in spiritualibus præsit Ioan. 10. Erit unum ouile & unus pastor. prælatio uero secularis introducta est iure humano. Ex ordinatione enim humana est quòd unus in temporalibus aliis præsit. Et ideo quia distinctio debet esse inter fideles & infideles quò ad spiritualia, nec in spiritualibus communicant sed dissentiunt, cum in ipsa fide quæ fundamentum est omnium bonorum, ut ait August. discordent possunt auté in temporalibus concordare quæ fidelibus & infidelibus sunt communia. Et ideo licet principes seculares quamuis efficiantur hæretici non sint iure diuino principatu seculari priuati, prælati tamen ecclesiastici si efficiantur hæretici iure diuino ipso facto principatu ecclesiastico sunt priuati. Ad quartam rationem cum arguitur de causa: patet ex dictis responsio. Dicimus enim quòd causa propter quam prælatus factus hæreticus est ipso facto prælatione priuatus est, quia hæreticus non pót præesse in spiritualibus catholicis. Quod uero inducitur de Ioseph & Daniele & aliis fidelibus quibus præfuerunt infideles, non est ad propositum, quia præsidencia illa in temporalibus fuit quæ iure diuino non tollitur ab infidelibus sicut dictum est. Ad quintam cum arguitur ꝙ ad quem pertinet institutio, &c. respondetur quòd hoc assumptum non est generaliter uerum. Metropolitanus potest confirmare consecrare & instituere electum in episcopum & tamen destituere eundem minime ualet. Præterea licet illud assumptum generaliter esset uerum hoc tamen est falsum quòd ad illũ solum pertinet destitutio alicuius ad quem institutio spectat, quia institutio sacerdotis pertinet ad episcopum & tamen superior episcopo potest destituere ipsum. Et ita in proposito non sequitur quòd papa non potest destitui a iure diuino quod est super omne ius humanum & omnium eligentium potestatem, immo sibi Deus reseruasse in speciali dicitur destitutioné sum

Ad tertiã

Ad quartam

Ad quintam

morum pon. iuxta c. Eiectionem distin. 79. ubi sanctus anacletus papa ita dicit. Eiectionem summorum pont. sibi dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus & spiritualibus populis commisit, ubi dicit gl. Et ita fallit regula ad quem spectat institutio & destitutio 16. q. 5. uisis.

Ad sextã

Ad sextam rationem cum arguitur quòd non reperitur in sacra scriptura. respondetur negando hoc, & ad probationem respondetur quòd & si explicite sub formalibus uerbis non habeatur de sacra scriptura de priuatione officii prælationis papæ aut cuiuscunque alterius ecclesiastici prælati facti hæretici: nihilominus habetur implicite sub aliis uerbis in sacra scriptura, sicut patuit per multas auctoritates superius in c. 18. inductas ex quibus manifesta consequentia uidetur haberi quòd papa & prælatus quisque alius ecclesiasticus factus pertinax hæreticus sit prælatione priuatus. Plane quæ iure diuino non est sequendus sed fugiendus, cui non est communicandum aut obediendum, sed contradicendum qui non est suscipiẽdus, nec salutandus, qui non est sustinendus, sed potius interficiendus, uidetur spirituali prælatione quam super fideles habet eodem iure priuatus. Præterea nec tertia conclusio ex aduerso opinantium uidetur esse uera, sed magis opposita, nec ratio inducta probat intentum eorum. Patet primum: quoniam cum per hæresim homo cadat a petra fidei supra quam omnis ecclesiastica auctoritas fundata est: hæresis ex sua natura specifica uidetur inducere depositionem ab omni ecclesiastica dignitate in eo qui in hæresim labitur & ei pertinaciter inhæret. Secundum etiam uidelicet quòd ratio eorum quã inducunt ex glossa decreti in c. Nunc autem dist. 21. non probat intentũ. patet: quoniam cum nos loquamur de hæretico proprie dicto qualis est qui in hæresi in quam lapsus est habet pertinaciam, non uidetur ad propositum aduersariorum aliquid facere glossa illa: quoniam Marcellinus nunquam fuit hæreticus pertinax. Tum quia licet timore mortis superatus idolis thurificasset, nunquam tamen mente contra aliquem articulum fidei errauit. Tum etiam quia paratus esset corrigi. Ceterum quarta conclusio ex aduerso opinantium non uidetur uera: immo conclusio opposita eius est uera, uidelicet canon ecclesiasticus in casu hæresis etiam ligat papam sicut alium. Et ad probationem cum dicitur quòd papa sit superior canonibus & solutus sit ab eis respondetur quòd hoc falsum est de papa facto hæretico. talis enim in casu hæresis ligatur penis canonum sicut alius quisque. Quod multiplici testimonio patet. Imprimis est ca. Si papa distin. 40. ubi dicitur papa uenire iudicandus si depræhendatur a fide deuius. ubi gl. ponit quòd papa non possit instituere quòd non posset accusari de hæresi, quia ex hoc periclitaretur tota ecclesia. Item glo. in c. Achatius 24. q. 1. dicit sic. Hic est casus in quo papa papam ligare potest, in quo papa in canonem late sententiæ incidit. Nec huic obuiat regula illa. Par parem soluere uel ligare non potest, quia si papa hæreticus est, in eo quòd hæreticus minor est quolibet catholico 12. q. 1. scimus. Hoc idem dicit Hugo in ca. Inferior distin. 21. sub his uerbis. Cum papa cadit in hæresim non iam maior, sed minor quolibet catholico intelligitur. Item dominus Archi. super cap. In fidei fauorem. de hære. lib. 6. dicit sic. Tantus est fauor fidei quòd de crimine hæresis etiam occulto potest papa accusari 40. dist. si papa. Ad idem est sanctus Thom. in quarta dist. 19. loquens de correctione fraterna quasi in fi. ar. 2. distinct. sic. Non enim prælati a subditis coram

Improbatio 3. concl. 2. opi.

Improbatio 4. cõclusionis.

Ad probationem

multitudine, sed humiliter in priuato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei. tunc enim prælatus minor fieret si in infidelitatem laberetur & subditus fidelis maior. hæc ille. Item idem sanctus Thomas in 4. distinct. 18. in materia de excommunicatione respondens ad illud Gala. 1. Si angelus de cœlo aliud euangelizauerit anathema sit. ubi uidetur quòd apostolus qui erat inferior angelum excommunicauerit qui superior erat. respondet quòd apostolus loquitur sub hypothesi id est si poneretur angelus peccasse, sic enim non esset apostolo superior. Item Raymundus in summa titulo de hæresi. §. 2. dicit. Punitur hæreticus quattuor modis scilicet excommunicatione, depositione: rerum ablatione, & militari persecutione. Excommunicatione, quia hodie omnis hæreticus siue occultus, siue manifestus est ipso iure excommunicatus 24 q. 1. & 2. & extra de hære. ad abolendam. Depositione, quia indistincte siue sit clericus, siue laicus papa, uel imperator uel quilibet alius inferior debet deponi ab omni dignitate, ut 40. dist. si papa 23. q. 1. si contra pacem extra de hære. ad abolēdam. Concordat Gost. & Hosti. & Io. in summa &c. Ex quibus manifeste habetur quòd in casu hæresis ita penis canonicis subiicitur papa sicut & quilibet alius. Vnde in sexta synodo Honorius papa condemnatur, quia dicitur negasse in Christo duas uoluntates & duas operationes. Præterea responsio data per aliquos ex aduerso opinantes rationibus primæ assertionis non uidetur satisfacere. Pro quo notandum iuxta sanctum Thom. in 3. sententiarum dist. 13. quòd in corpore naturali reperitur quadruplex unitas adinuicem. Prima est secundum conformitatem naturæ: quoniam omnia membra constāt ex similibus partibus & sunt unius rationis, sicut manus & pes ex carne & osse, & sic dicuntur unum genere uel specie. Secunda est secundum colligationem eorum adinuicem per neruos & iuncturas, & sic dicuntur unum per continuationem. Tertia est secundum quam diffunditur uitalis spiritus & uires animæ per totum corpus. Quarta est secūdum ꝙ omnia membra perficiūtur per animam quæ est una numero in omnibus mēbris. Et hæ quattuor uniones reperiuntur in corpore mystico. Prima est inquantum omnia mēbra sunt unius naturæ, uel specie uel genere. Secunda est inquantum colligantur adinuicē per fidem, quia sic continuantur in uno credito. Tertia est secundum quod uiuificantur per gratiam & charitatem. Quarta est secundū ꝙ in eis est spiritussanctus qui est ultima perfectio & principalis totius corporis mystici quasi anima in corpore naturali. Prima dictarum unionū nō est unio simpliciter, quia id in quo est unio hæc nō est unum numero sicut in tribus sequ. quia per fidem & charitatē uniuntur in uno credito secundum numerū & amato. Similiter spiritussanctus unus numero omnes replet numero homines. ergo infideles non pertinent ad unionem corporis ecclesiæ secundū ꝙ est unū simpliciter. Et ideo respectu horum Christus non est caput nisi in potentia secundū ꝙ umbiles sunt corpori. Homines aūt fideles pertinent aliquo modo ad unitatē ecclesiæ inquantum continuantur ei per fidem quæ est unitas materialis, nō tamen possunt dici membra proprie sicut nec membrum mortuum nisi equiuoce, & sicut operationes quæ sunt ad alterum possunt aliquo modo fieri per membra arida, ut percutere uel aliud huiusmodi, non tamen operationes animæ in membris. Ita nec mali recipiunt opera spiritualis uitæ a spiritusancto, sed tamen spiritussanctus per eos operatur spiritualem uitam in aliis secundū

Improbatio respōsionis ad rōnes ca. 18.

ꝙ aliis sacramenta ministrant uel docent. Homines fideles in gratia existentes uniuntur secundum tertiam unionem quæ est formalis respectu secundæ, & iterum secundum quartam quæ est completiua totius, & ideo horũ Christus proprie est caput. hæc san. Tho. Ex quibus dictis sancti Thomæ habetur ista fundamentalis conclusio uidelicet ꝙ ad hoc ꝙ quis sit mẽbrũ ecclesiæ requiritur ꝙ in aliquo uno simpliciter quod est unum numero uniatur aliis ecclesiæ membris. Hinc sequitur corollariæ 1. ꝙ nec naturæ conformitas nec conuenientia in donis facit aliquem esse de unitate corporis ecclesiæ aut membrum eius patet. Tum quia alias omnes homines etiam infideles & ẽt dãnati dicerentur pertinere ad corpus ecclesiæ tanquã eius membra quod est absurdum. Secundo sequitur ꝙ etiam unitas in participatione sacramentorum sine fide nõ sufficit ad hoc ꝙ quis sit aut dicatur membrum ecclesiæ. patet. Tum ex conclusione. Tum quia doctrina est sanctorum, ꝙ omnis hæreticus qui tamen præsupponitur alias Christianã religionem in sacro baptismo suscepisse, est separatus & præscisus a corpore ecclesiæ. Hinc est ꝙ licet character baptismalis sufficere uideatur ad hoc ꝙ quis sit capax ptatis sacramentalis quæ datur in ordine, non tamen sufficere uidetur ad susceptionem ptãtis iurisdictionis spiritualis, nec per consequens ad rõnem capitis cuius est influere corpori cuius est caput spiritualem influxũ, alias apostatæ a fide & antichristus possent esse caput corporis Christi quod est ecclesia, & ꝙ hi qui sunt membra diaboli & nullo modo pertinẽt ad corpus Christi sint caput corporis Christi quod uidetur absurdum. Tertio sequitur ex prædicta conclu. ꝙ ad hoc ut quis dicatur membrum ecclesiæ sit necesse ꝙ aut fide, aut charitate, aut utraq; uniatur aliis ecclesiæ membris. Patet ex conclusione, quia solũ per has uirtutes theologicas fit unio in uno secundum numerũ uidelicet credito & amato. Quarto sequitur ꝙ cadentes a charitate tenentes tamen fidẽ integrã non dicuntur mẽbra præscisa. Patet quia adhuc manet in eis unitas materialis quæ dicitur continuationis sicut sunt membra arida siue mortuo in corpore aliquo, patet ex dictis. Quinto sequitur, ꝙ ad hoc ꝙ quis sit caput ecclesiæ siue prælatus & spiritussanctus per eum operetur uitam in aliis spiritualẽ, sufficit ꝙ sit corpori ecclesiæ unitus per fidem etiam informem. Patet ex dictis supra sancti Thomæ. Sexto sequitur, ꝙ qui nec fide, nec charitate est corpori ecclesiæ unitus non potest caput esse corporis ecclesiæ, aut prælatus spiritualis in ea. Patet quia ut dictum est sine fide, aut charitate nemo potest esse membrum ecclesiæ ut probatum est, & per consequens nec caput eius. Septimo sequitur, ꝙ qui per infidelitatem desinunt esse membra ecclesiæ cadunt ab omni potestate spirituali ecclesiasticæ iurisdictionis quã spiritussanctus dederat eis ad regimen spirituale corporis ecclesiæ patet ex dictis. Item ex illo Inno. papæ in c. hæretici 24. q. 1. ubi dicit. Hæretici cum a fide catholica destiterit perfectionem spiritus quam acceperant amiserunt. Quod non uidetur exponendum de sanctitate cum etiam per quodlibet peccatum mortale amittatur sanctitas, sed uidetur exponendum de perfectione potestatis & honoris ecclesiasticæ. unde in c. seq. dicit Cypr. Didicimus omnes omnino hæreticos nihil habere potestatis atq; iuris. In quo uidetur manifeste dicere quòd hæretici non tantum executionem potestatis iurisdictionis, sed etiam substantiam potestatis perdunt. Quæ omnia sunt dicta saluo semper meliori iudicio.

Cap.

Cap. XXI. Qui dicantur credentes hæreticorum, fautores, receptores, & defensores eorum.

CVM non solum hæretici sed etiam credentes, fautores, receptores, & defensores eorum excommunicationis sententiā incurrant, ut patet in ca. sicut ait. extra de hęre. & ca. excommunicamus, postquam exposuimus qui sunt uocandi hæretici, exponendum iam est qui dici debeant credentes eorum, fautores, receptores, & defensores eorum. Credentes autem hæreticorum dicuntur tripliciter. Primo quidem qui confitentur se credere ita sicut illi credunt. Nam ex errore suo se iudicant, & hoc sine dubitatione uerum est. Secundo dicuntur credentes hæreticorū qui adorant eos qui reuerentiam suo more eis exhibent. Tertio qui confessionem, & communionem ab eis iuxta eorum ritum acceperunt uel similia perpetrarunt quæ ad ritum eorum pertinent, omnes enim tales profecto credentes fuisse conuincuntur. Nam ex factis exterioribus præsumitur de affectu. ar. 32. q. 5. qui uiderit. C. de dolo. l. dolum. Nec enim refert utrum dictis an factis quis uoluntatem suam insinuet. ff. de le. ꝗ sen. com. l. destituant. Nam negare, & confiteri non solum ore sed etiam facto contingit 11. q. 3. existimant. Fautores uero hæreticorum dicuntur multipliciter. Primo quidem qui publica potestate fungentes si condemnatos ab ecclesia fugant, & non puniant, & quòd ex hoc fautores intelligantur ad literā probant canones positi 24. q. 3. sicut est c. qui potest, quod est Damasi papę sic dicentis. Qui potest obuiare, & perturbare peruersos & non facit, nihil est aliud quam fauere impietati. Ad idem est ca. qui uitiis 1. q. 5. & ca. præterea q. 8. eiusdem causæ. Priuatę autem personæ quæ ad hoc uidelicet ad detinendum fugientes hæreticos nec ex officio nec ex præstito iuramento tenentur, non uidentur fautores hęreticorum dicédi, quia hoc nos ad eos, sed ad eos pertinet qui potestate funguntur. Secundo fautores esse iudicantur uerbo qui excusant eos non ex lingue lubrico sed a proposito in conuenticulis uel etiam inter laicos sicut sunt multi dicentes. Isti non sunt tales, scilicet hæretici quales esse dicuntur nec negant ista nec illa. Tales autem per mendacia excusantes eorum excessus possunt ueræ fautores dici, habita consideratione personarum temporis, & loci & locorum. Plerunque enim uerba talium simplices homines ad hæreticorum amorem prouocant, & deuotionem quam habent ad ecclesiam minuunt, & eneruant. Tertio dicuntur fautores hęreticorum facto, qui procurant qui mittunt hæreticis Alimoniam qui eos liberant qui ab ea quibus liberantur subministrāt & si qua sunt similia. Et est ar. quamuis probatione non egeat 23. q. 4. cap. est iniusta misericordia. Quarto qui extirpationem hæreticorum impediūt. Item non dant ad id operam quam possunt secundum maius uel minus, & hoc secundum considerationem diuersarum circunstantiarum. Quinto fautores hæreticorum esse uidentur, qui hæreticos zelant cum eos possint & debeant iudicare. Sexto dicuntur fautores qui eos occultando seu aliter ipsorum excommunicationem uel incarcerationem uel punitionem maliciosæ impedire præsumant aut captos aut incarceratos relaxant præter uoluntatem ecclesiæ. Item septimo possent dici fautores etiam qui requisiti ab episcopo uel inquisitore nequiter recusant uel prætermittunt

Credétes hæreticorum

Fautores

Receptores
Defensores

iuuare eos qui præfatos hæreticos capere cupiunt. Præterea receptores dicuntur qui scienter hæreticos recipiunt siue latenter siue manifeste. Ceterum defensores dicuntur primo qui defendunt errorem hæreticorum & isti damnabiliores sunt illo qui errat, & non solum hęretici sed hæresiarchę dicitur 24.q.4.qui alios. Secundo dicuntur defensores qui defendunt pro suis uiribus uel potentia ne ad manus iudicis eueniat examinandus uel puniendus. Et de simili defensione loquitur canon 24.q.3.in multis capitulis quæstionis, & 27.q.1.si custos. Quilibet talis credentium fautorum, & receptorum ac defensorum hæreticorum est excommunicatus, & si non satisfecerit infra annum tunc ipso iure est infamis nec ad publica officia seu concilia nec ad eligendum aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium debet admitti. nec potest condere testamentum nec ad alicuius hæreditatis successionem accedere, nullus quoq; ei super quocunq; negocio sed ipse aliis cogeretur respondere, si iudex est eius sententia non ualet. si aduocatus non admittitur eius patrociniũ. si tabellio non ualent eius instrumenta, & sic de similibus. Si uero sit clericus ab omni officio, & beneficio debet deponi. Et illi qui tales postquam ab ecclesia fuerint denominati euitare contempserunt debent excommunicari. Probantur hęc omnia extra de hære.c.excommunicamus. Item oẽs clerici qui talibus exhiberent ecclesiastica sacramenta uel traderent ecclesiasticę sepulturę aut elemosynas aut oblationes eorum reciperent debent priuari suo officio, ad quod nunquam restituentur sine indulto sedis apostolicæ spirituali. Similiter & regulares quorum etiam priuilegia in illis locis non seruentur eis, ut in prædicto, cap.excommunicamus.§.sane clerici.

Pœna prędictorum.

Cap. XXII. De abiurationis forma obseruanda per hæreticos cum contingit eos ad fidem & ad ecclesiam redire.

QVONIAM nulli hæreticorum ad fidem redeunti ecclesia sancta Dei gremium suum claudit, reliquum est ut dicamus in fine huius ultimæ partis de modo receptionis eorum, & forma abiurationis. De quacunque hæresi quilibet conuertatur non est recipiendus nisi ad arbitrium sui episcopi uel inquisitoris fidei abiurata, & anathematizata hæresi. Ait enim Leo papa scribens Ianuario episcopo Aquilien. & habetur in ca.saluberrimum 1.q.7. Saluberrimum inquit, & spiritualis medicinæ utilitate utilissimum est, ut siue presbyteri siue dyaconi aut cuiuslibet ordinis clerici qui se correctos uideri uoluerint atque ad catholicam fidem quam pridem amiserant rursum reuerti ambiunt, primos errores suos, & ipsos auctores erroris a se damnatos sine ambiguitate fateantur, & sensibus prauis etiam peremptis nulla desperandi sit occasio nec ullum membrum talium possit societate uiolari, cum per omnia illis professio propria ceperit obuiare, hæc ille. Hinc Ephesina sanctissima synodus una de quattuor principalibus de Nestorio episcopo, sed hæretico ita constituit. Consequens est inquit si resipiscere uolueris, ut iureiurando fatearis, & Anathematizes tua polluta, & prophana dogmata, sentias autem, & doceas quæ nos uniuersi per orientem, & occidentem episcopi, & magistri præsules, populorum credimus, & docemus. Hinc in actione eiusdem synodi

cap.15.

cap.15.eiusdem forma iuramenti exprimitur in hunc modum. Ergo hysicius agnoscens ueram fidem orthodoxam, & accedens ad sanctissimam & catholicam ecclesiam Anathematizo omnem hęresim,& maxime.N.in qua errabam assentio autem præscripte expositioni catholicæ fidei Anathematizans eos qui non celebrant sanctum Dei pascha iuxta morem apostolicæ,& catholicæ ecclesiæ,& iuro per sanctum Omosyon,idest trinitatem,& si quid ex his labefactauero legũ seueritati subiacebo, & expositioni mihi recitate subscripsi manu propria,hæc ibi. Hanc formam iuramenti inquit dominus Aymarus in lib.de synodis, sancta Romana ecclesia de hæreticis conuersis eligere consueuit. Apud practicam autem inquisitorum fidei,forma abiurationis hæretici post confessionem suæ hæresis ante pœnitentiæ impositionem plenior habetur sub tali uerborum serie. Ego.N.recognosco,& confiteor coram uobis dominis me errasse in prædictis,& super his corde contrito, & humilitas absolutionem,& pœnitentiam requiro,& hãc hæresim,& omnem aliam quocunque nomine censeatur abiuro,& promitto ꝙ decreto seruabo illibatam fidem quam Romana tenet ecclesia,& prædicat,& ꝙ hæreticos,& credentes eorum toto posse meo persequar,& tam eos quàm eorũ fautores receptores,& benefactores bona fide, & sine dolo & sine mora manifestabo ecclesiæ uel prælato, & pœnitẽtiam quæ mihi pro dicta mea culpa iniungetur integre seruabo, & complebo,& uolo, & concedo ꝙ si ab hac hora in antea contigerit me relabi ad eundem errorem uel alium cuiuscunque hæresis quocunque nomine censeatur errando forte in aliquo casu uel credendo seu fidem habendo errantibus uel eos uel credentes eorum recipiendo scienter aut defendendo aut fouendo dicto uel facto aut eis benefaciendo qualitercunque eos uel celando aut non manifestando bona fide,& sine mora, uel si pœnitentiam iniunctã a uobis integre non seruauero,& perfecte non compleuero ab inde ipso facto habear excommunicatus,& periurus, & hæreticus manifestus,& me ergo iudicio,ita ꝙ sine ampliori cognitione,& sententia quæ iure relapsis & manifestis hæreticis indicitur mihi pœna imponatur. Insuper assero,& protestor me puram, & totam ueritatem de me, & aliis inquantum scio dixisse, & si forte constare poterit me malitiose de ueritate aliquid suppræssisse uel tacuisse imponenda uel iniungenda mihi a uobis pœnitentia seu absolutio obtenta uel obtinenda nihil mihi prosit.

Cap. XXIII. In quo narrantur uariæ antiquæ hæreses ab ecclesia Dei condemnate,& primo quæ in prima sinodo Nicena.

QVoniam nõ parum cõmoditatis arbitrati sumus afferre præsenti tractatui de hæresibus,si in prompto ex eo possit haberi notitia quę hæreses superioribus tẽporibus per sanctos patres in ecclesia sunt condemnatę. Idcirco decreuimus quantũ possibile nobis fuerit hic sub breuitate cõmemorari errores,& hæreses quæ per ecclesiã Dei siue in cõciliis siue per sedẽ apostolicã reprobate inueniũtur. Incipimus aũt ab uniuersali synodo Nicena dicẽtes,ꝙ uenerabilis,& sãcta synodus Nicena 318.patrũ cõdemnauit Arriũ pessimũ hęreticũ cũ cõplicibus suis quę inter alios errores quos dogmatizauit tres gradus asserebat in trinitate,patrẽ.s.maiorẽ filiũ minorẽ

ſpiritumſanctum creaturam uel ſeruum. Cuius quidem Arrianæ perfidię de inæqualitate ſanctæ trinitatis condemnata blaſphemia eadem ſancta ſynodus conſubſtantialem Deo patri filium per ſymbolum diffiniuit, ut in c. canones diſtinct. 15.

Cap. XXIIII. In quo narrantur hæreſes condemnate in concilio Romano celebrato Romæ poſt concilium Nicenum.

CETERVM in concilio Romano quod poſt conciliũ Nicenum eſt Romæ celebratum Anathematizate ſunt plures hæreſes. De quibus, ſcilicet concilio, & hęreſibus in eo condemnatis Dama. papa loquitur, ut patet in lib. conciliorum hoc modo ſcribens ad Antiochenum epiſcopum.

Poſt Nicenum concilium aliud in urbe Roma congregatum eſt poſtea a catholicis epiſcopis, qui addiderunt de ſpirituſancto. Et quia poſtea talis error exortus eſt, ut quidam dicere prophano ore pręſumant ſpiritum ſanctum per filium fuiſſe ſanctum, ideo Anathematizamus eos qui non cũ omni prædicant libertate cum patre, & filio ſpiritumſanctum unius eiuſdemq; ſubſtantiæ atque poteſtatis exiſtere.

Similiter autem Anathematizamus eos qui errorem Sabellii ſunt ſecuti, eundem dicentes eſſe patrem quem & filium.

Anathematizamus Arrium, & Eunomium qui ſimili impietate, licet uerbis diſcrepent, filium tamen, & ſpiritumſanctum creaturã eſſe confirmant.

Anathematizamus macedonianos qui ex Arriana radice deriuati nó impietatem, ſed uocabulum mutauerunt.

Anathematizamus Focinum qui Ebeonis hæreſim renouans dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſolum ex Maria confitetur.

Anathematizamus etiam eos qui duos filios eſſe profitentur unum ante ſecula, & alterum per carnis aſſumptionem ex uirgine.

Anathematizamus etiam eos qui pro anima rationali confirmant quia Dei uerbum in humanam carnem conuerſum eſt, ipſe namque filius Dei uerbum non pro rationali anima & intelligibili in ſuo corpore factus eſt, ſed noſtram hoc eſt rationalem animam, & intelligibilem animam ſine peccato aſſumpſit atque ſaluauit.

Anathematizamus etiam eos qui dicunt uerbum Dei productione, & correptione a patre ſeparatum & ſine ſubſtantia eum terminandum eſſe blaſphemant.

Si quis non dixerit ſemper patrem, & ſemper filium, & ſemper ſpiritum ſanctum eſſe Anathema ſit.

Si quis non dixerit filium natum ex patre hoc eſt ex diuina eius ſubſtantia Anathema ſit.

Si quis non dixerit uerbum domini filium Dei ſicut uerum Deum patré eius, & omnia poſſe & omnia noſſe, & patri æqualé eſſe anathema ſit.

Si quis dixerit ꝙ in carne degens filius Dei cum eſſet in terra in cœlis, & cum patre non fuerit, anathema ſit.

Si quis dixerit ꝙ in paſſione Crucis dolorem paſſus eſt filius Dei Deus, & non caro cum anima qua induta eſt alias quæ induerat formam ſerui

quam

quam sibime t assumpsit sicut scriptura dixit anathema sit.

Si quis non dixerit quia in carne quam assumpsit sedet ad dexteram patris, in qua etiam uenturus est iudicare uiuos, & mortuos, anathema sit.

Si quis non dixerit spiritumsanctum ex patre esse uere, & proprie sicut & filium ex diuina substantia, & uerum Deum, anathema sit.

Si quis non dixerit omnia posse spiritumsanctum, & omnia nosse, & ubiq; adesse sicut & filium et patrem, anathema sit.

Si quis dixerit spiritumsanctum facturum aut per filium factum, anathema sit.

Si quis non dixerit omnia per ipsum filium, & spiritumsanctum fecisse patrem hoc est uisibilia, & inuisibilia, anathema sit.

Si quis non dixerit patris, & filii & spiritussancti unam diuinitatem potestatem deitatem uirtutem unam gloriam dominationem imperium unam uoluntatem, & ueritatem, anathema sit.

Si quis tres personas non dixerit ueras patris, & filii, & spiritussancti æquales semper uiuentes omnia continentes uisibilia, & inuisibilia omnipotentes omnia iudicantes omnia uiuificantes omnia creantes omnia saluantes, anathema sit.

Si quis non dixerit spiritumsanctum adorandum ab uniuersa creatura sicut & filium, & patrem anathema sit.

Si quis de patre, & filio bene sapit de sancto autem spiritu non recte crediderit hæreticus est, quia omnes hæretici de filio Dei, & spiritusancto male sapientes in Iudæorum atque gentilium incredulitate consistere conuincuntur, anathema sit.

Si quis autem diuiserit Deum patrem dicens, & Deum filiũ eius, & Deũ spiritumsanctum affirmans, Deos dicit & non Deum propter unam deitatem atque potestatem quam esse credimus, & nouimus patris, & filii, & spiritussancti, subtrahens uero filium, & spiritumsanctum tanquam solum opinatus patrem Deum sit anathema. Nomen enim Deorum, & omnibus sanctis a Deo positum est atq; donatum de patre uero, & filio, & spiritusancto propter unam æqualemq; diuinitatem non Deorũ nomina sed unum Dei nomen traditur atque significatur, ut credamus quia in patre, & filio & spiritusancto solummodo baptizamur, & non in archangelorum nominibus sicut hæretici aut sicut Iudæi gentilesq; insaniunt. Hæc ergo Christianorũ salus est ut credentes trinitati hoc est patri, & filio, & spirituisancto, & in ea baptizati unam deitatem, & potestatem, & diuinitatem, & substantiam in eo esse credamus.

Cap. XXV. In quo ponuntur errores condemnati in concilio Gangrensi.

CETERVM in concilio Gangrensi quod post concilium Nicenum celebratum est sunt sequentes condemnati errores. De quo habetur in decreto dist. 30.

Si qui filii parentes maxime fideles deseruerint occasione Dei cultus hoc iustum iudicantes, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis uenerentur ꝙ fideles sunt anathema sit.

Item quæcunque mulier religioni iudicans conuenire comam sibi am

putauerit quam Deus ad uelamen eius & ad memoriam subiectionis illi dedit tanquam resoluens ius subiectionis anathema sit.

Item si qua mulier derelicto uiro discedere uoluerit soluto uinculo coniugali nuptias condemnando anathema sit.

Item si quis uirginitatem propter Deum professus in coniugio positos per arrogantiam uituperauit anathema sit.

Item si quis uirginitatem uel continentiam professus tanquam abominales nuptias iudicat,& non propter hoc solum ꝙ uirginitatis bonum sanctum propositum est,sit anathema.

Item si qua mulier suo proposito utile iudicans ut uirili ueste utatur, & propter hoc uiri habitum imitetur anathema sit.

Item si quis tanquam continentię conuenire iudicans die dominico ieiunauerit in eiusdem diei contemptum anathema sit.

Item si quis eorum qui in proposito sunt continentię præter necessitatem corporalem superbiat ei ieiunia communia totius ecclesiæ putauerit contemnenda perfectam in sua conscientia iudicans rationem anathema sit.

Item si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans cõuentus qui per loca,& basilicas sanctorum martyrum fiunt uel accusauerit uel etiã oblationes quę ibidem celebrantur spernendas esse crediderit memoriasq; sanctorum contemnendas,anathema sit.

Item si quis extra ecclesiam priuatim populos congregans contemnans ecclesiasticas sanctiones ipsamq; ecclesiam apud se sine episcopi consilio cum præsbytero agat,anathema sit.

Item si quis nuptias in accusationem duxerit,& mulierem fidelem ac religiosissimam cum uiro suo dormientem abominandam crediderit aut accusandam tanquam non posse coniugatos in regnum Dei ingredi,anathema sit.

Item si quis carnem manducantem ex fide cum religione pręter sanguinem,& idolo immolatum,& suffocatum crediderit condemnandam tanquam spem non habentem qui eam manducat,anathema sit.

Item si quis dereliquerit proprios filios,& non eos aluerit,& quod pietatis est necessaria non præbuerit sed sub occasione continentiæ negligendos putauerit, anathema sit.

Item si quis uirorum putauerit sacro proposito,id est continentiæ conuenire ut pallio utatur tanquam ex eo habiturus iustitiam, & reprehendat uel iudicet alios qui cum reuerentia birris utuntur, & alia ueste communi quæ in usu est,anathema sit.

Item hæc scripsimus non abscindentes eos qui in ecclesia Dei secundũ scripturas propositum sanctum continentiæ eligunt,sed eos quæ suscipiũt habitum eiusdem,& in superbiam efferuntur aduersus eos qui simplicius uiuunt,sed & hos condemnamus qui se extollunt aduersus scripturas, & ecclesiasticos canones,& noua introducunt præcepta.Nos autem,& uirginitatem cum humilitate admiramur,& continentiam cum chastitate,& religionem cum charitate Deo acceptissima dicimus,& renunciationes secularium negociorum atque actuum cum humilitate approbando laudamus, & nuptiarum uinculum quod secundum chastitatem perdurat honoramus, & diuites cum iustitia,& operibus bonis non abiicimus.

Cap.

Cap. XXVI. In quo ponuntur hæreses condemnatæ in secunda synodo uniuersali.

AMPLIVS secunda synodus uniuersalis Constantinop. cl. patrum macedonium Constantinum spiritum sanctum Deum esse negantē condemnans, consubstantialem patri, & filio spiritumsanctum demonstrauit, dans symboli formam quam tota latinorum, & græcorum confessio in ecclesiis prædicat, ut scribit Isido. 7. Ethy. & ponitur cap. canones dist. 15. Quæ synodus anathematizauit omnem hæresim specialiter Eunomiorum immo Anomianorum qui latinè sine lege dicuntur, ut Ayranorum siue Eudoxianorum, id est qui contra spiritum sanctum pugnant, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Cosmorum, & Molonariscarum.

Cap. XXVII. In quo ponuntur errores condemnati in concilio Milmitano.

PRÆTEREA in concilio Milmitano quod fuit tempore Inno. idest condemnata est hæresis pelagiana, contra quam diffinita sunt ea quę sequuntur, scilicet. Placuit igitur omnibus episcopis qui fuerunt in hac sancta synodo constituere hæc quæ in præsenti concilio diffinita sunt, ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut siue peccaret siue non peccaret morretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito sed necessitate naturæ.

Item placuit ut quicunque paruulos recenter ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit, in remissionem quidem peccatorum baptizari sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lauacro regenerationis expietur. unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non uera sed falsa intelligatur, anathema sit.

Item placuit ut quicunque dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum ualere quæ iam commissa sunt non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.

Item placuit ut quicunque dixerit eandem gratiam Dei per Iesum Christum dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperietur intelligentia mandatorum ut sciamus quid appetere quid uitare debeamus atque ualeamus, anathema sit.

Item placuit ut quisquis dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium iubemur facilius possimus implere per gratiam tanquam, & si gratia non daretur non quidem facile sed tamen possumus etiam sine illa implere diuina mandata anathema sit.

Si dixerimus quia peccatum non habemus nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis non est quisquis sic accipiendum putauerit ut dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum non quia ueritas est, anathema sit.

Item placuit ut quicunque dixerit in oratione dominica ideo dicere sanctos, dimitte nobis debita nostra ut non pro seipsis hoc dicant quia non

est iam eis necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque sanctorum dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit.

Item placuit, ut quicunque ipsa uerba dominicæ orationis ubi dicimus, dimitte nobis debita nostr. ita uoluerit a sanctis dici, ut humiliter non ueraciter hoc dicatur, anathema sit.

Cap. XXVIII. In quo ponuntur errores condemnati in tertia synodo uniuersali, uidelicet Ephesina.

PRÆTEREA tertia synodus uniuersalis, uidelicet Ephesina prima 200. patrum siue episcoporum Nestorium duas personas asserentem in Christo iusto anathemate condemnauit, ostendens manere in Christo duas naturas, & unam domini nostri Iesu Christi personam. Quæ quidem synodus sequentes condemnauit errores.

Si quis non confitetur Deum ueraciter esse Emanuel & propterea Dei genitricem sanctam uirginem Mariam peperit enim secundum carnem sanctum Dei uerbum secundum quod scriptum est, uerbum caro factum est, anathema sit.

Si quis non confitetur carni secũdum substantiam unicum uerbum Dei patris unumq; esse Christum cum propria carne eundem, scilicet Deum, & hominem, anathema sit.

Si quis in uno Christo diuidit substanciã prius unitatem sola eas connexione coniungens ea quæ secundum dignitatem uel etiam auctoritatẽ aut potestatem aut non potius conuentu qui per unitatem factus est naturalẽ, anathema sit.

Si quis personis duabus uel subsistentiis eas uoces quæ in apostolicis scriptis continentur, & euangelicis diuidit uel de Christo dicuntur a sanctis uel ab ipso, & aliquas quidem ex his uelut huiusmodi qui præter uerbum Dei specialiter intelligatur aptauerit. illas autem tanquam Deo dignas Deo soli Deo Dei patris uerbo deputauerit, anathema sit.

Si quis audeat dicere Christum hominem deopyon, id est Deum factũ & non potius Deum esse ueraciter dixerit tanquam filium per naturam secundum ꝙ uerbum caro factum est & communicauit similiter ut nos carni, & sanguini, anathema sit.

Si quis dicit Deum esse uel dominum Christum Dei patris uerbum & non potius eundem ipsum confitetur Deũ simul, & hominem propterea ꝙ uerbum caro factum est secundum scripturas, anathema sit.

Siquis uelut hominem Iesum operante Deo uerbo dicit adiutũ, & unigeniti gloriam tanquam alteri præter ipsum existẽti tribuit, anathema sit.

Si quis audet dicere assumptũ hominem coadorandum Deo uerbo conglorificandum, & connuncupandum Deum tanquam alterum cum altero, nam con syllaba semper adiecta hoc cogit intelligi: Deum potius una supplicatione ueneratur Emanuel unamq; ei glorificationem dependit iuxta quod uerbum caro factum est, anathema sit.

Si quis unum dominum nostrum Iesum Christum glorificatum dicit a spiri-

tu sancto tanquam qui aliena uirtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus posse & coram hominibus diuina signa perficere cum non potius proprium fatetur eius spiritum per quem diuina signa expleuit, anathema sit.

Pontificem & apostolum confessionis nostræ factum esse Christum diuina scriptura commemorat, obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo, & patri.

Si quis ergo apostolum, & pontificem nostrum dicit esse factum nõ per ipsum Dei uerbum quando caro factum est; & iuxta nos hominem sed uelut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere. Aut qui dicit ꝙ pro se obtulisset semetipsum oblationem & non potius pro nobis solis. non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nesciuit, anathema sit.

Si quis non confitetur carnem domini uiuificatricem esse, & propriam uerbi Dei patris, sed uelut alterius præter ipsum coniuncti ei per dignitatẽ aut quasi diuinam habẽtis habitationem ac non potius uiuificatricem esse, quia facta est propria uerbi uiuificare ualentis, anathema sit.

Si quis non confitetur Dei uerbum passum carne & Crucifixum carne & mortem carne gustasse factumq; primogenitum ex mortuis secundum quòd uita est & uiuificator ut Deus, anathema sit.

Cap. XXIX. In quo ponuntur hæreses condemnatę in quarta synodo uniuersali.

CETERVM quarta synodus uniuersalis Calcedonen. DCXXX. episcoporum condemnauit Euticen Constantinopolitanum Abbatem uerbi Dei, & carnis unam naturam pronunciantem, & eiusdẽ Dioscorum defensorem quondam Alexandrinum episcopum, & ipsum Nestorium episcopum cum reliquis hæreticis una patrum sentẽtia damnauit, prædicans eadem synodus Christum Deum sic natum de uirgine ut in eo substantiam, & diuinæ & humanæ confiteatur naturæ in cap. canones distinctio. 15.

Cap. XXX. In quo ponuntur errores condemnati in synodo Toletana.

ITEM prima synodus Toletana congregata auctoritate, & iussu Leonis papæ condemnauit errores, & hæreses sequentes contra Priscillianistas.

Si quis dixerit aut crediderit a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque eius omnia instrumenta, anathema sit.

Si quis dixerit atque crediderit Deum patrem eundem est filium uel paraclytum, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit filium eundem esse patrem uel paraclytũ, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit paraclytum uel patrem esse filium, anathema sit.

Si quis dixerit carnem tantum sine anima a filio Dei fuisse susceptam, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit deitatem nascibilem esse, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit deitatem Christi conuertibilem uel passibilem, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit alterum esse Deum priscæ legis alterum angelorum, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit ab altero Deo mundum fuisse factum, & non ab eodem secundum q scriptum est in principio fecit Deus cœlum & terram, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit animam humanam Dei portionem uel Dei esse substantiam, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit alias scripturas præter quas ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas uel esse uenerandas, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit deitatis, & carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit esse aliquid quod se extra diuinam trinitatem possit extendere, anathema sit.

Si quis astrologiæ uel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit coniugia hominum quæ secundum legem diuinam licet habere execrabilia esse, anathema sit.

Si quis dixerit uel crediderit carnes auium uel pecudum quæ ad escam datæ sunt non tantum pro castigatione corporum abstinendas sed execrandas esse, anathema sit.

Si quis in erroribus Priscilliani sectam sequitur uel profitetur ut aliud in salutari baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Cap. XXXI. In quo ponuntur hæreses condemnatæ in quinta synodo uniuersali.

CONSEQVENTER quinta synodus uniuersalis Constantinopolitana condemnauit Theodorum Mosothenum, & omnes hæreticos sequaces eius qui dicebant esse alium Dei uerbum & aliũ Christum & sanctam uirginem negabant Dei genitricem fuisse, ut in cap. sexta synodus distinctio. 16. In qua quidem quinto synodo patres diffinisse leguntur.

Si quis non confitetur patris, & filii, & spiritussancti unam naturam siue essentiam unam uirtutem, & potestatem trinitatem consubstantialem unã deitatem in tribus subsistentiis siue personis adorandam, talis anathema sit, unus enim Deus & pater ex quo omnia & unus dominus Iesus Christus per quem omnia & unus spiritussanctus in quo omnia.

Si quis non confitetur Dei uerbi esse duas natiuitates unam quidem ante secula & sine tempore ex patre incomparabiliter, aliam uero eiusdem in ultimis diebus descendente de cœlo, & incarnato ex sancta gloriosa Dei genitrice semperq; uirgine qui natus est ex ea, talis anathema sit.

Si quis dicit alium esse Deum uerbum qui miracula fecit, & aliũ Christum qui passus est, uel Deum uerbum cum Christo esse dicit quando ex

muliere

muliere nascebatur, uel in ipso esse ut alterum in altero, & non unum eundem dominum nostrum Iesum Christum Dei uerbum incarnatum, & hominem factum atque eiusdem miracula, & passiones quas sponte passus est carne talis, anathema sit.

Si quis dicit secundum gratiam uel secundum operationem uel secundum dignitatem uel secundum æqualitatem honoris uel secundum auctoritatem aut relationem aut effectum aut uirtutem unitionem Dei uerbi ad hominem factam esse aut secundum bonam uoluntatem quasi ꝙ placuit Deo uerbo huiusmodi, quia bene uisum est ei de ipso sicut Theodorus insaniens dicit uel secundum solam hominis similitudinem quam Græci Omonaemyam uocant per quam Nestoriani uerbum domini Iesum & Christum uocantes, & hominem separatum Christum & filium nominantes, & duas personas manifeste dicentes per solam nominationem, & honorem, & dignitatem adorationem & unam personam & unũ Christum confingunt dicere sed non confitentur sicut sancti patres docuerunt unitatem uerbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam factam, & propterea unam eius subsistentiam qui est dominus noster Iesus Christus unus de sancta trinitate talis, anathema sit. Cum enim multis modis unitas intelligitur. Aliquando quidem impietatem Apollinaris, & Euticis sequuntur in peremptionem eorum qui conuenerunt colentes unitionem secundum confusionem prædicant. Theodori autem & Nestorii sequaces diuisione gaudentes affectualem unitatem introducunt. Sancta uero Dei ecclesia utriusque perfidię impietatem eiciens unitionem Dei uerbi ad carnem secundum compositionem confitetur quod est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfusa ea quæ conuenerunt conseruat, sed nec diuisionem suscipit.

Si quis substantiam domini nostri Iesu Christi ita intelligit tanquam suscipientem multarum substantiarum significationem, & propterea conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias uel personas, & ab eo introductis duabus personis unam personam dicit per dignitatem & honorem & adorationem sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniantur sanctam Calcedonen. synodum tanquam secundum hunc impiissimum intellectum usam unius intelligentiæ uocabulum sed non confitetur Dei uerbum carni substantialiter uniri, & propterea unam eius subsistentiam uel unam personam, & ita sanctam Calcedonen. synodum unam subsistentiam domini nostri Iesu Christi confiteri talis anathema. Nec enim adiectionem personæ uel subsistentiæ sancta trinitas suscepit, & incarnato uno de eadem trinitate uerbo.

Si quis abusiue, & non ueræ Dei genitricem sanctam gloriosam semper uirginem Mariam aut per uelationem tanquam homine puro nato. Non enim de uerbo ex ea incarnato sed relati secundum illos hominis natiuitate in Deum uerbum tanquã cohærens nascenti homini, & criminatur sanctam Calcedonen. synodum tanquam secundum eundem impium intellectum a Theodoro commentatum Dei genitricem uirginem asserentem aut si quis hominis genitricem uocat eam aut Christi genitricem, utpote Christo non existente Deo, & non specialiter, & secundum ueritatem Dei genitricem eandem confitetur ob id quòd ante secula a patre genitus

Deus uerbum in ultimis dierum ex ea incarnatus, & natus est, atque ita pie sanctam Calcedonen. synodum Dei genitricem eam confiteri, talis anathema sit.

Si quis in duabus naturis dicens non ut in deitate, & humanitate unum dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur ut per hoc significet differentiam naturarum ex quibus, id est confusa, & ineffabilis unitas facta est neque uerbo in naturam carnis transfigurato neque ad uerbi naturam translatam, manet enim utrunque quod est secundum naturam, & post factam unitatem substãtialiter sed in diuisionem per partem huiusmodi suscepit uocem in mysterio Christi aut numerum naturarum cõtitens in uno eodemq; domino nostro Iesu Christo Deo uerbo incarnato, & non tantum modo contemplatione differentiam eorum accepit ex quibus, & compositus est non interempta οὐσία unus enim ex utrisque & per unum utranque sed propterea numero utitur tanquam diuisas, & proprie subsistentiæ consistentes naturas talis anathema sit.

Id est usia Latine autem essentia.

Si ex duabus naturis deitate & humanitate confitens unitionem factam fuisse uel unam naturam Dei uerbi incarnatam dicens, & non sic has uoces intelligit sicut sancti patres docuerunt quod ex diuina natura, & humana unitione secundum subsistentiam factam unus Christus factus sed ex huiusmodi uocibus unam naturam siue subsistentiam deitatis, & carnis Christi introducere conatur, talis anathema. Secundum subsistentiam enim dicẽtes carne unigenitum uerbum unitum esse non confusione quadam ad uices naturarum factam fuisse dicimus magis autem manente utraque hoc quod est unitum esse carni intelligimus uerbum propter quod & unus est Christus idem Deus & homo consubstantialis patri secundum deitatem & consubstantialis nobis & idem secundum humanitatem. Similiter enim & hos qui per partes diuidunt uel incidunt, & confundunt dispensationis mysterium Christi auertitur & anathematizat sancta Dei ecclesia.

Si quis adorari in duabus naturis dicit Christũ ex quo duas adorationes introducunt semotim Dei uerbo & semotim homini, aut si quis peremptionem carnis, aut in confusione deitatis. & humanitatis unam naturam siue essentiam conuenientium portentuose dicit sic adorat Christum sed una adoratione diuinum uerbũ incarnatum cum eius carne adorat iuxta quod sanctæ Dei ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.

Si quis confitetur non Crucifixum carne dominum nostrum Iesum Christum esse uerum & dominum gloriæ, & unum sanctę trinitatis, talis anathema sit.

Si quis non anathematizat Arrium Eunonium Macedonium Apollinaré Nestoriũ Euticen, & Origenem cum impiis eorum scriptis, & omnes alios hæreticos qui condemnati sunt & anathematizati a sancta Dei catholica, & apostolica ecclesia uel prædictis quattuor conciliis sed & eos qui similia cum prædictis hæreticis sapuerunt aut sapere noscuntur, & usq; ad finem permanserunt in propria impietate, talis anathema sit.

Si quis defendit Theodorum impiissimum mopsuestenum qui dixit aliũ esse Deum uerbum & alium Christum, & passionibus animæ, & concupiscentiis carnis molestum & a malis paulatim separantem se & ita ex promotione operum melioratum & ex uitæ conuersatione incertaminatum constitutum tanquam purum hominem baptizari in nomine Dei patris & fi

lii,& spiritusſancti, & per baptiſmum gratiam ſancti ſpiritus accipere, & adoptionem promoueri,& ad ſimilitudinem imperialis imaginis in perſonam Dei uerbi adorari poſt reſurrectionem inconuertibilem ſecundum intellectum, & ſine peccato penitus factum. Et iterum dicente eodem impiiſſimo Theodoro unitionem Dei uerbi ad Chriſtum talem factam fuiſſe qualem dixit Apoſtolus in marito & uxore, erunt duo in carne una. Et ſuper alias innumerabiles blaſphemias præſumente dicere quòd poſt reſurrectionem ſufflans dominus in diſcipulos ſuos, & dicens. Accipite ſpiritumſanctum, non dedit ſpiritumſanctum, ſed tantum ſtemate ſufflauit, hic autem, & confeſſionem Thomæ quam dum palparet manum uel latus domini poſt reſurrectionem per quam dixit, Deus meus,& dominus meus aſſeruit non fuiſſe dictam de Chriſto a Thoma. nec enim tunc eum Deum dicit ſed miraculo reſurrectionis obſtupeſcens Thomas glorificauit Deum qui ſuſcitauit Chriſtum. Quod autem peius eſt & interpræatione facta ab eo in geſta apoſtolorum quaſi in interpræatione comparans idem Theodorus Chriſtum Platoni uel Manicheo, & Epicuro,& Martioni dicit quia ſicut unuſquiſque illorum inueniens propriam ſectam diſcipulos ſuos fecit nominari Platonicos,& Manicheos,& Epicureos,& Martioniſtas ſimili modo & Chriſto inueniente ſectam ex ipſa Chriſtianos uocari. Si quis igitur defendit impiiſſimum Theodorum uel impia eius conſcripta in quibus tam prædictas quàm alias innumerabiles blaſphemias euomuit aduerſus magnũ Deũ & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, & non Anathematizat eum & impia eius conſcripta, & omnes qui ſuſceperunt aut defendunt eum aut dicentes eum recte exponere,& eos qui pro ipſo ſcripſerunt,& ſimilia ei ſapuerunt aut pro eo ſcribunt aut eius impia conſcripta,& eos qui ſimilia ei ſapiunt aut ſapuerunt aliquando,& uſque ad finem permanſerunt aut permanent in huiuſmodi impietate talis anathema.

Si quis defendit impia ſcripta Theodorici quæ contra rectã fidẽ expoſita ſunt & primã Epheſinã ſanctam ſynodũ & ſanctum Cyrillum uel 12. eius capitula,& omnia quæ conſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impiiſſimis uel alijs qui ſimilia Theodoro, & Neſtorio impiiſſimis ſapuerũt,& recipit eos uel impietatẽ eorũ atq; propterea impios uocat eccleſiæ doctores qui ſubſtãtialiter Dei unitionẽ Dei uerbi ad carnẽ cõfitentur,& nõ anathematizat prædicta impiiſſima cõſcripta,& eos qui ſimilia his ſapuerunt uel ſapiũt ſed etiã oẽs qui contra rectam fidem ſcripſerunt aut contra beatę me. Cyrillũ uel 12. eius capitula,& in hac impietate defuncti ſunt talis anathema.

Si quis defendit epiſtolam quam dicitur ſcripſiſſe Iba ad Marimperſam qui denegat quidem domini uerbum de ſancta genitrice ſemper Virginẽ Maria incarnatũ hominem factum, dicit aũt purum hominem ex ea natum eſſe quẽ templum uocat tanquã alio exiſtente Deo uerbo & alio homine ſed & ſanctum Cyrillum ſectam Chriſtianorũ prædicantem reprehendit hęreticũ,& ſimilia ſceleſti Apollinaris ſcribentẽ atq; uituperat Epheſinã ſanctam primã ſynodum tanquam ſine iudicio & requiſitione Neſtorium deponentẽ ſed & 12. capitula beatę me. Cyrilli impia & aduerſa recte fidei nominat prædicta impia epiſtola & defendit Theodorum & Neſtorium,& impia eorum dogmata,& conſcripta.

Si quis igitur prędictam epiſtolam defendit & non eam Anathematiſubmittit & eos qui defendunt eam & dicunt rectam eſſe aut partem eius, &

eos qui scripserunt uel scribunt pro ea siue pro impietatibus quæ in ipsa continétur, & pręsumentes eam defendere aut positas in ea impietates ex nomine sanctorum patrum aut sanctæ Calcedon. synodi, & usque ad finem in his permanserunt, talis anathema.

His igitur ita confessis a nobis quæ etiam accepimus de diuina scriptura, & sanctorum patrum doctrina, & de factis de una eademq; fide a prædictis quattuor conciliis, facta uero etiam a nobis super hæreticos uel impietatem eorum, sed etiam contra eos qui defendere præsumpserunt aut defendunt tria prædicta capitula, & permanserunt aut permanent in proprio errore, condemnatione.

Si quis conatus fuerit cõtra hæc quæ a nobis pie terminata sunt tradere aut docere aut scribere, si quidẽ episcopus est aut in clero connumeratus talis extraneus, & a sacerdotũ, & ecclesiastica disciplina peragens denudabitur ab episcopatu aut a clero, si autem monachus aut laicus fuerit anathematizabitur.

Cap. XXXII. In quo ponuntur errores condemnati in synodo prima Bracarensi.

AMPLIVS synodus prima Bracaren. contra Priscillianistas, sequentes errores reprobat, & anathematizat.

Si quis patrem, & filium & spiritumsanctum non confitetur tres personas unius substantiæ, & uirtutis ac potestatis sicut catholica, & apostolica ecclesia docet, sed unam tantum ac solitariam dicit esse personam ita ut ipse sit pater qui filius ipse etiam sit paraclytus spiritus sicut Sabellius, & Priscillianus dixerunt anathema sit.

Si quis extra sanctam trinitatem mala nescio quæ diuinitatis nomina introducit dicens, quòd ipsa diuinitas sit trinitas sicut Gnostici, & Priscilianus dixerunt anathema sit.

Si quis dicit filium Dei dominum nostrum antequam ex uirgine nasceretur non fuisse sicut Paulus Samosathenus, & fotinus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis natalem Christi secundum carnem non uere honorat, sed honorare se similat ieiunans in eodem die in dominico, quia Christum in hominis natura natum esse non credit sicut Cerdion Martion Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpa hũana in terra deiectas sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

Si quis humanas animas uel angelos ex Dei credit substantia extitisse sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum angelum a Deo factum nec Dei opificiũ fuisse naturam eius, sed dicit eũ ex tenebris emersisse nec aliquem sui habere auctorem sed ipsum esse principium atq; substantiam mali sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis credit quia aliquantas in mundo creaturas dyabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura & tempestates siccitates ipse dyabolus sua auctoritate faciat sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

Si quis animas, & corpora humana fatali signo credit astringi sicut pa-

gani & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis 12. signa. i. sydera quæ Mathematici obseruare solent per singula animæ uel corporis membra dissipata credunt, & nominibus patriarcharũ ascripta dicunt ut Priscillianus dixit, anathema sit.

Si quis coniugia damnat & procreationem nascentium abhorrescit sicut Manicheus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in uteris matrum operibus dicit dæmonum figurari propter quod & resurrectionem carnis non credit sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis dicit creationem uniuersæ carnis non opificium Dei sed malorũ esse angelorũ sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis inmundos putat cibos carnium quas Deus in usum omnium dedit, & non propter afflictionem corporis sed quasi immunditiam putauerit ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prægustet sicut Manicheus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Si quis clericorũ præter matrem & germanã uel etiã qui proxime consanguinitate iunguntur aliquas alias quasi adoptiuas fœminas secum retinet & cum ipsis habitat sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit.

Si quis quinta feria Paschali quæ uocatur cœna domini hora legitima post nonam ieiunus in ecclesia missas non tenet sed secundum sectam Priscilliani festiuitatem ipsius diei ab hora tertia permissas defunctorum soluto ieiunio colit, anathema sit.

Si quis scripturas quas Priscillianus secundum suum deprauauit errorem uel tractatus Dictimi quos ipse Dictimus antequam conuerteretur scripsit sub nomine patriarcharum prophetarum uel apostolorum, & suo errori consona confinxit legit, & impia eorum figmenta sequitur aut defendit, anathema sit.

Cap. XXXIII. In quo ponuntur hæreses condemnatę in sexta synodo uniuersali, & septima.

SEXTA synodus Constantinopolitana el. patrum condemnauit stultitiam hæresis Macharii, & sociorum eius qui unam tantum uoluntatem, & operationem in Christo falsa suspitione astruebant, ut in ca. sexta synodus dist. 16. Septima synodus dicta Nicena 367. patrum condemnauit hæresim execrantium imagines sanctorum in ecclesia dicentium illas nec colendas nec uenerandas fore.

Cap. XXXIIII. De hæresibus ab Isidoro descriptis lib. Ethymologiarum, & positis in decreto qui ab apostolis, & sanctis patribus uel conciliis damnate dicuntur.

SECTÆ uero hæreticorũ quot sint & unde nomina acceperint beatus Isido. 8. Eth. cap. 5. ita determinat di. Quidam uero hęretici qui de ecclesia recesserunt ex nomine suorum auctorum nuncupantur. Quidam uero ex causis quas eligentes instituerunt. Symoniaci Symone

dicti magicæ disciplinę perito, cui Petrus in actibus apostolorum maledixit pro eo quod ab apostolis spiritussancti gratiam pecunia emere uoluisse. Hi dicunt creaturam non a Deo esse, sed a uirtute quadam superna creatam. Menandriani a menandro mago discipulo symonis nuncupati, qui mundum non a Deo, sed ab angelis factum asserunt. Basilidiani a Basilidæ appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegauit. Nicolaitę dicti a Nicolao dyacono ecclesiæ Hierosolymitanorum, qui cum Stephano, & cum aliis constitutus est a Petro, qui propter pulchritudinem relinquens uxorem dixit ut qui uellet ea uteretur, uersa est in stuprum talis consuetudo ut inuicem coniugia commutarent quos Ioan. in Apoc. improbat di. Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolaitarum. Gnostici qui propter excellentiam scientiæ ita se appellare uoluerũt, animam naturam Dei esse dicunt, bonum & malum Deum suis dogmatibus fingunt. Carpogratiani a Carpogratę quodam uocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantum de utroque sexu progenitum. Cherinciani a cherinto quodam nuncupati. Hi inter cetera circuncisionem obseruant mille annos post resurrectionem in uoluptate carnis futuros prædicant. unde & græcè Chiliastæ latinè miliasti sunt appellati. Nazarei dicti, quia dum Christum qui a Vico Nazarenus est appellatus filium Dei licet confiteantur, omnia tamen ueteris legis custodiunt. Ophycæ a colubro nominati sunt, coluber enim græcè ophys dicitur, colunt enim serpentem dicentes ipsum in Paradiso induxisse uirtutis cognitionem. Valentiniani a Valentino quodam Platonico sectatore uocati, qui conas, id est scelera quædam in originem creatoris induxit, Christum quoque de uirgine nihil corporis sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit. Apellite quorum auctor apelles princeps fuit, qui creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens Deum legis igneum affirmans, qui dixit Christum non Deum in ueritate sed hominem in fantasia apparuisse. Archontiati a principibus appellantur qui uniuersitatem quam Deus condidit Archangelorum opera esse defendunt. Adamiani uocati, quia ade nuditatem imitentur. unde, & nudi orant, & nudi inter se mares fœminæq; conueniunt. Chayani proinde sunt appellati: quoniam Cayn adorant. Sethiani nomen acceperunt a filio Ade, qui uocatus est Seth dicentes eundem esse Christum. Melchisedechiani uocati pro eo quòd Melchisedech sacerdotem Dei non hominem fuisse sed uirtutem Dei esse arbitrantur. Angelici uocati, quia Angelos colunt. Apostolici uocati hoc sibi nomen sumpserunt quòd nihil possidentes proprium nequaquam recipiunt eos qui aliquo in hoc modo utuntur. Cerdoniani a Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asserunt. Martioniste a martione stoyco philosopho appellati, qui Cerdonis dogma secutus alterum bonum alterum iustum Deum asseruit tanquam duo principia creationis, & bonitatis. Artaterite ab oblatione uocati, panem etenim, & caseum offerunt dicentes a primis hominibus oblationem a fructibus terrę, & a fœtibus ouium fuisse celebratam. Aquarii appellati, eo ꝙ aquam solum offerunt in calice sacramenti. Seueriani a Seuero exorti, uinum non bibunt uetus testamentum, & resurrectionem non recipiunt. Tatiani a Tatiano uocati, qui & Encratici dicti, quia carnes abominantur. Alogii uocantur tanquam sine uerbo, logos enim græcè uerbum dicitur, domini enim uerbum non credunt respuentis Ioan. euangelium, & apocalypsim.

lypsim. Catafrigis nomen prouincia dedit, quia ibi extiterunt auctores eorum Montanus Prisca & Maximilla fuerunt. Hi aduentum spiritussancti non in apostolos, sed in se traditum asserunt. Cathoroe propter mundiciam ita se nominarunt, gloriantes enim de suis meritis negant pœnitentibus ueniam peccatorum: uiduas si nupserint tanquam adulteras dãnant, mundiores se ceteris prædicant. qui nomen suum si cognoscere uellent mundanos potius se quam mundos uocarent. Pauliani a Paulo Samosatheno exorti sunt, qui dixit non semper fuisse Christum, sed a Maria sumpsisse initium. Hermogeniani ab hermogene quodam uocati, qui materiã non naturam introducens Deo non naturæ eam comparauit, matremq; elementorum ideam asseruit quos apostolus comparat elementis seruientes. Manichæi a quodam persa extiterunt, qui uocatus est manes, hic duas naturas & substantias introduxit, id est bonam & malam, & animas ex Deo quasi ab aliquo fonte manare asseruit. Testamentum uetus respuunt, nouum ex parte recipiunt. Antropomorphite dicti pro eo quòd simplicitate rustica Deum habere humana membra quæ in diuinis libris scripta sunt arbitrantur. Antropos enim græcè latinè homo interpræetatur, ignorantes uocem domini qui ait. Spiritus est Deus. incorporeus est enim. nec enim membris distinguitur nec corporis mole censetur. Eraclite ab eraclio auctore exorti, monachos tantum recipiunt. coniugia respuunt, regna cœlorum paruulos habere non credunt. Nouatiani a nouato Romæ urbis presbytero exorti, qui aduersum Cornelium cathedram sacerdotalem conatus inuadere hæresim instituit, noluit apostatas suscipere, & rebatizans baptizatos. Montani hæretici dicti quòd tempore persecutionis in montibus latuerunt qua occasione se a catholicæ ecclesiæ corpore diuiserunt. Ebionite ab ebione dicti siue a paupertate, Christum enim per prouentum solum uirum iustum putant effectum. unde & competenter ebionite pro paupertate intelligentiæ appellati sunt. Hi enim iudæi sunt & ita tenent euangelium ut legem carnaliter seruent, aduersus quos Apostolus ad Galathas scribens inuehitur. Fotiniani a fotiniano gallogræciæ smirne episcopo nuncupati qui ebionitarum hæresim suscitans asseruit Christum ex Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum.
Aeriani ab aerio quodam nuncupati sunt. hi offerre sacrificium pro defunctis spernunt. Aetiani ab etio sunt uocati idemque Eunomiani ab eunomio quodam dialetico aerii discipulo, ex cuius nomine magis innotuerunt dissimilem patri asserentes filium & filio spiritumsanctum, dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium. Origeniani ab origene auctore exorti sunt dicentes, quòd non possit filius uidere patrem, nec spiritussanctus filium. animas quoque in mundi principio dicunt peccasse, & pro diuersitate peccatorum de cœlis usque ad terram diuersa corpora quasi uincula meruisse eaq; causã factum esse mundum. Noetiani quoque a quodam noeto uocati, qui dicebant Christum eundem esse patrem & spiritumsanctum ipsamq; trinitatem in officiorum nominibus non personis accipiunt, unde & patripassiani uocantur quia patrem passum dicunt. Sabelliani ab eodem noeto pullulasse dicuntur cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium ex nomine cuius maxime innotuerunt. unde & Sabelliani uocati. hi unam personam patris & filii & spiritussancti astruunt. Arriani ab arrio Alexandrino presbytero exorti sunt qui coeternum patri fi-

llium non agnoſcens diuerſos in trinitate ſubſtantias aſſeruit contra illud quod ait dominus. Ego & pater unum ſumus. Macedoniani a macedonio ſunt dicti, negantes ſpiritumſanctum eſſe Deum. Apollinariſtæ ab apollinare uocati ſunt, dicentes Chriſtum corpus tantũ ſine anima aſſumpſiſſe. Antidicomaritę appellati ſunt eo quòd Mariæ uirginitati contradicunt. aſſerentes eam poſt Chriſtum natum uiro ſuo fuiſſe commixtam. Metangi nominati ideo tale nomen acceperunt, quia angios græcè uas dicitur, aſſerentes ſic patrem eſſe intra filium ſicut uas minus intra uas maius. Patriciani a quodam patricio nuncupati ſunt, qui ſubſtantiam humanæ carnis a dyabolo conditam dicunt. Colliciani a quodam collitio nominati, qui dicunt Deum non facere mala contra id quod dictum eſt. Ego dominus creans malum. Floriani a floriano, qui contrario dicunt Deum creaſſe mala contra hoc quod ſcriptum eſt. Fecit Deus bona omnia. Donatiſtæ a donato quodam aphro nuncupati ſunt, qui de numidia ueniens totam pœnæ aphricam ſua perſuaſione decepit aſſerens minorem patre filium & minorem filio ſpiritumſanctum & rebaptizans catholicos. Bonoſiani a bonoſo quodam epiſcopo exorti produntur, qui Chriſtum filium Dei adoptiuum non proprium aſſerunt. Cirgumcelliones dicti eo quòd agreſtes ſint. quos ſcotopicos uocant ſupradictæ hæreſis habentes doctrinam. hi amore martyrii ſeipſos perimunt, ut uiolenter de hac uita recedentes martyres nominentur. Priſcillianiſtæ a priſcilliano uocati, qui in hyſpania ex errore gnoſticorum manichæorum permixtum dogma compoſuit. Luciferiani a lucifero ſmirne epiſcopo orti, qui epiſcopos catholicos qui inſtanti perſecutione perfidiæ arrianorum conſentientes erant & poſtea correcti redire in cathedram elegerunt damnantes quod crediderunt ſiue quod credidiſſe diſſimulauerunt. Quos eccleſia materno recepit ſinu tanquam Petrum poſt fletum negationis, hanc illi matris charitatem ſuperbæ accipientes eos recipere nolentes ab eccleſiaſtica communione receſſerunt & cum ipſo lucifero auctore ſuo qui mane oriebatur cadere meruerunt. Iouinianiſtæ a iouiniano quodam monacho dicti, aſſerentes nullam nuptiarum, & uirginum eſſe diſtantiam nullumq; inter abſtinentes & ſimpliciter epulantes eſſe diſcrimen. Eluidiani ab eluidio nominati, qui dicunt poſt natum Chriſtum alios Mariam filios de uiro ſuo Ioſeph peperiſſe. Paterniani a paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes a diabolo factas opinantur. Arabici nuncupati eo quòd in arabia exorti ſunt, dicentes animam cum corpore mori atque in nouiſſimo utrunque reſurgere. Terculiani dicti a terculiano presbytero aphricanæ prouinciæ ciuitatis Carthaginen. animam immortalem eſſe, ſed corpoream prædicantes, & animas peccatorum hominum poſt mortem in demones conuerti putantes. Teſſeredecate dicti quòd 14. Luna paſcha cum iudæis obſeruandum contendunt. nam teſſera quattuor, deca decem ſignificat. Nictages a ſomno nuncupati, quòd uigilias noctis reſpuant ſuperſtitionem eſſe dicentes iura temerari diuina qui noctem ad requiem tribuit. Pelagiani a pelagio monacho exorti, hi liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt dicentes ſufficere uoluntatem ad implendum diuina iuſſa. Neſtoriani a neſtorio Conſtantinopolitano epiſcopo nuncupati, qui beatam uirginem Mariam non Dei, ſed hominis tantummodo matrem aſſeruit, ut aliam perſonam patris aliam faceret deitatis nec unum

Christum in uerbo Dei & carne credidit, sed separatim atque seiunctim alterum filium Dei alterum hominis prædicauit. Euticiani dicti ab eutice Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit exiltere de duabus naturis, sed solum in eo diuinam asseruit esse naturam. Acephalite dicti id elt sine capite, nullus enim reperitur eorum auctor a quo exorti sint. Hi trium Calcedonen. capitulorum impugnatores duarum in Christo substanciarum proprietatem negant, & unam in eius persona prædicant naturam. Theodosiani & gaianite appellati a Theodosio & gaiano, qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria populi peruersi electione una die ordinati sunt episcopi. Hi errorem eutícis & diascori sequentes Calcedonen. concilium respuunt ex duabus unam in Christo naturam asserunt quam theodosiani corruptam gaianite incorruptam contendunt. Gnoite & tritoite a Theodosianis exorti sunt, ex quibus gnoite ab ignorantia dicti, qui ad peruersitatem a qua orti sunt id adiiciunt, quòd Christi diuinitas ignorat, quæ sunt futura scripta de die & hora nouissima, nec recordantes Christi personam in Esaia loquentem, dies iudicii in corde meo. Tritoite uero uocati sunt quòd sicut tres personas in trinitate ita quoque asserunt tres Deos esse contra illud quod scriptum est. Audi Israel dominus Deus tuus unus est. Sunt & aliæ hæreses sine auctore & sine nominibus ex quibus aliæ putant trinum esse Deum. Aliæ Christi diuinitatem passibilem dicunt. Aliæ Christi natiuitatem de patre in tempore initium temporis dant. Aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensionem non credunt. Aliæ animam imaginem Dei negant. Aliæ animas conuerti in demones & in quæcunque animalia existimant. Aliæ de mundi statu dissentiunt. Aliæ innumerabiles mundos opinantur. Aliæ aquam Deo coeternam faciunt. Aliæ nudis pedibus ambulant. Aliæ cum hominibus non manducant. Hæ sunt hæreses aduersus catholicam fidem exorte ab apostolis & sanctis patribus, uel conciliis condemnate, quæ dum in se multis erroribus diuisę inuicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine aduersus ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicunque aliter scripturam sanctam intelligit quàm spiritussancti sensus efflagitat a quo scripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamẽ hæreticus appellari potest teste Aug.

Cap. XXXV. De erroribus & hæresibus condemnatis in decretalibus.

INTER hæreses damnatas in decretalibus prima occurrit illa abbatis Ioachim de qua extra de sum. trin. & fi. cath. damnamus, ubi Innocen. 3. in concilio generali ita loquitur. Damnamus ergo & reprobamus libellum siue tractatum quem abbas Ioachim edidit contra magistrum Pe. lombardi de unitate seu essentia trinitatis, &c. Hæresis autem abbatis Ioachim arguentis contra Petrum lombardi qui docuerat, quòd quædam summa res est pater & filius & spiritussanctus & illa nec est generans nec genita nec procedens fuit ista scilicet ꝙ nulla res est pater & filius & spiritussanctus atq; ꝙ unitas qua pater & filius & spiritussanctus dicuntur una essentia una natura nec sit uera & propria unitas sed similitudinaria, quemadmodũ multi homines dicuntur unus populus. Hanc hæresim

merito damnauit præfatus Romanus pontifex credens, & confitens cum Petro lombardi quòd una quædam res est incompræhensibilis quidem & ineffabilis quæ ueraciter est pater & filius & spiritussanctus tres simul personæ ac sigillatim quælibet earundem. Secundo loco hæreses & errores condemnati & reprobati in fine præfati capituli, sunt errores pessimi hæretici almarici. Cuius errores fuerunt plures, ut colligitur ex cronica Romanorum pontificum tempore Inno.3. Primus error fuit quòd asseruit ideas quæ sunt in mente diuina & creare & creari cum tamen secundũ Aug. nihil nisi æternum atque incommutabile sit in mente diuina. Secũdus error fuit quòd asseruit quòd ideo Deus dicitur finis omnium, quia omnia reuersura sunt in ipsum, ut in Deo immutabiliter quiescant & unum indiuiduum atque incommutabile in eo permanebunt. Tertius error fuit quòd sicut alterius naturæ non est Abraham & alterius Isaac, sed unius atque eiusdem, sic dixit omnia esse unum & omnia esse Deum dixit enim Deum essentiam esse omnium creaturarum & esse omnium. Quartus error fuit quòd asseruit sicut lux non uidetur nisi in aere sic Deus nec ab angelis, nec ab homine uidetur in se, sed tantum in creaturis. Quintus error fuit quòd asseruit quòd si homo non peccasset in duplicem sexũ partitus non fuisset nec generasset, sed eodem modo quo angeli sancti multiplicati sunt fuissent & homines. Sextus error eius fuit quòd in charitate constituto nullum peccatum imputabitur. Vnde sub tali specie pietatis eius sequaces omnem turpitudinem committebant. unde non immerito præfatus dominus Inno. dicit ubi supra de dicto Almarico loquens, ita eum pater mendacii excecauerat, ut eius doctrina non tam hæretica asserenda sit quàm insana. Tertio loco in c. cum Christus. extra de hæret. condemnatur hæresis dicentium Christum non esse aliquid secundũ quòd homo. Quarto loco condemnate dicuntur hæreses multorum hæreticorum, ubi ita habetur. Excommunicamus & anathematizamus uniuersos hæreticos, Catharos, Paterinos, Pauperes de Lugduno. Passaguinos Iosepinos, Arnolditas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur. Qui autem fuerint errores istorum plene reperire nõ ualuimus nisi tantum catharorum siue paterinorum, & pauperum de Lugduno, & fortassis omnes alii sequentes communicant cum istis aut parum discrepant ab eis. Errores autem catharorum siue paterinorum sunt uarii quia secta eorum diuisa est in tres partes siue sectas principales, quarum prima uocatur Albanen. secunda Cozoren. tertia Baiolen. nihilominus omnes cathari conueniunt in erroribus sequentibus secundum quòd ex libr. inquisitionis hæreticorum colligitur dimissis aliis in quibus particulariter inter se discrepant.

Primus eorum error communis est, quòd diabolus fecit hunc mundum, & omnia quæ in eo sunt.

Secundus quòd omnia sacramenta ecclesiæ nihil prosunt ad salutem.

Tertius quòd sacramenta Christi & ecclesiæ non sunt uera, sed falsa & deceptoria.

Quartus quòd carnale matrimonium est peccatum mortale.

Quintus negant carnis resurrectionem.

Sextus credunt quòd comedere carnes & oua, & caseum etiam urgente necessitate est peccatum mortale.

Septimus

Septimus quòd non licet iurare in aliquo casu.

Octauus quòd potestates seculares peccant mortaliter puniendo malefactores, uel hæreticos.

Nonus quòd nemo potest fieri saluus nisi per eos.

Decimus quòd paruuli baptizati non leuius punientur æternaliter quã latrones & homicidæ. uerum est tamen quòd Albanenses in hoc dissentire uidentur.

Vndecimus quòd dicunt non esse purgatorium.

Duodecimus error est quòd fingunt multa inania & falsa & sacrilega sacramenta.

Tertiusdecimus error est quòd dicunt quòd panis non potest benedici, quia est creatura diaboli.

Decimusquartus error est quòd dicunt quòd ex pane non cõficitur corpus Christi.

Decimusquintus est quòd per pœnitentiam nec gloria augetur nec pœna minuitur inferni.

Decimussextus quòd non plus punietur iudas proditor quàm infans unius diei.

Decimusseptimus ꝙ omnes erunt æquales in gloria uel in pœna.

Decimusoctauus ꝙ de peccatis non est pœnitendum.

Decimusnonus ꝙ male acquisita per usuram, uel rapinam non sunt restituenda usuram dicentes nullum esse peccatum.

Vigesimus error est ꝙ non implorant auxilia beatæ uirginis, nec angelorum, nec sanctorum, nec muniunt se signo crucis.

Hi sunt errores communes catharorum, siue paterinorum relinquimus autem errores speciales quos habuerunt præfatæ sectæ eorum.

Errores pauperum de Lugduno qui alio nomine Valden. & Boemistæ nominantur.

Primus ꝙ contemnentes ecclesiasticam potestatem dicunt se non subesse Romano pontifici nec prælatis ecclesiæ Romanæ.

Secundus ꝙ se solos esse ecclesiam & Christi discipulos affirmant.

Tertius quòd se dicũt apostolorum successores & habere auctoritatem apostolicam ligandi & soluendi.

Quartus quòd dicunt Romanam ecclesiam esse meretricem babylonem & omnes ei obedientes dicunt damnandos.

Quintus quòd dicunt omnes sanctos & fideles a tempore Syluestri papæ esse damnatos.

Sextus error dicunt quòd nulla miracula in ecclesia uera fiant quia nullus eorum aliquando miracula fecit.

Septimus quòd dicunt post ascensionem Christi nulla esse seruanda statuta ecclesiæ nec esse alicuius ualoris.

Cap. XXXVI. In quo ponuntur hæreses condemnatæ in Sexto & in Clementinis.

CONSEQVENTER de erroribus siue hæresibus quæ in Sexto & in Clementinis reprobatæ sunt dicendum est. Sunt autem hæ hæreses quæ sequuntur.

In sexto tit. de sum. trin. & fide cath. in fine condemnatæ leguntur duæ hæreses.

Prima negantium spiritumsanctũ a patre & filio æternaliter procedere.

Secunda dicentium ꝙ spiritussanctus a patre & filio tãquam ex duobus principiis & non tanquam ex uno procedat.

Hæreses in Clementinis condemnatæ.

Prima hæresis est dicentium ꝙ Christo adhuc uiuente latus eius fuerit lancea perforatum in c. I. de sum. tri. & fide cath.

Secunda hæresis dicentium ꝙ anima rationalis siue intellectiua non sit uere & per se forma humani corporis in c. de sum. tri. & fide cat.

Tertia hæresis dicentium quòd paruulis licet per baptismum culpa remittatur, gratia tamen informans non infundatur, nec uirtutes, ubi supra.

Quarto loco condemnatur secta Beguardorum & Beguinarum in c. ad nostrum de hære. Cuius sectæ errores sunt qui sequuntur.

Primus error, dicunt enim ꝙ homo in uita præsenti tantum & talẽ perfectionis gradum potest acquirere quòd reddetur penitus impeccabilis & amplius in gratia proficere non ualebit. nam ut dicunt si quis semper proficere posset, posset aliquis perfectior Christo inueniri.

Secundo ieiunare non oportet hominem quòd uel orare postquam gradum perfectionis huius fuerit assecutus quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui & rationi subiecta quod homo potest libere concedere corpori quicquid placet.

Tertio ꝙ illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis & spiritu libertatis non sunt humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta ecclesiæ obligantur, quia ut asserunt ubi spiritus domini ibi libertas.

Quarto ꝙ homo põt finalem beatitudinem secundum omnem gradũ perfectionis in præsenti uita assequi sicut eã in uita beata uel patria obtinebit.

Quinto ꝙ quælibet intellectualis natura seipsa naturaliter est beata ita ꝙ anima non indigebit lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum uidendum, & eo beatæ fruendum.

Sexto ꝙ se in actibus exercere uirtutum est hominis imperfecti & perfecta anima licentiat a se uirtutes.

Septimo ꝙ mulieris osculum cum ad hoc non inclinet natura est mortale peccatum, actus tamen carnalis cum ad hoc inclinet natura peccatum non est maxime cum tentatur exercens.

Octauo ꝙ in eleuatione corporis Christi Iesu homo non debeat assurgere nec eidem reuerentiã exhibere asserentes ꝙ esset imperfectionis eisdem si a puritate & altitudine suæ contemplationis tantum descenderẽt ꝙ circa mysteriũ seu sacramentũ eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Non nulla ẽt alia sub simulata quadam sanctitatis specie dicunt faciunt & cõmittunt quæ oculos diuinæ maiestatis offendunt & graue in se continent periculũ animarum. Cum aũt ex debito commissi nobis officii huiusmodi sectam detestabilem & præmissos ipsius execrandos errores ne propagentur ulterius & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur extirpare ab ecclesia catholica necessario habeamus nos sacro approbante concilio sectam ipsam cum prædictis erroribus damnamus,

namus & reprobamus, omnino inhibentes districtius ne quis ipsos decetero teneat & approbet, uel defendat. Eos autem qui secus egerint animaduersione canonica decernimus puniendos. Quinto loco condemnatur hæresis dicentium usurã non esse peccatũ in c. graui. de usuris. §. ult.

Cap. XXXVII. In quo ponuntur errores & hæreses condemnatæ in extrauagantibus Alexandri quarti & Honorii.

ALEXANDER quartus in extrauagante sua quæ incipit. Quidam scripturæ sacræ intelligentiam se habere fatentes, &c. libellũ magistri Guilhelmi de sancto amore quem contra religiosos mendicantes in detractionem & denigrationem status eorum ediderat, qui intitulatur de periculis nouissimorum temporum, tanquã iniquũ & scelestũ, & execrabilem continentem documenta praua falsa erronea & nepharia dãnat & reprobat, mandans ut ubicunque talis libellus reperiatur comburatur & aboleatur omnino sub pœna excommunicationis.

Consequenter idem Rom. pont. per alias extrauagantes similiter damnat & reprobat supradictum libellũ & alios famosos libellos erroribus plenos quos quidam alii magistri Parisien. in detractionem ordinum mendicãtium malitiose cõdiderunt, sicut patet in extrauagante quæ incipit. Ex alto fuisse conspicimus. Et in extrauagante quæ incipit. Cum olim.

Amplius papa Honorius in extrauagante sua quæ incipit. Olim felicis recordationis Gregorius papa 10. reprobat & damnas sectas eorum qui se dicunt de ordine apostolorum: asserentes se uitam apostolorum tenere & euãgelicam paupertatem. Quorum hæreticorum capita & principes Geraldus segnerelli de parma & Dulcinus discipulus eius diœcesis Nouariensis. Quorum errores condemnati sunt qui sequuntur prout ex li. inquisitionis hæreticorum colligitur.

Primus est quòd auctoritas Romanæ ecclesiæ est omnino euacuata, & iamdudum cessauit propter malitiam prælatorum.

Secundus est ꝙ ecclesia quam tenent papa & Cardinales & clerici & religiosi non est ecclesia Dei, sed probata ecclesia sine fructu.

Tertius ꝙ ecclesia Romana est illa meretrix quæ a fide Christi apostatauit de qua scribit Ioan. in Apocalipsi.

Quartus ꝙ tota illa potestas spiritualis quã Christus dedit ecclesiæ ab initio translata sit in sectam eorum qui dicuntur apostoli siue de ordine apostolorum quam sacram uocant congregationem specialiter a Deo missam & electam in istis nouissimis diebus & ꝙ ipsi & nulli alii habeant potestatem quam habuit beatus Petrus apostolus.

Quintus quòd ipsi soli qui dicunt apostoli de prædicta secta seu congregatione sunt ecclesia Dei & sunt in illa perfectione in qua fuerunt apostoli Christi.

Sextus ꝙ non tenentur alicui homini obedire nec summo pontifici nec alteri, quia eorum regula quæ fuit immediate a Christo libera est & perfectissima uita.

Septimus ꝙ nec papa nec aliquis alius potest eis percipere ꝙ deponant statum illum seu ritũ tantæ perfectionis nec etiam potest eos excõicare.

Octauus quòd de quolibet statu & ordine potest quilibet licet transire ad eorum uitam & statum seu ordinem siue sit religiosus siue secularis ita quòd uir sine consensu uxoris & econuerso potest relinquere matrimoniū, & ordinem intrare ipsorum.

Nonus quòd nullus prælatus ecclesiæ Romanæ potest separare matrimonium, sed ipsi possunt.

Decimus ꝙ nullus de uita seu statu uel ordine ipsorum potest licite intrare alium ordinem seu regulam sine peccato mortali nec potest se supponere obedientiæ hominis cuiusque quia hoc esset descendere a uita perfectissima ad minus perfectam.

Vndecimus quòd nullus potest saluari nec intrare regnum cœlorum nisi sit de statu seu ordine ipsorum.

Duodecimus quòd omnes qui persequuntur eos peccant & sunt in statu damnationis.

Decimustertius quòd nullus papa Romanæ ecclesiæ potest aliquem absoluere a peccatis nisi esset ita sanctus sicut fuit beatus Petrus apostolus in uiuendo in omnimoda paupertate, & sine proprio & in humilitate non faciendo guerras nec aliquem persequendo, sed permittendo uiuere quemlibet in sua libertate.

Decimusquartus ꝙ omnes prælati ecclesiæ Romanæ tam maiores, quā minores a tépore sancti Syluestri papæ declinauerunt a modo uidendi priorum sanctorum sunt præuaricatores & seductores excepto fratre Petro de marrone qui fuit papa Celestinus uocatus.

Decimusquintus ꝙ omnes ordines religiosorum & sacerdotum, & diaconorum, & subdyaconorum, & prælatorum sunt ad fidei catholicæ detrimentum.

Decimussextus quòd laici non tenentur, nec debent decimas alicui sacerdoti siue prælato Romanæ ecclesiæ qui non sit in tanta perfectione, & in tanta paupertate in quanta fuerunt Christi apostoli, & ideo decimæ nō debent dari nisi ipsis qui dicuntur apostoli & sunt pauperes Christi.

Decimusseptimus ꝙ quilibet uir & quælibet mulier nudi simul possunt iacere licite in uno & eodem lecto & licite tangere mutuo unus alterum in omni parte sui & osculari seinuicem sine peccato & cōiungere uentrem suum cum uentre mulieris ad nudum si quis stimuletur carnaliter, ut cesset tentatio non est peccatum.

Decimusoctauus ꝙ iacere cū muliere & non cognoscere carnaliter maius est quàm suscitare mortuum.

Decimusnonus ꝙ perfectior uita est uiuere sine uoto quàm cum uoto.

Vigesimus ꝙ ecclesia consecrata non plus ualet ad orandum Deum quā stabulum æquorum siue porcorum.

Vigesimusprimus ꝙ ita bene potest adorari Christus in nemoribus sicut in ecclesiis uel melius.

Vigesimussecundus quòd pro nulla causa debet homo iurare nisi pro articulis fidei, uel præceptis Dei & omnia alia possunt celari quantumcunque iurent dicere ueritatem & mentiri & dolose palliare, ut sit unum in ore & aliud in corde.

In extrauagante Bonifacii 8. quæ incipit: unam sanctam, &c. sunt errores sequentes condemnati.

Primus

Primus error est dicentium quòd totius uniuersalis ecclesiæ non sit unũ caput assignandum. Contra quem errorem diffinit quòd cum ecclesia una sit, corporis ecclesiæ non sunt capita, sed unum est scilicet Christus eiusq; Vicarius Romanus pontifex.

Secundus error est dicentium gladium temporalem nullo modo pertinere ad ecclesiam nec subesse gladio spirituali. Contra quem diffinit in potestate ecclesiæ duos esse gladios scilicet spiritualem, & temporalem gladiumq; temporalem subesse gladio spirituali, & potestatem temporalem spirituali.

Tertius est error dicentium non omnes fideles subiectos esse Romano pontifici. Contra quem diffinit subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam esse de necessitate salutis.

In extrauagante Clemen. 5. quæ incipit Gloriosam ecclesiam, &c. condemnantur errores quorundam fratrum minorum qui sequuntur.

Primus error eorum est quòd fingunt duas ecclesias. Vnam carnalem & affluentem diuitiis sceleribus maculatam, cui Romanum præsulem aliosque inferiores prælatos dominari asserunt. Aliam spiritualem uirtute decoram paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur.

Secundus error eorum est, quòd omnis iurisdictionis auctoritas sit omnino in ministris ecclesiæ Romanæ euacuata, & in solis ipsis maneat sicut spiritualis uitæ sanctitas.

Tertius error est, ꝙ in nullo euentu iurandum est.

Quartus error, quòd sacerdos in mortali peccato existens non cõsecrat non conficit non potest ecclesiastica sacramenta conferre.

Quintus error est, quòd euangelium Christi in se solis hoc in tempore asserunt esse completum quod actenus dicunt fuisse abiectum immo prorsus extinctum. Et ut in præcedenti extrauagan. habetur sunt multa alia quæ isti præsumptuosi homines contra coniugii uenerabile sacramentum garrire dicuntur, multaque decursu temporis siue seculi somniant multaq; de antichristi aduentu quem iamiam instruere asserunt flebili uanitate diuulgant. Quæ omnia quia partim hæretica partim insana partim fabulosa cognoscimus damnanda potius cum suis auctoribus quàm stilo prosequenda aut referenda censemus.

In extrauagantibus Ioan. 22. condemnantur sequentes errores & hæreses Marsilii de Padua & Ioan. de Ianduno.

In extrauagante quæ incipit, licet iuxta doctrinam apostoli condemnãtur specialiter septem errores quos Marsilius de padua & Ioan. de Ianduno dogmatizarunt. Quorum.

Primus est ꝙ id quod legitur in euangelio Math. quòd Christus soluit tributum Cæsari quando staterem sumptum ex ore piscis illis qui petebant didragma iussit dari. hoc fecit non condescensione & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus.

Secundus quòd beatus Petrus apostolus non plus fuit caput ecclesiæ quàm quilibet aliorum apostolorum.

Tertio quòd beatus Petrus non habuit plus auctoritatis quàm habuerūt alii apostoli.

Quartus quòd Christus nullum caput dimisit ecclesiæ, nec aliquem fecit Vicarium suum.

Quintus quòd ad Imperatorem spectat corrigere papam ac instituere.

Sextus quòd omnes sacerdotes siue sit papa siue archiepiscopus siue sacerdos simplex quicunque sunt equalis auctoritatis & iurisdictionis ex institutione Christi sed quòd unus plus habeat alio hoc est secundum quòd Imperator concessit & sicut concessit ita reuocare potest.

Septimus quòd papa uel tota ecclesia simul iuncta nullum hominē quantumcunque sceleratum potest punire punitione coactiua nisi Imperator daret eis auctoritatem.

In extrauagante eiusdem Ioan. 22. quæ incipit. Cum inter nullos, &c. damnat & reprobat errorem sequentem.

Condemnat tanquam erroneum & hæreticum si quis pertinaciter affirmauerit quòd redemptori nostro eiusq; apostolis in his quæ ipsos habuisse sacra scriptura testatur nequaquam ius utendi seu consumendi competierit nec illa uendendi seu donandi ius habuerint aut ex ipsis alia acquirendi quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur seu ipsos potuisse facere supponit expresse.

In extrauagante eiusdem Ioan. 22. quæ incipit: Vas electionis, condemnantur errores Ioan. de poliaco magistri Parisien. circa audientiam confessionum sequentes.

Primus error condemnatus præfati magistri de poliaco est quòd asserebat quòd confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant iterum confiteri proprio sacerdoti.

Secundus error fuit quòd stante statuto, omnis utriusque sexus, edito in concilio generali Romanus pontifex non potest facere quòd parrochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri quem dicit esse parochialem curatum, immo nec Deus posset hoc facere, quia ut dicebat implicat contradictionem.

Tertius error est quòd papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones immo nec Deus quoniam confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri proprio sacerdoti quem dicit esse, ut præmittitur parochialem curatum.

Istos errores tanquam falsos & erroneos & a doctrina sana deuios auctoritate apostolica damnat & reprobat præfatus dominus Ioan. 22. doctrinam ipsam contrariam ueram esse & catholicam asserens quòd illi qui prædictis fratribus confitentur non magis teneantur eadem peccata iterū confiteri quàm si alias illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti iuxta dictum concilium generale.

Cap. XXXVIII. De erroribus & hæresibus Ioannis uicleff & Io. Hus in concilio Constantien. condemnatis.

IAM describendæ ueniunt hæreses Ioannes uicleff, & Ioannes Hus quæ in concilio Constantien. condemnatæ leguntur. Ponemus autem in primis errores, & hæreses Ioannis uicleff. Secundo errores, & hæreses Ioannes Hus. Et primo sequitur tenor articulorum Ioannes Vicleff.

Substantia panis materialis & similiter substantia uini materialis remanent in sacramento altaris.

Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.

Christus non est in eodem sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali.

Si episcopus, uel sacerdos existat in peccato mortali non ordinat non cõsecrat non conficit non baptizat.

Non est fundatum in euangelio quod Christus missam ordinauerat.

Deus dedit obedire diabolo.

Si homo debite fuerit contritus omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

Si papa sit præscitus, & malus & per consequens membrum diaboli non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam nisi forte a Cæsare.

Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed uiuendum est more græcorum sub legibus propriis.

Contra scripturam sacram est, quòd uiri ecclesiastici habeant possessiones.

Nullus prælatus debet aliquem excommunicare nisi sciat ipsum prius excommunicatum a Deo, & qui sic excommunicat fit ex hoc hæreticus, uel excommunicatus.

Prælatus excommunicans clericum qui appellauit ad regem, uel ad cõcilium regni, ipse traditor est regis & regni.

Illi qui dimittunt prædicare siue uerbum Dei audire propter excommunicationem hominum sunt excõmunicati & in die iudicii traditores Christi habebuntur.

Licet alicui dyacono uel presbytero prædicare uerbum Dei absque auctoritate sedis apostolicæ siue episcopi catholici.

Nullus est dominus ciuilis nullus est prælatus nullus est episcopus dum est in peccato mortali.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia possessionatis habitualiter delinquentibus i. ex habitu non solo actu delinquentibus.

Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Decimæ sunt pure elemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.

Speciales orationes applicare uni personæ per prælatos, uel religiosos non plus prosunt eidem quàm generales ceteris paribus.

Conferens elemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

Si quis ingreditur religionem priuatam qualemcunque tam possessionatorum quàm mendicantium redditur ineptior & inhabilior ad obseruationes mandatorum Dei.

Sancti instituentes religiones priuatas sic instituendo peccauerunt.

Religiosi uiuentes in religionibus priuatis non sunt de religione Christiana.

Fratres tenentur per labores manuum uictum acquirere & non per mendicationem.

Omnes sunt symoniaci qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subuenientibus.

Oratio præsciti nulli ualet.

Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

Confirmatio ieiunium clericorum ordinatio, locorum consecratio reseruantur papæ & episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

Vniuersitates studia collegia graduationes, & magisteria in eisdem sunt uana gentilitate introducta, & tantum prosunt ecclesiæ sicut diabolus.

Excommunicatio papæ uel cuiuscunque prælati non est metuenda quia est censura antichristi.

Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt ueri diaboli.

Ditare clerum est contra regulam Christi.

Syluester papa, & Constantinus Imperator errauerunt ecclesiam dotando.

Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, & dantes eis elemosynam sunt excommunicati.

Ingredientes religionem aut aliquem ordinem eo ipso inhabiles sunt ad obseruandum diuina præcepta, & per consequens perueniendi ad regnum cœlorum nisi apostatauerint ad eisdem.

Papa cum omnibus suis possessiones habentibus sunt hæretici eo quòd possessiones habent, & omnes consentientes eis, scilicet domini seculares, & laici ceteri.

Ecclesia Romana est synagoga Sathanæ nec papa est immediatus Vicarius Christi, & apostolorum.

Decretales epistolę sunt Apocryphæ, & seducunt a fide Christi, & clerici sunt stulti qui student eas.

Imperator, & domini temporales sunt seducti a diabolo ut ecclesiã suam dotarent de bonis temporalibus.

Electio papę a cardinalibus per diabolum est introducta.

Non est de necessitate salutis credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

Error esset si per Romanam ecclesiam intelligatur uniuersalis ecclesia aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares.

Fatuum est credere indulgentias papæ & episcoporum.

Iuramenta illicita sunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia ciuilia.

Augustinus Benedictus, & Bernardus damnati sunt nisi penituerint de hoc ꝙ habuerunt possessiones, & instituerunt, & intrauerunt religiones, & sic a papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt hęretici.

Omnes religiones indifferenter introductę sunt a diabolo.

Secundo tenor articulorum Ioan. Hus sequitur & est talis.

Vnica est sancta uniuersalis ecclesia tantum est una sicut tantum unus numerus omnium prædestinatorum.

Paulus nunquam fuit membrum diaboli licet fecerit quosdam actus actibus ecclesiæ malignantium similes.

Præsciti non sunt partes ecclesiæ cum nulla eius pars finaliter ab ea excidit eo quòd prædestinationis eius charitas, quæ ipsam ligat non excidit.

Duæ naturæ diuinitas, & humanitas sunt unus Christus.

Præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem iustitiam tamen nunquam est pars sanctæ ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum ecclesię licet aliquando excidat a gratia aduentitia sed non a gratia prædestinationis.

Sumendo ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum siue sint in gratia siue non secundum præsentem iustitiam isto modo ecclesia est articulus fidei.

Petrus non est nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicę.

Sacerdotes quomodolibet criminose uiuentes sacerdotii polluunt potestatem, & sic ut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ de clauibus officiis censuris cerimoniis sacris rebus ecclesiæ ueneratione reliquiarum indulgentiis, & ordinibus.

Papalis dignitas a Cæsare inoleuit, & papæ perfectio, & institutio a Cæsare emanauit.

Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se uel de alio quòd esset caput ecclesiæ particularis sanctæ uel Romanus pontifex caput Romanę ecclesiæ.

Non oportet credere ꝙ iste quicunque est Romanus pontifex sit caput cuiuslibet ecclesiæ particularis sanctæ nisi Deus eum prædestinauerit.

Nemo gerit uicem Christi uel patris nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quoniam ad illud officium uicariatus requiritur, & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

Papa non est uerus nec manifestus successor principis apostolorum si uiuit moribus contrariis Petro, & si quærit auaritiam tunc est uicarius Iudæ Scarioth, & pari euidentia cardinales non sunt ueri & manifesti successores collegii aliorum apostolorum Christi nisi uixerint ĩmore apostolorũ seruantes mandata, & concilia domini nostri Iesu Christi.

Doctores ponentes quòd aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus si corrigi noluerit seculari iudicio est tradendus pro certo sequuntur in hoc pontifices scribas, & Pharisæos qui Christum non uolentem eis obedire in omnibus dicentes nobis non licet occidere quenquam ipsum seculari iudicio tradiderunt & quòd tales sunt homicidiæ grauiores quàm Pilatus.

Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum ecclesiæ præter expressam auctoritatem scripturæ.

Diuisio immediata humanorum operum est quòd sunt uel uirtuosa uel uitiosa, quia si homo est uitiosus, & agit quicquam tunc est uitiosus, si uirtuosus, & agit quicquam agit uirtuose, quia sicut uitium quod crimen dicitur seu peccatum mortale inficit uniuersaliter actus hominis uitiosi, sic

uirtus uiuificat omnes actus hominis uirtuosi.

Sacerdos Christi uiuens secundum legem eius habens scripturæ notitiam,& affectum ad ædificandum populum debet prædicare non obstante prætensa excommunicatione. Et infra quòd si papa uel aliquis præpositus mandat sacerdoti sic disposito non prædicare non debet subditus obedire.

Quilibet prędicantis officium accipit de mandato qui ad sacerdotium accedit,& illud mandatum debet exequi prætensa excommunicatione non obstante.

Per censuras excommunicationis suspensionis,& interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat,auaritiam multiplicat,malitiam protegit & uiam præparat antichristo. Signum autem euidens est q ab antichristo procedunt tales censurę quas uocant in suis processibus fulminationes quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam antichristi qui clerum pro se maxime usurpabit.

Si papa est malus, & præsertim si est præscitus tunc ut Iudas apostolus, est diabolus fur & filius perditionis,& non est caput ecclesiæ sanctæ militantis cum nec sit membrum eius.

Gratia prædestinationis est uinculum quo corpus ecclesiæ,& quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

Papa uel prælatus malus,& præscitus est æquiuoce pastor, & ueræ fur & latro.

Papa non debet dici sanctissimus etiam secundum officium quia alias etiam rex deberet dici sanctissimus secundum officium,& tortores,& præcones dicerentur sancti immo etiam diabolus deberet uocari sanctus cum sit officiarius Dei.

Si papa uiuit Christo contrariæ etiam si ascenderet per ritam,& legitimam electionem secundum constitutionem humanam uulgatam tamen aliunde ascenderet quàm per Christum dato etiam quòd intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Iudas Scarioth rite & legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum,& tamen ascendit aliunde in ouile ouium.

Condemnatio 45.articulorum Ioan. Vicleff.per doctores facta est irrationabilis,& iniqua & male facta & ficta est causa per eos allegata, scilicet quòd nullus ex eis est catholicus sed quilibet eorum aut est hæreticus aut erroneus aut scandalosus.

Non eo ipso quòd electores uel maior pars eorum consenserint uiua uoce secundum ritus hominum in personam aliquam eoipso illa persona legitime est electa uel quòd eoipso est uerus,& manifestus successor uel uicarius Petri apostoli uel alterius apostoli in officio ecclesiastico.unde siue electores bene uel male egerint operibus electi debemus credere,nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad perfectum ecclesiæ habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

Non est scintilla apparētiæ q oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam quod semper cum illa militante ecclesia conuersetur.

Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos ueraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.

Apostoli & fideles,& sacerdotes domini strennue in necessariis ad salu-

tem

tem regularunt ecclesiam antequam papæ officium fuerit introductum sic facerent deficiente per summæ possibile papa usque ad diem iudicii.

Nullus est dominus ciuilis nullus est prælatus nullus est episcopus dum est in peccato mortali.

Auctoris peroratio.

Hæc pro complemento huius quarti libri dixisse sufficiant, & per consequens huius totius nostri operis. Habito ergo fine istius nostre Summæ quam quattuor libris distinctam de ecclesia intitulandam duximus erectis sursum luminibus ac manibus ad ipsius sanctæ ecclesiæ caput, & sponsum Iesum Christum dominum nostrum fontem sapientiæ, cuius dignatissima gratia hoc opus licet multis laboribus, & infirmitatibus fatigati consummauimus ingentes illi gratias offerentes dicimus. Tibi laus tibi gloria tibi gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

Hæc Summa longe Reuerendi patris, & domini domini Ioan. de Turrecremata sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Mariæ in Transtyberim presbyteri cardinalis sancti Sixti uulgariter nuncupati contra ecclesiæ, & primatus apostoli Petri aduersarios intitulata.

VENETIIS, apud Michaelem Tramezinum. M D LXI.

Apparatus

D. IO. DE TVRRECREMATA
Tituli Sancti Sixti presbyteri Cardinalis,

Super decreto Vnionis Græcorum, in sacrosancto œcumenico Concilio Florentiæ celebrato,

Ab Eugenio Papa IIII. promulgato,

NVNC PRIMVM IN LVCEM EMISSVS.



Ne turbata uolent rapidis oracula uentis,



Nunc folio uates commodiore sonat.

Cum Priuilegio summi Pont. Pij IIII. & Illustriss. Senatus Veneti ad annos XV.

PIVS PAPA IIII.

MOTV proprio, &c. Cum, ſicut accepimus, dilectus filius Michael Tramezinus bibliopola Venetus, nobis nuper exponi fecerit, ad communem omnium ſtudiorum utilitatem ſua propria impenſa diuerſa opera Latina, & Italica, ipſa Italica tam ex Latino, Gallico, & Hiſpanico idiomate tranſlata, quàm Italica facere minimeq; tranſlata, hactenus non impreſſa, imprimi facere intendat: dubitetq; ne huiuſmodi opera poſtmodum ab alijs ſine eius licentia imprimantur, quod in maximum ſuum præiuditium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes, Motu ſimili & certa ſcientia eidem Michaeli, ne prædicta opera hactenus non impreſſa, & per ipſum ab inquiſitoribus loci illius examinata & approbata, uel ſi in urbe a magiſtro ſacri Palatij, imprimenda per decem annos poſt eorundem operum, uel cuiuslibet ipſorum impreſſionem, a quocunque ſine ipſius licentia imprimi, aut ab ipſis uel alijs uendi, ſeu ineorum apothecis, uel aliàs uenalia, præterquàm, a dicto Michaele impreſſa uel imprimenda teneri poſsint, concedimus & indulgemus, inhibentes omnibus ſingulis Chriſti fidelibus, tam in Italia, quàm extra Italiam exiſtentibus præſertim bibliopolis & librorum impreſſoribus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ. In terris uerò Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate, uel immediate ſubiectis etiam quingentorum ducatorum auri Cameræ apoſtolicæ applicandorum, & inſuper amiſsionis librorum pœnis: toties ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendum, quoties contrauentum fuerit, ne intra decennium ab impreſſione dictorum operum, uel cuiuslibet ipſorum reſpectiue computandum, dicta opera, tam latina, quàm Italica hactenus non impreſſa, & per ipſum Michaelem imprimenda, ſine eiuſdem Michaelis expreſſa licentia, dicto decennio durante imprimere, ſeu ab ipſis, uel alijs, præterquàm a dicto Michaele impreſſa & imprimenda uendere, ſeu uenalia habere, uel proponere, uel ea, ut ſupra, habere audeant. Mandantes uniuerſis uenerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis, eorumq; Vicarijs, in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ etiam legatis & uice legatis ſedis apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus gubernatoribus, ut quoties pro ipſius Michaelis parte fuerint requiſiti, uel eorum aliquis fuerit requiſitus, eidem Michaeli

efficacis defensionis præsidio assistentes; præmissa ad omnem dicti Michaelis requisitionem contra inobedientes & rebelles per censuras ecclesiasticas: etiam sæpius aggrauando, & per alia iuris remedia auctoritate apostolica exequantur, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Et insuper, quia difficile admodum esset præsentem Motum proprium ad quemlibet locum deferri, uolumus, & apostolica auctoritate decernimus, ipsius transumptis, uel exemplis, etiam in ipsis operibus impressis, plenam & eandem prorsus fidem ubique, tam in iudicio, quàm extra, haberi, quæ præsenti originali haberetur. Et cum absolutione a censuris ad effectum præsentium, & quòd sola signatura sufficiat. Et ne de præmissis aliquis ignorantiam prætendere possit, quòd præsens Motus proprius in acie Campi Floris, & in ualuis Cancellariæ apostolicæ huius almæ urbis affigatur, & ibidem per affixionem publicetur, & quòd sic affixus & in ipsis operibus per tempora impressus, ad omnium quos tanget, notitiam deductum esse, ac si eisdem personaliter intimatum foret, expresse uolumus & mandamus irritum & inane censendum quicquid secus contigerit, præmissis omnibus constitutionibus & ordinibus apostolicis, ceterisq; in contrarium faciendis, non obstantibus quibuscunque.

Placet motu proprio. I.

M D LX. Die 3. Februarii in Rogatis.

Che per auttorità di questo conseglio sia concesso alli fideli nostri Francesco, & Michele Tramezzini, che alcuno altro, ch'essi, ò chi haurà causa da loro, non possa per lo spacio di anni quindici prossimi futuri, ne in questa città, ne in alcuna altra città, ò luogo del Dominio nostro stampare, ne altroue stampata in quelli uendere la Somma de Ecclesia D. Ioannis de Turre cremata Cardinalis, & l'apparato del medesimo super decreto unionis Græcorum Florentiæ fe. re. Eugenii papæ quarti, sotto pena alli contrafacenti di perdere tutte l'opere per loro stampate, & di ducati ducento, da esser diuisi, un terzo al magistrato, che farà l'essecutione, un terzo all'arsenale, & l'altro terzo all'hospitale della pietà: essendo, però essi obligati di osseruare quanto per le leggi nostre è disposto in materia di stampe.

Aloysius Garzonius Duc. Not.

VITELLOTIVS SANCTAE Mariæ in porticu S. R. Ecclesiæ Cardinalis Vitellius amplissimo Cardinali Carolo Borromeo.



ICI non potest, quãtopere Catholicæ fidei ueritatem, & Apostolicæ sedis principatum hæretici homines semper oppugnarint; missos facio ueteres illos, sunt enim propè infiniti non multis ab hinc annis Græci ipsi, quamuis sæpe Romanæ sedis auctoritatem extenuare, ac deprimere conati, sæpe redarguti errorem suum confessi fuerint, & ad Ecclesiæ unitatem redierint (ter decies enim, ut est memoriæ proditum, cum Ecclesia Romana conuenerunt) nihilominus tamen humanæ salutis aduersario, qui circuit quærens quem deuoret, qui multiplicem, ac ueterem illam suam adhibens astutiam conatur homines ipsos ita circũuenire, ut corrupto ueritatis sensu excidãt à simplicitate, quæ est in Christo, superseminante zizaniam, uetus hæresis renouata, denuo spiritus sancti falce, hoc est Romani Pontificis, & œcumenici Florentini Concilii decreto resecata est. Decretum autem illud quã uerè Catholicè, sanctèq; promulgatum sit, ex Græ

cis Bessarion Cardinalis, ex Latinis uerò Ioannes Cardinalis tituli Sancti Sixti de Turre cremata optimè disseruit in apparatu, quem in decretum illud conscripsit, in quo quicquid contrà ab aduersariis dici possit, uerissimis rationibus confutauit. Sed Ecclesiæ studiosis molestum erat, quod opus tam utile non esset cum multis commune, propterea quod nondum impressum in bibliothēcis quibusdam seruatum à paucis admodum legeretur. cùm igitur animaduerterem quantum utilitatis ex eius notitia lectoribus afferri posset, eiusmodi apparatum imprimendum curaui, ut, quod auctor ipse sibi proposuit, cùm illum componeret, ut prodesset multis, hac ratione perficeretur. Absurdum enim uisum est nos sumptui parcere, cùm illi ipsi, qui hæc conscripserunt, nullis uigiliis, nullis laboribus pepercerint. Optabile quidem esset nos tales esse, qui similia ædere possemus; sed si non possumus, quod proximum est ab aliis, præsertim nostri Collegii hominibus accuratè docteq; elucubrata ædenda curemus. ut autem apparatum hũc ad te potius, quã ad alium quempiam mitterem, his potissimùm adductus sum rationibus; quòd & ipse humani diuiniq; iurisperitus es; & huius auctoris lectione maximè delectaris, qui quò es illi coniunctior, qui Christi Vicarius est in terris, & Catholicam regit, Ecclesiam,

eò magis liber ille ad te pertinere uidetur, in quo ipſius Eccleſiæ maieſtas defenditur. Adde, quòd ita te geris, ut te PIO quarto Pontifice Maximo dignum nepotem poſſimus agnoſcere. Accedit non uulgaris beneuolentia, atque obſeruantia in te mea, cuius aliquam cupio in huiuſmodi monumentis extare ſignificationem.

INCIPIT APPARATVS DOMINI CARDINALIS SANCTI SIXTI SVPER DECRETO VNIONIS GRÆCORVM FLORENTIÆ.





SANCTISSIMO & beatissimo ac clementissimo patri D. D. Eugenio diuina prouidentia Papę IIII. suæ seruulus sanctitatis Ioannes. S. R. E. presbyter Cadinalis TT. Sancti Sixti de Turre cremata uulgariter nuncupatus, seipsum cum humili recommendatione ad pedum oscula beatorum. Et si ea quæ beatitudo tua circa Græcorum reductionem. & ecclesiæ orientalis unionem peregit splendore maximo toto in orbe clarescant, quidam tamen perditissimi homines detractionis nebulis illa offuscare contendunt, aliqui enim gloriæ tuæ splendorem non ferentes, inuidentiæ furentes insidiis, quia consequi non meruerunt, nec imitari dignati sunt munus hoc præstantissimum, omniq. futuræ ætati celeberrimum, tibi desuper diuina liberalitate concessum paruipendunt despiciunt atq; cótemnunt: & ita fit, ut sanctus Gregorius attestatur in moralibus, dum electi proficiunt, reprobi in rabiem furoris excitantur, & bona nascentia quæ nolunt imitari persequuntur; Alii uero ignorantiæ nubilo, aut errorum tenebris tenti. aduersus deprompta, & diffinita per tuæ beatitudinis sapientiam in ipso sanctæ unionis decreto contenta, submurmurát, quædam minus firma, alia ue minus recta obiicientes, non aduertentes hanc ipsorum temeritatem, manifestè unum esse genus blasphemátium spiritum sanctum, cuius gratia canones conditi sunt. ut in c uiolatores. xxv. q j. Verum beatissime pater. etsi firmissimè teneam, quòd horum pestilétium hominum iniqua detractio, approbatio sit operum tuæ beatitudinis, & obtrectantium turpitudinis denudatio, Nusquám inuenimus Deum tantum laudasse Moysen principatus tui figuram gestantem, q̃ cum detraheretur ei ab Aaron & Maria: unde dicit dominus de Moyse; in omni domo mea fidelissimus est ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata, & figura Deum uidet. Vide quid sibi pa..., inquit Origenes, in glo. num. xij. obtrectantes contulerint, quid illi laudis, sibi turpitud nem. illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam; Nihilominus ne apud minus intelligentes, horum improborum hominum callida interpretatione, quod summa auctoritate firmatum est dubitabile fiat, aut illorum inuidentiæ & malignitatis insidiis labefactari quo quo modo possit operum tuorum gloria, super decretũ sanctæ unionis Græcorum, tua auctoritate, & sapientia depromptum, ueritatis fidei, & tuæ beatitudinis honoris zelo inuitatus, apparatum quendam disposui, in quo columnas fidei. i. diffinitiones, quas tanq̃ sapiens Archithector, ad firmandas fidelium mentes in petra fidei, & confringendos errores in domo domini, hac sacra uniuersali &

Gregor.

Oecumenica synodo Florentina cooperante sapientissime extruxisti, aure i. imputribilibus, & incorruptis sacræ scripturæ, & sanctorum patrum testimoniis inuestiens luce clarius ostendi, nihil in decreto illo esse à tua beatitudine positum, quod non sit legitima auctoritate sancitum, ueritate firmatum, maxima sapientia decisum, & immaculatæ laudis integritate cóclusum; In cuius decreti explanatione, quia uereor, conscius paruitatis ingenioli mei, aliqua minus docte, minusue sapienter dixisse, opportunum censui omnia dicta mea emendationi tuæ sanctitatis offerre, à cuius beatitudinis pectore, canon ille sacerrimus emanauit. Cuiusq; sedis auctoritati specialiter cócessum est dubia interpretari, & explanare, quę de uniuersaliũ synodorum diffinitionibus, constitutisque oriri contingit. ait enim Beat. Greg in c. non licuit dist. xvij. quotiens aliqua de vniuersali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod nó intelligant rationem, ad Apostolicam sedem pro recipienda ratione conueniant.

SEQVITVR TEXTVS.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

EVGENIVS: decretũ hoc diuiditur prima sui diuisione in tres partes, in Procemium, narrationem, & conclusionem, secunda ibi CONVENIENTES, tertia ibi ET EX HIS OMNIBVS: prima in quatuor, primo.n ad perpetuã rei memoriam, omnia infra scripta facta dicit, & conclusa, consentientibus Domino Imperatore Græcorũ. & loca tenentibus uenerabilium Patriarcharum, cęterisque orientalem Ecclesiam repræsentantibus. Secundo inuitat cœlos & terram ad communem lætitiam ibi LAETENTVR COELI. Tertio assignat causam lætitiæ ibi SVBLATVS EST PARIES. Quarto, commendata magnitudine beneficij, offert gratias omnipotenti Deo tanti muneris largitori ibi TIBI LAVS. Eugenius quartus hoc pręclaro nomine in ordine summorum Pontificum ita appellatus, & dicitur Eugenius quasi ad bonũ genitus, ab eu græcè, quod est bonum latine, & genitus. Dicitur etiam Eugenius, idest boni generis, siue nobilis uñ Hugutio, Eugenis nobilis, & Eugenius addita u, nobilissimus dicitur. Nam Græci media correpta Eugenes dicunt, quod nos ingenuos siue nobiles, idest boni generis interpretatur etiam, deus naturę unde genius genij masculini generis dicitur, deus qui pręest nuptijs, uel deus naturę, & dicitur a gigno gignis, quasi uim habens omnium rerum gignendarum; Consonant profecto huius nominis expositiones, siue interpretationes ipsi domino nostro Papæ, qui re, & nomine Eugenius recte appellatus est. Ipse siquidem nobilis genere, sed uirtutibus, & animo nobilior, qua nobilitate nulla præstantior dicente Hieronymo; Summa apud Deum nobilitas clarum esse uirtutibus; ad bonum uniuersæ rei publicæ Christianæ genitus est. Quod eo maxime claret quòd beatitudinis suæ Telo, promotione, industria, sapientia, ingenio, laboribus, ac expensis, unio græcorum procurata, & cóclusa est, & armenorum reductio, quæ amplissimam orbis partem dignoscitur constituere. Quantum autem bonum in republica Christiana hæc unio sit, nulla

Margin: Εὖ; εὐγενὴς; εὐγένεος; Hierony.

profecto

profecto humana lingua poterit enarrari perquam innumerarum animarū salus promota est,& religio adaucta Christiana. Est autem sciendum, quod modernus dominus noster a baptismate nō Eugenius uocatus est (hoc enim nomen, cum ipso summi pontificatus honore, sortitus est) sed Gabriel, quod domini fortitudo interpretatur, qui bene fortitudo domini dictus est, q tot aduersitatum incursibus fractus non est, quippe nihil ille præualere potest, aduersum, cui diuina uirtus præstat auxilium, inquit Cassiodorus, ut dicat illud Esaiæ xij. Fortitudo mea & laus mea dominus. Sed solet quæri, Cur in assumptione Romani Pontificis nomen mutetur, & ad hoc respondent quidam, quòd hunc morem Ecclesia Romana a Christo accepit, qui promotione Petri nomen ei mutasse dicitur, unde Christus ait Ioan j. Tu es Simon filius Ioannis, tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, sed ista ratio non placet Alberto Magno in postilla super Ioan. pro eo quod per multum tempus post Petrum nulli electo in Papam legit nomen esse mutatum: dicitur, ergo quod causa,& profecto rationabilis unde originem sumpsit hæc cōsuetudo mutandi nomen electo in summum pontificem fuit, quia quidem, ut dicit Albertus magnus super Ioan. in cap. j. turpe nomen habēs, eo quod os porci nominabatur, in Papam electus fuit, cum autem non esset æquū, quod electus in Romanum Pontificem, tam uili nomine uocaretur, nec esset iustum, ut quis alias dignus, propter turpe nomen à pontificatu repelleretur, mutatum est ei nomen, et dicens Sergius secundus, ut Chronicę referunt,& ab isto Romano Pontifice, qui centesimus septimus numeratur à beato Petro, inoleuit in sancta ecclesia hæc laudabilis consuetudo, ut electo in summum Pontificem nomen mutetur; Secundo figura huius notabilis consuetudinis, etiam in ueteri Testamento præcessit Gen. xvij. ubi dominus Abraam promonens nomen ei mutat dicens, Ego sum,& pactum meum tecum eris; pater multarum gentium, nec ultra uocabitur nomen tuum Abraam, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gētium constitui te; Vnde Beda supra Luc. singularis meriti iudiciū datur quotiens homini iubente Deo imponitur nomen uel mutatur, sic Abraham, quia pater multarum gentium futurus erat, Abraham est uocatus. Tertio, hæc ecclesiæ sanctæ cōsuetudo habuit rationem exemplarem in facto Christi circa Petrum, primum Romanę ecclesiæ pontificem. Imposuit enim Christus nomen nouum Petro quem summum ecclesiæ pontificem facere disponebat, unde ait Ioan. primo, Tu es Simon filius Iohanna tu uocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus; super quo uerbo dicit beatus Augustinus,& ponitur in glossa continua, nō est autem magnum quòd Deus dixit, cuius filius esset Petrus. omnia enim nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinauit; Illud autem magnum, quia mutauit ei nomen,& fecit de Simone Petrum, Petrus autem à Petra; & infra. Intentum autem te fecit Deus, Nam si ante uocaretur Petrus non ita uideres mysterium Petræ, & putares casu eum sic nominari, non prouidentia Dei, Ideo uoluit eum Deus aliud uocari, ut, ex ipsa commutatione nominis, sacramenti uiuacitas commēdaretur; hoc August. non ergo immerito, si sancta ecclesia, magisterium Christi imitans, Petri successoribus in apostolico principatu, commendatione tāti sacramenti nomina mutet. Quarto huius nominis mutatio in Romano pontifice multiplicem habet misticam intelligentiam; Primo quidem in ipsa nominis mutatione, quod parentes dederunt, misticæ designatur in summo pontifice es-

Cassiodorus.

Albertus.

Beda.

August.

fectus carnalis mutatio in diuinum, reprehenditur enim Heli summus sacerdos, de carnali affectu in ordinato ad filios, cum ei dominus ait magis honorasti filios q̄ me primi Reg. ij. unde glo. interlinearis super id, Gene. xvij. sed [appellaberis Abraham] dicit, quod mutato effectu, mutatur & nomen, & Beda supra illud Ioan. [Tu uocaberis Cephas] dicit, intuitus est autem Petrum Christus non exterioribus oculis solum, sed & æterno diuinitatis intuitu, uidit cordis eius simplicitatem, animi sublimitatem, cuius merito cunctę esset præferendus ecclesiæ. Secundo noui nominis impositio in Romano pontifice mistice, designat sanctæ uitæ nouitatem, quare in c. non uos. xl. distinctione, quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit, unde Magister sententiarum in principio supra Epistolam ad Romanos, opinioné Augustini insecutus. super mutatione nominis in Apostolo, qui prius est dictus Saulus, & postea Paulus appellatus est, ita dicit; porrò ex more sanctorum Apostolorum id fecisse perhibetur, qui in uirtutibus proficientes, mutato nomine sunt uocati, ut essent etiam ipso nomine noui, ut Cephas, & filii tonitrui, & huiusmodi, unde sancta ecclesia iam in consuetudinem duxit, ut quos in cathedra sancti Petri sublimet, nomina eis mutet; hæc magister EPISCOPVS Episcopatus uocabulum, ut ait beatus Isidorus lib. vij. ethymologiarum, & adducitur à Magistro in. iiij. sententiarum distinct. xxiiij. & à gratiano in cap. cleros distin. xxj. inde dictum est, quod ille qui efficitur episcopus super intendat curam, scilicet gerens subditorum, scopin enim grecè intendere latinè dicitur, recte enim dominus noster episcopum absolutè, & indistincte se nominat, quia absolutam, & indistinctam, non in una diœcesi tantum, sed in toto orbe potestatem habet immediatam, quemadmodum infra, circa diffinitionem articuli de primatu Romani pontificis, clarissima luce ostendetur; sed contra hoc esse uidetur, q̄ multi Romani pontifices summi, singulariter Episcopos urbis Romæ se appellasse dicuntur, sicut de Pelagio patet, in cap. quamuis distin. xxj. secundo contra iam dicta uidetur ēt. c. nullus distin. xcix. ubi Papa Pelagius prohibet, ne aliquis Patriarcharum uniuersalitatis utatur uocabulo, & in c. sequentibus beatus Gregorius se prohibet uniuersalem Papam uocari; Ad primum horum respondetur, quod duo in Romano pontifice consideranda ueniunt, in quibus Apostolo Petro succedit, uidelicet uniuersalitas iurisdictionis, quam à Christo Petrus suscepit nó in uno loco, nec una gente tantum, sed uniuersaliter in toto orbe, secundum illud Matth. xvj. tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram &c. & ex hac parte Papa est, & dicitur Episcopus, siue pontifex uniuersalis ecclesiæ. in cap. in nomine domini, distinct. xxj & ideo dicit Nicolaus Papa III. c. per principalem j. q j per principalem apostolorum beatorum Petri, & Pauli dexteram potestatem, & ius habemus non solum in monachos, uerum etiam in quoslibet clericos, de quacunq; diocęsi, cum necesse fuerit ad nos conuocare, atq; ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus inuitare, Secundum, quod in Papa considerandum uenit, est administratio, siue gubernatio, & ex huius partis consideratione, quantum ad immediatam personalem administrationem, sic Papa non dicitur Episcopus cuiuslibet ecclesiæ, sed solius urbis Romæ in qua facit Vicarium; sic enim summus pontifex debet ecclesiam regere, & administrare, ut aliorum pontificum prælationes ab ecclesia excludi non uideantur, ita enim operatur Deus, cuius uices in regimine ecclesiæ sicut Romanus pontifex exequitur, Ita prouiden-

Beda

Magister sniarum.

Isidorus.

σκοπεῖν

Gregor.

Nicolaus papa.

tiam imitatur. qui licet sit omnipotentissimus,& infinitæ uirtutis, nihilominus immediate non omnia gubernat,& regit.sed quædam immediate, quædam perseruientem sibi creaturam integerrimis legibus ordinatam, ut ait August.lib.lxxxiij.quæstionum, in quo ut ait sanctus Tho. in quæstionibus de potentia.q v articulo.viij.magis manifestatur diuinæ prouidentiæ, & bonitatis magnitudo,quam si omnia gubernaret immediate. Quia ergo summus Pontifex præter illam uniuersalem & indistinctam prælationem, quam super omnes Christi ecclesias habet, specialem immediatam administrationem habet ecclesiæ Romanæ; legitur quandoq; uocatus episcopus Romanus,sed hæc appellatio,ut patet per ea quæ dicta sunt,in nullo obuiat uniuersalitati auctoritatis,& prælationis quam habet,super uniuersam ecclesiam. Ad cap.nullus,& cap.sequens respondetur,quòd hoc q papa se prohibet uniuersalem uocari,non ideo est,ut dicit sanctus Tho. in tractatu contra impugnantes religionem,quod ipse non habeat auctoritatem immediatam,& plenam in qualibet ecclesia, & per consequens uniuersalis ecclesiæ sit episcopus,sicut habetur in capi.in nomine domini dist.xxj.unde etiam in Concilio Calcidoneñ.à tota synodo sanctissimus Leo papa legitur uocatus, uniuersalis Patriarcha,& multi sancti pontifices se ita leguntur nominasse,unde sanctus Sixtus in ij.epistola sua,sicut legitur in libro Pontificum ita scribit, Sixtus uniuersalis & Apostolicæ ecclesię episcopus;item eodem modo scribit sanctus Victor, in epistola decretali de Pascha, & de baptismo Theophilo Alexandrino directa. Item sanctissimus papa, dominus noster Eugenius, in subscriptione quam fecit in præsenti decreto pari modo se subscribés dicit, Eugenius ecclesiæ catholicæ episcopus; sed pro tanto beatus Gregorius se prohibet papam uniuersalem appellari,quia non præficitur cuilibet particulari ecclesiæ,ut proprius,& specialis ecclesiæ rector,& hic est quod commemoratum cap.inducit pro ratione; sed adhuc insurgit,quæstio cur papa episcopum se nominet, cum in ecclesia sint dignitates superiores ut puta Patriarchatus,Archiepiscopatus &c. ad hoc respondendo Iuristæ dicunt, episcopatum ordinem esse,& inter omnes ordines superiorem iuxta ca. cleros, dist.xxj.& quod papa non à dignitate,sed ab ordine se uolens nuncupari,episcopum se uocat,sed cum Theologi, de quorum facultate sumus, quibus in materia sacramentorum potius credendum uidetur, asserant in.iiij sententiarum,dist.xxiiij. episcopatum proprie loquendo,non esse ordinem distinctum,ab ordine sacerdotii,intelligentes per nomen ordinis,in cap. allegato cleros,nó ordinem proprie sumptum qui distinctum imponeret caracterem, sed officium quoddam respectu quarumcunque actionum sacrarum; aliter respondetur & dicitur primo quod cum papa episcopum se nominat,nomen episcopus,non dicit dignitatem distinctam contra alias dignitates eminentes superius enumeratas, sed dicit eminentiam ecclesiæ dignitatis, quæ sua communitate ceteras omnes includit,inde est,quod papa non modo episcopus,sed Patriarcha legitur appellatus,ut in superiori cap.cleros.& in capit. diffinimus,dist xxij.uocatur etiam Archiepiscopus,ut in cap. statuimus,dist. iiij.& in cap.intantum, dist xxj. Secundo respondetur quod papa se episcopum nominat,quia nullus in ecclesia militante gradus superior est dignitate episcopali, quantum ad ea quæ sunt ordinis episcopalis, omnes episcopi sunt equales,sicut enim in potestate ordinis,Apostoli pari cum beato Petro præditi sunt honore,ut in cap.loquitur, ait Cyprianus. xxiiij.q.j. ita omnes

Margin notes: August. / Thomas. / Thomas. / Cócilium Calcedo. / Sixtus pp. / Victo. pp. / Euge. pp. / Cyprian.

episcopi in potestate officij episcopalis Romano pontifici pares sunt, unde omnem actum hierarchicum quem potest facere Papam in administratione
Thomas. sacramentorum potest facere episcopus, ait sanctus Tho. quarto sententiarum, dist. xxiiij. Tertio Papa episcopum se nominat, magis quam Patriarcham, aut Archiepiscopum, quia Christus, cuius Vicarius est, & uices gerit in terris nomine episcopi magis, quam aliarum dignitatum nominibus in sacra scriptura exprimitur nominatus, ait enim beatus Petrus, de Christo loquẽs, conuersi nunc estis ad pastorem & episcopum animarum uestrarum, primæ Pet.ij. SERVVS non quidem ex conditione, sed ex charitate, quia omnium Christi fidelium commoditati seruit, secundum illud Matth. xx. Quicunque uoluerit inter uos primus esse erit uester seruus, gl. quod charitas non conditio exigit quoniam Apostolus prima ad Corinth. ix. dicit, dum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucri facerem, Glo. fecit me seruum omnium, ut commodis omnium seruirem; duplex enim distinguitur,
Thomas. à sancto Tho prælationis modus, unus quidem ad regimen ordinatus, alius
Aristo. ad dominandum, domini autem ad seruum, ut vj. ethicorum dicit Aristoteles est prelatio, sicut tyranni ad subditum, differt autem tyrannus a Rege, ut ibidem Philosophus docet, in quinto, quod Rex ordinat prælationem suam ad bonum gentis, cui præest, tyrannus autem prælationem suam ordinat ad utilitatem propriam, cum autem potestas, & prælatio Romani pontificis, ad ędificationem, & utilitatem totius populi Christiani noscitur instituta, dicentę domino beato Petro, Petre amas me, pasce oues meas. Ioan. ultimo, meritò Romanus pontifex se seruum seruorum Dei nominat, uel seruum se nominat, quod nomen humilitatis est, ex nimia humilitate; secundum illud ecclesiastici tertio, quanto maior & humilia te in omnibus; Primus autem, qui inter Romanos pontifices in litteris suis se, seruus seruorum scripsit, legitur fuisse beatus Gregorius. SERVORVM DEI origo autem uocabuli, seruorum inde creditur sumpta, quod ij, qui iure belli poterant occidi à ui-
August. ctoribus conseruabantur, & serui fiebant a seruando dicti, ut ait August. de ciuitate Dei lib. xix. cap. xv. & Isidorus. ix. lib. ethimologiarum, cap xlix. tales autem sunt uniuersi fideles, qui liberati à peccato, quod per unum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors ad Ro. v. serui facti sumus Deo ad Roma. vj. Quare ei merito seruiendum est; Luc. primo, sine timore inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. AD PERPETVAM REI MEMORIAM merito hæc perpetuæ commendanda memoriæ, disponit sanctissimus dominus noster, hoc plane exigit magnitudo beneficiorum, quę in huius sanctæ unionis opere pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Iac. j. ecclesiæ suæ sanctæ contulit, quę pro eorum ad mirabilitate, ac preciositate sempiternæ memoriæ commendanda sunt, & laudibus immortalibus prosequenda: Misericordias enim domini in æternum cantabo, inquit Prophera, psal. lxxxviij. Secũdo hoc idem exposcitur puritas, & sinceritas ueritatis declaratæ in hoc decreto, quæ cũ sit ueritas catholicæ fidei perpetuam, & incorruptibilem habet firmitatem, & necessitatem, firmitatem quidem; labium enim ueritatis firmum erit in perpetuum dicitur Prouerbiorum. xij. & hoc ut dicit glo pro eo dicitur quia fides
Chrisost. catholica semper manebit: habet & necessitatem; est enim fides, ut ait Chrisostomus, sanctissime religionis fundamentum; & Apostolus ad Heb. ix. impossibile sine fide est placere Deo. Merito ergo sanctissimus dominus noster

Euge-

Eugenius disponens hanc fidei declarationem, tanquam lucernam inextinguibilem futuris seculis super candelabrum ecclesiæ, inquit, AD PERPETUAM REI MEMORIAM, ut ei conueniat illud Ecclesiast. xxxix. ipse faciet palam disciplinam doctrinę suæ, & sequitur collaudabunt multi sapientiam eius, et usque in seculum non delebitur. Tertio hoc ita exigit claritas studiorum, & laborum sanctorum, quos sanctissimus dominus noster Reuerendissimi, reuerendiq; patres habuerũt in prosequutione huius sanctæ unionis, qui omnibus futuris seculis merito commemorandi laudibus ueniunt, secundum illud primo Machabeorum ij. mementote operum patrum, quę fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam; unde huius singularis muneris gratia, conuenit sanctissimo domino nostro, illud Eccles. xxxix. non recedet memoria, glo. inter linea. operum sanctorum eius, & nomen eius exquiretur. scilicet in exemplum, ut ait glo. a generatione usq; in generationem, sapientiam eius narrabunt gentes, & laudem eius annunciabit ecclesia.

Consentientibus ad infrascripta, carissimo filio nostro Ioanne Paleologo Romæorum *Imperatore illustri, et loca tenentibus uenerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris orientalem ecclesiam repræsentantibus.*

CONSENTIENTIBUS AD INFRASCRIPTA. i. cunctis infrascriptis simul sentientibus, & assensum præbentibus; quod enim omnes tangit, ab omnibus approbari debet, extra de re. iur. lib. vj. uno enim plane & eodem sensu finaliter conuenientibus, & consentientibus Græcis, & Latinis, pręsens fidei declaratio facta est, per sanctissimũ dominum nostrum Eugenium, ut recte eis illud conueniat, psal. liiij In domo Dei ambulauimus cum consensu: fuit planè talis unanimitas consensus necessaria, tum ad maius pondus auctoritatis, cuiusmodi est, quod plurimorum sententijs est confirmatum. xcij. dist. c. extra, tamen ad maioritatem firmitatis. quod enim unanimi consensu semel diffinitum est circa fidem in uniuersali synodo irretractabili firmitate tenendum est, ut in ca. maiores. xxiij. quæst. j. quo circa dicit beatus Gregorius, & habetur in cap. sicut, dis. xv. quæ sunt uniuersali consensu constituta se, & non illa destruit quisquis præsumit absoluere, quos ligát, aut ligare quos absoluunt. Tertio facit ad pacem, & iocunditatem; Ecclesiæ q̃ bonum & quàm iocundum (inquit sanctus Propheta) habitare fratres in unum, ubi glo inquit hoc omnibus Christianis conuenit, qui in unum debent habitare mente, & fide CHARISSIMO FILIO NOSTRO ita scribit Papa Ioannes gloriosissimo, & clementissimo Iustiniano Imperatori, cap. de summa trinit. & fide cathó. item eodem modo scribit Nicolaus Papa, Ludouico Imperatori, ut in cap. in scripturis, dist. xcvj. Papa quosdam uocat filios, quosdam fratres: fratres uero uocat Patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, ut in cap. quàm graui extra de cri. fal. habetur, & infra in hoc decreto, ubi inquit, uenerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum &c. Tum primo quia, sicut supra dictum est, omnes isti in ordine episcopalis dignitatis, sub qua omnes isti comprehenduntur pari honore cum Papa præditi sunt, cum Christi exemplo qui Apostolos suos, quibus episcopi

Gregor.

Ioã. papa.

Nicolaus papa.

succedunt fratres uocat, ut Matth. xxviij. habetur, cæteros uero fideles reges, & principes, & cæteros quoscunq; quacunq; præditi sint dignitate, filios uocat. si enim, teste beato Gregorio in c ea quis dubitat, dis. xcvj. nullus dubitat sacerdotes Christi regum, & principum omnium fideliũ patres, & magistros censeri; nulli dubium est, q papa, sacerdotum summus, pater sit uniuersorum fidelium de quo infra circa finem præsentis decreti. IOANNE
Gregor.
Ioanes nomen gratiosum est, interpretatur domini gratia, uel in quo est gratia, siue cui donatum est, aut cui donatio à domino donata, gratiosus plane, & multiplici munere a Deo gratificatus est iste dominus Ioannes Imperator, qui præter splendorem maximarum uirtutum, quæ imperialem adornãt maiestatem, quibus diuinitus in insignitus est hac singularissima gratia donatus est à domino, quòd desideratissimam unionem ecclesiæ Oriẽtalis, & Occidentalis proprus oculis intueri promeruit, quod non est datum suis prædecessoribus: & q multo gloriosius est, datum est ei, ut sua industria, sapientia, atq; immensis laboribus, illam populo suo meruerit inuenire ut recte de eo dici possit illud Sap. vj. Rex sapiens stabilimentum populi sui est PALEOLOGO nomen est illustris domus, de qua descendit & interpretatur, Paleologus, quasi uetus sermo, siue uerbum, ubi notatur quòd ab antiqua radice claram duxit originem à multo enim tempore domus hæc, de qua illustris iste Imperator descendit gloria Imperialis maiestatis refulsit ROMAEORVM. i Romanorum, dicuntur autem hoc loco Romani Constantinopolitani iuxta cap sanè xxiiij q. ij. appellatur autem Constantinopolitana urbs noua Roma, ut colligitur ex cap. diffinimus; dist. xxij. ILLVSTRI præclaro nobili, unde Isidorus. x. Ethymologiarum, illustris est nomen notitiæ, quod clareat multo splendore generis, uel sapientiæ, uel uirtutis PATRIARCHARVM, Patriarcha enim interpretatur princeps patrum ab archos. quod est Princeps & pater, unde in cap cleros, dist xxj secundum græcam linguam summus patrum dicitur interpretari. sunt autem post papam quatuor Patriarchæ principales, uidelicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolimitanus, ut in cap renouantes, & in cap. diffinimus, dist. xxij quarum primus, uidelicet Patriarcha Constantinopolitanus nomine Ioseph. personaliter præsens fuit, & infrascriptis consensum tribuit, quia licet ante diffinitionem synodalem & publicationẽ unionis, diem clauserit extremum, hic in ciuitate Florentina nihilominus in eadem fide protestatus est mori, quam uniuersalis synodus œcumenica cõgregata simul diffiniret. Cæteri uero Patriarchæ, uidelicet Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolimitanus præsentialiter non interfuerunt sed bene eorum loca tenentes, uidelicet Archiepiscopus Heradeeñ. Archiepiscopus Trapezuntius, Archiepiscopus Ciligeñ. Archiepiscopus Rossenus, nunc reuerendissimus Cardinalis TT. Archiepiscopus Vicenus, nunc Reuerendissimus Cardinalis TT. Archiepiscopus Nicomedensis, Archiepiscopus Amassinus, Archiepiscopus Turnoneñ. Archiepiscopus Drameñ Archiepiscopus Methelineñ. Archiepiscopus Rhodius, Archiepiscopus Lacedæmonieñ. Archiepiscopus Monembalieñ. Archiepiscopus Anchialinus, Archiepiscopus Melemiceñ. Archiepiscopus Graueñ. Archiepiscopus Drístieñ Archiepiscopus Mordoblachieñ. ET CAETERIS ORIENTALEM ECCLESIAM REPRESENTANTIBVS fuerunt autem prius loca tenentes Patriarcharum, quàm plures uiri insignes & spectabiles,

ἀρχὸς

biles, de utroq; ecclesiæ statu, sed laicorum & clericorum, qui plene ecclesiam orientalem representabant; fuerunt enim de statu clericorum Prælati ecclesię Costantinopolitanæ, uidelicet magnus Oeconomicus, magnus Cartaphilax, magnus Scenophilax, magnus Ecclesiarcha, magnus Sacellarius, fuerunt præterea Abbates insigne plurimi, uidelicet magnus Protosincellus, Abbas Pantocratoris, Abbas sancti Athanasij, Abbas sancti Pauli, Abbas Gorgœpicæ; item duo Abbates oratores monasteriorum Montis sancti De statu uero secularium fuerunt præsentes dominus Imperator Costantinopolitanus, dominus Despotus eiusdē Imperatoris Germanus Oratores Imperatoris Hiberie, Oratores Imperatoris Trapezuntij, Oratores magni Regis Rossiæ, Oratores Despoti pelopenensi, Oratores magni immonde blachiæ. Omnes enim isti unanimiter cōsenserunt diffinitionibus infrascriptis: Sed hic surgit quæstio, utrum ex hoc loco uendicare sibi possit Imperator, ut absq; consensu & approbatione sua nulla in synodo uniuersali fidei emanaret diffinitio, respon. quòd nō, hoc enim singulare fuit in hoc casu, ut premitteretur consensus Imperatoris Romeorum ad infrascripta propter diuisionem Orientalis ecclesię ab ecclesia Romana, illicitum namq; est, ut describit Theodosius iunior Imperator synodo Ephesinæ primæ, ut qui nō est in ordine serenissimorum episcoporum ecclesiasticorū immisceatur tractatibus, ut in cap. satis, xcvj. dist. item in. §. huic etiam, dist. xvij. serenissimus Rex dominus Theodericus domino inspirante respondit, nihil ad se præter reuerentiam de ecclesiasticis pertinere, laici autem cum intersint Concilijs generalibus non interueniunt tanquàm condiffinitores, aut iudices causarum fidei, nec tanquàm legum conditores cum auctoritas huiusmodi episcopis data sit, sed tanquàm auditores edocendi. Docendus est populus non sequendus dicit papa Cœlestinus in cap. docere, dist. lxij. [Lætentur cœli, & exultet terra] sequitur secunda pars procemij in qua dominus Eugenius ad communem lętitiam cœlos & terram inuitat dicens LAETENTVR COELI ET EXVLTET TERRA, quod sumptum est de psal. xcv. Lætentur cœli. i. maiores & superiores, qui instar cœlorum alti celsitudine dignitatis, & clari uirtutibus & sapientia, cæteris eminent in ecclesia, de quibus psalmo Cœli enarrant gloriam Dei EXVLTET TERRA. i. cæteri fideles, qui inferiorem in ecclesia gradum & locum tenēt. i. à maximo usq; ad minimum omnes participes sunt huius alacritatis, Omnis terra adoret te Deus & psallat tibi psalmum dicat nomini tuo, psal. xliiij. uel lætentur cœli. i. cœlorum ciues, quos de profectu, de pace, de unitate hominum nouimus plurimum oblectari. Gaudium enim est angelis in cœlo, ut testatur Saluator noster super uno peccatore pœnitentiam agente, & exultet terræ. i. homines qui adhuc peregrinātur in terris, distingue inter lætare & exultare, iuxta glo. Cassiodori super psal. xxx. Exultare est cum magna animi alacritate gaudere. Lætari uero temperata animi affectione gaudere, ut dicitur in glosa super psal. xxxj. Lætari est tacita suauitate gaudere, exultare est concitati animi feruore gaudere.

Cęlestinus pp.

Casiodorus.

Sublatus est de medio paries, qui occidentalem orientalemq; diuidebat ecclesiam, & pax atque concordia rediit illo angulari lapide Christo, qui fecit utraq; unum uinculo fortissimo charitatis, & pacis utrunq; iungente parietem & perpetuæ unitatis, fœdere copulante & continente postquàm longam mœroris nebulam, & discidij diuturni atram ingratamq; caliginem serenum omnibus unionis optat iubar illuxit.

SVBLATVS EST DE MEDIO PARIES hic ponitur tertia pars procemij, in qua ponitur causa tātæ lætitiæ. PARIES. i. obstaculum, quod orientalem & occidentalem diuidebat ecclesiam, SVBLATVS EST &c. quia cum non esset nisi paries materiæ quæ congeriem lapidum dicit nullo firmitatis cæmento conglutinatam de facili operante diuina uirtute auferri poterat Iob. xxviij. Lapidem caliginis cuiusmodi est, qui præbet obstaculum unitati diuidit Torrens. i impetus diuinę uirtutis à populo, ECCLESIAM nó ecclesias, quia una est ecclesia toto orbe diffusa, una est columba mea dicit spiritus sanctus Caticorum vj. PAX ET CONCORDIA, pax siue concordia est animorum in bonum concordantium ordinata tamen qualitas, pax tantum bonum est, ut ait Augustinus de ciuitate Dei, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri. REDIIT fuerat quidem ante bona pax & concordia inter Græcos & Latinos Actuum. iiij. multitudinis credentium erat unum cor, & anima una, glo. interlinearis unus sensus, una anima, una uoluntas. ILLO ANGVLARI LAPIDE CHRISTO IESV Christus qui huius pacis & actor concordiæ est lapis dicitur angularis, dicente Apostolo ad Ephe. ij. ædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum ipso summo angulari lapide existente Christo Iesu. Dicitur lapis Christus propter firmitatem quoniam in eo, ut potè in primo fundamento totum ecclesiæ ædificium innititur, ut non cadat totaq; compago ecclasiasticæ unitatis incumbit, ut non dissoluatur. dicitur summus propter dignitatem, quia summitatem tenet ecclesiastici beneficii. Caput est enim super omnem ecclesiam ad Eph. primo, dicitur angularis propter utriusq; populi cōnexionem in se, Isa. cap. xxviij. Ecce ego mittam in fundamento Syon. i. ecclesiæ lapidem angularem, sed Christum; & Math. xxj. nunquam legistis lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput Anguli, ut potè in quo duo populi tanquàm duo parietes de diuerso angulo uenientes sibi met in pacis osculo copulantur, unde subditur. QVI FECIT VTRAQVE VNVM. i. utrunq; populum unum in fide & moribus VINCVLO FORTISSIMAE CHARITATIS charitas uinculum dicitur, quòd omnia Christi membra ligat ne abeant sicut enim incorporali ædificio, ut ait Chrisost. lapis ad lapidem cæmento interueniente constringitur, sic in ædificio ecclesiæ christianus ad christianum charitate mediante connectitur ad Colossen. iij. super omnia autem hæc, inquit Apostolus, Charitatem habentes, quod est uinculum perfectionis PACIS, quæ est effectus charitatis secundum illud psalmi, pax multa diligentibus legem tuam, VTRVMQVE CONIVNGENDO PARIETEM. i. utrumq; populum Græcum s. & Latinum, primæ Pet. ij. ipsi tanquàm lapides uiui coædificamini in domos spirituales, ET PERPETVAE VNITATIS FOEDERE

August.

Chrisost.

DERE

DERE COPVLANTE Isaiæ.liiij. fœdus pacis à me non delebitur POSTQVAM LONGAM. i.spatio quasi II M. annorum MOERORIS sicut unitas inducit gaudium.& iucunditatem dicente Salomone, qui sequitur pacis concilium,sequitur eum gaudium,Prouer xij. ita diuisio dolorem & mœrorem inducit,August. in libro.ij.de libero arbitrio,Nulla res est,quæ nõ dolorem in diuisione uoluptatem in unitate sentiat,Ose.diuisum est cor eorũ, nunc interijt. NEBVLAM sicut pax est serenitas mentis.ita diuisio nebula & obscuritas mentis,primę Io.primo,qui fratrem suum odit in tenebris est, & Isa. xliiij. quasi nebula peccata tua DIVTVRNI & per consequẽs grauissimi,unde dominus per Prophetam Inueterasti in terra inimicorum tuorum,Baruch.iij. TETRAM teter,tra,trum.i.niger,uel ferus & meritò ita nuncupatur tempus diuisionis & schismatis,quia alienus est,prophanus est, hostis est habere non potest Deum patrum,quæ uniuersalis ecclesiæ non tenet unitatem INGRATAM tum quia,ut ait August.extra unitatem ecclesiæ diuinæ gratiæ,donum non possidetur,ut ait August.q j.multa, tum quia extra unitatem ecclesię non habetur remissio peccatorum,ut idem etiam testatur Augu.in cap.remissionem ea.q. tum quia extra unitatem ecclesiæ non habetur spiritus sanctus,ut ait August.super Io.& habetur. xj q. iij. cap. nihil, tum quia extra unitatem ecclesiæ non prodest sacramentorum perceptio,ut ait beatus Gregorius in moralibus,& habetur. xxiiij. q. prima, quia &.c.quicunq;, tum quia extra unitatem ecclesiæ nulla Christo accepta sunt sacrificia,ut ait beatus Hieronymus & habetur in ca. quoniam uetus. xxiiij. q j.tum quia ex dissensione omnia mala oriuntur,ubi enim dissensio est nihil est rectum,ut ait glo.j.xj quare dicit August.super Ioan.nihil sic debet formidare christianus quàm separari à corpore Christi,& habetur in cap.nihil. xj.q.tertia,quis possit sufficienter enumerare mala exorta ex diuisione Græcorum & Latinorum? secuta sunt quidem diminutio fidei, Casus religionis christianæ,minoratio cultus diuini pacis atque pietatis exilium & desolatio ecclesiastico principatus dicente domino Mathæi.xj.omne regnum in se diuisum desolabitur,quia,ut ait Hieronymus in glo. quomodo concordia res paruæ crescunt,sic discordia res maximę dilabuntur CALIGINEM ad diuisionem animorum caligo sequitur,sicut ad unitatẽ sequitur lumen, secundum illud Baruch quarto,disce ubi sit lumen oculorum,& pax SERENVM OMNIBVS OPTATAE VNIONIS IVBAR ILLVXIT secundæ ad Corinth. quarto,Deus,qui dixit de tenebris lucem splendescere,ipse illuxit in cordibus uestris.

August. August. Gregor. Hierony. August. Hierony.

Gaudeat mater ecclesia, quæ filios suos hactenus inuicem dissidentes iam uidet inunitatem pacemq; redijsse & quæ antea in eorum separatione amarissime flebat ex ipsorum modò mira concordia cum ineffabili gaudio,omnipotenti Deo gratias referat.

HIc uidetur adimpletum esse quod ait Dominus Hieremiæ. xxxi. lætabitur uirgo in choro.i.in concordia facta iuuenes,& senes simul & conuertam luctum eorum in gaudium,& consolabor eos,& lætificabo à dolore suo,& infra quiescat uox tua à ploratu & oculi tui a lachrimis,quia est merces operi tuo,ait Dominus.

Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui Christiano censentur nomine matri Catholicæ ecclesiæ collætentur.

VBi in persona ecclesiæ representatæ in hac Oecumenica synodo meritò potest dici cunctis fidelibus quod mulier, quæ perdiderat dragmam unam post eius inuentionem legitur ad amicos & uicinos dixisse, Luc.xv. congratulamini mihi, quia inueni dragmam, quam perdideram.

Ecce enim occidentales orientalesq; patres post longißimum dissensionis atque discordiæ tempus se maris ac terræ periculis exponentes omnibus superatis laboribus ad hoc sacrum Oecumenicum Concilium desiderio sacratißimæ unionis & antiquæ charitatis reintegrandæ gratiæ læti alacresq; conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt; Post longam enim laboriosamq; indaginem tandem spiritus sancti clementia ipsam optatißimam sanctißimamq; unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficijs gratias referre sufficiat? quantæ diuinæ miserationis dignitas non obstupescat? cuius uel ferreum pectus tantæ supernæ pietatis magnitudo non molliat? sunt ista prorsus diuina opera non humanæ fragilitatis inuenta atque ideo eximia cum ueneratione suscipienda & diuinis laudibus prosequenda.

August. OMNIBVS SVPERATIS LABORIBVS August. in de moribus ecclesiæ nihil tam durum atq; ferreum, quod non amoris igne uincatur AD HOC SACRVM. s. uerum & indubitatum ac legitimum ecclesiæ catholicæ uniuersale Concilium per translationem factam auctoritate sanctissimi domini nostri Eugenij de Basilea in Ferrariam de uenerabilium fratrum suorum. S. R. E. Cardinaliũ consilio pluribus alijs prælatis, & patribus ecclesiæ id ipsum consulentibus & approbantibus, & tãdem peste ingrauescente translatum est de Ferraria in hanc ciuitatem Florentinam. Nullus planè fidelium debet in dubium uertere quia Romanus pontifex apud quem congregandorum conciliorum residet auctoritas distin.xvij. per totum possit & ualeat congregatum concilium de loco ad locum transferre, aut etiam dissoluere. habet enim regula iuris que sumitur ex Chrisost. super Math. quod omnis res per quascunq; causas nascitur per easdem dissoluitur, & hoc maxime potest Romanus pontifex cum causa rationabilis & utilitas Reipublicæ hoc exposceret manifestè, cum nõ pro locis res, sed pro rebus loca amanda sint, ut in cap. nouit, dist.xij. &.ij. Machabeorum.v non propter locum gentem, sed propter gentem locum dominus elegit. Potest etiam Romanus pontifex non modò, ut prædictum est causa subsistente concilium transferre; sed etiam ut sanctæ memoriæ Papa Nicolaus scribit ipsa nequiter celebrata cassare, sicut in uniuersali cõtigit synodo eplesina secunda, quam quia in ea non fuit seruata iustitiæ moderatio, neque fidei religio sanctissimus Leo Papa cassauit, submouit, & in eius correctionem synodum Calcedoneñ. sua auctoritate instituit. Cuncta per mundum nouit ecclesia, inquit

Chrisost.

Nicolaus papa.

inquit Papa Gelasius, quòd quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluēdi, ut pote quæ de omni ecclesia fas habet iudicandi xc.q.tertia, cap.cuncta. Quòd autem legitima & urgentissima causa & utilitas euidētissima Reipublicæ Christianæ occurrerit, ut translatio per sanctissimum dominum nostrum fieret uniuerso orbi exploratissimum est. Omnibus quidem notum est, quòd nolentibus Græcis, & hoc ipsum per suos Oratores publicè protestantibus extra Italiam synodum celebrare, nisi translatio prædicta facta fuisset per sanctissimum dominū nostrum prorsus omnis rumpebatur pacis tractatus, omnisq; spes peribat, tam diu desideratæ unionis & in summa cithara nostra, quæ de tantarum animarum lucro amplissima fiduciæ iucunditate Latinos repleuerat cum maximo dispendio & ludibrio Occidentalis Ecclesiæ conuertebatur in lucrum; sed arguitur in contrarium, quia in cap.frequens, facto in Concilio Basilieñ. non modo legitur inhibita Romano pontifici dissolutio, aut translatio synodi actu congregatæ sine consensu duarum partium ipsius synodi; sed etiam declaratum, quòd Papa non possit dissoluere, seu transferre Concilium sine consensu duarum partium Concilii. Ad quod, ꝙ dicitur præfatum Decretum in nullo militat contra prædicta propter multa. Tum primò, quia talis declaratio intelligenda uidetur extra casum necessitatis & euidentis utilitatis, quomodo interpretatus est eam sanctissimus Dominus noster, ad quem interpretatio pertinet dubiorum, quæ oriuntur de uniuersalibus Conciliis, ut in cap. non licuit.xvij.dist.unde si talis declaratio intelligatur sic; quòd in nullo casu legitima etiam & rationabili causa interueniente Papa nō possit transferre, aut dissoluere Concilium, erronea dicenda est talis declaratio & periculosa nimis statui utilis Ecclesiæ, ut patet ex declarat, bene facta per E. s.d.n. approbante hoc Oecumenico Concilio in canone Moyses. Tum secundo, quia præfatum Decretum frequens non fuit unanimi consensu conclusum, quia non Apostolica Sede consentiente; sed contradicente, & multis alijs probatissimis patribus in eadem synodo existentibus pariter se opponentibus; Decreta autem huiusmodi non sunt propriè dicenda decreta uniuersalis Concilij, sed magis opiniones aut pertinaciæ quorundam. Cum enim Concilium à communi intentione dictū sit, qui sibi met dissentiunt non agunt Concilium, quia non consentiunt in unum, ut in cap.canones, dist.xv. hoc etiam apertissimè colligitur ex cap.sicut, ea.dist. ubi Gregorius decreta uniuersalium Conciliorum ea uocat, quæ uniuersali consensu sunt constituta, cuiusmodi certè non esse uidētur, quibus Apostolicæ Sedis & multorum aliorum probatissimorum patrum Ecclesiæ apertè contradicit auctoritas, ut in cap. regula, dist.xvij. Tum tertio, quia Decretum præfatum nunquàm fuit, sicut nec alia in eadem synodo constituta approbatum aut roboratum auctoritate Apostolica, Decreta autem Conciliorum non habēt uigorem, nisi fuerint Romani pontificis auctoritate firmata, ut præfato cap.regula, dist.xvij. & in cap.si Romanorum, dist.xix. Tum quarto, quia Concilia non possunt ponere legem Papæ, ut potè Principi totius Ecclesiæ, ut in cap.significasti, extra de electione. Tum quinto, quia cum potestas Papæ, quæ suprema est in Ecclesia Dei, ut potè supremi Vicarij Iesu Christi sit immediatè ab ipso Deo, ut in c. in nouo, & cap.quamuis.dist xxj.& cap.omnis, & ca.sacro sancta, dis.xxij. non potest infringi, restringi, limitari aut diminui, à quibuscunque hominibus etiam quantumcunq; in amplissimo numero synodaliter conuenirent: quin-

Gelasius papa.

Gregor.

imo, et in cap. omnis, dist. xxij dicitur omnes Romanæ Ecclesię priuilegium ab ipso summo omni ecclesiarum capite traditum auferre conantes in hæresim labuntur. Tum sexto, argumentum factum de cap. frequens non contradicit ueritati, & auctoritati huius Florentini Concilij, quia huiusmodi translatio non modo facta fuit per sanctissimum Dominum nostrum approbantibus, & consentientibus dominis Cardinalibus multisq; aliis prælatis, pro bono ipsius Ecclesiæ hoc ipsum consulentibus, qui erant in Romana curia, sed etiam facta fuit, & primo ab ipsa synodo Basilień cum facta sit ab ipsis Legatis & Præsidentibus Romani pontificis, & multis aliis prælatis, & patribus grauissimis seniorem partem synodi facientibus, ad quos in hac parte ex conuentione concordi omnium patrum Concilii sententia cōclusā deuoluta erat auctoritas synodi. Orta quippe dissensione grauissima & periculosa ualde inter patres Concilii super electione loci, tandem prius multa disponente domino ad tollēdam discordiam patrum dissidentium facta est ex totius synodi concordi sententia; quòd si ciuitas Auinionensis infra certum terminum non satisfaceret realiter, & cum effectu de mutuo constituto, ꝙ ex tunc sacrum Concilium posset, & teneretur ad electionem alterius loci procedere, & sibi, & uniuersali Ecclesiæ prouidere aliunde. Quo termino decurso & Auinionensibus non soluentibus non dubium est ad illos ius electionis esse deuolutum, qui ordinationem totius synodi exequentes sibi & uniuersali Ecclesiæ prouiderunt, procedentes ad electionem noui loci etiam si in paruo numero fuerunt constituti hunc locum respicere uidetur textus ille in cap. omnibus. xxiiij. q prima, ubi Hieronymus dicit, omnibus considera-

Hierony. tis se putare non temere dicere aliquos ita esse in domo domini, idest in Ecclesia uniuersali, ut ipsi sint eadem domus Dei, idest Ecclesia: Præterea, cum prædicti patres executores fuerunt ordinationis ipsius Concilij, meritò actus istius translationis dicitur fuisse actus ipsius synodi, ita ordinantis, & prouidentis fieri, iuxta cap. litteris, extra de rescript. OECVMENICVM, idest uniuersale, siue orbiculare, quia de toto orbe Episcopi cōueniebant secundum, ꝙ in cap. canones, dist. xv. de Concilio Niceno, dicitur DESIDERIO SANCTISSIMAE VNIONIS, Rationabiliter unionem hanc desiderio summo prædicti patres optabant scientes, quòd non nisi per unitatem Ecclesia habitura est incrementum. Pace enim & concordia uniuersum corpus Christi adunatur, regitur, & stabilitur, pro qua tam deuotè filius rogat patrem, Ioan. xvij. Pater serua eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, quam adeò desiderabat in discipulis suis. Paulus ut eā complementum desiderii sui reputaret, dicens, ad Philippum. ij. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis eandem charitatem habentes LAETI ALACRESQVE VENERVNT alacer secundum Papiam dicitur gaudens fortis, expeditus, hilaris, uelox, dicit enim Augustinus lib. de pœ. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorum, & nemo nisi pro eo quod delectat sponte suscipit ferre quod cruciat. INTENTIONE SVA NEQVAQVAM FRVSTRATI SVNT Isa. lxv. Electi mei non laborabunt frustra POST LONGAM, durauit enim discussio articulorum infrascriptorum & pacis tractatus, quasi per duos annos. Non enim tempore indigemus, ait Calixtus Papa in cap. ponderet, dist. 50 ut aliquid maturius agamus, ne præcipitemus cōcilia & opera nostra, ne ordinem corrumpamus LABORIOSAM multi & uarii labores habiti sunt in hoc opere, & tot quandoque sunt ortæ difficul-

Margin notes: Augu[st]. (beside "tis, expeditus"); Isaiæ. (beside "QVAM FRVSTRATI"); Calixtus Papa. (beside "pacis tractatus")

difficultates, ut sępe numero nulla, aut minima spes esset unionis INDAGINEM, non enim danda est diffinitio, aut sententia nisi diligenti uentilationę præmissa. xj q tertia, summopere TANDEM SPIRITVS SANCTI CLEMENTIA spiritus sanctus cum sit amor, & nexus patris & filii, meritò appropriatur sibi connexio, siue unio membrorum Ecclesiæ adinuicem; unde Augustinus super illo ad Ephe quarto, Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis, dicit in glo. unum enim corpus efficimur propter societatem, quàm facit spiritus sanctus, ipse est patris, & filii amor, & connexio, ad ipsum ergo pertinet societas, qua efficimur unum corpus, & unici filii Dei, sicut.n. unum corpus homini multis constat mēbris, & uegetat omnia membra, una anima faciens in oculo, ut uideat; in aure, ut audiat; & sic de cæteris; ita spiritus sanctus membra corporis Christi, quod est Ecclesia continet & uegetat. ij. ad Corin. xij. omnia hæc unus & idem spiritus operatur diuidens singulis, prout uult OPTATISSIMAM obsecramus uos, inquit Apostolus, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata SANCTISSIMAM, habitat enim sanctus spiritus in unitis & cōgregatis, iuxta illud. Act. ij. Cum essent discipuli pariter in eodem loco factus est repentè de cœlo sonus tanquàm aduenientis spiritus uehemētis, & repleuit totam domum, ubi erant Apostoli sedentes, & Math. xviij. Vbi duo, uel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum CONSECVTI SVNT bonorum laborum gloriosus est fructus, Sap. iij. QVIS ERGO DIGNAS OMNIPOTENTIS DEI BENEFICIIS GRATIAS REFERRE SVFFICIAT? quasi dicat nullus. Ecclesiast. xliij. glorificantes dominum quantumcunque potueritis superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius benedicentes dominum exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude, QVIS TANTAE DIVINAE MISERATIONIS DIVITIAS NON OBSTVPESCAT. Nullus unde ad Ephes. tertio, testatur Apostolus, inuestigabiles diuitias gratiæ Christi, & Hester. v. ualdè mirabilis es tu domine, & facies tua plena gratiarū, CVIVS VEL FERREVM PECTVS TANTAE SVPERNAE PIETATIS MAGNITVDO NON MOLLIAT? hoc loco consideranda uenit durities damnatissima cordium Basiliēsium qui tanta diuinæ pietatis amplitudine uisa non sunt auersi à uia sua mala, nō sunt emolliti, sed renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas super Petram, Hiere. v non animaduertentes, quod ait sapiens, Ecclesiast. tertio, Cor durum male habebit in nouissimo cor durum, ut ait Bern. li. de consideratione, est quod nec compūctione scinditur, neq; pietate mollitur, nec mouetur precibus minis non cedit, flagellis durat, ingratum ad beneficia est ad concilia infirmū, SVNT ISTA PRORSVS DIVINA OPERA NON HVMANAE FRAGILITATIS INVENTA solus Deus, qui cōcordiam facit in sublimibus, Iob xxx. ipse est, qui facit pacem his qui longè sunt, & his qui propè, ad Ephe. secundo, Ipse est qui solo imperante uentis & mari facta est tranquillitas magna, Mathæ. viij. Ipse est, qui testante spiritu sancto in psalmis in habitare facit unanimes in domo, Psal. lxvij. Vnanimes. i. unum sentientes colligit in unum, ut Augu. exponit in glo. ATQVE IDEO EXIMIA CVM VENERATIONE SVSCIPIENDA ET DIVINIS LAVDIBVS PROSEQVENDA Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt magnificentiam gloriæ tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, psal. cliiij.

August.

Bernar.

Mathæ.

August.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Christe fons misericordiarum, qui tantum boni sponsæ tuæ Catholicæ Ecclesiæ contulisti atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti. ut enarrēt omnes mirabilia tua, Magnum siquidem diuinumq; munus nobis Deus largitus est, oculisq; uidimus quod ante nos multi eum ualde cupierunt aspicere nequiuerunt.

HIc ponitur quarta pars Procemij, in qua demōstrata magnitudine beneficij collati offert gratias omnipotenti tanti muneris largitori; cū enim effectus naturaliter ad suam causam conuertatur, ait enim beatus Dionysius. iiij. c de di. no. quod Deus omnia in se conuertit tanquam omnium causa, oportet quòd effectus ordinetur ad finem agentis manifestum est autem, quòd benefactor inquantum huiusmodi est causa beneficiati, & ideo naturalis ordo requirebat, ut Ecclesia uniuersalis quæ tantum beneficium à Deo susceperat per gratiarum recompensationem conuertentur ad Christum suum benefactorem. Ad locum enim unde exeunt flumina gratiarum, scilicet reuertuntur, ut iterum fluant, Ecclesiast. xliij. nihil enim ita displicet Deo præsertim in filiis gratiæ, ait Bern. sicut ingratitudo. uias enim obstruit gratiæ & ubi fuerit illa iam gratia accessum non inuenit, locum non habet, quo circa exhortatur Apostolus primæ ad Thessal. v. In omnibus inquit gratias agite; Verum quia benefactori inquantum huiusmodi debetur honor & reuerentia eo quòd habet rationem principii, ideo scribitur TIBI LAVS, TIBI GLORIA, TIBI GRATIARVM ACTIO Isa. li. gaudium & lætitia inuenientur in ea, & gratiarum actio & uox laudis. Laus, ut dicit Aristoteles primo Rethorices, est sermo illucidans magnitudinem uirtutis, gloria, ut dicit Ambrosius est clara cum laude notitia, uel ut habet glo. in psal. vij. multorum ore celebrata laudatio gratiarum actio dicitur quædam gratiæ compensatio ad uirtutem iustitiæ; Tullius dicit pertinere, CHRISTE Christus enim Grecè, Messias Hebraicè, Latinè dicitur unctus, in ueteri Testamento reges & sacerdotes ungebantur, Christus autem unctus non oleo uisibili, sed inuisibili. i. plenitudine gratiæ spiritualis; unde in psal. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præconsortibus tuis hoc nomen fuit aliis adiectiuum, sed Iesu factum est proprium, ut ait gl. ad Ro. tertio, FONS Isa. xij. haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris pro paradiso quidem, quem perdidimus, ut ait Bernar Restitutus est nobis Saluator. Sicut de uno fonte paradisi deriuantur quatuor flumina ad irrigandum paradisum, ita de pectoris domini archano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor genera aquarum: unde tota per uniuersum mūdum rigatur Ecclesia: sunt autem quatuor fontes ueritas, sapientia, uirtus, & charitas: ex hiis ergo fontibus hauriuntur aquæ ex singulis singulæ: nam de fonte ueritatis sumuntur aquæ iudiciorum, de fonte sapientiæ aquæ consiliorum, de fonte uirtutis, aquæ præsidiorum, de fonte charitatis aquæ desideriorum MISERICORDIARVM. ij. ad Corint. primo, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Dicuntur autem misericordiæ in plurali, tum propter multitudinem beneficiorum, quæ nostræ fragilitati præstat clemētia redemptoris, multæ quippè misericordiæ domini. ij. Reg. xxiiij. Tum propter indefectibi-

Dionysi. Bernar. Aristo. Ambro. Tullius. Bernar.

fectibilitatem fluxus pietatis. Cum enim sit fons u[...]us nunquam cessat emanare Trenorum. iij misericordia domini quod non [...]us consumpti, quia non defecerunt miserationes eius glo. interlinealis fons uiuus nescit deficere. SPONSAE TVAE Oseæ. ij. sponsabo te mihi in æternum: & Canticorum. iiij. ortus conclusus soror mea, sponsa mea, ortus conclusus CATHOLICAE ECCLESIAE quia non hæreticorum aut malignantium Ecclesia sponsa est eius, Oseæ. ij. ipsa non uxor mea, & ego non uir eius, Auferat fornicationes suas a facie sua &c. glo. hæc omnia aptantur iudæis & hæreticis uaria dogmata corde & opere sequentibus de Ecclesia autem Catholica dicitur; Canticorum quarto, Tota pulchra es amica mea, & macula nō est in te, VT ENARRENT OMNES MIRABILIA TVA, Benedicite Deo, & enarrate mirabilia eius, Tobiæ. xij. QVOD ANTE NOS MVLTI CVM VALDE CVPIERINT ASPICERE NEQVIVERVNT. ut nobis illud conueniat. Math. xiij. Beati uestri oculi qui uident, & aures uestræ quæ audiunt, quia multi Prophetæ, & iusti cupierunt uidere, quæ uidetis & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

Conuenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta Oecumenica synodo magno studio inuicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de diuina spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. prolatis uerò testimonijs ex diuinis scripturis plurimisq; auctoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium aliquibus quidem ex patre & filio, quibusdam uerò ex patre per filium procedere spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis uocabulis. Græci quidem asseruerunt, quòd id quod dicunt spiritum sanctum ex patre procedere non hac mente proferunt, ut excludant filium: sed quia eis uidebatur ut aiunt, Latinos asserere spiritum sanctum ex patre & filio procedere tanquam ex duobus principijs, & duabus spirationibus, ideo abstinuerunt à dicendo quòd spiritus sanctus ex patre procedat, & filio. Latini uerò affirmarunt non se hac mente dicere spiritum sanctum ex patre filioq; procedere, ut excludant patrem, quin sit fons & principium totius deitatis, filij scilicet, & spiritus sancti, aut quòd id quod spiritus sanctus procedit ex filio filius à patre non habeat siue quod duo ponāt esse principia, seu duas spirationes: sed ut unum tantum asserant esse principium unamq; spirantem spiritus sancti prout hactenus asseruerunt.

POsito Procemio sequitur narratio & diuiditur in quatuor partes. Primò quidem narratur qualiter Latini & Græci conuenerunt in hac sancta Oecumenica synodo. Secundò qualiter diligentissima facta est discussio ueritatis circa articulos, in quibus erat discordia inter Latinos & Græcos, maximè circa articulū de processione spiritus sancti in medium prolatis uarijs & multiplicibus auctoritatibus, tam sacræ scripturæ, quàm

sanctorum patrum, ibi MAGNO STVDIO Tertiò ponitur intelligentia, quam Græci asserunt se hactenus habuisse circa processionem spiritus sancti, ibi, GRAECI QVIDEM Quartò ponitur intelligentia qua Latini semper se habuisse professi sunt de ueritate processionis spiritus sancti, ibi, LATINI VERO, CONVENIENTES ENIM LATINI instar patrum primitiuæ Ecclesiæ de quibus Actuum.xv.dicitur, Conuenerunt Apostoli & seniores uidere de hoc uerbo, ubi dicit glo. hic datur ex Apostolis exemplum faciendi conuentus ad discernenda ea, quæ sunt fidei. GRAECI IN HAC SACROSANCTA OECVMENICA in tanta creditur multitudine & auctoritate, tam Ecclesia, quàm seculari quantum ab exordio nascentis Ecclesiæ apud Latinos in aliqua synodo conuenerunt SYNODO synodus autem ex Græco interpretatur comitatus uel cœtus in cap.canones, dist.xv.& dicitur synodus à sin, quod est simul, & oda, quod est laus.i.quod simul laudant uel comprobant. INTER ALIA de multis aliis articulis, & si discussio cũ maxima diligentia tacta sit, maiori tamen studio & feruentiori diligentia discussio habita est de articulo processionis spiritus sancti; tum quia de hoc erat præcipua disceptatio inter Latinos & Græcos; tum quia in nullo alio periculosius errabatur. Quęsitum est autem à quibusdam, utrum error, qui dicebatur esse Græcorum circa processionem spiritus sancti à filio, esset peior quam error eorum fuerit circa obedientiam Romanæ Ecclesię & respondet

Guido. dominus Guido Carmelita, quò libero v. artic.xvij quod peior est error circa processioné spiritus sancti quod sic probat, quia sicut per uirtutes Theologicas magis coniungimur Deo, quàm per morales, ita magis elongamur a deo per errorem oppositum uirtutibus Theologicis, quàm per erroré oppositum uirtutibus moralibus, error autem circa processionem spiritus sancti est contra fidem, error autem circa obedientiam est error in moralibus, ergo primus error est peior secundo: sed licet conclusio Doctoris uera sit, uidelicet quòd error, qui erat circa processionem spiritus sancti peior sit q̃ error circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Nihilominus probatio quam assumit, nulla est, præsupponit enim in minori, quòd error qui dicebatur esse græcorum contra obedientiam Romanæ Ecclesię, non esset error contra fidem, sed contra bonum morale, hoc autem falsum est. Dupliciter enim peccare contingit contra obedientiam Romanæ Ecclesiæ; uno modo negando quòd Ecclesia Romana sit caput aliarum quodq; ei obediendũ non sit plusq̃ cæteris Ecclesiis; & hoc modo errare circa obedientiam Romanę Ecclesię, est contra fidem Catholicam errare, ut in ca.omnis, dist xxij. alio modo contingit errare circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ, præceptis Ecclesiæ non parendo al sq; hoc male sentiat de primatu illius, sicut eum quis malus recusat Romanæ Ecclesiæ parere mandatis, qui tamen tenet & credit quòd illi tanquam capiti cæterarum Ecclesiarum obediendum esset, & hoc modo errare circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ, non est errare in fide, sed moribus quia solum peccatur circa obedientiam, quæ est uirtus moralis, constat autem quòd error qui Græcis ascribebatur circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ erat error primo modo dictus, cum negarent primatum Romanę Ecclesiæ, & per consequens talis error, erat error in fide, & non in moribus, sicut præfatus Doctor præsupponere uisus est. Quare alia ratione probanda est cóclusio prædicta, sicut enim cæteris paribus grauiora sunt peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, quam peccata contra pręcepta secũdæ,

quia

quia illa directè sunt contra Deum, sicut est blasphemia periurium, uel idolatria, quàm furtum, uel adulterium, sic error contra fidem, qui directius est contra Deum peior est per se, cuiusmodi est error negantium spiritum sanctum à filio procedere, & maximè secundum opinionem communem Doctorum dicentium, quòd si spiritus sanctus a filio non procederet, non distingueretur ab eo, error autem circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ non est, ita directè contra Deum, nec articulus obedientiæ Romanæ nõ ita expressè colligitur ex sacra scriptura, sicut articulus de processione spiritus sancti à filio, secundo eadem cõclusio patet ex eo quòd error circa processionem spiritus sancti continet errorem circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ, quæ in Concilio Lugduneñ. statuit sub pœna anathematis ab omnibus tenendum esse spiritum sanctum à filio procedere, extra de sum. trin. & fide cath. in vj. cap. fideli. Error autem circa obedientiam Romanæ Ecclesiæ non necessariò includit errorem de spiritus sancti processione per accidens tamen ut præfatus Doctor dicit, potest contingere quòd peior esset error negás obediendum fore Romanæ Ecclesiæ, quàm primus error. Quia per hunc errorem excluditur remedium per quod possit curari ab alio errore, & aliis grauioribus, sicut infirmitas dicitur esse periculosior per quam aliquis abhorret medicum, & medicinam quàm infirmitas simplex, quæ horrorem medici non induceret. Medicus autem spiritualis est ipse prælatus Ecclesiæ PROBATIS VERO TESTIMONIIS EX DIVINIS SCRIPTVRIS PLVRIMISQVE AVCTORITATIBVS SANCTORVM DOCTORVM ORIENTALIVM ET OCCIDENTALIVM, Tum quia, ut ait Hieronymus, quod de scripturis diuinis auctoritatem non habet eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Tum quia sola scriptura sancta propter infallibilitatem sui est propria statera iudicii fidei, ut in cap. non afferamus stateras dolosas xxiij. q. j. ALIQVIBVS QVIDEM EX PATRE ET FILIO DICENTIBVS SPIRITVM SANCTVM PROCEDERE, inter quas de auctoritatibus sanctorum patrum Græcorum fuerunt aliqua, quæ sequuntur illa sancti Epiphanii in lib dicto Auchirothon. Itaque pater erat semper, & filius erat semper, & spiritus sanctus à patre & filio spiratur. Item illa eiusdem doctoris in quosdam lib. qui intitulatur contra hæreticos. Si autē Christus ex patre creditur Deus ex Deo, & spiritus sanctus ex Christo, siue ab utroq;, unde Christus ait, qui ex patre procedit, & hic de meo accipiet. Item illa Didimi in libro de Spiritu sancto spiritus sanctus, qui est spiritus ueritatis spiritusq; sapientiæ non potest audire filio loquente, quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur à filio. i. procedens Deus à Deo spiritus ueritatis procedens à ueritate, & infra Nec aliud quidem est filius exceptis his quæ ei dantur à patre, nec alia substantia est spiritus sanctus præter id. quod datur à filio. Item illa Athanasii in symbolo fidei, spiritus sanctus à patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, nec procedēs. Item illa Cirilli in libro Thesaurorum bene in Euãgelio Saluator dicit de se, Ego sum ueritas. Ioannes uerò, & ex patris & filii substantia spiritum sanctum esse docens in Euangelio, dicit, spiritum ueritatis, qui à patre procedit. De auctoritatibus uerò patrum Latinorum dicētibus spiritum sanctum à patre, & a filio procedere est illa, beati Hilarii. ij. lib de Trinitate dicentis, Spiritum sanctum ex patre & filio auctoritatibus confitemur. Item illa Hieronymi in expositione Niceni symboli, Credimus & in spiritum sanctum, qui de

Hierony. Epipha. Idem. Didimus. Idem. Athanasi. Cirillus. Ioan. Hylarius. Hierony.

Ambro. patre filioq; procedit,qui est Deus uerus sicut, & filius. Item illá Ambrosii lib.primo.de Spiritu sancto, Spiritus quoque sanctus cum procedit à patre & filio,non separatur à patre,non separatur a filio, quemadmodum separari
August. pót à patre qui spiritus eius oris est? Item illa Augustin.de fide ad Petrum, Æternum quippe siue necessarium est,quòd filius de patris natura natus exi stit, & æternum ac sine initio est quòd spiritus de natura patris filiq. pro-
Idem. cedit,& illa eiusdem parum infra. Vnus est Deus pater,qui solum essentialiter de se ipso unum filium genuit,& unus filius,qui de uno patre solus est essentialiter natus, & unus spiritus sanctus, qui solus essentialiter de patre filioq; procedit. QVIBVSDAM VERO EX PATRE PER FILIVM PROCEDERE DICENTIBVS SPIRITVM SANCTVM inter quas
Cirillus. de auctoritatibus sanctorum patrum Græcorum est illa Cirilli in lib. Thesaurorum,Deus per manum suam propriam.i.sapientiam cuncta produxit in esse in uno suo uerbo uero & unifico,atq; deifico coessentiali spiritu sibi quē
Taraclius per eundem filium naturaliter coæternum spirauit. Item illa Taraclii Con-
Constāti. stantinopolitani Episcopi in Epistola ad Episcopos & sacerdotes Antiochię, Alexandriæ,atq; sanctæ ciuitatis, cuius initium est plurimis atq; eximijs dispensationibus hominum &c. post plurima ita dicētis, Et spiritum sanctum,
Maximus. qui ex patre per filium procedit,Item illa Maximi exponentis illud Zachariæ x. uidi candelabrum aureum &c. spiritus sanctus sicuti naturaliter per essentiam Dei patris est,Ita etiam filii secundum essentiam ueluti ex patre
Gregorij essentialiter per filium genitum ineffabiliter procedens,Item illa Gregorii
Niceni. Niceni, spiritum sanctum ex patre esse mediante filio tenemus,Ex patribus
Hylarius. autem occidentalibus auctoritas,hoc idem dicēs est illa beati Hylarii,qui in lib.de tri.ait,Conserua hanc oro fidei meæ religionem,ut quid in regenerationis meæ symbolo professus sum,semper obtineam patrem, scilicet, te filium tuum unà tecum ad orem spiritū sanctum tuum,qui ex te per unigenitum tuum est promerear, ET AD EANDEM INTELLIGENTIAM RESPICIENTIBVS OMNIBVS SVB DIVERSIS VOCABVLIS in-
Hylarius. telligentiā maximè in scripturis consideranda est,quia (ut ait Hylarius) de
Dionysi. intelligentia hæresis,non de scriptura est. Et Dionysius, in rationabile, & peruersum esse dicit non intentionis uirtuti,sed uocabulis intendere. Qua-
Gre.The. re dicit Gregorius Theologus non de uerbis & nominibus pugnemus dum modo sillabæ ad eundem intelligentiam ferant,quia ut idem testatur non in
Hierony. uerbis,sed in sensibus religio nostra consistit. Et Hieronymus contra lucifeтianum scripturæ non in legendo, sed intelligendo consistunt. GRAECI QVIDEM ASSERVERVNT hic ponitur intelligentia,quam Græci dixerunt se habuisse circa processionem spiritus sancti & diuiditur in duas partes in prima profitentur,quòd per hoc quòd dicebat spiritum sanctum a patre procedere non excludebant filium,quin cum patre esset principium & actor processionis spiritus sancti. In secunda assignant causam propter quā abstinebant ab explicita & expressa professione,quòd spiritus sanctus ex patre & filio procederet.ij.ibi, SED QVIA EIS VIDEBATVR asseruerunt ergo Græci,quòd id,quod dicunt spiritum sanctum a patre procedere non hac mente proferunt,ut excludunt filium a processione s.spiritus sancti negando ipsum filium actorem esse,& principium spiritus sancti. hoc enim negare non poterant,nisi a fide catholica declinarent: nam ut infra cum Latinis profitentur ueritas Catholicę fidei,est spiritum sanctum a patre & filio

æternaliter procedere: SED QVIA EIS VIDEBATVR &c. hic ponitur ratio propter quam Græci licet crederent filium actorem esse, & principium spiritus sancti abstinere se, dicebant ab explicite profitendo quòd spiritus ex patre & filio procederet, VT AIVNT hoc additum est, quia difficile fuit, hoc ad credendum Latinis, cum tam per libros & Tractatus Doctorum Occidentalis Ecclesiæ, atque per disputationes plurimas cum Græcis habitas q̃ per synodales declarationes exploratissimum factum fuerit toto in orbe Christiano Latinos semper tenuisse & prædicasse spiritum sanctum ex patre & filio non tanquam ex duobus principiis & duabus spirationibus, sed ex uno principio & ex una inspiratione procedere sicut pater, extra de summa trin. & fi. ca. in vj. libro. cap. fideli. LATINI VERO AFFIRMARVNT hic ponitur uera & catholica intelligentia, quam Latini semper habuisse professi sunt de processione spiritus sancti, & potest diuidi in tres partes secundum tria, quæ Latini excludunt ab intelligentia, quam habẽt dicentes, spiritum sanctum ex patre & filio procedere. primum enim, quod excludunt est patrem non esse fontem & principium totius diuinitatis, secundum quòd hoc quod à filio spiritus sanctus procedat non habeat a patre; tertium quòd pater & filius sunt duo principia spiritus sancti. ij. ibi, AVT QVOD ID, QVOD SPIRITVS SANCTVS &c. iij. ibi, SIVE QVOD DVO QVIN SIT FONS, immo ita se credere asserũt Latini à patre & filio spiritum sanctum procedere, ut patrem credant fontem & principiũ totius diuinitatis fontem quidem, ait enim beatus Dionysius secundo, de diui. no. solus autem fons super substantialis deitatis est pater, Item in eodem, pater quidem est fontana deitatis, filius & spiritus sanctus deiginæ deitatis, si ita oportet dicere pullulationes diuinæ naturę, & sicut flores & substantialia lumina à sanctis eloquiis accepimus, sed uidetur, quòd hæc Latinorum professio implicet contradictionem, profitentur enim ex una parte solum patrẽ esse fontem deitatis, & ex alia parte profitẽtur spiritum sanctum ex patre filioq; procedere, & per consequens nõ solum patrem, sed etiam filium esse fontem spiritus sancti. Respondetur dicendo, quòd nulla est contradictio; pro quo notandum quòd fons dupliciter accipitur, uno modo proprie. & hoc modo fons dicitur in singulis naturis, dũtaxat in quo est prima origo naturæ illius, alio modo largè sumitur fons, & sic etiam fons dicitur principium cuiuscunq; alterius in natura aliqua, sumendo autem primo modo nomen fontis solus pater dicitur fons, ut ait Dionysius, quia in ipso est prima origo super substantialis deitatis, filius uerò dicitur fluuius. Aqua uerò ex paterno fonte & fluuio filio eius emanãs dicitur spiritus sanctus, unde Athanasius in Epistola ad Serapionem. Cum pater sit fons, & filius fluuius dicatur, bibere dicimus spiritum sanctum. Scriptũ est enim, quòd nos omnes uno spiritu potati sumus, Item Chrisost. in psal. xciij. fontẽ quidem appellat patrem, fluuium autem filium. Aqua uerò fluuii spiritum sanctum, testimonium sumens domini, qui ait, Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei non sitiet in æternum; quod exponens Euangelista hoc autem, inquit, dicebat de spiritu sancto quem accepturi erant credentes in eum. Verum ex hoc, quòd solus pater hoc modo dicatur fons diuinitatis, non sequitur, quòd filius non sit principium spiritus sancti. Secundo uero modo capiendo nomen fontis etiam ipse filius dicitur fons spiritus sancti: unde Athanasius in sermone Niceni Concilii, spiritus sanctus est in filio, sicut fluuius in fonte: Item in Epistola ad Serapionem, est

Dionysi. Dionysi. Athanasi. Chrisos. Athanasi. Idem.

quidem filius apud patrem fons & lux cuius fontis atq, lucis spiritus sanctus

Idem.

est uerus fluuius atq; splendor æternę glorię & in Epistola de Incarnatione uerbi, idem ita dicit, idcirco Dauid psallens canebat, Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen : sciebat autem apud patrem esse filium fontem spiritus sancti. PRINCIPIVM dicit enim Augu.l b iiij. de trin. Quod pater principium est totius diuinitatis, uel si melius dicitur deitatis : sed hoc uidetur falsum, quia aut deitas sumitur pro essentia diuina, aut pro personis : si pro personis sic non uidetur esse uerum, quòd pater sit principium totius deitatis. i. omnium personarum, cum non sit principium sui ipsius : Si pro essentia uidetur falsum, quia pater non est principium essentiæ. diuina enim essentia nec generat, nec generatur, nec spiratur, ut in cap.

Magister sniarum.

damnamus, extra de sum. trin. & fide catho. habetur etiam in Magistro sententiarum in primo, dist. v. Respond. dicendum iuxta sententiam sancti Tho-

Thomas.

mæ, tam in prima parte, quæst. xxxix. articu. v. quàm in primo sententiarum in fine, distinct. xxix. quod utroq; modo accipi potest, si enim accipitur pro essentia, tunc totum in hoc loco non dicit in egritatem partium, sed perfectionem naturæ, & dicitur pater esse principiū totius deitatis, non quia deitatem generet, uel spiret : sed quia deitatem generando, uel spirando communicat, ut sit sensus, est principium deitatis, idest ut deitas habeatur; sed sic etiam filius posset dici principium totius deitatis, quia ab ipso perfecta diuinitas est in spiritum sanctum, nisi pro tanto, quia nō est ab eo omnimodo quo communicabilis est, quomodo a patre est. Si uerò deitas sumatur pro uniuersitate personarum, tunc planius est, quia sic dicitur principium totius diuinitatis inquantum in omnibus personis ipse est principium, à quo aliæ personę fluunt, sicut punctum dicitur principium totius lineæ quamuis suiipsius principium non sit. Et quis dicitur rector totius populi, quamuis non sit rector suiipsius, & quòd talis consideratio fuerit, beatus August. deducit Magister

August.

sententiarum in primo, dist. xxxviij & v. di. Ait enim August. quarto, de tri. Pater est principium totius diuinitatis, uel si melius dicitur deitatis, quia ipse est à nullo, non. n. habet de quo sit, uel de quo procedat. sed ab eo, & filius est genitus & spiritus sanctus procedit. Non ergo dicitur principium totius diuinitatis, quòd uel sui, uel diuinæ essentiæ principium sit; sed quia principium est filij & spiritus sancti, in quibus simul tota diuinitas est, & secundum hanc intelligentiam accipiunt Latini in præsenti declaratione patrem principium esse totius deitatis : unde sequitur FILII. s. ET SPIRITVS SANCTI sequitur secundum quod, Latini ab intelligentia sua quam habēt de processione spiritus sancti excludunt, AVT. i. non ita concedunt spiritum sanctum à patre filioq; procedere, QVOD ID, QVOD SPIRITVS SANCTVS PROCEDAT EX FILIO, FILIVS A PATRE, NON HABEAT, Cum quicquid habet filius, de patre habeat, de patre utique ha-

August.

bet, unde illo procedat spiritus sanctus: Vnde August. xv. de trin à quo. n habet filius, ut sit Deus, est enim de Deo Deus ab illo habet utiq;, ut etiam de illo procedat spiritus sanctus, secundum quod Latini excludunt ab illa intelligentia, quam, ut dictum est, habent de processione spiritus sancti à patre & filio SIVE. i. non ita credunt spiritum sanctum à patre & filio procedere, QVOD DVO PONANT ESSE PRINCIPIA SEV DVAS SPIRATIONES, SED, VT VNVM TANTVM ASSERVNT ESSE PRINCIPIVM VNAMQVE SPIRATIONEM SPIRITVS SANCTI, PRO

VE

VT HACTENVS ASSERVERVNT sicut patet de Hylario, Ambrosio, & Hieronymo, & Augustino antiquissimis Occidentalis Ecclesiæ Doctoribus, qui manifeste in libris suis asseruerunt & docuerunt spiritum sanctum à patre & filio procedere, sicut ab uno principio & spiratione unica, sunt etiam ipsi Græci testes huius rei, quibus in Concilio uniuersali Lugduneñ. præsentibus cũ Latinis & consentiẽtibus sub Gregorio decimo, facta est hæc declaratio in forma, fatemur quòd spiritus sanctus æternaliter ex patre & filio nõ tanquàm ex duobus principiis, sed tanquàm ex uno non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit: hoc professa est hac hactenus prædicauit & docuit, hoc firmiter tenet & prædicat profitetur, & docet sancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium, & magistra prout habetur extra de summa trinitate & fide catho. lib vj. in qua synodo ter Græcè, & ter Latinè cum præfata declaratione, & adiectione filioq; symbolum à tota synodo dicitur sole uniter fuisse decantatum. Hierony

Et cum ex his omnibus unus, & idem eliciatur ueritatis sensus tandem infrascriptam sanctam, & Deo amabilem eodem sensu eademq; mente unionem unanimiter concordarunt & consenserunt.

HIc ponitur conclusio, & diuiditur in duas partes. In prima ponit q attento ex iis, quæ in medium prolata erant ex utraq; parte, quod latini & Græci, idem pariter sentiebant circa processionem spiritus sancti. Data præterea boni concordia circa alios articulos, de quibus discussio etiam habita erat unanimi consensu pariq; uoluntate processerunt ad diffinitionem infrascriptorum. In secunda parte ponitur ipsa diffinitio, ibi, IN NOMINE ERGO SANCTAE TRINITATIS, VNVS ET IDEM ELICIATVR VERITATIS SENSVS. Quocirca, ut Magister dicit in primo sententiarum, dixi Græci in eandem fidei sententiam cum latinis conuenire uidebantur, licet in uerbis dissentirent. Et sanctus Thomas in quæstionibus de po. dicit. Si quis rectè consideret dicta Græcorum inueniet, quòd a nobis magis differunt uerbis, quàm sensu. SANCTAM salutate inuicem in osculo sancto, primæ ad Corinth. xvj. glos. j. in pace Christi. DEO AMABILEM, Eccl. xxv In quibus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus concordia fratrum &c. & August. in cap ipsa. xxiij. q. quarta dicit, conuiuium domini est unitas corporis Christi non solum in sacramento altaris; sed etiam in uinculo pacis. IN EODEM SENSV iuxta illud Apostoli primæ ad Corin primo, Sitis autem perfectis in eodem sensu, & in eadem scientia, VNANIMITER secundum illud Apostoli ad Philippen. ij. unanimes id ipsum sentientes, Et Canticorum quarto, Vulnerasti cor meum sponsa mea in uno oculorum tuorum, glo. in unitate prædicatorum, quia omnes idem prædicant, amant, & quærunt.

Magister sñiarum.

Thomas.

August.

In nomine igitur sanctæ Trinitatis, patris, & filij, & spiritus sancti, hoc sacro uniuersali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut hæc fidei ueritas ab omnibus christianis credatur, et suscipiatur, sic quòd omnes profiteantur quòd spiritus sanctus ex patre & filio æternaliter est, et essentiam suam suumq; esse subsistens habēt ex patre simul, & filio, & ab utroq; æternaliter tanq̃ ab uno principio, & unica spiratione procedit.

HIc ponitur ipsa definitio, & diuiditur in duas partes primo.n. sanctissimus dominus noster inuocat sanctā trinitatem, patrem, filiū, & spiritum sanctum; vnum deum verū, ęternum, & incommutabilē, conditorem vniuersę creaturę, a quo oīa, in quo oīa, & per quem oīa: secūdo prosequetur diffinitionē, ibi, DIFFINIMVS, & hæc in duas, in prima ponitur diffinitio articulorū, in quibus fuit controuersia inter Latinos & Græcos. In secunda declaratio, quòd Romanus Pontifex habet primatum in vniuersum orbem. ponitur ordo, quem cæteri Patriarchæ habere debent interse, secunda ibi, RENOVANTES. Prima in octo secundum octo articulos fidei principales definitos, & declaratos in præsenti sacrosancta synodo. In quibus consistere dicebatur principalis controuersia inter Latinos, & Græcos; In prima parte diffinit quòd spiritus sanctus æternaliter procedit a patre & filio, sicut ab uno principio, & spiratione unica; in secunda quid in pane tritico, azimo, uel fermentato conficitur corpus Christi; in tertia, quòd sit purgatorium post hanc uitam; in quarta quòd suffragia Ecclesiæ prosunt fidelibus defunctis; in quinta, quòd animæ sanctorum a corporibus exutæ, quæ nihil purgandum secum detulerunt, mox suscipiantur in cœlum; in sexta, quòd animæ beatorum uident clarè Deum, & quidem perfectius aliis; in septima, quòd animæ decedentium in originale peccato, aut mortali mox in infernum descendunt pœnis, tamen disparibus puniendæ; in octaua, quòd Romanus pontifex habeat primatum in uniuersum orbē, secunda ibi, ITEM IN AZIMO, tertia ibi, ITEM SI VERE POENITENTES, quarta ibi, VT A POENIS HVIVSMODI, quinta ibi. ILLORVMQVE ANIMAS, sexta ibi, ET INTVERI CLARE DEVM, septima ibi, ILLORVM AVTEM ANIMAS, octaua ibi, ITEM DIFFINIMVS, item prima in duas, primò enim diffinitur ueritas processionis spiritus sancti à patre, & filio; secundo declaratur quæ fuerit intelligentia sanctorum doctorum in eo, quod dicūt spiritum sanctum à patre per filium procedere, secunda ibi, DECLARANTES; IN NOMINE IGITVR SANCTAE TRINITATIS. Bene quidem toti trinitati tanquam fonti omnium bonorum huius definitionis claritas, fidei unanimitas, & sanctæ huius unionis effectus attribuitur, quoniam ut attestatur Boetius quicquid indispositione, rerum agit diuina miseratio ex totius uenit prouidentia trinitatis; una est ibi benignitas & misericordia, una censura iustitiæ, nec est aliquid in natione diuisum, ubi nihil est in uoluntate diuersum. APPROBANTE, uidetur, quod in uniuersalibus concilijs, si Romanus pontifex præsentialiter intersit, concilium auctoritatiue non uidetur statuere, aut diffinire, sed solus Romanus pontifex ut pote princeps Ecclesiæ; sed concilium suadet ut extra de bapt. cap.si. aut consulit, ut in cap. ad apostolicæ, de sen. & re. iu. in vi aut approbabat,

Boetius.

habit, ut extra de sum. trin. & fi. ca. cap. damnamus, & ut in præsenti Decreto FLORENTINO CONCILIO quoniam q̃ autem hoc uniuersale Concilium Ferrariæ per translationem de Basilea factam inchoatum fuerit, ibiq; materiarum discussio pacis, unionisq; tractatus principium maximum sumpserit. Nihilominus, quia Florentiæ hoc gloriosissimum pacis, & unionis opus consummationem recepit, Florentinum est appellatum, sicut a loco in quo potior pars rei. ... habita est. Florentia a flore nomen sortita est, & recte, quia bonis omnibus in omni genere laudis floret, & splendet, cuncta namq; quæ clarissimę ciuitati ad ornatum, & splendorem in esse possunt, diuina prouidentia in ea coniecisse uidetur; Est quidem populi magnitudine copiosa, ædificiorum pulchritudine ornatissima, diuitiarum magnificentissima amplitudine, affluentissima deliciarum multitudine, clarissima ciuium nobilitate, & obseruantia pietatis atq; religionis Christianæ cultu deuotissima. Sed nec illud prætereamus quod Florentiæ hetturiæ gentis inclitæ caput est qua religionis opinione semper clarissima extitit; Nam ex illa ritus ceremoniarum. Romanæ urbi semper traditis esse comperimus Valerio testante, quod ad discenda hetruscæ religionis disciplinam, Romani nobiles iuuenes annis singulis destinabant, ac Liuius Romanæ pater historiæ id contestatur, cum dicit, Ceremonias autem, cultum deorum. ac religionem, qua hetrusci in primis excellebant, Ita Romanos hetrusci docuere, ut maiorem apud seipsi reseruauerint, qua ratione in grauibus quibuscunq; periculis hetruscos uates a uiri Romam, aut illuc ad interpretanda deorum oracula missos fuisse auspices legimus; unde factum est, ut omnis usus eius hetrusca disciplina à Romanis uocaretur, quis iam dubitet. nō sine speciali superni consilii dispositione actum esse, ut hoc prǫclarum, totiq; seculis desideratum sanctæ unionis opus. per quod Christiana religio augmentum, robur, & splendorem adepta est, in hac florentissima, ac religiosissima ciuitate tam fœliciter consumaretur. Hinc profectò ad amplissimas Deo laudes, & gratiarū actiones mente deuotissima Deo persoluendas ciuitas ipsa tenetur, qui eam tanta gloria illustrare dignatus est. DIFFINIMVS rem pertinet autem ad Romanum pontificem sententialiter determinare, & diffinire ea quę sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa teneantur, tum primo, quia una debet esse fidei totius Ecclesiæ, secundum illud primæ ad Cor. j. Id ipsum dicatis omnes & nō sint in uobis schismata, hæc autem unitas seruari non posset, ait sanctus Tho. nisi quæstio fidei exorta determinaretur per unum, qui toti Ecclesiæ pręest, ut sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur; hinc dicitur in c. quotiens, xxiiij. q. prima, quotiens fidei ratio uentilatur arbitror omnes fratres coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum. i. sui nominis & honoris auctoritatem referre debere, ueluti nunc retulit uestra dilectio; hinc in Cōcilio uniuersali Vieneñ. extra de sum. trin. & fi. cath. in princ. dicitur. ad Sedem apostolicam duntaxat pertinere declarare materias fidei. Tum secūdo, quia Romanus pontifex successor est beati Petri, pro cuius sedis fidei Dominus singulariter rogauit Luc. xxij. Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua &c. hinc dicitur in cap. à recta. xxiiij. q. prima, quod sancta & apostolica Ecclesia per omnipotentis Dei gratiā à tramite apostolicę traditionis nunq̃ errasse probatur. Et in cap. in sede, ea. q. dicitur, in Sede apostolica, extra maculam catholica semper conseruata est religio. Tum tertio, quia Moysi, qui figuram gestabat Romani pontificis, dictum est Exodi. xviij. Esto tu populo

Valer.

Liuius.

Thomas.

in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum, ostendasq; populo cerimonias & ritum colendi. Item pariter ad auctoritatem Romani pontificis spectat maiores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones declarare, & diffinire, ut in cap. dudum. iij. q. vj. & in cap. rogamus. xxiiij. q. j. & in cap. maiores, extra bap. VT HAEC FIDEI VERITAS, tripliciter aliqua ueritas fidei esse probatur, secundum quam triplicem uiam ostendetur, quod sit ueritas fidei, spiritum sanctum procedere à patre, & filio; primo quidem probatur aliqua ueritas esse fidei, quia in scriptura sancta explicite, uel implicite continetur, ut enim ait August. in lib. de Vnico baptismo, & recitatur in cap. quis nesciat, dist. ix. de scriptura sancta nullo modo disceptari, & dubitari potest, utrum rectum & uerum sit quicquàm in ea scriptum esse constiterit; secundo modo probatur aliqua fidei ueritas ex declaratione, siue approbatione uniuersalis Ecclesiæ, ut colligitur ex cap. sicut, & cap. sancta romana Ecclesia, dist. xv. tertio probatur aliqua fidei ueritas esse ex determinatione Sedis apostolicæ, ut ex cap. si Romanorum, dist. xix. & ex cap. hęc est fides. xxiiij. q prima, istis tribus uijs ostēditur quod sit fidei ueritas spiritum sanctum à filio procedere; Et primo ostenditur uia prima, uidelicet quæ est ex auctoritate sacræ scripturæ, & hoc clarissime accipitur ex omnibus illis sacræ scripturæ locis, tam ueteris, quàm noui Testamenti, ubi spiritus sanctus, spiritus filij nominatur, dicitur enim in Iob. xxxiij spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis uiuificauit me; Item in psal. xxxij uerbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum, os autem patris filius est, sicut est uerbum, ut habet glo. August Item Aposto. ad Rom. viij. si quis spiritum Christi non habet, non est eius; & similis sententia habetur in plurimis alijs sacræ scripturæ locis, uidelicet, quod spiritus sanctus dicatur spiritus filii; sed ne aliquis posset dicere, quod alius sit spiritus, qui à patre procedit, & alius qui est filij, ostēditur immediate ex uerbis eiusdem Apostoli, quod idem sit spiritus patris, & filii; Nam postquàm dixerat, si spiritus Dei habitat in uobis, statim subiungit, si quis spiritum Christi non habet hic non est eius, ut ostēdat eiusdem esse spiritum patris. & filij; unde gl. ibidem ait, Idem est spiritus Dei, & spiritus Christi; & Basilius contra Eunomium, postquàm dicta uerba Apostoli induxerat, inquit, Ecce in patre, & filio spiritus, & patris, & filij unum spiritum uidit, scilicet Apost. & Theodoretus Græcus super Epistο. ad Romanos, exponens idem uerbum Apostoli, ita dicit, Communis est patris, & filij spiritus sanctus. Quo præsupposito, tanq̄ catholico fundamēto, uidelicet, q͏ spiritus sanctus dicatur spiritus filij Dei, reliquum uidendum est, quomodo hoc accipiendum sit; posset autem aliquis dicere, q͏ hac sola ratione dicatur spiritus sanctus, spiritus filij, quia eum plene tanquàm homo habuerit secūdum illud Luc. iiij. Iesus plenus spiritu sancto reuersus est à Iordane; Et secundum illud Ioan. primo, de plenitudine eius omnes accepimus; sed plane hæc solutio sustineri non potest, primo quia dicitur ad Gala. quarto, Quoniam estis filij Dei misit Deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem Abba pater, ex hoc ergo spiritus sanctus nos facit filios Dei, inquantum est spiritus filij Dei; Efficimur autem filij Dei adoptatiui per assimilationem ad filium Dei naturalem secūdum illud ad Roma. viij. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; Est ergo spiritus sanctus, spiritus Christi, inquantum est filius Dei naturalis; unde Athanasius in epist.

August.

August.

Basilius.

Theodoretus.

Athanasi.

in Epistola ad Serapionem, accepistis spiritum adoptionis.i.naturalem spiritum de natura naturalis filij; secundo responsio illa stare non potest, quia à doctoribus Græcorum præcipuis inuenitur scriptum, quod spiritus sanctus sit naturalis spiritus filij Dicit enim Athanasius in Sermone tertio, Niceni Concilij; sicut in Christo uiuit nostra natura deifice, & ipse in ea regnat; ita & nos in suo naturali spiritu simus, uiuamus, & regnemus; spiritus auté sanctus, non est naturalis Christo secundum humanitatem, quia nó pertinet ad naturam humanitatis, sed gratis à Deo in natura humanitatis effunditur; Vnde Athanasius in Sermone de Incarnatione uerbi dicit, quod ipse Christus mittebat spiritum ex sursum, sicut Deus filius, & ipse deorsum accipiebat spiritum ut homo, ex ipso ergo ipsum inhabitat, de diuinitate in humanitate eius; Nó ergo spiritus sanctus est spiritus Christi, quia humanitatem eius excellenter repleuerit, sed potius quia est ex diuinitate ipsius. Tertio confutatur præfata respósio, quia spiritus sanctus, ita dicitur spiritus patris, sicut spiritus filij; unde Christus ait discipulis, Non estis uos qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis, Math.x. & Ioan.xiiij.dicit, Spiritus ueritatis qui à patre procedit, sed manifestum est, quod eo dicitur spiritus patris, quia ab eo æternaliter existit, ergo eadem ratione dicendum est, quod spiritus sanctus sit spiritus filij, quia.s.ab eo ęternaliter procedit, & spiratur, Vnde Cyrillus supra Ioan. proprius est spiritus sanctus Dei patris, sed non est minus ipsius Dei filij, non tanquam alius, & alius spiritus: Si uerò quis dicere uelit quod spiritus sanctus dicatur spiritus filij secundum diuinitatem, sicut à filio temporaliter datus, & missus, non sicut à filio æternaliter procedens, & spiratus hoc stare non potest, tum ex dictis, & quia ut ait beatus Cyrillus in Sermone exhortatorio ad Theodosium Imperatorem; spiritus sanctus sicut proprius est patris à quo procedit, sic in ueritate est ei ipsius filij; si ergo patris est non solum quia ab ipso temporaliter datur, & mittitur, sed etiam quia ab ipso æternaliter existit, eadé ratione dicendus est spiritus filij uidelicet quia ab ipso æternaliter procedat. Præterea, si quis uellet dicere, quod ideo spiritus sanctus dicitur spiritus filij, quia eiusdem naturæ, & essentiæ est cum filio, non autem eo quod ab eo æternaliter procedat nó bene diceret, quia si idétitas naturæ sufficeret ad hoc, quod spiritus sanctus dici posset spiritus filij, eadem ratione posset dici pater spiritus sancti, & filius spiritus sancti, sed hæc conuersio consequentiæ non admittitur; Nam ut ait Gregorius Nicenus super oratione dominica, filius auté sancti spiritus, nec est, neque dicitur, nec conuertitur habitualis hæc ut ita dicam consequentia, & hoc plane, ideo, quia necesse genitiuum in aliqua habitudine construi non potest autem alia inueniri nisi habitudo originis, quia sola talis relatio personaliter distinguit, habitudo autem alterius causæ, uidelicet materialis, formalis, siue finalis inter diuinas personas non inuenitur, habitudinem autem, siue auctoritatem originantis principij, habent pater, & filius respectu spiritus sancti, & non econuerso. Necessario ergo dicendum est, eo ꝙ spiritus.s. dicatur spiritus filij in auctoritatibus supra inductis, quod ab ipso filio naturaliter, siue essentialiter spiretur: sed arguitur contra hoc; aliud est dicere liber Petri, quàm liber factus à Petro, ergo similiter in proposito non sequitur: spiritus filij: ergo est à filio originatus, siue spiratus. Respódetur quod quamuis genitiuus non semper notet habitudinem principij sed quandoque possessionis, ut in exemplo proposito, & huiusmodi, nihilominus quia in di-

Idem.

Athanasi.

Cyrillus.

Idem.

uinis non cadit aliqua diuersitas, non potest esse inter personas alia habitudo, nisi originis, quæ solæ talis stare potest cum æqualitate perfectionis diuinarum personarum; unde gratia huius, genitiuus ille determinatur ad denotandum in hoc loco habitudinem principij; & ideo idem est dicere spiritus filij, quod spiritus a filio procedens. Potest alia esse ratio huius, quia spiritus secundum ꝙ est nomẽ absolutum, sicut hoc nomen Deus non habet proprie construi cum genitiuo, quia tunc idem esset dicere spiritus filij, quod Deus filij, ergo oportet quod accipiatur spiritus, secundum quod dicitur à spiratione, & sic est nomen importans originem, dicitur.n.a spirando. Ait.n.

Athana. magnus Athanasius in libro qui inscribitur, Reprehensio simulationis Melisij & Eusebij, non natiuitati spiritus sancti processio similatur, sed spiraculo, quasi qui ex ore prodeat, ergo sicut sequitur filius patris, ergo filius qui est

Anast. Antiochen. a patre; Ita est dicere spiritus filij, ergo spiritus qui est a filio: Quare Anastasius Antiochenus Patriarcha tractas illud psalmi. xxxij. Spiritus oris eius omnis uirtus eorum, in libro de rectis dogmatibus, dicit, Spiritus oris eius, uidelicet, Dei spiritus sanctus dicitur, Cum os unigenitus sit, & spiritus rursum ex ipso procedens, & missus non solum à patre, sed etiam à filio; & Augu-

August. stinus contra Maxim. hæreticum; Spiritus.s. patris & filij est, quoniam de utroque procedit; unde cum hoc, quod dicitur, spiritus.s. est spiritus filij, necessario accipiendum sit secundum habitudinem alicuius originis manifestissimum est, quòd, sacra scriptura dicente, spiritum sanctum esse spiritum filij, necessario habenda sit tanquàm ueritas fidei, quod spiritus.s. à filio æternaliter procedat; Vnde Augustinus de Fide ad Petrum cap. xj firmissime tene

August. & nullatenus dubites eundem spiritum sanctum qui patris & filij unus spiritus est, de patre & filio procedere; dicit enim filius, cum uenerit spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ubi suum esse spiritum docuit, quia ipse ueritas est. non moueat autem quemquã contra huius argumentationis processum, id quod dicit Aposto. ad Colossen. primo, Transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ, non enim ex hoc pariter arguendum est quod filius procedat à spiritu sancto, quia amor siue dilectio est, sed à solo patre, unde notandum

August. quod ut colligitur ex dictis beati Augustini. xv. lib de Trinitate, & à Magi-

Magister sentiarum. stro sententiarum in.j.dis x. nomen amoris siue dilectionis dupliciter potest sumi in diuinis, uidelicet essentialiter, est enim pater charitas, filius charitas spiritus.s. charitas, & simul omnes una charitas. Capitur etiam personaliter & sic proprie dicitur de spiritu sancto. Cum autem in prædicta auctoritate nominatur filius dilectionis siue charitas, ibi dilectio essentialiter capitur, & est sensus, est filius dilectionis.i. patris sui; dilecti.i substantiæ siue

August. naturæ paternæ. Vt Augustinus exponit in glo. dicens, charitas enim patris natura atq; substantia est, & ideo filius charitatis eius nullus est alius, quam qui de substantia eius est genitus. Item secundo ex eadem uia.s. sacræ scripturæ præfata ueritas ostenditur esse ueritas fidei, ex illo Iohel. ij. effundam spiritum meum super omnem carnem: ubi secundum glo. & beati Petri doctrinam Actuum. ij. Sermone de effusione spiritus sancti, quem filius Dei in die Pentecostes super Apostolus effudit. Dicitur etiam, in Io. in hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis; cum autem manifestum sit, quod hic locus scripturę sanctæ, adaptari nõ possit ueraciter filio Dei nisi ipse spiritus sanctus, quem filius suum esse dicit, & ab eo effundendum, ab ipso filio essentialiter procedat, necessario credendum

dendum

dendum est,quod spiritum sanctum à filio procedere, sit ueritas Dei; unde beatus Cyrillus exponens hoc uerbum propheticum, ita dicit; Secundum enim quod Deus est,atq; ex Deo secũdum naturam filius, natus est enim ex Deo patre,proprius ipsius,& in ipso & ex ipso est spiritus sanctus sicut ex ipso Deo patre intelligitur. & idem in libro contra Nestorium ait enim per unum ex prophetis, Deus,effundam de spiritu meo super omnem carnem, Impleuit autem hoc Christo proprium spiritum largiens. Tertio ex eadem uia.s.sacræ scripturæ ostenditur,idem auctoritate noui Testamenti ex eis locis,ubi sacra scriptura refert filium mittere spiritum sanctũ, ait enim Christus,Ioan.xv.Cum uenerit paracletus quem ego mittam uobis spiritum ueritatis; & Ioan xvj Si abiero mittam eum ad uos,mittens autem auctoritatem aliquam habet respectu,missi ergo oportet concedere quod filius habet auctoritatem respectu spiritus sancti,non potest dici,quod sit auctoritas dominij aut alicuius maioritatis,auctoritatis,potestatis,sapientiæ aut huiusmodi,quia talem non patitur unitas diuinæ essentiæ nec æqualitas potestatis diuinarum personarum, sed accipienda est secũdum solum originem,quæ nullam maioritatem personæ,ad personam importat.Veritas ergo fidei est, ꝙ spiritus sanctus procedat à filio; si quis etiam contra hoc obijciat, quod etiam filius legitur missus à spiritu sancto, scribitur enim Luc. quarto, ex persona Christi, spiritus domini super me,& Euangelizare pauperibus misit me,Isa.lxij considerandum est quod filius à spiritu sancto mittatur secundum humanam naturam,secundum quàm accipiendæ sunt omnes auctoritates pariformiter loquentes sicut illa Isaiæ.xlviij.& nunc misit me dominus & spiritus eius & illa inducta de Isaia.lxij & Luc quarto,sicut manifeste patet ex ipsa uerborum serie,quoniam in humana nõ in diuina natura spiritus sanctus fuit super Christum, spiritus autem sanctus non assumpsit naturam creatam,ut secundum eam posset dici missus à filio,uel respectu eius, filius haberet auctoritatem ad ipsum. Relinquitur ergo quòd respectu personæ æternæ filius ad spiritum sanctum auctoritatem habet,quemadmodum & pater. & confirmatur hæc sententia auctoritate Nicetæ Græcorum Doctoris eximij supra Ioan. dicentis,Non alia proprietate mittit spiritum sanctum pater qua proprietate non mittat filius,uel aliqua alia proprietate mittit filius spiritum sanctum qua non mittit pater ex quo patet, quòd eadem proprietate pater & filius mittunt spiritum sanctum & per consequens sicut pater mittit spiritum sanctum,quasi ab eo æternaliter existentem,ita & filius mittens spiritum sanctum dicendus est quia ab eo æternaliter existat. Quarto ostenditur eadem ueritas fidei esse, ex illo Ioan.xv.ubi de spiritu sancto Christus ita loquitur Cum uenerit spiritus ille ueritatis,docebit uos omnem ueritatem,non enim loquetur à semetipso,sed quæcunq; audiet loquetur: ubi Augustinus ait in glo. audire autem illi,scire est,scire uero esse, quia ergo non est à semetipso,sed ab illo à quo procedit,a quo illi est essentia,ab illo scientia, ab illo audientia. semper itaque audit spiritus,quia semper scit ab illo; ergo audiuit,audit,& audiet a quo est; sed spiritus sanctus à filio audire dicitur, sicut & à patre. quęcunque loquitur ergo necessariæ concluditur ꝙ ueritatis fidei sit spiritũ sanctum a filio procedere. Vnde magnus Basilius in Sermone ad Monachos qui incipit Dei clementissimi gratia credimus, inquit, unum solum spiritum paraclitum in quo signati sumus in nostram redẽptionem spiritum ueritatis, spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater

Cyrillus.
Idem.
Nice. grę cus.
August.
Basilius.

qui diuidit & operatur Christi munera singulis ad utilitatem prout uult, docens atque admonens & suggerens quæcunque audierit à filio. Item Athanasius in Epistola ad Serapionem.x. Christus de suo spiritu dixit, quod non loquetur à semetipso, ut sit in principiatus spiritus sanctus, quod est solius patris, sed maximè & propriè est ab ipso filio, à quo accepit ut sit Deus essentia, ab eo etiam audit, quæ loquitur. item Didimus in glo. exponens illud, non loquetur à semetipso, ita dicit, hoc est non sine me, & sine meo, & patris arbitrio, quia non ex se est, sed ex patre, & me est. uerum nó est prætereundum quòd August. not. supra illo uerbo iam inductæ auctoritatis de spiritu sancto, sed quæ audiet loquetur. Nec moueat inquit quod uerbû futuri temporis positû est, Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. in eo autem quod sempiternum est sine inicio, & sine fine cuiuslibet temporis uerbum ponitur, quamuis enim natura illa immutabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum est, non tamen mendaciter dicimus & fuit, & est & erit, fuit quia nunquàm defuit, erit, quia nûquàm deerit, est, quia semper est.

Athana.

Didimus.

August.

Quinto hoc idem ostenditur clarissime ex eo quòd in eodem loco Euangelij filius de spiritu sancto prosequitur, ita dicés, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis; persona autem diuina ab ea necessario procedit, à qua accepit suum esse, siue suam essentiam, ergo spiritus sanctus qui à filio accipere dicitur, necessario ab ipso procedere dicendus est. Notissimum quippe habemus, quòd si accipit nó nisi id quod ipse est, quia pro summa eius simplicitate, nihil accipere potest, quod ipse non sit, nó potest autem dici, ut quidam & male arbitrati sunt, ꝙ hoc quod dictû est ex meo accipiet, exponendum sit, pro eo quod est ex patre meo, tum quia pronomina possessiua masculini, uel feminini generis nunquàm solita sunt in scriptura sancta poni sine articuli adiectione, tum quia Ecclesiæ clarissimi Doctores & patres tam Græci quàm Latini, aliter interpretati sunt uerbum illud Euangelicum accipientes illud in filio quasi diceret, demeo accipiet, idest ex meo proprio, ex mea re, hoc est ex tota mea plenitudine accipiet. Vnde sanctus Athanasius in Episto. ad Serapionem, Filius quidem quæ inquit audio à patre meo, hæc loquor in mundo, spiritus autem ex filio accipit. Ex meo inquit accipiet, & annunciabit uobis. Item idem in eadem, de sua essentia propria spiritum sanctum existentem Deum esse de se essentialiter suis Apostolis, & suæ sponse Ecclesię demonstrando Christus affirmauit sic dicens, de meo accipiet. i ut de mea essentia habet ut sit Deus, sic à me habet & esse & loqui. Præterea neq; potest stare quod quidam uoluerunt dicere, quod hoc quod dicitur, de meo accipiet, intelligendum sit de eo quod est filij, absq; eo quod de filio accipiat, & pro tanto dicit filius de meo accipiet, quia spiritus sanctus accipit essentiam patris à patre, quæ quidé essentia est etiam filij, quod innui asserunt, ex sequentibus uerbis domini. Subdit. n. quasi se exponens, omnia. n. quæcunque habet pater meus mea sunt, propterea dixi uobis quia de meo accipiet. Sane hæc intelligentia stare non potest, ut ex ipsa Deum exponere apertissimè concluditur. Si enim omnia quæ sunt patris, sunt filij, necessario auctoritas patris, secundum quam est principium spiritus sancti, est etiam ipsius filij. Sicut ergo spiritus sanctus accipit id quod est patris, à patre, ita de eo quod est filij à filio; Vnde Athanasius in libro tertio contra Arrianos, dicit quæcunque habet spiritus ea à uerbo accepta habet. Et Didimus, ut habetur in glo. continua exponens illud, quia de meo accipiet, ita dicit,

Athanasi.

Idem.

Athanasi.

Didimus.

dicit, ſpiritum ſanctum à filio accipere id quod ſuæ naturę fuerat cognoſcendum eſt; & non aliam dantem & accipientem, ſed unam ſignificare ſubſtantiam, ſi quidem & filius eadem à patre ſuſcipere dicitur, in quibus ipſe ſubſiſtit. Nec enim quid aliud eſt exceptis his, quæ ei dantur à patre, nec alia eſt ſpiritus ſancti ſubſtantia, præter id quod datur ei à filio. Et Baſilius contra Eunomium, denominatio tranſit à patre in filium, ut de Deo patre ſit filius Deus, ex domino dominus, ex omnipotente omnipotens, Ex ſapiente ſapiés, ex ſumme loquente uerbum; ex uirtute uirtutis, ſicut filius denominationes patris habet in ſe, ita etiam ſpiritus ſanctus, eſt dominus & Deus omnipotés, ſapiens uirtus naturaliter ſumens, habet à domino Deo patre & filio à quo eſt, & datur. Item. vj. oſtenditur ex illo Io. xiiij. ubi Chriſtus de ſpiritu ſancto loquens ait, Paracletus autem ſpiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo ille uos docebit omnia. Nam poteſt autem dici ſpiritus ſanctus in nomine filij mitti niſi ab ipſo filio æterna emanatione procederet. In nomine quippe filij idem uidetur iuxta loquendi uſum eſſe quod auctoritate filij mitti, Cum autem auctoritas non attendatur in diuinis niſi auctoritas originis, patet manifeſte. quod ſpiritus ſanctus non poſſet in nomine filij dici miſſus niſi ab eo procederet. Ait enim ſanctus Athanaſius in Epiſto. ad Serapionem, Hic eſt ordo diuinæ naturæ à patre in filio, ut qui à nullo eſt, à nullo mittatur, & quo eſt ab alio in nomine ſuo non ueniat, ſed in nomine eius à quo exiſtit. Ita & ſpiritus ſanctus, qui à ſe non eſt, à ſe uenire non debuit, ſed in nomine eius à quo eſt, & a quo habet ut hypoſtaſis ſit Deus, quemadmodum de eo dicit filius, paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem pater mittet in nomine meo. Item Anſelmus de proceſſione ſpiritus ſancti, hoc ex loco probans ſpiritum ſanctum à filio procedere, ita inquit, Chriſtus in Euangelio dicit, Spiritum ſanctum mittet pater in nomine meo, quid eſt pater mittit in nomine meo, niſi quem pater mittit ego mitto? ſicut cum Chriſtus dicit, quem ego mittam à patre, non eſt aliud, quàm ego mittam, & pater: unde ſenſus eſt, mittet pater in nomine filij, ideſt tanq̃ filius mitteret. Cum ergo ab utroque mittatur, neceſſario ab utroq; procedere credendus eſt. Septimo uia ſacræ ſcripturæ oſtenditur ex illo Ioan. xx. Inſufflauit, & dicit eis, accipite ſpiritum ſanctum, cum autem a nullo dari poſſit, niſi quod eſt dantis manifeſtum eſt, quia filius dat ſpiritum ſanctũ, quod ſpiritus ſanctus procedat ab eo, quod etiam apertiſſime deſignauit ipſe Chriſtus Dei uirtus & Dei ſapientia inſufflatione illa qua inſufflans dicit diſcipulis, Accipite ſpiritum ſanctum; unde Auguſtin. & habetur in glo. continua, flatus ille corporeus ſubſtantia ſpiritus ſancti non fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem non tantum à patre, ſed à filio procedere ſpiritum ſanctum. Quis enim dementiſſimus diceret alium fuiſſe ſpiritum quem ſufflans dedit, & alium quem poſt ſuam aſcenſionem miſit? Item Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha libro de Rectis dignitatibus inquit, Dominus oſtendens ſpiritum ſanctum ex ſe eſſe inſufflans diſcipulis dixit, Accipite ſpiritum ſanctum; & Athanaſius in Sermone Niceni Concilij, ex perſona filij ad patrem loquens dicit, Sicut me perfectum genuiſti Deum, & perfectum me feciſti aſſumere hominem, ſic ex te, & mea eſſentia do eis ſpiritum ſanctum. Item idé in Epiſtola ad Serapionem, ſicut in filio Dei noſtra ſibi unita manet, natura quam de nobis aſſumpſit, ita & ipſe manet in nobis per ſuum ſpiritum coeſſentialem ſibi, quem de ſua eſſentia æternaliter ſpirat, & donat. Ex quibus cum

Baſilius.

Athanaſi.

Anſel.

Auguſt.

Anaſt. Antiochen.

Athanaſi.

Idem.

manifeste appareat, quod non solum eo spiritus sanctus dicitur dari à filio in quantum donum gratiæ, per quod nos inhabitat, est à filio, sed maxime eo quia ipse spiritus sanctus est a filio, absq; omni dubio ex istis, & superioribus inductis sacræ scripturæ locis tenendum est. quod ueritas fidei sit, spiritum sanctum a filio æternaliter procedere. Præterea hoc idem ostenditur secunda uia qua ostenditur aliqua ueritas esse fidei catholicæ, uidelicet ex auctoritate traditionis uniuersalis Ecclesiæ. Et primo ad hoc uidetur esse facta synodus Nicena, in qua, ut attestatur Athanasius in quodam Sermone eiusdem Concilij, sic dicitur damnat mater Ecclesia hic congregata adinuentores huius hæreseos. s. Aniarorum, & spiritum sanctum increatum Deum uerum hypostasim de patris & filij hypostasibus eisdem coessentialé confitemur. Item idem patet ex gestis eiusdem synodi, in qua in his quæ dixerunt patris per Episcopum Leontium ita habetur, Inuentus est spiritus sanctus procedens quidem ex patre, proprius autem filij, atque ex ipso emanans. Item ad idem est facta synodus Ephesina prima, quæ habita est contra Nestorium, in cuius symbolo ita dicitur, ut habetur in cap. de spiritu sancto, de conse. di. v. De spiritu sancto dicit dominus in Euangelio, Ille me clarificabit, hoc rectissime sentientes unum Christum, & filium, non uelut alterius egentem gloria confitemur, a spiritu sancto gloriam consecutum, qui spiritus eius nec molior nec superior ipso est, sed quia humana opera faciens ad demonstrationé suæ deitatis uirtute proprij spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur, eo quod uirtus sua, uel disciplina quælibet unumquemqrâm clarificet. Quamuis enim in sua sit substantia spiritus & intelligatur in persona proprietas, iuxta id quod spiritus est, & non filius attamen alienus non est ab illo. Nam & spiritus appellatus est ueritatis, & ueritas Christus est, unde & ab ipso similiter sicut ex Deo patre procedit: hoc totum continetur in Episto. beati Cyrilli quam ipsa synodus acceptauit & approbauit. Item ad idem est Chalcedoneñ. synodus, quæ pariter approbauit, & acceptauit Epistolas synodicas, beati Cyrilli, Alexandrinæ Ecclesiæ præsulis, ad Nestorium. & ad alios per orientem, quæ apertissime profitentur spiritum sanctum a filio sicut à patre, procedere. Item idé patet ex eo quod eadem synodus Chalcedoneñ. approbauit, & acceptauit doctrinam Leonis Papæ, qui contra præcilianistas scribens ait, alius est qui genuit, alius generatus, alius qui ab utroque procedit. Item ad idem est quinta synodus uniuersalis, in qua definitum ita habetur condemnamus, & anathematizzamus, cum omnibus alijs hæreticis damnatis, & anathematizzatis a Catholica & Apostolica Ecclesia. Theodorum, & impias eius conscriptiones, nec non impia scripta a Theodorico aduersus rectam fidem & contra. xij. capitula patris nostri, beati Cyrilli, & tertiæ sanctæ Ephesinæ synodi, Ecce quod ab uniuersali Ecclesia recepta sunt. xij. capitula beati Cyrilli, in quibus maxime existentia spiritus sancti a fillo tangitur, & ita recepta sunt, ut qui eorum contrarium tenet, anathematizetur cum alijs hæreticis, & olim condemnatis. Item ad idem est ipsa eadem quinta synodus, in cuius determinatione ita habetur. Sequimur per omnia sanctos patres & Doctores Ecclesiæ. Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregoriũ Theologum, & Gregorium Nicenum, Ambrosium, Augustinum, Theophylum Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum; Et suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Manifestum est autem plurimos horum sanctorum patrium ex pre de tenuisse,

Athanasi. (margin)

Cyrillus. (margin)

& in

& in suis scriptis, tanquàm catholicam doctrinam posuisse, spiritum sanctum à filio procedere, quorum dicta & si plurima in superioribus inducta sunt, aliqua tamen pauca hic testimonia decem sanctorum patruum de numero in præfata quinta synodo approbatorum pro ampliori luce, & firmitate præsentis articuli in medium afferamus. Dicit enim in primis Athanasius in Epist. ad Serapionem, Vnus.n.cum sit filius uiuens uerbum, unā oportet esse perfectam, atque plenam, sanctificatiuam, illuminatiuamq; uitam, quę est operatio ipsius, & donum. quoniam à uerbo quod ex patre fatemur, fulget, micat, mittitur, & datur. nec obstat quod dicit, fulget, siue micat, & non dicit, procedit. quia hoc uerbum, procedit, cómunissimum est eorum quæ ad originem spectant; Vnde quicquid emittitur, profluit, prodit, inundat, emanat, effulget, uel quocunq; alio modo aliquid exoriri censeatur, procedere dicendum est. quod ex eo etiam apertissime patet, quod Doctores Græci talibus uocabulis utuntur circa filium, dicentes, eum à patre mitti, profluere, micare, esse, & effulgere; & utrisque uocabulis circa spiritum sanctum. Vnde idem Athanasius in ea quam scripsit disputatione Orthodoxi & Macedoniani, ait, Spiritus natura sanctus, natura incorruptibilis, ut spiritus Dei, & ex ipso manans siue procedens. Item Basilius contra Eunomium dicit filium spiritus sancti spiratorem & datorem sine aliquo dubio credimus. Item ibidem dicit spiritum sanctum à filio existere, & ab ipso accipere, & annunciare nobis. Item Hylarius in secundo, de Trinitate, quem contra Arrium & Sabellium conscripsit, ita dicit, Credimus sanctam Trinitatem, hoc est patrem, & filium & sanctum spiritum, unum Deum omnipotentem, unius essentiæ, unius substantiæ, unius potentiæ, creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem oia, in quo omnia. patrem non ab alio, filium ex patre genitum, Deum uerum de Deo uero, lumen uerum ex lumine uero, non tamen duo lumina, sed unum lumen, & spiritum sanctum à patre & filio procedentem, cósubstantialem, & coæternum patri & filio. Item Gregorius Theologus dogma faciens de deitate, dicit; immutabilem esse diuinam naturam confitemur, sed differentiam quæ est secundū causam & causatum non negamus. Item aliam differentiam intelligimus, unum nempe propinquum ex primo. s. filium ex patre, alium autem ex propinquo. s. spiritum sanctum ex filio. Item Gregorius Nicenus, ait, spiritum sanctū ex patre esse mediante filio tenemus. Item Ambrosius libro suo de Trinitate, ait, Nó quasi ex loco mittitur spiritus sanctus, nec quasi de loco procedit à filio procedens. Item in secúdo de Spiritu sancto ait, Quod ex aliquo est, aut ex essentia, aut ex potestate illius est, de essentia quidem, ueluti filius ex patre, uel spiritus sanctus ex patre, & filio. Item August. de Fide. vj regula inquit, Firmiter tene, & nullatenus dubites, eundem spiritum, qui patris & filij unus spiritus est, de patre & filio procedere. Item Ioannes Constantinopolitanus. in Homelia quadam de Expositione symboli ait; ille est spiritus sanctus procedens de patre & filio, qui diuidit dona prout uult. Item in alia Homelia, credendum est spiritum sanctum patris & filij; illum spiritum sanctum dicimus patri & filio coæqualem, & procedentem de patre & filio hoc credite ne colloquia mala corrumpát bonos mores. Item Cyrillus libro Thesaurorum dicit, Spiritum sanctum ex filio secundum naturam existentem, & ab ipso ad creaturam missum, renouationem Ecclesiæ operantem, terminum sanctæ Trinitatis existentem, & concludit, si hoc ita est, Deus ergo ex Deo filio spiritus sanctus est. Item beatis-

Athanasi.

Idem.

Basilius.

Hylarius.

Gre.The.

Gre.Nic:

Ambro.

Idem.

August.

Ioan. Constātinopo.

Idem.

Cyrillus.

Leo pp. ſimus Leo Papa, in Sermone Trinitatis, qui incipit, Credimus ſanctam Trinitatem, ſic ait, Credimus ſanctam Trinitatem. i. patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, unius eſſentiæ, unius ſubſtantiæ, unius poteſtatis, Credimus patrem à ſemetipſo non ab alio, filium à patre genitũ, ſpiritum autem ſanctum a patre & filio æqualiter procedentem, & conſubſtãtialem, & coæternum patri, & filio. Ecce clariſſima teſtimonia decem ſanctorum patruum, tam Græcorum quàm Latinorum, quos quinta ſynodus, tanquàm maximè auctoritatis & fidei habuit & uenerata eſt. Item ad idem ſunt plura concilia, quæ in ciuitate Toletana, ante ſextam ſynodum celebrata leguntur, quæ pro eorum auctoritate, & pietate, magna cum ueneratione accepta ſunt, ab uniuerſali Eccleſia; in quibus ſæpe numero reperitur definitum à patribus, quod ſpiritus ſanctus à filio procedat. Vnde in prima ſynodo, quæ præcepto Romani pontificis celebrata legitur, temporibus Archadij, & Honorij Imperatorum Stilicone Conſule exiſtente, contra Priſcilianitas qui ortum habuiſſe uidentur in Hiſpania, talis à patribus legitur facta fidei profeſſio, Credimus in unum uerum Deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, uiſibilium & inuiſibilium factorem, per quem creata ſunt omnia in cœlo & in terra, unum Deum: & unum eſſe diuinæ ſubſtantiæ Trinitatem, patrem autem non eſſe filium ipſum, ſed habere filium, qui pater non ſit, filium non eſſe patrem, ſed filium Dei patris eſſe naturã, ſpiritum quoq; eſſe paracletum, qui neq; pater ſit ipſe, neq; filius, ſed à patre filioq́; procedens Item in tertio Concilio, ita habetur; ſpiritus ſanctus cõtendus à nobis, & prædicandus eſt à patre & filio procedere, & cum patre & filio, unius eſſe ſubſtantiæ. Item in eodem, quicunq; ſpiritum ſanctum, non credit, aut non crediderit à patre & filio procedere, eumq́; non dixerit coæternum eſſe patri, & filio coeſſentialem, anathema ſit Item in ſeptima ſynodo, credimus, & ſpiritum ſanctum neq; genitum neq; creatum, ſed de patre filioq́; procedentem: idem in ſequentibus ſynodis patres profitentur, hoc idem patet in ſeptima ſynodo uniuerſali, quæ ſecundo conuenit in Nicea, ſub Adriano primo, quæ ait, credimus ſpiritum ſanctum ex patre per filium procedentem. Item hoc idem patet ex Concilio generali ſub Innocentio Tertio, in Lateranenſi Eccleſia, ubi dicuntur fuiſſe bene quingenti Epiſcopi, & duo præcipui Patriarchæ Græcorum. ſ. Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. alij uero. ſ. Antiochenus. & Alexandrinus fuerunt per procuratores; in qua ſynodo Innocentius Tertius præſidens in edictione quam fecit catholicę fidei dicit, patrem à nullo, filium à patre ſolo, ſpiritum ſanctum ab utroq;, omnẽ excommunicans, & anathematizans hæreſim extollentem ſe aduerſus eam, quam expoſuit, ſanctam orthodoxam, & catholicã fidem. De reuerſione Græcorum ad obedientiam, & fidem Sedis apoſtolicæ, huius Ro. pontificis tempore, habetur extra, de baptiſmate, & eius effectu. c. ultimo. Item eadem ueritas colligitur ex Concilio Lugduneñ. celebrato ſub beatiſſimo Patre Gregorio, in quo, ut ſuperius habitum fuit, Græcis præſentibus, & conſentientibus, facta eſt definitio, quod ſpiritus ſanctus æternaliter ex patre & filio procederet, & damnati, & reprobati ſunt uniuerſi, qui contra oppoſitum aſſerere præſumerent, ut habetur extra, de ſumma trin. & fide catho. in. vj. Præterea, & ultimo patet ex definitione habita in hac ſacroſancta Oecumenica ſynodo Porrò, ſi quis querat, cum profeſſio huius ueritatis, uidelicet, quod ſpiritus ſanctus a filio procedat, ita uetuſtiſſima fuerit, & per tot ſanctiſſimas

ſynodos,

ſynodos, & patres clariſſimos in Eccleſia Dei prædicata, cur Græci coacti non ſunt per Roma. pont. additionem illam, filioq; procedere, ſymbolo inſerere, & Latinorum morem ſequentes in miſſa legere, reſponderi poteſt. primo quidem, quia Greci debitam ſubiectionem, & reuerentiã apoſtolicę Sedi reddentes, in nullo in fide, uel differre, uel contraſentire putabantur ex hoc quod additionem illam in ſymbolo non legerent. Secundo, quia neceſſarium uiſum non eſt, ut Græci rectam, & congruam de filio & ſpiritu ſancto intelligentiam habentes, cum additione ſymbolum legerent: maxime cum in diuerſis Concilijs multa, tanquàm fidei catholicæ ueritates, ſint definita, quæ nec in ſymbolo inſeri, aut in miſſa decātari inſtituta ſunt. Sufficere quidem iudicatum eſt, ſi ipſi, etiam ſine additione legendo, non eſſent contrariæ opinionis, neque putarent eos, qui additionem legerent, a fidei ueritate excidiſſe. Nam & poſt antiquum ſchiſma, cum rurſus utriuſq; Eccleſiæ facta eſſet unio, Græcos Latini non coegerunt ſymbolum cum additione legere, uel alijs eccleſiaſticis ritibus more ſuo uti, ſed tria ſolum ab eis poſt factam unionem requiſita eſſe leguntur: Primum, ut Rom. pontificis memoriam in Canone miſſæ facerent: Secundum, ut uniuerſalem iudicem Chriſtianorum omnium putarent, ei ſecundum antiquam Eccleſiæ conſuetudinem reuerentiam reddentes: Tertium, ut Rom. Eccleſiam in eccleſiaſticis dogmatibus, matrem fidelium atque magiſtram ſana ſemper fide eſſe crederent. Cætera locis ſuis permanere permiſſa ſunt. Tertio principaliter eandem ueritatem eſſe fidei catholicæ uia tertia, uidelicet, definitione & doctrina apoſtolicę Sedis, ita manifeſta luce, tam ex dictis apparet, quàm ex continua doctrina eiuſdem apoſtolicæ Sedis, ut omnino ſuperuacuum ſit ad hoc alia inducere teſtimonia. AB OMNIBVS CHRISTIANIS CREDATVR corde ET SVSCIPIATVR per oris, ſcilicet confeſſionem, tanquàm neceſſaria ad ſalutem, Ro. x. corde creditur ad iuſtitiam, oris confeſſio fit ad ſalutem. De neceſſitate autem profeſſionis huius ueritatis dicit Cyrillus in libro Theſaurorum, Neceſſitate ſalutis noſtram eſt confiteri, ſpiritum ſanctum de eſſentia filij. exiſtere, tanquàm ex ipſo ſecundum naturam exiſtentem. Et Epiphanius lib. de Trinitate, Te ipſum alienas à gratia Dei, cum non recipis à patre filium nec ſpiritum ſanctum, à patre & filio dicis. Itē Athanaſius in ſymbolo fidei poſtquàm inter cætera dixerat. Spiritus ſanctus à patre & filio, nō factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. ſubiungit, Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmiterq; crediderit ſaluus eſſe nō poteſt. SIC OMNES PROFITEANTVR. Id ipſum dicatis omnes primæ ad Corin. primo, AETERNALITER. in illa n. ſumma Trinitate, quæ Deus eſt, ut ait Auguſt. xv. de Trinitate, interualla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit oſtendi, aut ſaltem requiri, utrum prius de patre natus ſit filius. & poſtea de ambobus proceſſerit ſpiritus ſanctus. & infra, qui poteſt intelligere ſine tempore generationem filij de patre, intelligat ſine tempore proceſſionem ſpiritus ſancti de utroq;. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto, Spiritus inquit nihil acquiſitum habet, ſed æternæ cuncta habet, ut ſpiritus Dei, atque ex illo emanans. Et Anaſtaſius inquit, Verbum ſine ſpiritu non eſt, ſicut nec ſine uerbo mens. Item Epiphanius in Sermone de incarnatione uerbi, Pater quidem erat ſemper, & filius erat ſemper, & ſpiritus ſanctus à patre & filio erat ſemper; & Hieronymus in Explanatione fidei ad Auguſtinum, & Alipium Epiſcopos; Credimus & in ſpiritum ſanctum Deum uerum ex pa-

Cyrillus

Epipha.

Athana.

Auguſt.

Baſilius.

Anaſt.

Epiph.

Hierony

tré filioq; procedentem, æqualem per omnia patri & fil.o, uoluntate, & pote
Cyrillus. state, æternitate, & substantia. ESSENTIAM SVAM Cyrillus in lib. The
saurorum, quando spiritus sanctus in nobis infunditur, configuratos demon-
strat nos Deo. profluit.n.à patre & filio, tanquam ab ipso essentiam habens.
Et idem super Io. Veracissimus fructus esséciæ ipsius filij, existit spiritus san
Athana. ctus. Et Athanasius in Sermone Niceni Concilij, Spiritus sanctus quicqu d
habet, habet à uerbo Dei. Et in Epist. ad Serapionem, Spiritus sanctus est
coessentialis filio, à quo habet omnia quæcunque habet. SVVM'QVE ES-
Idem. SE, Athanasius ad Serapionem ex persona filij inquit de spiritu sancto, Ve
Cyrillus. de mea essentia habet ut sit Deus, ita & esse, & loqui. Et Cyrillus lib. ter-
Hylarius. tio contra Eunomium, spiritus sanctus accipite esse à filio. Item Hylarius in
Commétarijs super Apostolum, Nihil in spiritu sancto duplex intelligo, quia
August. pater & filius illi esse præbuerunt. Et August. xv. de Trinitate, Quemadmo-
dum filio substantiam præstat sine initio temporis, sine mutabilitate naturæ,
ex patre natiuitas, ita & spiritui sancto esse præstat sine principio temporis,
sine mutabilitate naturæ, ipsa ex utroque processio SVBSISTENS. Pla-
ne subsistens, non inhærens, non ad aliud cadens, sed subsistens, cum sit ipsa
Hylarius. diuina essentia. Vnde Hylarius, libro de Trinitate, Esse non est accedés Deo,
sed subsistens ueritas, & manens causa, & naturalis generis proprietas. EX
PATRE ET FILIO AETERNALITER extra de summa Trinitate &
fide catholica, cap. j Pater a nullo, filius à patre solo spiritus sanctus pariter
ab utroque absque initio & fine. idem in. vj. ca. fideli. Hic autem definitio-
nis articulus, processionis à patre & filio, non modo auctoritatibus, ut supra
sed etiam rationibus potest multipliciter fieri manifestus. Primo sic spiri-
tus sanctus dicitur tertia in Trinitate persona, secunda filius, prima pater.
ternarius autem procedit ab unitate mediáte binario. ergo spiritus sanctus
Gregor. procedit à patre mediante filio. Vnde Gregorius Nicenus, spiritum sanctum
esse ex patre mediante filio tenemus. Secundo, cum inter diuinas personas,
sit summa conuenientia quælibet persona ad aliam habet immediatam ger
manitatem. hoc autem non esset, si spiritus sanctus, non esset à filio; tunc.n.
filius, & spiritus sanctus non haberent germanitatem immediate, sed solum
mediante patre, inquantum ambo essent ab uno, cum ergo spiritus sanctus
Basilius. habeat, ad filium immediatam germanitatem, (ait. n. Basilius ad Amphilo-
tium spiritus sanctus uni patri per unum filium connectitur) necessario di-
cendus est spiritus sanctus a filio procedere. Tertio, perfectior est expres-
sio geniti ad generantem, quando generans communicat genito non tátum
substantiam, sed etiam omnem actum, qui proprietati geniti non repugnat.
August. hoc est manifestum; quare dicit August. ix. de Trinitate, Pater donat filio
tantum esse quantum est ipse, sed actus spirandi non repugnat filio, ut etiam
patet; ergo hunc actum pater ei communicat, & per consequens à filio spi-
ritus sanctus procedit. Quarto confirmatur ratio præcedés sic; filius, cum
sit figura expressa paternæ substantiæ, & incommutabilis imago bonitatis il
lius necessario habet omnia in seipso, quæ patris sunt: alias non esset perfe
Basilius. cta & plena imago patris. Ait.n. Basilius, imaginis quippe sunt omnia quæ-
cunque sunt primitiuæ formæ. Vnde ipse (inquit Ioan. xvj. Omnia quæcunq;
habet pater, mea sunt. ergo necessariò dicendum est, quod ab eo spiretur
spiritus sanctus, sicut à patre. Quinto eundem ordinem habet spiritus san-
Athanasi. ctus ad filium, qualem ad patrem filius, ut sanctus Athanasius in Epistola ad

Sera-

Serapionem, & Basilius ad Amphilotium dicunt, sed ordo qui est patris ad filium est ordo naturæ, siue originis, secundum quem, ut dicit Augustinus, Nō est alter prior altero, sed alter. s. filius, ex altero. s. patre; ergo similiter ordo spiritus sancti ad filium est ordo originis, quo ab eo procedit. Sexto diuinæ personæ non distinguuntur adinuicem, nisi secundum originem. Vnde Gregorius Nicenus dicit, Sola secundum causam & causale differentia diuinas personas adinuicem distingui. Et Damascen. in primo sententiarum suarum idem dicit cap. xj. Ergo negare originem spiritus sancti à filio, est negare distinctionem eius ab eodem. Item. vij secundum quod iam ex dictis sanctorum doctorum patet, & Boetius in libro de Trinitate dicit; in diuinis sola relatio multiplicat trinitatem, sed si spiritus sanctus non procedit à filio, non erit aliqua relatio spiritus sancti ad filium, ergo non distinguetur secundum numerum personæ ab eo. Vnde magnus Athanasius in lib. qui inscribitur reprehēsio simulationis Melitij & Eusebij, dicit. esset autem impossibile in trinitatis maiestate spiritum glorificari, si non ex Deo per filium procederet. Octauo sic, omnis amor procedit ab amante, sed spiritus sanctus est amor patris, & filij. (dicit enim August. xv. de Trinitate, Spiritus sanctus neq; patris est solius, neque filij est solius, sed amborum & ideo communem, quam se inuicem diligunt pater & filius nobis insinuat Charitatem. Et Hieronymus super psalmum. xiiij. Spiritus sanctus neque pater est, neq; filius, sed dilectio, quam habet pater in filium, & filius in patrem.) Ergo necessario spiritus sanctus procedit ab utroq;. Nono sic, anima est imago sanctæ trinitatis, iuxta illud Genes. primo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quod non ad corpus, sed quo ad mentem accipiendum est, secundum quam, ut dicit August. homo capax est Dei, sed amor in anima, qui dicitur repræsentare spiritum sanctum, procedit à notitia quæ representat filium, (ait enim August. ix. de Trinitate; mens, & notitia & amor, tria quædam sunt. mens enim nouit se, & amat se, neque amare se potest, nisi etiam nouerit se, Ecce quod amor de ipsa mente & notitia eius procedit,) ergo etiam in diuinis dicendum est quod spiritus sanctus procedit a filio. Decimo, spiritus sanctus dicitur imago naturalis ipsius filij. Vnde Basilius contra Eunonium, Naturalis filij imago est spiramen eius spiritus. Idem habēt Athanasius, & Gregorius Cæsariensis, & al qui alij. Doctores Græci exponentes de spiritu sancto illud ad Rom. viij Quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui, & illud j ad Corint. xvj. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cœlestis. Constat autem quod imago naturalis deriuatur, siue procedit, ab eo cuius est imago, non enim similitudo speciei aut figuræ sufficit ad rationem imaginis, sed requiritur ad rationem eius origo, quia, ut Augustinus dicit in lib. lxxxiij. q. unum ouum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Vnde quia imago præsupponit ordinem, siue originem ab alio, dicit Augusti. quid absurdius est, quam imaginem ad se dici? Est nihilominus hic considerandum, quod spiritus sanctus largo modo sumendo nomen imaginis, dicitur imago filij Dei, uidelicet, capiēdo imaginem, pro perfecta similitudine ab alio expressa. non autem dicitur imago, proprie, & stricte sumendo nomen imaginis quia sic, ut dicit August. vij. de Trinitate, Solus filius est imago patris: imago autem stricte sumpta dicitur id, quod ratione suæ originis, & processionis habet esse repræsentatiuum alterius, siue id, de cuius ratione est similitudo speciei, ad id a quo procedit, cuiusmodi est filius.

Marginal notes: Basilius. — August. — Gregor. Nice. — Damasce. — Boetius. — Athanasi. — August. — Hierony. — August. — Idem. — Basilius. — August. — Idem. — August.

quia de ratione suæ processionis habet quod sit imago, & inquantum procedit ut filius, quia filius dicitur ex hoc, quod habet naturam patris, & inquantum procedit ut uerbum, quia uerbum est quædam similitudo in intellectum ipsius rei intellectæ. Sed spiritus sanctus, quod habeat naturam patris & filij perfectissime & plenissime, non habet ex ratione suæ processionis, quia procedit ut amor. Et ideo, sicut non dicitur filius, quãuis accipiat sua processione naturam patris; ita neq; proprie imago, quamuis habeat similitudinem perfectam. Veruntamen hoc in nullo infirmat argumentum factum, & sic patet tam auctoritatibus, q̃ rationibus, quod spiritus sanctus procedit ex patre & filio. Sed arguitur contra, Nullum simplex potest esse a duobus, alius effectus simplicior esset sua causa, quod est impossibile, sed spiritus sanctus est simplex, ergo non potest esse à duobus, patre, & filio. Secundo, aut pater perfecte spirat, aut non. Non est dicendũ quod non, si perfecte, ergo superfluus est alius spirans, sed in diuinis nihil est superfluum, ergo spiritus sanctus à patre solo dicendus est procedere. Tertio secundum Dionysium in cap. de di. no. non est audendum dicere, nec cogitare de supra substantiali occulta diuinitate præter ea, quæ diuinitus nobis ex sacris eloquijs sunt expressa, sed in sacra scriptura non exprimitur quod spiritus sanctus procedat a filio, sed à solo patre, ut patet Ioan. xv. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis spiritum ueritatis qui à patre procedit, ergo spiritus sanctus non procedit à filio. Quarto sic, in gestis primæ Ephesinæ synodi dicitur, quod per lecto symbolo Nicenæ synodi decreuit sancta synodus aliam fidem nulli licere proferre, uel conscribere, uel componere, præter definitam a sanctis patribus, qui in Nicea congregati sunt à spiritu sancto. Idem habetur in gestis Chalcedoneñ. synodi post recitatam determinationem priorum conciliorum, sed in præmissa Concilij diffinitione non habetur, quod spiritus sanctus procedat à filio, sed solum quod procedit à patre, legitur enim in symbolo Constantinopolitani synodi; Credimus in spiritum sanctum dominum uiuificantem, ex patre procedentem, cum patre, & filio adorandum, & glorificandum. Nullo ergo modo debuit addi quod spiritus sanctus procedat a filio, immo uidentur anathemates rei talem additionem facientes. Respondetur dicendo, quod absque omni dubio tenendum, & tanquam necessarium ad salutem nostram, quod spiritus sanctus a patre & filio procedat. Et ad primum argumentum respondetur, quod maior est uera, quando illa plura sunt diuersa per essentiam, & quorum diuersæ sunt operationes, & à sic pluribus uerum est quod simplex procedere non potest hoc autem nõ est in proposito. quoniam pater & filius unum sunt per essentiam, & unius uirtute naturæ unica spiratione spiritum sanctum spirant. Ad secundum respondetur concedendo, quod pater plene & perfecte spirat spiritum sanctum, sed quia omnis perfectio patris communicatur filio, quæ non repugnat suę proprietati, cum nihil distinguat inter eos nisi relationis oppositio, oportet quod sicut communicat ei perfectionem diuinitatis, ita etiam perfectionem spiratiuæ uirtutis communicare credatur; Vnde non propter imperfectionem patris est quod filius spiret, sed propter perfectionem filij, qui totam habet perfectionem patris, unde consequentia illa non ualet, pater perfectè spirat, ergò filius superfluit, tum ratione iam dicta, tum quia pater & filius non sunt duo principia spiritus sancti, sed unum principium. Vnde sicut non ualet hoc argumentum, pater creat perfecte, & plenè, & sufficienter, er-

Dionysi.

go filius superfluit, quia unum principium sunt increando; unde magnus Basilius ad Amphilochium scribens cap.viij. inquit, quod per filium creare pater dicitur, nec imperfectam commendat creationem patris, nec inualidam filij efficientiam signat, sed unitissimam commendat uoluntatem, sic nec prima argumentatio facta ualet in proposito. Ad tertium respondetur, ut respondet sanctus Thomas, quod de Deo dicere non debemus quod in sacra scriptura non inuenitur, uel per uerba, uel per sensum, licet autem per uerba expresse non inueniatur in sacra scriptura, quod spiritus sanctus procedat à filio; inuenitur tamen inquantũ ad sensum ut multipliciter superius ostensum est. Hoc autem regulariter in sacra scriptura tenẽdum est, quod id quod de patre dicitur, oportet de filio intelligi, etiam si dictio exclusiua addatur, n si solum in illis in quibus pater & filius secundum oppositas relationes distinguuntur; Cum enim dominus dicit Math.xj. Nemo nouit filium nisi pater, non excluditur quin filius se ipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, spiritus sanctus à patre procedit, etiam si adderetur, à solo patre procedit, quod tamen non est additum, non excluderetur inde filius, quia quantum ad hoc est esse principium spiritus sancti, non opponuntur pater & filius, sed solum quantum ad hoc quod hic est pater & hic filius. Si autem quæras si de patre & filio procedit spiritus sanctus cur filius illum dixit de patre procedere. Respondet August. lib.xv. de Trinitate & inducit Magister sententiarum ultimo cap.xij. dist. primi, quia solet ad eum referre etiam quod ipsius est de quo & ipse est, sicut ait mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si igitur intelligitur hic doctrina eius, quam tamen non dicit suam, sed patris, quanto magis illic intelligendum est spiritum sanctum de ipso procedere, ubi sic ait, de patre procedit, ut non diceret, de me non procedit; & idẽ August. ad Maximinum respondens, & inducitur a Magistro cap.iij. xiij di. Est autem spiritus utriusq;, quoniam de utroq; procedit, sed ideo cum de illo loqueretur ait; de patre procedit, quoniam pater processionis eius est auctor, qui talem filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procedat spiritus sanctus. Ad quartum respondetur etiam secundũ Thomam, quod doctrina catholicæ fidei sufficienter tradita fuit in symbolo Niceno; Vnde sancti patres, in sequentibus synodis non intenderũt aliquid addere, sed propter insurgentes hæreses id quod implicitè continebatur, explicare studuerunt. Pro quo sciendum quod in quolibet Concilio institutum fuit symbolum propter aliquem errorem, qui Concilio damnabatur; Vnde sequẽs concilium non faciebat aliud symbolum quàm primũ, sed id quod implicitè continebatur in primo symbolo per aliqua addita explanabat contra hęreses insurgentes, unde in determinatione Chalcedoneñ. synodi dicitur, quod illi qui fuerunt congregati in Concilio Constantinopolitano doctrinam de spiritu sancto tradiderunt, non quasi quidem aliquid esse minus in præcedentibus, qui apud Niceam congregati sunt inferentes, sed intellectum eorũ aduersus hæreticos declarantes; quia igitur in tempore antiquorum conciliorum non dum exortus fuerat error dicentium spiritum sanctum non procedere à filio, non fuit necessarium quòd illud explicitè poneretur. Sed postea surgente errore quorundam, Concilio in Occidentalibus partibus congregato, expressum fuit, auctoritate Rom. pont cuius auctoritate etiam antiqua concilia congregabantur & confirmabantur, unde conueniens fuit ut in symbolo poneretur, nó quasi aliquid additum, sed explicitè interpretatum quod

Magnus Basilius.

Thomas.

August.

August.

Thomas.

implicitè continebatur; Sicut si insurgeret hæresis, quæ spiritum sanctum negaret factorem cœli & terræ, oporteret hoc explicite poni cum in præ dicto symbolo non dicatur nisi de patre SIMVL. Quoniam neq; prius neque plenius à patre procedit quàm à filio, non prius quidem quia ab utroq; procedit ab æterno non plenius, quia inter patrem & filium nulla est inæqualitas, sed una & eadem numero est plenitudo ueritatis. Præterea pater & filius sunt unum principium spiritus sancti, ubi autem est unitas non potest esse distinctio gradus plenitudinis. Sed contra hoc uidetur esse primo quod

August. Augus.xv.de Trinitate dicit, quod spiritus sanctus principaliter procedit à patre, si principaliter a patre procedit. ergo secundario a filio, & ita minus plene siue minus perfectè; secundo q Hieronymus ait in expositione catholicæ fidei, uidelicet spiritum sanctum propriè esse à patre, si proprie procedit à patre, & proprium est q conuenit uni soli uidetur q de patre & non de filio procedat: si dicas quòd proprie non distinguitur contra communitaté, sed contra improprietatem, ergo uidetur q improprie saltem procedat a filio, & ita per consequens non æqualiter. Ad primum dicendum quòd principaliter dicitur dupliciter aut respectu secundarij & sic importat ordinem prioris & posterioris, & sic ponit diuersitatem, & hoc modo spiritus sanctus non dicitur principaliter procedere à patre in uerbis Augustini; Alio modo principaliter dicit quandam auctoritatem originis, sicut pater dicitur operari per filium, & sic accipitur hic, quia enim hoc ipsum quòd spiritus sanctus procedit à filio habet filius à patre, & sic originaliter auctoritas proces

August. sionis in patre est, & à patre, & propter hoc dicit Augustinus, quòd principaliter procedit à patre. Vnde idem Augustinus ne quis ex uerbo suo turbaretur ipse continuo ex quo sensu dixerit aperit subdens; ideo addidi principaliter quia de filio spiritum procedere reperitur, sed hoc illi pater dedit; Cum ergo principaliter in dictis Augustini nó dicat gradum uirtutis, sed ordinem originis consequentia facta in oppositum nullo modo procedit, cum dicebatur, spiritus procedit à patre principaliter, ergo à filio secundario, aut minus plenè. Ad secundum argumentum dicendum, quòd hoc quòd dicit

Hierony. Hieronymus à patre spiritum propriè procedere, non alia ratione dictum est, nisi ea qua Augustinus ait, quòd à patre principaliter procedit; Et ideo eodem modo respondendum est sicut ad præcedens. Vnde Magister in primo sententiarum dist. xiij. de hoc uerbo Hieronymi loquens dicit sic; Non est ita intelligendum tanquam prius uel plenius à patre procedat spiritus sanctus, quàm à filio, sed quia hoc habet pater a se, & non ab alio, ut de ipso sit & procedat spiritus sanctus, filius autem non a se, sed a patre habet, ut de ipso sit, & procedat spiritus sanctus. TANQVAM AB VNO PRINCI-

August. PIO extra de sum. trin. & fi. cath. in. vj cap. fideli. Dicit enim Augustinus. vj. de Trinitate, fatendum est patrem, & filium principium esse spiritus sancti, non duo principia, sed sicut pater & filius ad creaturam relatiuè unus creator unus dominus dicitur, sic relatiuè ad spiritum sanctum unum principium

Thomas. cuius ratio est, ut ait sanctus Tho. Pater enim & filius in omnibus unum sunt in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio, Vnde cum in hoc quod est esse principium spiritus sancti, non opponantur relatiuè, sequitur q pater & filius sunt unum principium spiritus sancti. Sed contra hoc arguitur, cum dicitur pater & filius sunt unum principium, aut designatur unitas naturæ, hoc non, quia cum spiritus sanctus sit eiusdem naturæ cum patre & filio

filio, sequeretur quòd spiritus sanctus cũ patre, & filio spiraret seipsum: quod est impossibile; aut designatur unitas personalis, & non hoc, quia sic pater & filius essent una persona, quòd esset hæreticum; aut designatur unitas proprietatis, & hoc non; quia una proprietas non potest esse duorum suppositorum, ut uidetur; & ita falsum est quòd pater & filius sint principium spiritus sancti. Respondetur & dicitur ad primum, quòd cum pater & filius dicuntur unum principium spiritus sancti non designatur unitas personalis, ut bene probatum est, neque unitas naturæ tantum absolutè, sed designatur unitas proprietatis spiratiuæ, quæ designatur nomine principij, cum pater & filius dicuntur unum principium spiritus sancti; Vnde sicut pater & filius dicuntur unus Deus propter unitatem naturæ signatæ per hoc nomen, Deus; ita dicuntur unum principium spiritus sancti propter unitatem proprietatis signatæ in hoc nomine principium. Et cum arguitur quòd una proprietas nõ potest esse duorum suppositorum; respondetur, quòd uerum est distinctorũ secundum essentiam, secus est de suppositis quorum est una natura, cuiusmodi sunt diuinæ personæ VNICA SPIRATIONE. Vnitas enim effectus, siue eius quòd procedit est ab unitate actus; unitas actus ab unitate uirtutis, sed una est persona producta a patre & filio & unica potentia spiratiua in patre & filio spirantibus; ergo unica spiratione procedit spiritus sanctus ab eis. Præterea nullum simplex procedit à duobus nisi uniantur in uirtute, & operatione una. Quod est enim à duobus inquantũ duo necesse est esse compositum si substantialiter sit ab illis, sed spiritus sanctus est simplex. ergo pater & filius una uirtute unaq; operatione spiritum sanctum spirant.

Declarantes, q, id quod sancti Doctores & patres dicunt, ex patre per filium procedere spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur filium quoque esse; secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos uerò principium substantiæ spiritus sancti, sicut & patrem, Et quoniam omnia quæ patris sunt pater ipse unigenito suo filio gignendo dedit, præter esse patrem. hoc ipsum quòd spiritus sanctus procedit ex filio. Ipse filius à patre æternaliter habet à quo etiam æternaliter genitus est. Diffinimus igitur explicationem uerborum illorum, filioq;, ueritatis declarandæ gratia & imminente tunc necessitate licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

DECLARANTES &c. Hic ponitur pars illa, in qua sanctissimus dominus noster Eugenius declarat, quæ intelligentia fuerit sanctorum doctorum in eo, quòd dicunt, Spiritum sanctum à patre per filiũ procedere. Et diuiditur in tres, quia primò ponitur declaratio, quòd intelligentia talium doctorum sit, quòd filius sit principium spiritus sancti. In secunda assignatur, unde hoc habeat filius quòd ex ipso procedat spiritus sanctus, ibi, ET QVONIAM. In tertia declarat & diffinit quòd licita, & rationabilis fuit explicatio facta in symbolo cum dicitur, à patre filioq; procedit, ibi, DIFFINIMVS INSVPER. DECLARANTES pertinet autem ad auctoritatem Romani Pontificis declaratio dubiorum, ut in cap. non

licuit,& in ca. multis.xvij.dist.& in ca. frater.xvj.q.j.& in cap. rogamus &c. q.j. Quòd autem mens & intelligentia sanctorum Doctorum, in eo quòd dicunt spiritum sanctum à patre per filium procedere, fuerit quòd filius sit
Thomas. principium spiritus sancti,primò ex eo patet,quia,ut ait sanctus Tho. in prima parte.q.xxxvj.articulo tertio,in omnibus locutionibus in quibus dicitur aliquis operari per aliquem,præpositio,per,designat in casuali cui adiungitur aliquam causam seu principium illius actus, sed cũ actio intelligatur media inter agens,siue operans,& actionis,siue operationis terminum quandoque illud casuale cui adiungitur illa præpositio,per,est causa actionis, secundum quòd exit ab operante & tunc est causa ipsi operanti, siue agenti quòd agat,Quandoq; uero dictio casualis cui adiungitur præpositio,per,est causa actionis ex parte eius ad quod terminatur ipsa actio;Cum autem impossibile sit,quòd filius sit principium spirandi patri,sequitur necessario, quòd intelligentia sanctorum patrum,in eo quòd dicũt spiritum ex patre per filium procedere,sit quòd filius cum patre unum sit principium spiritus sancti,sicut illud quod dicitur; per filium omnia producta esse, filium unum cum patre principium esse commendat.Præterea hoc idem manifestum est ex eo,quòd sancti Doctores dicentes Spiritum sanctum per filium procedere, dicunt etiam,& docent spiritum sanctum ex patre,& filio procedere,sicut dictũ est.
Damasce. Sed cõtra istam declarationem uidetur esse Damascenus, qui dicit spiritum sanctum ex patre per filium dicimus,& spiritum patris nominamus, ex filio autem non dicimus,ergo uidetur,quòd aliam intelligentiam habuerunt sancti patris dicentes spiritum sanctum per filium procedere, quàm sit intelligentia dicentium spiritum sanctum à filio procedere. Ad istud respondetur, quòd si iste doctor hoc asseruisset,uideretur negandus tot & tantis doctoribus tam Græcis,quàm Latinis firmantibus concorditer & expresse contrarium,sicut ex superius inductis manifestum est; Veruntamen bene considerando eius dicta non uidetur fuisse intẽtionis negare spiritum sanctum esse à filio,cum ipse dicat patrem per uerbum splendifici spiritus productorem esse; Vnde ne uideatur tot doctoribus sanctis & etiam dictis suis contradicere pia intentione dicta sua suscipienda sunt,& exponenda & ad cõcordiam aliorum Doctorum reducenda; Primo quidem dicendo,quòd per hoc quod dixit,ex filio spiritum sanctum non dicimus,intelligit quòd suo tempore aut patrum suorum non erat hoc inter articulos fidei ab ecclesia diffinitum,nec propter hoc sequitur quòd illud nõ sit uerum.Plurima enim in se uera sunt, quæ tamen non dicuntur, sicut patet de diffinitionibus multorum sacrorum Conciliorum. Multa enim processu temporis declarata sunt,quæ antea non dicebantur. Et nihilominus illa non falsa,sed uera erant.Vult ergo per hoc Damascenus ostendere,non quia non esset uerum spiritum sanctum ex filio procedere,sed quia in consuetudine ex diffinitione siue traditione uniuersalis Ecclesiæ non dicebatur. Secundo uel ideo Damascenus dicit,ex filio spiritum sanctum non dicimus,quia putauit præpositionem,ex,illi personæ nõ cõgruere ante quam alia persona cogitatur, sed ei ante quam nulla, qualis est persona patris; seu quòd præpositio auctoritatẽ principij importet; plurimum enim sanctorum patrum sæpe easdem dictiones in Theologia secundum differentes intelligentias & suscipiunt, & non suscipiunt, & aliquando sic,& aliquando aliter. Sicut immediate nobis in textu præsentis Epist.exẽplum ponitur, de nomine causę & nomine principij, sicut immediate dic-

tur. SECVNDVM GRAECOS CAVSAM. Sunt autem aliqui Doctores Græcorum usi hoc nomine causæ in diuinis dicentes patrem causam filij, patrem uero,& filium causam spiritus sancti. Vnde Athanasi. in uerbis quæ in Nicena synodo dixisse fertur; quicquid habet filius a patre, habet sicut uerbum a corde, splēdor a sole,& riuulus a fonte,& a causa omne causatum. Item Basilius spiritus sanctus ab ipso Deo nullus causam habet ipsum; Apud Latinos autem non est consuetum quo pater dicatur causa filij, uel spiritus sancti, sed solum principium, uel auctor; & hoc propter tria, quia pater nō posset intelligi causa filij per modum causæ finalis, uel formalis, uel materialis, sed solum per modum causæ originalis, quæ est causa efficiens, hanc autem inuenimus semper secundum essentiam diuersam ab eo cuius est causa. Et ideo ne intelligeretur filius esse alterius naturæ à patre, non consueuerunt Latini dicere, patrem esse causam filij, sed magis usi sunt illis nominibus quę significat originem, cum quadam substantialitate, sicut fons, caput, & similia huiusmodi. Secundò quia causæ apud nos respondet effectus; Vnde patrem Latini non dicunt esse causam filij, ne aliquis intelligat filium esse factum; Nam & apud Philosophos prima Deus causa nominatur: Omne autem causatum sub uniuersitate creaturarum comprehenditur apud eos. Et ideo si filius diceretur causam habere posset intelligi quòd sub uniuersitate creaturarum comprehenderetur. Tertio, quia de diuinis non debet homo facilè aliter loqui quam sacra scriptura loquatur; Scriptura autem sacra patrem nominat principium filij, ut patet Io. primo, In principio erat uerbum, Nusq̄ autem dicit patrem causam uel filium causatum. Vnde cum causa plus dicit quàm principium non præsumpserunt Latini dicere patrem causam, uel filium causatum. Est tamen considerandum ꝙ sancti patres Orientales utētes nomine causæ & causati in diuinis non intendebant diuersitatē naturæ inducere, aut filium esse creaturam; sed per hoc uoluerunt ostendere solam originem personarum, sicut nos nomine principij; Vnde dicit Gregorius Nicenus causam & causatum dicentes nō naturam per hæc nomina significamus, nec enim hæc nomina loco essentiæ, uel naturæ ratione damus, sed qualiter inter se habent differentiam demonstramus, ut scilicet filium nō ingenitum esse, nec patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo; & Basilius dicit, Spiritum sanctum dico ingenitum, non habere patrem, nec creaturam, quia non est creatus nec causam habet Deum, cuius est uerus spiritus sanctus, a quo & procedit. SECVNDVM VERO LATINOS PRINCIPIVM extra de sum. trin.& fi. cath. in. vj. cap. fideli. Est tamen considerandum ut dicit sanctus Tho. in quæstionibus de po. q. ix. art. primo, quòd quātis pater dicatur principium filij,& spiritus sancti, non tamen uidetur indifferentur dicendum quòd filius sit principiatus, uel etiam spiritus sanctus, licet etiam hoc modo loquendi Græci utantur,& posset apud sanè intelligentes concedi, sed ea, quæ minorationem aliquam importare uidentur refugere debemus, ne filio uel spiritui sancto attribuantur, propter Arrianorū errorem uitandum, sicut Hylarius,& si concedat patrem esse maiorē filio propter auctoritatem originis, non tamen concedit quòd filius sit minor patre cui unum esse donatur Et similiter non est concedendum nomen sub auctoritatis uel principiati in filio, licet nomen auctoritatis uel principij concedatur in patre; & ita licet filius dicatur principium de principio non tamen nominatur principiatus, ut dictum est ad uitandum omnem occasionem er-

Athanasi.

Basilius.

Gre Nic:

capiendo primo; licitè facta dicitur huiusmodi explanatio propter auctoritatem; Habet enim Romanus pontifex potestatem, ut pote princeps, & magister totius populi Christiani faciendi huiusmodi declarationes, & explanationes, cuius auctoritate uniuersalia concilia congregantur, & roborantur, dist. xvij. per totum; & extra de elect. cap significasti. Cuius gratia Romana Ecclesia à sanctis patribus dicta est, mater, & magistra fide, ut in cap omnes, dist. xx. sed contra hoc arguitur sic; nihil, quod est sub anathemate interdictum ab uniuersali Ecclesia subest potestati alicuius hominis, sed additio ad symbolum æditum interdicta est sub anathemate ab uniuersali Ecclesia. Dicitur enim in gestis primæ Ephesinæ synodi, quòd perlecto symbolo Nicenę synodi, decreuit sancta synodus aliam fidem nulli licere proferre uel scribere, uel componere præter diffinita à sanctis patribus qui in Nicea congregati sunt cum spiritu sancto, & subditur anathematis pœna: & idem reiteratur in gestis Chalcedonensis synodi. ergo uidetur quòd non pertineat ad auctoritatem Romani pontificis noua editio symboli. Ad hoc respódetur cum sancto Tho. in secunda secundæ. q. j artic decimo, quòd prohibitio, & sententia synodi se extendit ad priuatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per huiusmodi sententiam synodi generalis ablata est potestas sequenti synodo, nouam editionem symboli faciendi, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam; sic enim quælibet synodus obseruauit, (ut patet discurrendo per diffinitiones singularum synodorum.) Quælibet enim sequens synodus exposuit aliqua supra, id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicuius erroris insurgentis. Quæ enim maior insania, & maior cęcitas dici posset, quàm quod Ecclesia, sibi licentiam abstulerit dicendi quæ uera sunt, & alijs dictandi, aut quòd futuris Concilijs potestatem abstulerit statuendi, quę ad fidei explanationem, & extirpationem errorum pertinuerit. Vnde hoc idem pertinet ad summum pontificem cuius auctoritate synodus congregatur, & eius sententia confirmatur; Vnde Anselmus respondens Græcis dicit, Nouum edidimus quod facere potuimus, quia Romana Ecclesia plenitudinē potestatis in Petro Apostolorum principe, in qua nulla patrum sententia, nec interdictum poterit ponere, nec arctare, nec ei præiudicare, nec ligare eam ad aliquid. Secundò licitè facta fuit prædicta explanatio, quia nullo domini præcepto prohibitū hoc erat Romano pontifici; sed contra hoc arguitur, quia hoc uidetur prohibitum præcepto domini Deute. quarto, Non addetis ad uerbum, quod uobis loquor nec auferetis ab eo. Et Prouerb. xxx. Ne addas quicq̄ uerbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax. Simili modo Apoc. ultimo, dicit beatus Ioannes, Si quis apposuerit ad hæc apponat super eum Deus plagas scriptas in libro isto. Cum ergo in sacra scriptura. quæ est uerbum Dei non exprimatur, quod spiritus sanctus procedat à filio, uidetur diuina lege prohibitum esse Romano pontifici facere additiones huiusmodi. Ad hoc respondetur, quòd in his locis scripturæ diuinæ non prohibetur diuinæ legis explanatio, aut expositio eorum, quæ ad fidem pertinent; cum hoc ad officium sacerdotum pertineat. Dicitur Melachiæ secundo, labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus domini exercituum est; Qua ratione sacerdotes patres, & magistri, dicūtur fidelium, ut in cap. quis, dist. xcvj. hoc autem maxime ad officium summi pontificis pertinet, in cuius figura de Moyse principe synagogę, qui typum gessit principis Eccle-

Ansel.

ftæ. Dicitur Deuter. primo, cœpit Moyses explanare legem; glo. interlinealis, quoad obscura, sed in his dictis locis scripturæ prohibetur additio cõtrariæ, & aduersæ doctrinæ, sicut apertè ostendit glo. super illud Deuter. quarto, non addetis, ita dicit; uetat rectè doctrinæ aliquid prauæ intentionis addere, & aliquid ueritatis subtrahere: Vnde per ly, aliud non quodcunque diuersum, aut distinctum intelligendum est, sed aduersum, siue contrarium, sicut frequenter scriptura loquitur, qualiter Apostolus in Epistola ad Galatas. j. c. ait, si quis aliud Euangelizauerit, id est contrarium, anathema sit; non dicit, si quis addiderit. nam si illud diceret sibi ipsi ut ait Augustinus præiudicaret, qui cupiebat uenire ad quosdam quibus scribebat, sicut ad Thessalonicen. ut suppleret, quæ illorum fidei deerant. Non ergo in præfatis locis quæcunque doctrina distincta prohibetur, sed tantummodo aduersa, & contraria ueritati sacrę scripturæ; cum autem doctrina docens spiritũ sanctum à filio procedere non sit doctrina cõtraria, uel opposita sacræ scripturæ, sed illi consonantissima, ut supra uisum est; patet quòd obiectio illa non est ad propositum. RATIONABILITER, quia urgente magna necessitate facta est talis explanatio; quanta autem fuerit huius explanationis necessitas, ostendit error eorum, qui spiritum sanctum a filio non procedere contendebant; ex quo manifesta apparet solutio illius quæstionis græcorum, quomodo Latini fuissent ausi huiusmodi additionem facere. Planè necessitas insurgentis erroris fuit causa quæ fuit etiam causa alijs cõcilijs uniuersalibus nouas facere fidei explanationes, Item auctoritas Romanæ Ecclesiæ synodum congregandi, in qua exprimeretur aliquid quod implicite in articulis fidei contineretur. Cur autem ipsi Græci non fuerint uocati tres assignantur rationes à Doctoribus Latinis. Prima quidem, quia non erat necessarium omnes conuocari, omnesq; adesse concilijs. Ecclesiam enim Romana sine eis hoc facere poterat, utpote fidei magistra, & mater hoc poterat etiam ipsis Græci non uocatis. Vnde sanctus Thomas in quæstionibus de potentia. q. x. articulo quarto dicit, quòd ad huiusmodi explanationem faciendam non est necessarium uniuersale congregare concilium, quando id fieri prohibent bellorum dissidia, sicuti in sexta synodo legitur quòd Constantinus Augustus dicit, quòd propter imminentia bella, uniuersale Episcoporum Concilium congregare non potuit, sed tamen illi qui conuenerunt quædam dubia in fide exorta sequentes sententiam Agathonis Papæ determinauerunt, scilicet, quod in Christo sunt duæ uoluntates, & duæ actiones. Secũdò non fuerunt uocati, quia hoc erat laboriosum propter distantiarum eorum, nec erant molestandi maximè cum quæstio parum haberet difficultatis. Tertio, quia periculosum erat. periculosum profectò fuisset, quod pro certo habendum erat ducere in dubium.

August.

Item in azimo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi ueraciter confici, sacerdotesq; in altero ipsum Domini corpus conficere debere; Vnumquemq;, scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

HIc ponitur definitio secundi articuli controuersiæ, siue diuersitatis, inter Latinos,& græcos,quæ in hoc consistere uidebatur,quòd Græci in fermentato, Latini uero in azimo conficiunt. Quæ diuersitas inter eos non fuit ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, cum Christus in azimo confecerit,ut manifeste tres Euangelistæ,scilicet,Mattheus. xxvj. cap. Marcus.xiiij.& Lucas.xxij. testantur. Apostoli etiam in primitiua Ecclesia Christi magisterium. Imitantes in azimo etiam celebrauerunt,ut obseruat sancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium & magistra,quæ a tramite apostolicæ traditionis nunquàm errasse probatur,ut sanctus Lucius Papa,& martyr testatur.xxviij.q.j.à recta.Sed postea non paruo tempore decurso; imminente enim ut ait Leo Papa & sanctus Thomas in.iiij. distin.xj. detestanda hæresi Hebionitarum qui dicebant simul cum Euangelio legalia obseruanda,sancti patres ne his consentire uiderentur, uoluerunt ad tēpus instinctu spiritus sancti ex fermentato confici sacramentum,qua hæresi tandem cessante Ecclesia Romana ad pristinum morem redijt,Græci autem seruare uoluerunt morem à patribus institutum,ulterius addentes quidam eorum non posse confici nisi de fermentato; Ad quod probandum inducebant testimonium Ioannis Euangelistæ primò in cap.xiij. ubi dicit, ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia uenit hora eius,& post sequitur; Et cœna facta cum discipulis suis &c. Ex quo loco affirmabant quod cœna,in qua institutum est Eucharistiæ sacramentum, facta fuit ante diem Paschæ, quæ erat. xiiij. Luna,quando iudæi utebantur fermentato. Secundo ex illo eodem Ioanne cap.xviij. ubi dicitur,quòd iudæi ducentes Christum, non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur,& mãducarent Pascha,(Ex quo loco arguebant id quod prius: & quia tres Euangelistæ, ut dictum est, dicunt Christum instituisse hoc sacramentum prima die azimorum; quidam Græci in tantam insaniam prorupisse dicuntur, ut dicerent tres Euãgelistas falsum scripsisse,& à Ioanne fuisse correctos, sed utrunque horum falsum est. Primum quidem patet ex supranominatis tribus Euangelistis, qui omnes concorditer dicunt Christum in azimo confecisse. Præterea hoc etiam ostenditur luce clarius ex eo quod sicut dicit beatus Ioannes Chrysostomus super Mathæum,Dominus demonstrauit,quòd à principio circuncisionis suæ, usque ad diem Peschæ extremum,non erat contrarius diuin. leg. Constat autem,quòd in lege præcipiebatur Exod.xij.& Deuter.xvj. quòd cum azimis agnus Paschalis comederetur; ergo incunctanter confitendum est, quòd ita fecerit Christus. Item secundum,uidelicet,quod tres Euangelistæ falsum dixerint,maximè erroneum est,& Christianorum aurium offensiuum,nihil magis inimicum catholicæ fidei nostræ,quàm dicere,quod in scriptura canonica aliquid falsum contineatur. Qua enim ratione non credetur Euangelistis in hoc loco,nec in quocunq; alio. Nam ut ait beatus Augustinus in Epistola ad Hieronymum,& habetur in cap.si ad scripturas,dist.ix. si ad scripturas sanctas admissa fuerint,uel officiosa mendacia,nihil in eis remanebit auctoritatis; Neq; est uerum,quòd Ioannes Euangelista alios correxerit, qui in omnibus illis consonantissimus fuit; sed magis qui talia dixerunt,ex ignorantia decepti fuerunt, per æquiuocationem nominis Pascha. Vnde notandum quod Pascha capitur quadrupliciter. Primo enim modo accipitur pro agno Paschali,secundum illud Lucæ.xxij.Venit dies azimorum in qua necesse erat occidi Pascha. Secũdo pro die immolationis Marci.xiiij.Erat autem

Lucius pp.
Leo pp.
Thomas.
Chrysost.
August.

Pascha, & azima post biduum; ubi glos. dicit, Pascha solus dies dicitur, quo agnus occidebatur ad uesperum.xiiij Luna primi Mensis. Tertio capitur Pascha pro primo die azimorum postquàm uespere præcedente fuerat immolatus agnus Paschalis & hic erat dies festus, & celeberrimus de quo beatus Ioannes loquitur cum dicit in cap.xiiij. ante diem festum Paschæ; Festus.n. dies Paschæ dicitur hic solemnitas Paschalis, quæ erat.xv die mensis primi, Et in uespere præcedenti immolabatur & comedebatur agnus, Luna scilicet.xiiij. cum azimis, & tunc dominus cœnam fecit cum discipulis. Et hanc diem dicunt alij Euangelistæ primam diem azimorum; Ioannes uero nominat ante diem festum Paschæ. Differentia quidem est inter diem Paschæ & diem festum Paschæ. Quarto accipitur Pascha pro cibis paschalibus, id est, pro azimis panibus, quibus per omnes.vij.dies iudæi utebantur; & hoc modo accipitur Pascha à Ioãne in c.xviij. quia uidelicet, ad horum ciborum paschalium comestionem requirebatur, quòd homo esset mũdus, dicitur quòd non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, id est, azimos panes; & ita patet quod beatus Ioannes concordat cum alijs Euangelistis dicẽtibus in azimo Christum celebrasse. Quibus omnibus planè consideratis, dante eo qui fidelium mentes unius efficit uoluntatis, uniuersa sacra synodo Oecumenica approbante, sanctissimus dominus noster diffinit, & declarat, ꝙ tam in azimo, quàm in fermentato pane, dum tamen sit triticeus ueraciter conficitur corpus Christi, Decernens sacerdotes in altero, ipsum debere Christi corpus conficere, Ecclesiæ tamen, suæ siue Orientalis, siue Occidentalis obseruata cõsuetudine. PANE TRITICEO materia proprie sacramenti Eucharistiæ, sine qua non perficitur sacramentum, ut in tertio Concilio Carthaginensi, & habetur in cap. in sacramento, de conse. dist.ij. Cuius causa est diuina institutio; ipse enim Christus hoc pane confecit, cuius institutionis ratio multipliciter assignatur à sancto Thoma in quarto, Primo ex effectu, quia talis panis melius nutrimentum præstat corpori; Vnde competit ad signandum excellentiam gratiæ, quæ in hoc sacramento cõfertur. Secundo ex usu sacramenti, quia panis triticius est, qui communius in usum uenit; alij autem panes non fiunt nisi propter defectum tritici. Vnde & panis simpliciter dictus intelligitur de tritico, sicut oleum de oliuis, unde competit huic sacramento, cuius usus est in manducando. Tertio ex re contenta quæ est Christus, qui se grano frumenti comparat Ioan. xij. dicẽs. Nisi granum frumenti cadens in terram &c. Vbi glo. ita dicit, Cum sint multa genera seminum Christus non se comparauit nisi frumento, unde mos Ecclesiæ cepit, de hoc solo grano confici corpus Domini. Quarto ex conuenientia ueritatis cum figura, omnia enim genera panum oblatorum in lege, in quibus signatus fuit ille panis, erant de tritico ut colligitur Exo.xxix. VERACITER Lucas.xxij. Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur. ubi dicit Cyrillus glo. Non dubites, an hoc uerum sit, sed potius suscipe uerba Saluatoris in fide, cum enim sit ueritas non mentitur. Item ad idem est Augustinus, ut in cap. nos autem, de conse. dist.ij. Item extra de sum. trin. & fi. cath.§ una; in hoc loco eliditur error dicentium corpus Christi non esse in sacramento secundum ueritatem, sed solum secundum figuram, siue sicut in signo, cuius erroris primus inuentor dicitur fuisse Berengarius, qui ut in c. ego Berengarius, de conse. dist.ij. coactus est à Papa Nicolaus in synodo præfatum errorem reuocare, & ueritatẽ fidei confiteri. CONFICI, non quidem

Cyrillus.

dem uerbis Basilij, Chrisostomi, Augustini, aut cuiuscunque alterius sancti, sed uerbis Saluatoris de consec. dist. ij. c. quia corpus, ubi dicit Eusebius Nicenus. Inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas in substantiam corporis sui, & sanguinis uerbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, hoc est corpus meum. & Ambrosius lib. de Sacramentis; & habetur in cap. de panis, de consec. dist. ij Vbi dicitur, Panis est in altari usitatus ante uerba Sacramentorum, ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Quomodo autem potest qui Panis est esse corpus Christi? Consecratio autem quibus uerbis & cuius sermonibus est? Domini Iesu; nam per reliqua, omnia quæ hic dicuntur laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris; ubi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed sermonibus Christi; ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi hic? quo facta sunt omnia; iussit dominus, & facta sunt cœlum & terra, & mare: Videas ergo quam operatorius sit sermo Christi? si ergo tanta uis est in sermone domini Iesu, ut inciperet esse quod non erat, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant; & in aliud commutentur? & sic quod erat, panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & uinum cum aqua in calice mistum, fit sanguis consecratione uerbi cœlestis. Hæc Ambrosius, SACERDOTES. Ad quos tantum pertinet sacramentum hoc corporis, & sanguinis Christi conficere, ut in cap. perlectis, dist. xxv. dicit Isiodorus, & extra de sum. trini. & fi. cath cap. j. §. una uero, ubi dicitur; quod sacramentum nemo conficere potest, nisi sacerdos qui rite fuerit ordinatus, uidelicet, secundum formam ecclesiæ, quod est contra hæresim pauperum de Lugduno, dicentium quemlibet hominem, istud sacramentum posse conficere. DEBERE IVXTA SVAE ECCLESIAE CONSVETVDINEM VNVMQVEMQVE, debere non dicit necessitatem sacramenti, sed conuenientiam & honestatem, ubi notandum quod circa materiam huius sacramenti duo possent considerari, ut ait sanctus Thomas in tertia parte, scilicet quid sit necessarium, & quid sit conueniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus, sicut dictum est, sine quo, non perficitur sacramentum, non est autem de necessitate sacramenti quod sit azimus, uel fermentatus, quia in utroque confici potest à quocunque sacerdote, & in quacunque Ecclesia Orietali, siue Occidentali conficiatur; conueniens autem est, ut unusquisq; seruet ritum suæ Ecclesiæ in celebratione sacramenti. Super hoc autem sunt diuersæ ecclesiarum cõsuetudines Dicit enim beatus Gregorius in Registro; Ecclesia offert azimos panes, propterea quod Deus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed certæ ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quod uerbum patris indutum est carne, sicut etiam fermentum miscetur farinæ; unde sicut peccat sacerdos in ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, (unde extra de celeb. missa. cap per litteras, punitur sacerdos, qui in pane fermentato, & scypho ligneo missarum solemnia celebrauerit.) ita peccaret ait sanctus Thomas, Præsbyter Græcus in ecclesia Græcorum celebrans de azimo quasi peruertens suæ ecclesiæ ritum. Maximè quando consensu Romani pontificis talis ritus sustinetur & continuatur, scit enim Romana ecclesia ait Nicolaus Papa, Michaeli Imperatoris in cap. scit, dist. xij. quod nihil obsunt, saluti credentium diuersæ, pro loco & tempore consuetudines, si illis Canonica non

Eusch.
Ambro.
Ambro.
Isio.
Thomas.
Gregor.
Thomas.
Nicolaus papa.

Inn. III. obsistat auctoritas, pro qua eis obuiare debeamus. Hinc Innocentius III. in cap. fin. extra de bap. & eius effectu, dicit se uelle fouere ac honorare mores, & ritus Græcorum, in quantum cum Deo poterat sustinedo; sicut in hoc loco sanctissimus dominus noster Eugenius fecit; inter has tamẽ, duas consuetudines consuetudo Latinorum in pane azimo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit primo die azimorum, sicut dictum est. Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi quod sine corruptione conceptum est. Tertio, quia hoc magis cõpetit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum huiusmodi sacramenti, secundum illud primæ ad Corint. v. Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaq; epulemur in azimis sinceritatis, & ueritatis; & Gre. Naziãzenus. Gregorius Nazianzenus, de Pascha domini celebremus festum domini in iubilo, non in fermento ueteri malitiæ & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis, & puritatis; habet tamen consuetudo Græcorum etiam aliquam rationem & significationem, quam tãgit Gregorius eo, uidelicet, quòd uerbum patris unitum est carni, & in detestationem Nazaræorum, qui legalia Euangelio miscebant.

Item si uerè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commißis satisfecerint, & omißis; eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari, & ut à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium uiuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosinas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum ecclesiæ instituta; Illorumq; animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati Maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati Maculam, uel in suis corporibus, uel eisdem exutæ corporibus prout superius dictum est sunt purgatæ in cœlum mox Recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & unum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius.

HIc ponitur declaratio siue diffinitio ueritatis simul circa quatuor articulos sequentes respicientes animas separatas; & imprimis circa Articulum de Purgatorio, scilicet in quo inter Latinos, & Grecos erat diuersitas; Latini enim Purgatorium post hanc uitam confitebantur, sicut & confitentur; in quo animæ decedentium in charitate pœnitentia, siue satisfactione non completa de peccatis; ueniunt purgandæ, Græci uerò nullum Purgatorium ueraciter post hanc uitam ponebant, quia licet tales animas à corpore exutas assererent carcere, & tenebris detineri, & conscientiæ confusione torqueri; nullis tamen pœnis sensibilibus purgari; Super qua controuersia diligenti discussione habita, tandem diuino spiritu pacis, & unitatis auctore operante; consentientibus Græcis, & tota sancta synodo opprobante, facta est huiusmodi Articuli in summa diffinitio, quod animæ decedentium in charitate satisfactione digna de commissis, & omissis nondum.

sis nondum completa, pœnis purgatorijs post hanc uitam purgantur, quæ diffinitio firmatur, Primò auctoritate sacræ scripturæ, Secundò testimonio sanctorum patrum, quos uniuersalis Ecclesia semper uenerata est, & Tertio ratione. Auctoritate primò firmatur illa ueteris testamenti. ij. Macha. Vbi dicitur; sancta & salubris est cogitatio pro defunctis, exorare, ut a peccatis soluantur; sed pro defunctis qui sunt in paradiso, non est orandum. quia illi nullo modo indigent, nec pro illis quæ sunt in inferno quia illi a peccatis absolui aut purgari non possunt. Sunt igitur aliqui, post hanc uitam nondum à peccatis soluti qui solui seu purgari possunt. Secundò patet ex illo quod in nouo testamento Math xij Inquit saluator, si quis dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuram; In qua quidem sententia manifeste datur intelligi, quasdam culpas in futuro seculo posse remitti siue relaxari. Vnde Augustinus. ij. de Ciuitate Dei. Non enim ueraciter diceretur, quod non eis remittatur nec in hoc seculo, nec in futuro nisi essent quibus & si non isto modo, tamen remittetur in futuro. Item Gregorius ut habetur in c. qualis dist. xxv. dicit sic: Qualis est quisque, cum egreditur, talis in iudicio repræsentatur, sed tamen de quibusdam culpis esse ante iudicium purgationis ignis credendus est, pro eo quòd ueritas dicit, Quia si quis in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, nec in hoc seculo remittetur ei nec in futuro In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro posse relaxari. Quòd enim de uno negatur consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Tertio etiam clarissima redditur nobis ueritas præfatæ diffinitionis ex illo beati Pauli Apostoli. j. ad Corin. iij. Vniuscuiusque opus, quale fuerit, ignis probabit, si cuius opus manserit, quod super ædificauit mercedem accipiet, si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit sic, tamen quasi per ignem. Ex quibus manifeste datur intelligi post hanc uitam Purgatorium ignem esse, per quem aliqui purgandi, & saluandi ueniāt. Notissimum est autem hoc de damnatis non posse accipi, quorum, nulla spes amplius redemptionis expectatur, Iob. xxxvj. Deus non saluat impios, contra errorem Origeni, qui omnes pœnas purgatorias esse dicebat cótra illud Mathæi xxv. Quod dominus talibus peccatoribus & dæmonibus dicturus legitur, Ite maledicti in ignem eternum. Præterea neque potest intelligi de illis qui sine peccato aliquo, ab ista uita decedunt, cū tales nihil purgandum portent; ergo restat hoc accipiendum de alijs purgandis in alia uita, qui tamen saluabuntur, unde Augustinus in Homelijs de Igne Purgatorio tractās præfatam auctoritatem Apostoli, & habetur dist. xxv. §. criminis, dicit sic; Multi sunt, qui lectionem istam male intelligentes falsa securitate se decipiunt, dum credunt, quod & si super fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad uitam perfectam transire; intellectus iste fratres charissimi corrigēdus est, quia ipsi se seducunt, qui sic sibi talia blandiuntur; illo enim trāsitorio igne de quo dicit Apostolus; Ipse autem saluus erit. sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Idem dicit Gregorius in cap. supra commemorato, qualis, ea. dist. Sunt præterea testimonia multorum sanctorum patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui locum presfatum Apostoli de igne Purgatorio interpretantes præfatam diffinitionem confirmāt. Ait enim beatus Gregorius Nicenus unus eorum, quos quinta synodus in

Auguſt. Gregor. Auguſt. Gregor. Gre. Nic.

his quæ de fide catholica docuit reuerenter suscepit, in Dialogo de Consolatione, & statu animarum post mortem; introducens loquentem sanctam Matrinam sororem beati Basilij & suam, post ipsius Basilij mortem, sic dicens; Nec odij, aut uindictæ studio dolores peccatoribus infert Deus, pro his qui male uiuendo peccarunt; & infra, Quemadmodum, immixtam auro materiam, expurgantes per ignem, non solum, quod adulterinum est igne liquefaciunt, sed purum quoque aurum, necessario una cum illo liquatur, permaneteq; quod purum est adulterino consumpto; ita & cum uitia Purgatorio igne consumuntur, necesse omnino est, ut illis coniuncta anima in igne sit, donec insita omnis adulterina materia, atque commixtio auferatur igne consumpta. Item idem Gregorius in libro, quem de his, qui dormierunt scripsit sic inquit, donec igitur potestas manet in natura, ut euitetur malum, hoc adinuenit sapientia diuina consilium, ut hominem sineret in his esse quæ uellet, ut gustatis quæ cupierat malis experiretur, quænam quibus commutasset & sponte ad priorem beatitudinem, ac desideráter accurreret, uitiosum esse; atque irrationabile, ueluti graue pondus excutiens, siue in uita præsenti summa intentione ac philosophia expurgatus, siue post huius decessum uitæ, per ignis purgatorij conflationem. Item magnus sanctus Basilius in exequijs mortuorum uice defuncti Saluatorem sic alloquitur; imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, quamquàm in me stigmata, aut punctiones criminum feram, miserere figmenti tui domine, & pietate tua me purga, patriamq; desideratam largitus, me iterum paradisi ciuem constitue. Item ad idem est sententia Dionysij cap. vj. Ecclesiasticæ Hierarchię. Item ad idem est Theodoretus Episcopus Cyrenensis, ut refert beatus Thomas, qui super illud Apostoli primi ad Corin. tertio, si cuius opera &c. sicut inquit Apostolus quod saluabitur, sic tanquàm per Purgatorium ignem purgantem, quicquid inueneri per in cautelam præterite uitæ, ex puluere saltem pedum terreni sensus, in quo igne tam diu manet, quàm diu quicquàm corpulentiæ, & terreni affectus inhæsit purgetur, pro quo mater Ecclesia, orat, & dona pacifica deuote offert, & sic per hæc mundus, & inde purus exiens, domini Sabaoth, purissimis oculis, immaculatus assistit. Testimonia pro eadem ueritate sanctorum patrum Occidentalis Ecclesiæ, Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Leonis Papæ, & Gregorij tacemus. Tum quia communia sunt; tum gratia breuitatis. Declaratur etiam præfata ueritas consuetudine uniuersalis Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ quæ pro defunctis orat, & orare semper consueuit, cuius oratio profecto inutilis esset, si Purgatorium post mortem non poneretur; frustra enim oraret pro his qui iam sunt in gloria cœlesti, quorum orationibus potius adiuuanda est; unde Augustinus, iniuria est pro martire orare in Ecclesia, cuius debemus orationibus commendari. Nec pro illis, qui sunt in inferno, quia, ut ait idem Augustinus, qui sine fide operante per dilectionem, eiusq; sacramentis, de corpore exierunt frustra pietatis officia illis impenduntur; facit ad hoc ca. placuit. xxiij q. v. Cæterum redditur clarissima præfata ueritas ex ratione diuinæ iustitiæ sic, contingit hominem mori in charitate, & culpa ueniali, & pœna debita: cum ergo talis damnari non possit propter charitatem, neq; saluari, quàm diu est in eo immunditia culpæ, & reatus pœnę, quorum neutrum compatitur beatitudo, cum tam culpa, quàm pœna sit miseria fœlicitati opposita; Ergo necessariò post hanc uitam dandus est locus aliquis, in quo talis purgetur, per aliquam pœnam seu

Basilius.

Theod.

Thomas.

August.

Idem.

sibi-

sibilem, sine qua culpa actualis non purgatur; Non potest autem dici; quod talis locus sit paradisus, aut infernus, ut manifestum est, & cōfirmatur sic; contingit aliquos non perfecisse ante mortem pœnitentiam debitam, pro peccatis, de quibus pœnituerunt, neque est diuinæ iustitiæ conueniens, quod pœnam illam ulterius non soluant, sic enim melioris conditionis essent, qui cito morte præoccupantur, quàm qui dignam pœnitentiam, pro peccatis in hac uita perficiunt. Præterea melioris conditionis essent negligentes pœnitere q̃ solciti, & ita de malitia sua pœnitere negligentes commodum reportarent quod est absurdum, patiuntur igitur post mortem huiusmodi pœnam; Non autem in inferno (ut dictū est) in quo homines pro peccatis mortalibus puniuntur, hæc est conueniens ut pro ex solutione huius pœnę usque ad diem iudicij eis gloria debita differatur, oportet igitur ponere post hanc uitam Purgatorium, in quo ante diem iudicij tales homines decedentes, pœnis temporalibus Purgatorijs possent absolui. Item idem ostenditur ex ratione diuinæ sapientiæ, quæ attingens à fine usque ad finem nihil inordinatum relinquit, Sap. vij. Relinqueretur autem inordinatum peccatum, quod in hac uita punitum non est, si post hanc uitam locus purgationis, & punitionis non daretur. Vltimo idem declaratur ratione sumpta, ex conditione gloriæ cœlestis; ad illam enim cœlestem gloriam, nullus peruenire potest cum macula: dicitur enim Sap. vij. Nihil inquinatum incurrit in illam, & Isa. xxxv. Non transibit per eam pollutus. Polluitur anima per peccatum, inquantum rebus inferioribus inordinatè cōiungitur; à qua quidem pollutione in hac uita purificatur, per pœnitentiam & alia sacramenta, uerum quandoque contingit, quod purificatio talis in hac uita, non totaliter perficitur, sed remanet adhuc debitor pœnæ, uel propter negligentiam aliquam, aut occupationem, aut quia debitor pœnæ morte præuenitur, neque tamen propter hoc meretur totaliter excludi à præmio, quia hæc absque peccato mortali contingere possunt; per quod solum tollitur charitas; oportet igitur quod post hanc uitam purgentur antequam in cœlestem gloriam introducantur: & idem est de decedentibus, cum sola macula peccati uenialis. Nō potest autem dici, quod talia remaneant purganda per igne conflagrationis mundi, qui faciem præcedet iudicij, & quod patiatur usque ad diem iudicij dilationem gloriæ, quia cum carentia uisionis diuinæ, & separatio a Deo, ut dicit Chrisostomus, Maior sit pœna in existentibus in inferno, quam ignis supplicium, non est probabile, quod tam leuibus peccatis tantam pœnam tales animæ communi lege patiantur: & tantum pro ueritate huius articuli dictum sit. VERE, idest non irrisorie, quia sicut uera pœnitētia ueniam meretur, ita simulata Deum irritat, de pœn. dist iij. §. fine & Sap. primo dicitur, spiritus sapientiæ fugit fictum, irrisor enim est & non pœnitens dicit Isidorus lib. secundo de Summo bono, de pœn. dist. iij. §. fine, qui adhuc agit, propter quod pœnitet, uera autem pœnitentia, ut ibidem dicitur, iuxta beatum Ambrosium, est præterita plangere, & plangenda iterum non committere; ueræ pœnitentiæ indulgentia non negatur falsæ autem nunquam indulgentia promittitur de pœn. dist. iij. §. fine. IN DEI CHARITATE DECESSERVNT, sine qua non fit remissio peccatorum, quia uniuersa delicta operit charitas, Prouerb x. & prima. q. j. multæ ANTEQVAM DIGNIS POENITENTIAE FRVCTIBVS, Math. iij. Facile ergo fructum dignum pœnitentiæ, quod tunc fit, ut uult glo. & Augustinus, in Sermone de Monte, quando secundum quantita-

Isido. Ambrosi. August.

Item, & qualitatem culpæ est qualitas, & quantitas pœnæ, quo modo satisfactio debet imponi. xij. q. ij. fraternitas, & de pœn. dist. v. falsas. Cõsideret peccator, inquit Augustinus, lib de pœni. qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in uarietate personæ, quali hoc fecerit tentatione, & similia. isti enim sunt digni fructus pœnitentiæ animam captiuam elaqueantes, & in libertate seruantes, de pœn. dist. v. § j. DE COMMISSIS SATISFECERINT, in quo illiditur error dicentium, quòd cũ dimittitur culpa dimittatur etiam pœna tota: hinc enim, ut ait beatus Augustinus, beatus Ioannes Baptista, & Saluator exordium suæ prædicationis à pœnitentia sumpserunt dicentes, Pœnitentiam agite appropinquabit regnum cœlorũ; ostendentes, neminem ad regna cœlorum posse pertingere, nisi primo per pœnitentiam Deo curauerint satisfacere de pœn. dist. j. §. ex his. ET OMISSIS non solum de commissis satisfaciendum est, sed etiam de omissis, quia scienti bonum & non facienti peccatum est illi, Iaco. quarto, Omissio autem (ut dicit sanctus Thomas in secunda secundæ,) importat prætermissionem boni, non cuiuscunque, sed boni debiti. bonum autem sub ratione debiti pertinet ad iustitiam; ad legalem quidem, si debitum accipiatur in ordine ad legem diuinam, uel humanam, ad specialem autem iustitiam, secundum quod debitum accipiatur in ordine ad proximum; unde eo modo quo iustitia est specialis uirtus & omissio est speciale peccatum distinctum à peccatis, quæ opponuntur alijs uirtutibus. Eo uero modo quo facere bonum cui opponitur omissio est quædam specialis pars iustitiæ distincta à declinatione mali, cui opponitur transgressio, etiã omissio à transgressione distinguitur. POENIS plures dicit, quia uarij gradus sunt pœnarum in Purgatorio, in acerbitate, & in duratione disponẽte hoc diuina iustitia, quæ in omnibus decentissima reddit stipendia debitorum; in illo enim Purgatorio igne, inquit Augustinus in Enchiridion, alij tardius, alij citius purgantur, secundũ quod ista pereuntia magis, uel minus amauerunt. Vnde non frustra distinxit Apostolus illa tria lignum, festucam, stipulam, cum de igne Purgatorio loqueretur prima ad Corint. iij. quia, ut dicit Cyrillus ibi in glo. Natura peccati similis est materiæ, quæ cito consumitur igni, quam ædificari Apostolus à peccatoribus dicit, quem super fundamentum Christi ædificant lignum, festucam, stipulam. PVRGATORIIS, licet enim pœnæ purgatoriæ sint afflictiuæ, & in tantum, ut dicit Augustinus, quòd ignis Purgatorius excellat omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac uita, de pœn. dist. ult. §. ult. nihilominus quia principaliter non ordinantur ad affligendum, sicut pœnæ inferni, sed principaliter ad purgandum reliquias peccati, ideo dicuntur purgatoriæ; & quia ignis habet maximè uim purgatiuam, ideo maximè sola pœna ignis Purgatorio tribuitur: prima ad Corint. iij. dicit Apostolus, Vniuscuiusque opus quale fuerit ignis probabit, & Augustinus: prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum fructum distulit conuersionis, de pœ. dist. ult. circa finem; iste autem ignis Purgatorij corporalis, & materialis est, cum idem sit, ut dicit beatus Gregorius, Quidam natos in inferno cruciat, & iustos in Purgatorio purgat; ignem autem gehennæ corporeum esse, dicit beatus Gregorius quarto Dialogorum, non ambigo, Quòd autem ignis Purgatorij corporeus sit præter auctoritates sanctorum, id etiam ratio confirmat, quia pœna debet respondere culpæ. dicitur enim Isa. xxvij. in mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabit eam; sed anima per

Margin: August. — August. — Thomas. — August. — Cyrillus. — August. — Idem. — Gregor. — Idem.

culpam

culpam, corpori per prauam concupiscentiam se subijcit, ergo iustum est, ut in pœna, rei corporeæ, siue sensibilis subijciatur per passionem: sed uidetur in contrarium Damascenus, qui in quarto sententiarum suarum, in fine dicit, tradetur diabolus, & dæmones eius, & homo eius. s. Antichristus, & impij, & peccatores in ignem æternum nõ materialem, qualis est hic apud nos, sed qualem utiq; nouit Deus, sed omne corporeum est materiale, ergo uidetur, quod ignis inferni, & per consequens Purgatorij non sit corporeus. Respondetur secundum Tho. quòd Damascenus non negat simpliciter illum ignem materialem esse, sed nõ est materialis talis qualis, apud nos est, eo quòd quibusdam proprietatibus ab hoc igne distinguitur, unde Gregorius. xv. libro Moralium exponens illud Iob. xx. deuorauit eum ignis, qui non succẽditur, De horum ignium proprietatum differentia dicit, quòd ignis iste, ut esse ualeat, corporeis indiget fomentis, nec ualet nisi succensus, & refectus subsistere; at contra gehennæ ignis nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. Vtrum autem præter pœnam ignis animæ in Purgatorio existentes patiantur, aliam pœnam sensibilem, sicut damnati de quibus dicitur Iob. xxiiij. Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium; uidetur dicendum, quòd quemadmodum de loco Purgatorij dupliciter loqui contingit; uno modo secundum communem legem, & isto modo locus Purgatorij dicitur esse locus inferior coniunctus inferno, alio modo secundũ dispensationem specialem, & sic locus Purgatorij non est aliquis certus, & determinatus locus, unde in diuersis locis aliqui puniti leguntur, secũdum quod expedit, uel uiuis ad ædificationem, uel ipsis mortuis ad suffragiorum petitionem, ut refert Gregor. quarto Dialogorum; ita possumus loqui de pœna sensibili purgatorij dupliciter, uidelicet secundum legem communem, & sic dicendum uidetur, quòd illa sit sola pœna ignis; secundum quod sanctus Thomas dicit in secundo, dist. xxj. & dist. ult. Secundo modo possumus loqui de pœna Purgatorij, uidelicet secundum specialem dispensationem, sic dicitur, quòd quandoque purgantur lege speciali alia pœna sensibili, q̃ pœna ignis, sicut pœna frigoris, uel alia pœna iuxta dispositionem diuinæ uolũtatis, sicut legitur de quodam in legenda omnium sanctorum, qui in glacie cruciari inuentus est, pro quo cum beatus Theobaldus. xxx. Missas solueret à pœna illa legitur liberatus, quare utrunque modum complectens præsens diffinitio dicit purgatorias pœnas, & non purgatoriã pœnam. POST MORTEM PVRGARI IMMEDIATE, contra errorem dicentium, quòd purgatio talium animarum differebatur, usque ad corporum resumptionem in die iudicij, habentes pro fundamento animas separatas à corporibus nõ posse pati ab igne corporeo, siue subdi pœnis sensibilibus quibuscunque, quorum fundamẽtum falsum, & erroneum esse ostendit apertissime, primo illud Math. xxv. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: Cum eadem ratio sit de animabus separatis, & dæmonibus. Vnde Gregorius quarto Dialogorum, cum reprobis ueritas dictura sit, Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius; si igitur diabolus eiusq; angeli, cum sint incorporei corporeo sint igne cruciandi: quid mirum si animæ antequàm recipiunt corpora, possint corporea sentire tormenta. Secundo est illud Lucæ. xvj. Vbi anima diuitis Epulonis clamans dicit. Pater Abraham miserere mei; & sequitur, quia crucior in hac flamma, quæ nõ uidetur posse intelligi

Damasce.

Thomas.

Gregor.

Idem.

Thomas.

Gregor.

bus acceperit traditum: item ad idem est Gregorius Nicenus in Sermone de defunctis: item Ioan. Damascenus in quodam Sermone de suffragijs. Testimonia autem sanctorum patrum Occidentalis Ecclesiæ pertranseo, quia illa quasi innumera sunt, & notissima; de quibus in.iiij. sen tétiarum dis.xlv.& in corpore decreti maximè. xiij q.ij. Preterea ueritas huius diffinitionis & ratione ostenditur conuenientissima, quia plus apud Deum ualere credédus est amor charitatis inter fideles, quàm ualeat amor ciuilis inter conciues, sed amor ciuilis inter homines ualet tantum, quod unus ex amore potest alium apud iudicem liberare à debito pœnæ, uel rogando, uel satisfaciendo. ergo amor charitatis inter fideles tantum ualet, quòd unus apud Deum potest alium liberare, uel in toto, uel in parte, à debito pœnę, & hoc rogando, uel satisfaciendo. PRODESSE EIS, scilicet, in charitate decedentibus, quia ut dicit Augustinus, qui sine fide operante per dilectionem eiusq; sacramentis de corpore exeunt, frustra illi à suis huiusmodi officia impenduntur. MISSARVM .s. SACRIFICIA ORATIONES ET ELEEMOSINAS, tria hæc genera suffragiorum quibus animæ defunctorũ pietate suorum uiuentium releuari creduntur ponit Augustinus libro de Agenda cura pro mortuis, ut in cap. non existimemus. xiiij. q. ij. Quibus beatus Gregor. addit quartum, uidelicet, ieiunium; Ait enim ut in cap. animæ ea. causa, & quæstione, quod animę defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut clarorum eleemosinis, aut ieiunijs cognatorum; inter ista autem præcipuum suffragium est sacrificium altaris; nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi; nec oblatio ulla hac potior esse potest, sed hæc omnes præcellit, ut in cap. nihil, de conse. dist. ij. ET ALIA PIETATIS OFFICIA. Nó solum illa quatuor, quæ tanq̃ mortuorum magis præcipua præsidia numerata sunt defunctis prosunt, sed etiam, quęcunque alia bona, quę ex charitate à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt illis prodesse credenda sunt, inquit sanctus Thom. in quarto, dist. xlv. secundũ illud quod in symbolo profitemur sanctorum communionem, quam facit ipsa charitas de conse. distin. quarta, in ca. ecce charitas, & Propheta inquit; Particeps ego sum omnium timentium te: ubi glos. ait, membrum enim particeps est totius corporis. ILLORVMQVE ANIMAS, hic ponitur declaratio, & diffinitio ueritatis quinti articuli controuersiæ Græcorum & Latinorum, circa statum animarum sanctorum ante diem iudicij; Græci enim dicebát animas iustorum ante diem iudicij, finalem, & propriam non recipere mercedem, sed interim esse in conuenientibus quibusdam locis expectantes finalem retributionem in die iudicij recipiendam: Latini uero dicebant, sicut & dicũt, iustorum animas, quæ ab isto seculo decedentes, nihil purgandum secum detulerunt, siue quæ ab his quæ purganda secum detulerunt in Purgatorio purgatæ, fuerunt mox in cœlum recipi, mercedem finalem, & propriam à Deo recipientes. Super quo articulo sufficienti examinatione habita ueritatis, operante eo, qui facit unanimes habitare in domo, unanimi consensu Græcorum, & Latinorũ uniuersa hac sacra Oecumenica synodo approbante, diffinitum est, quòd animæ sanctorum ante diem iudicij in cœlum recipiantur: unde animæ iustorum, qui ab isto seculo, sine aliqua culpa, & reatu pœnæ decedunt, cuiusmodi sunt qui post susceptum baptisma nullam omnino maculam incurrerunt, & qui post contractã peccati maculam de suis peccatis plenam satisfactionem

Gre. Nic. Damasce. August. Idem. Gregor. Thomas. v. Articu.

in hoc seculo impleuerunt & quorum animæ in Purgatorio modo supra com memorato de contentis peccatorum maculis sunt purgatæ, mox in cœlum recipiuntur à domino percipientes finalem beatitudinis mercedem. Diffinitio ueritatis huius articulis, clarissimè ostenditur, quoad eius singulas partes, & primo quidem quoad illam partem, quoad ante diē iudicij sanctorum animæ recipiuntur in cœlum, ostenditur manifestissimè, ex omnibus illis sacræ scripturæ locis, ubi de Ascensione Domini in cœlo sermo est, sicut ex illo patet psal. lxvij. Ascendisti in altum, & cępisti captiuitatem. Item ex illo Micheæ ij. Ascendet iter paudens ante eos, & transiuit Rex coram ipsis, & dominus in capite eorum. Item ex illo Apostoli ad Ephes. quarto, Ascendēs Christus in altum captiuam duxit captiuitatem. Quibus in locis non modo habetur, quòd Christus in cœlum ascendit, sed etiam quòd turbam sanctorū, quæ prius sub dæmonum potestate in Limbo iacuerat captiua, secum in cœlum transduxit. unde Apostolus ad Coloss. ij. Postquàm descripserat qualiter Christus per mortem suam dæmonum principatus, & potestates spoliauerat patres de Limbo extrahendo, subiunxit, transduxit confidenter, scilicet, suos inquit glo. ad cœlum, unde etiam Ecclesia cantat de martyribus, Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi uestigia sequuti sunt. Secundo ueritas præfatæ diffinitionis, quoad partem illam in qua dicitur, quod animæ iustorum, de quibus in diffinitione fit sermo, ab Ascēsione.s. Christi in qua in possessionem regni cœlestis Christus nos introduxit, Mox cum absoluuntur à corporibus, recipiantur in cœlum; ostenditur etiam clarissima Primo ex illo Apostoli secunda ad Corint. v. Scimus si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Per quod manifeste datur intelligi quod dissoluto corpore anima iusti ad æternam, & cœlestem mansionem, mox perducitur, si quis autem contradicere uelit, dicens Apostolum non dixisse, quòd statim dissoluto corpore domum æternam habeamus in cęlis in re, sed solū spe, tandem habituri in re, manifestè hoc esse contra intentionem Apostoli

Thomas. arguit sanctus Thomas, quia etiā dum hic uiuimus, habituri sumus cœlestem mansionem, secundum prædestinationem diuinam, & iam eā habemus in spe secundum illud Rom. viij. Spe enim salui facti sumus frustra, ergo addidit si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur, sufficisset enim dicere scimus, quoniam ædificationem ex Deo habemus æternam in cœlis. Item secundo apparet eadem ueritas ex illo eiusdem Apostoli ad Philip. primo, Dicentis desiderium habens, dissolui, & esse cum Christo. Christus autem in cęlis est sperabat, ergo Apostolus statim post corporis dissolutionem se perueni-

Gregor. nire in cœlum: unde Gregorius in quarto Dialogorum proponens, & soluens hanc quæstionem, an ante resurrectionem corporum, in cęlis recipi ualeant animæ iustorum, ita dicit: Luce clarius constat, quia perfectorum iustorum animæ, mox ut carnis lustra exeunt in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod & ipsa per se ueritas testatur dicens, ubicūque fuerit corpus congregabuntur, & aquilæ, quia ubi ipse Redemptor noster est, illuc procul dubio colliguntur & animæ iustorum; & Paulus dissolui desiderat, & esse cum Christo; qui ergo Christum in cœlo esse non dubitet, nec Pauli animam in cœlo esse negat. Tertio, ueritas præfatę diffinitionis, quoad eius tertiam particulam, uidelicet, quòd tales animæ iustorum, mox cū à corporibus soluuntur recipient à Deo finalem mercedem beatitudinis; etiam clarissima ostendetur

detur

detur auctoritate sacræ scripturę; & primò ex illo Isa x.ubi Propheta de primo aduentu Saluatoris loquēs ait, Ecce dominus Deus in fortitudine ueniet & sequitur, Et merces eius coram eo, glos. interlinealis retributio omnium quod ea ratione dictum esse Doctores affirmant, quia in aduentu eius aperta nobis per ipsius Passionem ianua regni cœlestis, sancti ab hac uita decedentes mox retributionem promissæ mercedis assequuntur, secundo ex illo Luc.xxiij.quod dominus ait latroni, Hodie mecum eris in paradiso, ubi paradisus secundum mentem Christi, non est accipiendus paradisus terrestris aut cęlestis locus beatorum, sed ipsa fruitio diuinitatis, ut dicit sanctus Tho. in tertio sententiarum, dist.xxij.quam mox ipsa die latro iuxta Christi pollicitationem adeptus est, de quo Chrisost. in prima Homelia de cruce & de latrone ita loquitur. unde tanta beatitudo latroni; quid egit, tale ut post crucem mereatur? uidisti latronem & latronem uterq; pendet in cruce uterq; furatis uitæ, similis utriq; conuersatio, sed nō in utroq; mens una, nec in uno sensu uterq; perdurat, nec in eis similis iudicatur euentus, sed unus beatitudinem cœli hæreditario promeruit, alter ad gehennam mittebatur ad pœnam. Sūt etiam pro ueritate huius articuli rationes irrefragabiles plurimæ & maximè sanctus Tho contra Gentiles in cap.xcj. in uita ista est status merendi uel demerendi, unde comparatur militiæ & diebus mercennarij, unde Iob.vij. dicitur, militia est uita hominis super terram, & sicut mercennarij dies eius, sed post statum militiæ & laborem mercennarij statim debetur pręmium, uel pœna benè, uel malè certantibus; unde etiam Leuitici.xix.dicitur non morabitur opus mercēnarij apud te usque mane Dominus etiam dicit, Iohelis ultimo; cito uelociter reddam uicissitudinem uobis super caput uestrum; statim ergo post mortem animæ, uel pręmium consequuntur, uel pœnam. Item sic, eadem Dei prouidentia creaturis rationabilibus pręmia debentur, & pęnæ, qua rebus naturalibus perfectiones eis debitæ adhibentur, Sic est autem in rebus naturalibus quod unum quodq; statim recipit perfectionem cuius est capax nisi sit impedimentum ex parte agētis, uel recipientis; cum igitur animæ statim postquàm fuerint a corpore separatæ sint capaces gloriæ, & pęnæ statim utrunq; recipient. ꝙ autem nulla ratione fundari possit quod pręmium bonorum, uel malorum pœna differatur usque ad resumptionem corporum sic ostenditur, secundum ordinē culpæ, & meriti conuenienter est ordo in pœna uel pręmio, quòd secundum ordinem causarum est ordo in effectibus, sed meritum, & culpa non conueniunt corpori nisi per animam. nihil enim habet rationem meriti, uel demeriti nisi inquantum est uoluntarium. in uoluntate enim ait Hierony.ad Rufinum causa est uitiorum atque uirtutum, in cap.nasci, dist lvj.ergo tam pręmium, quam pœna conuenienter ab anima deriuantur ad corpus; non autem animę conuenit propter corpus; nulla ergo ratio est quare in punitione, uel pręmiatione animarum expectetur resurrectio corporum, quando magis conueniens uidetur ut animæ, in quibus per prius fuit culpa, uel meritum, prius etiam pręmientur, uel puniantur; non potest autem dici ꝙ anima separata capax non sit beatitudinis, quia ultima animę rationabilis beatitudo, ut in sequenti articulo habebitur, consistit in uisione diuinæ essentiæ, manifestum est autem quod ad uidendum diuinam essentiam anima non eget corpore, quia anima non eget corpore nisi propter phantasmata in quibus ueritatem intelligibilem cōtuetur, sed clarissimum est quod diuina essentia perphantasmata uideri non potest.

Chrysost.

Thomas.

Hierony.

cum enim diuina essentia sit quid in circumscriptum & infinitum, continens in se supereminenter quicquid potest intelligi ab intellectu creato, nulla spe creata, aut similitudine repræsentari potest & ideo dicit August. quod Dominus omnem formam intellectus nostri subterfugit, ergo anima à corpore separata capax est ultimæ beatitudinis: POST BAPTISMA SVSCEPTVM per quod non solum originalium, sed etiam uoluntariorum fit remissio peccatorum, ait Augustinus de baptismo paruulorum in cap regenerāte, de consec. dist. quarta, & hoc est quod dominus per Ezech. prophetam ait. xvj cap. effundam super uos aquā mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. NVLLAM OMNINO PECCATI MACVLAM INCVRRERVNT, talibus profecto immediate patet aditus regni cœlorum, unde super illud Luc. iij. Apertum est cœlum dicit uenerabilis Beda uirtus, hic baptismatis ostenditur de quo quisque cum egreditur ei regni cœlestis ianua aperitur; & Ambrosius libro de sacramentis ut in cap. per aquam de conse. dist. x. ait, per aquam baptismi est transitus de terrenis ad cœlestia. SVNT PVRGATAE, duplex purgatio animarum à peccatis hic distinguitur, quædam fit in corporibus, & ista per pœnitentiam fit, & baptismum, ut dicit Ioā. Chrisost. & habetur in cap. non potest de conse. dist. iiij. Item fit per alia sacramenta ut in cap scilicitantibus, dist. ij. Item fit per uirtutis, & pietatis opera, ut Greg. in cap. si quælibet. xxij. q. ij. & Prouerb. xv. dicitur per fidem, & misericordiam purgantur peccata. Item fit per tolerantiam aduersitatum, & tribulationum Malachię. iij. sedebit quasi ignis conflans & purgabit filios leui, & inducitur in cap. purgabit, dist 50. alia distinguitur purgatio animarum post separationem a corporibus per ignem Purgatorij, de qua supra habitum est. IN COELVM MOX RECIPI. Contra hoc uidetur esse id illud Math. xxv. ubi legitur Christus dicturus iustis, Venite benedicti patris mei possidete uobis regnum paratum à constitutione mundi, & malis dicturus est; ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo, & angelis eius; ergo uidetur quod ante diem iudicij neque iusti in cœlum, nec in infernum damnati mox recipiantur, Ait enim per uerbum de futuro ibūt hi in supplicium æternum, iusti uero in uitam æternam. Ad hoc respondetur, & ad omnes similes auctoritates, quæ dicere uidentur quod in finali iudicio boni recepturi sunt mercedem, siue coronam gloriæ, mali uero damnationis tormentum, quod huiusmodi auctoritates non sint sic intelligendæ, quod ante diem iudicij neque iusti in cœlum euolent, neque gloriam beatitudinis assequantur; nec etiam sunt ita accipiendæ, quod malorum animæ ante diem iudicij nec in infernum descendant, nec damnationis patiantur supplitia, cum, ut ex superioribus patet, & sacra scriptura, & sanctorum patrum testimonia, ac ratio ipsa manifeste testentur oppositum, sed sacra scriptura ita per uerba futuri temporis tam de præmiatione bonorum, quam de damnatione malorum duplici ex causa loquitur; primo quidem ratione generalis retributionis omnium, quæ in die uniuersalis iudicij nota omnibus simul fient per uniuersalem separationem, tunc fiendam bonorū à malis; licet enim primo cuilibet homini ante iudicium certa sit notitia de damnatione sua, uel præmio, nō tamen omnibus omnium damnatio, uel præmium innotescit, sed hoc erit in uniuersali iudicio; Secūdo ratione integræ & consummatæ beatitudinis, quam tunc recipient iusti, & consummatę damnationis quam tunc recepturi sunt mali; Resumptis enim corporibus tam beatitudo in sanctis, quam supplicium

August.

Idem.

Beda.

Chrysost.

Gregor.

plicium

plicium damnationis in malis extenderetur ad corpora,& quia in resumptione corporum,quæ fiet in die iudicij,datur homini hoc modo integra,& cōsummata,aut præmiatione lętari,aut damnatione torqueri,ideo ipsi ultimo diei generalis iudicij,tam retributio bonorum,quàm malorū attribuitur: & ista est ratio beati Gregorij qui in quarto Dialogorum hanc dubitationem proponit,& soluit. Si inquit nunc in cœlo sunt animæ sanctorum quid est quod in die iudicij pro iustitiæ suæ distributione recipiant? Respondet, hoc eis nimirum crescit in iudicio,quod nunc animarum sola, postmodum etiam corporum beatitudine perfruentur,ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro domino,cruciatusq; pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est,in terra sua duplicia possidebunt. hinc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est,datæ sunt illis singulæ stolæ albæ; & dictum est illis,ut requiescerent tempus adhuc modicū, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum suorum,qui itaque nunc singulas acceperunt,binas in iuditio stolas habituri sunt,quia modo animarum tantummodo,tunc autem animarum simul & corporum gloria lætabuntur. ET INTVERI CLARE IPSVM DEVM TRINVM ET VNVM SICVTI EST. Hic sequitur declaratio,seu diffinitio sexti articuli controuersiæ Græcorum,& Latinorum circa uisionem,quam sanctorum animæ à corporibus absolutæ habent de Deo diem iudicij, Græci autem negantes animas iustorum à corporibus absolutas ante diem iudicij finalem suam consequi beatitudinem,per consequens dicebant illas ante diem iudicij non uidere clarè ipsum Deum; in cuius clara uisione,& aperta, æterna uita consistit. Ioan.xvij.Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Latini uero è contra sicut affirmabant illorum iustorum animas in absolutione sua à corporibus mox in cęlum recipi, ita illis dari uisione perfrui diuinitatis; super qua controuersia matura,& diligenti habita discussione tandem operante Deo,concordi omnium tā Græcorum,quàm Latinorum uoluntate,& assensu facta est talis diffinitio in summa duas complectens partes. Primo,quòd animæ iustorum,de quibus in prę senti articulo habitum est statim cum a corporibus absoluuntur uident clare,& sicuti est,Deum uerum trinum,& unum. Secundo,quod quidam perfectius alijs uident pro suorum meritorum diuersitate. Cuius diffinitionis ueritas clarissima ostenditur; Primo ex proximè dictis in præcedenti articulo; Cum enim ex ibidem inductis,manifestum sit animas iustorum immediatè, cum absoluuntur à corporibus præmium,siue mercedem consequi beatitudinis,& ipsa beatitudo consistat in clara & aperta Dei uisione secundum illud Io in xiiij. Qui diligit me diligetur à patre meo,& ego diligam eum & manifestabo ei me ipsum,ubi glo. Augustini dicit, hæc uisio erit merces fidei, clarissimum est animas iustorū post separationem à corporibus uidere Deū clara,& aperta uisione. INTVERI CLARE, idest non per speculū in ænigmate,aut per imagines,siue similitudines aliquas,quibus uidetur in hac uita,sed facie ad faciem. Post hanc enim uitam,ut ait August. lib.lxxxiij. quæstionū; auferuntur omnia uelamenta,idest similitudines creaturæ ut Deum facie ad faciem uideamus prima ad Corinth.xiij. Videmus nūc per speculum in ænigmate,idest obscure,tunc autem facie ad faciem, glo. i.manifestè ad similitudinem uultu recto se intuentium. IPSVM DEVM TRINVM ET VNVM, contra errorem dicentium beatitudinem,gloriam,siue felicitatem

Gregor.

vj. Artic.

August.

August.

ultimam hominum non consistere in uisione ipsius Dei, sed alicuius alterius entitatis, quæ ab ipsa diuinitatis essentia realiter sit distincta, quam Græci energiam, siue actum, siue fulgorem uocant; Contra quos ac ita dicētes, præter plurima, quæ parum ante commemorata sunt est illud Hieremiæ. ix. ubi ex persona Dei dicitur; In hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me, Ecce quod ultima hominis gloria in uisione Dei dicitur cōsistere; ratio etiam hoc sic demonstrat, perfecta hominis beatitudo non consistit in eo quod est perfectio intellectus secundum alicuius participationem, sed in eo quod est per essentiam tale, Manifestum est autem quod unumquodq; in tantum est perfectio alicuius potentiæ, in quantum ad ipsum pertinet ratio obiecti illius potentiæ, proprium autem intellectus obiectum est uerum, quodcunq; ergo habet ueritatem participatam contemplatum non facit intellectū perfectum ultima perfectione cum eadem sit dispositio rerum in esse, sicut in ueritate, ut dicitur secundo Metha. Cum autem solus Deus trinus & unus sit ueritas per essentiam, sola illius contemplatio, siue uisio facit hominem perfectę beatum. Præterea sic beatitudo est bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum; alioquin non esset ultimus finis si adhuc restaret aliquid appetendum; hinc dicit August. in libro de moribus Ecclesiæ, quod beata uita est cum id quod optimum est habetur; obiectum autem uoluntatis est uniuersale bonum, sicut obiectum intellectus uniuersale uerum, ergo nihil potest quietare uolūtatem hominis nisi bonum uniuersale, quod in solo Deo trino & uno reperitur secundum illud prophetæ, qui replet in bonis desiderium tuum, ergo in solo ipso Deo trino & uno consistit ipsa hominis beatitudo uera, unde August. in lib. lxxxiij. quæstionum, Beata uita est amor & perfecta notitia trinitatis; ipsa enim est solum bonum, & ineffabile gaudium, serena letitia, purum, perfectum, & infinitum oblectamentum. SICVTI EST, idest per essentiam, prima Ioan. iij. Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est, glo. non per speculum ut modo; in quo loco eliditur error dicētium non posse uideri Deum per essentiam ab intellectu creato, sed uideri in theorijs, & theophanijs, theophanias lumina respersa in creaturis appellant per modum uestigij, uel imaginis, theorias autem lumina intellectualia, siue fulgores quosdam à Deo descendentes, & incircunscriptum lumen quod Deus est inquantum possibile est, manifestantes quod manifesta ratione erroneum esse ostenditur, quia cum ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quæ est operatio intellectus secundum philosophum primo Ethic. cum sit id quod supremum est in natura rationali, si nunquàm Dei essentiam uidere potest intellectus creatus, uel nunquàm beatitudinem obtinebit, uel in alio eius beatitudo consistit, quàm in Deo, quorum utrunque est alienum à fide. Præterea cum ultimus finis hominis humanæ conditionis sit ipsa fœlicitas, ut ex dictis patet, sola illa uisio Dei est essentialiter ipsa fœlicitas, qua habita non restat aliquid aliud desiderandum, nec quærendum, sed sola talis est cognitio, siue uisio Dei per essentiam, cum sola talis quietet perfecte desideriū creati intellectus, utpote per quā intellectus creatus peruenit ad essentiam primę causæ efficientis, exemplaris, & finalis omnium rerum, quæ Deus est, hinc August. viij. de Trini. dicit, Nec quæremus aliud cum ad illius contemplationē perueniemus; & propheta ait, Satiabor cum apparuerit gloria tua, psal. xvj. ergo necessario dicendum est, quod à beatis Deus per essentiam uideatur. Non potest autem

(margin: August. — beside "appetendum; hinc dicit August."; August. — beside "do uera, unde August."; Philoso. — beside "dum philosophum primo Ethic."; August. — beside "plaris, & finalis omnium rerum")

dici,

dici, quod talis uisio Dei per essentiam non sit possibilis intellectui creato; primo quia naturale desiderium, quod impossibile est esse frustra, creatæ intelligentiæ est uidere Deũ per essentiam, cum desiderium insit omnibus hominibus cognoscendi causas eorum quæ uidentur, & maxime primam causam, cum iuxta philosophi sententiam, tunc nos aliquid scit arbitramur cum causam primam cognoscimus; unde Aristot. & Auer. professi sunt quod intelligibile, quod omnis homo natura desiderat, intellectus diuinus est; eo quod sicut est causa omnis rei, ita lumen est faciens intelligibile quidquid intelligitur. Secundo quia sanctorum desiderium, quod impossibile est esse nisi possibilium cum solum tale sit rationabile, desiderium est uidendi Deum per essentiam; ait enim sanctus uir Moyses Exod. xxxiij. ostende mihi gloriã tuam; & propheta s. Dauid inquit in psal. Ostende faciem tuam & salui erimus. Tertio, quia uisio Dei sanctis per essentiam promittitur ex diuinis scripturis, prima ad Corinth xiij uidemus nunc per speculum, tunc facie ad faciem, & Io. xiiij. Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Sed arguitur contra declarationem, & diffinitionem prædictam ex illo Ioan. primo, Deum nemo uidit unquam, quod exponens beatus Chrysost. dicit, nec ipsę cęlestes essentiæ ipsa dico Cherubin & Seraphin ipsum Deum ut est unquam uidere potuerunt. Respondetur quod auctoritas illa Ioannis tripliciter exponi potest, ut patet per Augustinum in libro de uidendo Deum, uno modo ut excludatur uisio corporalis, quia nemo uidit, uel uisurus est Deum in essentia sua, Vnde Hieronymus, Nõ solum diuinitatem patris, sed neq; filii, nec spiritus sancti oculi carnis possunt aspicere, sed oculi mentis de quibus dicitur, Beati mundo corde quoniam ipsi Deum uidebunt; alio modo, ut excludatur intellectualis uisio per essentiam ab his qui in ista mortali uiuunt carne, secundum illud Num. xxxij. Non uidebit me homo & uiuet, glo. quàm diu hic mortaliter uiuitur per quasdam imagines Deus potest uideri, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest; alio modo ut excludatur uisio comprehensionis ab intellectu creato, secundum illud Hieremiæ. xxxij. Fortissime, magne, potens, dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu; & Damascen. primo lib. quoniam incomprehensibilis est Dei substãtia, his qui diuinę credunt scripturæ, non dubium est; & de hac uisione comprehensiua loquitur beatus Christost. in auctoritate inducta cum dicit, Quod neque cœlestes essentiæ, Deum ut est unquàm uidere potuerunt, & quod de uisione comprehensiua loquatur ipse ex sequentibus ita declarat, unde subdit: notitiam hic dicit Euange. Certissimam considerationem & comprehensionem tantam, quantam habet pater de filio. Et ad hanc intelligentiam resoluenda sunt omnes similes auctoritates sanctorum patrũ, quæ dicere uidentur quod Deus sit inuisibilis & huiusmodi. PRO MERITORVM TAMEN DIVERSITATE ALIVM ALIO PERFECTIVS. Ista est secunda pars articuli; In regno enim cœlesti præmiorum multæ sunt differentiæ; unde Dominus ait, Ioan. xiiij. In domo patris mei mansiones multæ sunt. glo. interlinearis August. diuersa præmia meritorum: In quo eliditur error dicentium, in futura uita omnia præmia, & pœnas esse æquales; Cum enim diuina iustitia illud exigat, quod ad æqualitatem in rebus seruandam pro culpis pœnæ reddantur, oportet, si est gradus in uirtuosis actibus, & in ipsis peccatis, quod sit etiam gradus præmiorum, & pœnarum, alias non seruaretur æqualitas si non

Aristot. & Auer.
Chrysost.
August.
Hierony.
Damasce.
Chrysost.
August.

plus peccanti maior pœna, aut melius agenti maius præmiũ redderetur contra illud, quia mensurã mensi fueritis remetietur uobis Math. vij Sunt ergo multæ differentiæ præmiorum in beatis; unde Apostolus prima ad Corint. xv. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, Stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum, glo. sicut ista cum unius naturę sint, diuersę tamē sunt claritatis, sic & homines cum sint unius generis, dissimilis tamen gloriæ erunt. Sed considerandum, quod hæc differentia graduum uisionis in sanctis non est accipienda ex parte diuinæ essentiæ, quæ simplicissima est, ex cuius uisione omnes sancti beatificantur, ex parte luminis gloriæ per quod intellectus beatus eleuatur ad uidendũ diuinam essentiam, ut in cap. ad nostrũ, extra de hære. in cle. ita quod intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum uidebit, plus autem participabit de lumine gloriæ qui plus habet de claritate, quæ quanto in aliquo erit perfectior, tanto habentem reddit capaciorem diuinæ claritatis, Math. xxv. Dedit unicuiq; secundum propriam uirtutem; sed uidetur quod locus iste contradicat ei quod dictum est parum ante, quod sancti uideant in gloria Deum sicuti est; Cum enim Deus uno modo sit, uidetur quod ab omnibus uno modo uideatur. non ergo perfectius ab uno, quàm ab alio. Respondetur quod cum dicitur, quod uidebimus Deum sicuti est hoc aduerbium sicuti determinat modum uisionis ex parte rei uisæ, ut sit sensus, uidebimus eum ita esse sicuti est quia ipsum esse eius uidebimus quod est eius essentia: Non autem determinat modum uisionis ex parte uidētis, ut sit sensus, quod ita erit perfectus modus uidendi unius cuiusq. sancti, sicut perfectus est modus essendi ipsius Dei, hoc enim esset comprehendere Deum quod est impossibile Et ita patet quod argumentum non procedit, licet enim Deus uno modo sit, & unum & idem simplicissimum, & incommutabilissimum sit esse diuinum quod ab omnibus uidetur nihilominus sunt in hoc uisionis genere uarij gradus perfectionis.

Illorũ autem animas qui in actuali mortali peccato, uel solo originali decedunt descendere mox in infernum pœnis tamen disparibus puniẽdas.

Hic ponitur declaratio, & diffinitio septimi articuli controuersiæ Græcorum & Latinorum circa perditorum pœnas. Latini dicebant, sicut & dicunt, illorum animas statim cum à corporibus absoluuntur ad infernum descendere, & sempiternis ignibus subdi, Græci uero asserebant illos ante corporum resumptionem, & per consequens ante diem iudicij nulla huiusmodi sensibilia pati tormenta, sed solo futurorum tormentorum timore torqueri. super quo habita matura, & graui discussione, tandem omnipotentis Dei benedictione unanimi omnium tam Græcorum, quàm Latinorum uoluntate, & assensu diffinitum est, animas illorũ qui in actuali mortali, aut solo originali decedunt mox in infernum descendere pœnis, tamen disparibus puniendas. Veritas tamen huius diffinitionis, licet ex prædictis nobis reddatur clarissima, nihilominus ostenditur ex eo, quod sicut in corporibus est grauitas, uel leuitas qua feruntur ad suum locum, qui est finis motus ipsorum, ita etiam in animabus meritum, uel demeritum, quibus perueniunt animæ ad præmium, uel ad pœnam, quæ sunt fines actionum ipsarum;

Vnde

Vnde sicut corpora per grauitatem statim feruntur in locum suum nisi prohibeantur, ita animæ statim soluto uinculo carnis, per quod in statu uiæ detinebantur, statim præmium consequuntur, uel pœnam, nisi aliquid impediat, sicut interdum impedit consecutionē præmij, aut ueniale peccatum, aut reatus pœnæ, quæ prius in Purgatorio purgari necesse est; ex supradictis ostenditur etiam auctoritate quo ad illos qui in actuali mortali peccato decedunt ex illo Iob. xxj. ducunt in bonis dies suos. & in puncto ad inferna descēdunt. & ex illo Luc. xvj. ubi de diuite Epulone sic dicitur, quod mortuus est diues & sepultus est in inferno, de pœna eius uero sequitur; crucior in hac flāma; Non potest autem dici, quod id quod hic dicitur de Lazaro, & de diuite isto damnato parabola fuerit, & non rei ueritas; primo quia in toto isto capitulo nulla mentio fit quod Christus parabolice fuerit locutus; secūdo quia ibi nomen pauperis exprimitur, parabola autem dicitur ubi exemplum ponitur & nomina tacentur; Qua ratione dicit Ambrosi. super Luc. quod narratio magis est quam parabola, quoniam etiam nomen exprimitur; tertio hoc patet testimonijs sanctorum patrum tam Græcorū, quam Latinorum, quorum sententiæ in expositione huius Euangelij manifeste ostendunt hanc non confictam parabolam esse, sed rem ueram gestam extitisse. Vnde Chrisost. super illo uerbo mortuus est diues. dicit sic; mortuus est quidem tunc corpore, sed erat illi antea mortua anima, nihil enim agebat ex operibus animæ, Nam totus feruor eius qui prouenit ex dilectione proximi expirauerat, & erat corpore defuncto defunctior. Item idem super uerbo illo, & ipse clamans dixit, Pater Abraham &c. dicit sic; magnæ pœnæ magnam uocem reddebāt, Pater Abraham miserere mei; frustra agis pœnitentiam in loco ubi non est pœnitentiæ locus, Tormenta te cogunt, non affectus. Item Basilius, Condignum autem præmium redditur diuiti illi, ignis, & infernalis pœna, & lingua arefacta; uice liræ sonantis gemitus, uice potus desiderium stillæ; uice ambitus incessantis peruigil uermis. Item hic idem beatus Gregorius, qui hanc ueritatem Euangelij lib. quarto Dialogorum ostendens ita concludit, dum ergo peccatorem diuitem ueritas in ignibus prohibet, quis iam sapiens reproborum animas teneri ignibus negat? Supersedemus ab ulteriori declaratione præsentis partis, quia rationes superius inductæ in declaratione ueritatis quinti articuli faciunt ad confirmationem huius ueritatis. Vnde Gregorius quarto Dialogorum. Si esse sanctorum animas in cœlo sacramēti eloquij attestatione credidisti, oportet ut per omnia esse credas animas iniquorum in inferno quia ex retributione iustitiæ æternæ, ex qua iam iusti gloriātur, necesse est ut per omnia iniusti crucientur; nam sicut illos beatitudo letificat, ita credi necesse est, ꝙ à die exitus sui ignis reprobos exurat. Quantum uero ad illos qui in solo originali peccato decedunt ueritas præsentis articuli etiam clarissima redditur ex illo Io. tertio, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, Aqua generalitate neq; sexum nec ætatem excludit, ut in cap. maiores, extra de bapt. & eius effectu; de quo August. de Fide ad Petrum, regula. xxij & in cap. firmissime. de conse. dist. x. firmissime tene, & nullatenus dubites non solum homines ratione utentes, uerum etiam paruulos, qui siue in uteris matrum uiuere incipiunt & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. de hoc seculo transeunt ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia & si peccatum propriæ actionis

Ambrosi.
Chrysost.
Basilius.
Gregor.
Idem.
August.

nullum habent, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt, & ita patet ueritas articuli, quoad eius ambas partes. Qui in actuali mortali. Duplex in genere distinguitur peccatum, uidelicet, actuale, & originale, tam a Magistro sententiarum in secundo, distin. xxx. quam a Gratiano de pœ. dist. quarta, quasi per totum, & in cap. firmissime, parum ante inducto de consec. dist. x. & extra de bapt. & eius effectu, cap. maiores, Peccatum uero actuale quod in actu proprio illius personæ in qua est consistere dicitur, Diuiditur in mortale & neniale in secundo sententiarum di. xlij. & de pœnitentia, dist. v. cap. medicina. §. tres sunt; Mortale uero dicitur per quod homo mortem meretur æternam; Veniale autem quod hominem usque in reatum perpetuæ mortis non grauat, uerum tamen pœnam meretur, sed facile indulgetur in secundo sententiarum, dist. xlij. cap primo, & in decre. dist. lv. §. criminis, & cap. qualiter, VEL IN SOLO ORIGINALI. Originale peccatum, quod origine trahitur in omnibus qui per concubitum uiri & mulieris concipiuntur, ut ait Augu. in supra commemorato c. firmissime, Varie descriptum legimus a sanctis Doctoribus; dicitur enim fomes peccati, idest concupiscentia, uel concupiscibilitas, quę dicitur lex membrorum, siue languor naturæ, siue tyrannus qui est in membris nostris, siue lex carnis, ut in secundo sententiarum, dist. xxx. & in decreto. xv. q. j. §. itaq;

August.

Ansel.

Anselmus uero in libro de Conceptu uirginali, cap. xxvij. dicit illud esse carentiam, siue nuditatem originalis iustitiæ; Verum pro cōcordantia illorum juxta sanctum Thom. & alios Doctores præcipuos est considerandum, quod in quolibet peccato est inuenire aliquid quasi formale, & aliquid materiale. Si enim consideremus peccatum actuale ipsa substantia actus deordinati materialiter in peccato se habet: sed deordinatio à fine, formale in peccato est, quia ex hoc præcipuè ratione mali habet; unde dicitur quod conuersio ad bonum commutabile est ibi, sicut materiale, Auersio à bono incommutabili est, sicut formale. ita est in peccato originali; Ad uidendum autem quid materiale sit, & quid formale in eo, iuxta sententiam sancti Tho. in prima parte, secundæ. q. lxxxij. artic. tertio, est notandum, quod unumquodq; habet speciem a sua forma; species autē peccati originalis sumitur ex causa sua, quare oportet quod illud quod est formale in originali peccato accipiatur ex parte causæ peccati originalis; oppositorum autem oppositæ sunt causæ; est ergo attendenda causa originalis peccati ex causa originalis iustitiæ, quæ ei opponitur, Tota autem ordinatio originalis iustitiæ ex hoc est quod uoluntas hominis erat Deo subiecta, quæ quidē subiectio primo & principaliter erat per uoluntatem, cuius est mouere omnes alias uires in finem; unde ex auersione uolūtatis à Deo secuta est inordinatio in omnibus alijs uiribus animę. Sic ergo priuatio originalis iustitiæ per quam uoluntas subdebatur Deo est formale originalis peccatis; omnis autem alia inordinatio uirium animæ se habet in peccato originali, sicut quoddam materiale, quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici concupiscentia; & ita peccatum originale materialiter est concupiscentia formaliter uero defectus originalis iustitiæ debitæ inesse. IN INFERNVM, dicitur autem infernus ab infra eo quod infra sit sub terris, cum legamus de Dathan & Abyron Nume. xvj. quod aperuit se terra & deglutiuit eos descenderuntq; uiui ad inferos, cui interpretationi ratio ipsa concordat; Sicut enim damnatorum status differt perfecta distantia à statu beatorum; ita locus à loco: unde sicut statui beatorum

Thomas.

Idem.

rum

rum debetur locus supremus, ita statui miseriæ locus infimus etiam secundum corpus; dicit autem Hierony. super Ionam prophetam, quod infernus sit in medio terræ, quomodo cor in medio animalis: habet nihilominus diuersa receptacula, unde sanctus Thom. in tertio sententiarum, dist. xxij. distinguit quadruplicem infernum. Vnus est infernus damnatorũ, in quo sunt tenebre, & quantum ad carentiam diuinæ uisionis, & quantum ad carentiam gratiæ & est ibi pœna sensibilis, & hic est infernus locus damnatorum, & in istum locum dicit præsens diffinitio descendere eos, qui in actuali mortali peccato ab ista uita decedunt. Alius est infernus supra istum in quo sunt tenebræ, & propter carentiam diuinæ uisionis, & propter carentiam gratiæ, sed non est tibi pœna sensibilis, & dicitur Limbus puerorum, & in istum intelliguntur descendere qui in solo originali peccato ab ista uita recedunt. Tertius infernus super hunc est, in quo sunt tenebræ quantum ad carentiam diuinæ uisionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, sed est ibi pœna sensus, & dicitur Purgatorium. Alius magis supra, est in quo sunt tenebræ quantum ad carentiam diuinæ uisionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, nec est ibi pœna sensibilis, & hic est Limbus sanctorum Patrum. POENIS TAMEN DISPARIBVS, pro disparitate scilicet, & diuersitate peccatorum, qui enim in peccato mortali actuali decedunt cum pœna damni, quæ dicitur carentia diuinæ uisionis, affliguntur etiã pœnis sensibilibus ignis, & aliorum suppliciorum, secundum illud psal. x. Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, spiritus procellarum &c. Quibus dicitur Math. xxv. Ite maledicti in ignem æternum. Qui enim in solo originali peccato decedunt nõ patiuntur pœnam aliquam sensibilem, sed solam pœnam damni, uidelicet carentiam diuinæ uisionis; unde in cap. maiores, extra de bapt. & eius effectu dicitur: pœna originalis peccati est carentia uisionis Dei; actualis uero peccati pœna, gehennæ perpetuæ cruciatus: & huius ratio est, quia acerbitas pœnæ sensibilis declarationi culpæ respondet, secundum illud Apoc. xviij. quãtum glorificauit se, & in delitijs fuit tantum date illi tormentum; In peccato autem originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio. delectatio enim operationem sequitur, ut dicitur. x. Ethico. quare dicit beatus Augustinus in de Baptismo paruulorum, quod mitissima pœna eorum erit, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt, ut in capit. de generante, de consec. dist. iiij. Non esset autem pœna istorum mitissima si sensibili torquerentur, cum pœna ignis inferni grauissima sit. Sed contra hoc uidetur esse cap. firmissime, ubi dicitur, firmissime tene, & nullatenus dubites paruulos, qui sine sacramẽto baptismatis de hoc seculo transierunt ignis æterni supplicio sempiterno puniendos. Præterea idem August. in Pronosticon. dicit quod paruuli decedentes, sine baptismo experientur gehennam. Gehenna autem pœnam sensus dicere uidetur. Ad ista respondetur iuxta sanctum Thom. in quæstionibus de malo, quòd nomine supplicij, gehennæ, cruciatus, aut tormenti, uel si quid simile in dictis sanctorum inueniatur dictum quò paruuli sine baptismo decedentes patiantur, large accipiendum est pro pœna, unde ponitur species pro genere; Et accipit ita glo. decreti, in ca. firmissimè: unde super uerbo, igne, exponit, idest pœnam; dicit enim sanctus Thom. in secundo sententiarum respondens ad hoc argumentum, quod nomine ignis frequenter in scriptura quælibet pœna significari cõsueuit. Ideo autem sancti (dicit beatus Thom.) tali modo loquendi usi sunt, ut detesta-

Hierony
Thomas.
Ethic.
August.
August.
Thomas
Idem.
Idem.

bilem redderent errorem pelagianorum, qui asserebant in paruulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. Albertus uero magnus in secunda parte summæ suæ respondens ad illud Math. xxv. Ite maledicti in ignẽ æternum, dicit, quod paruuli sine baptismo decedentes dicuntur esse in igne non ratione adustionis, quæ est in igne, scilicet, quod sentiant adustionem, sed ratione tenebrositatis loci infernalis qui tenebrosus esse dicitur: unde Auguſt. de baptismo paruulorum, ut in cap. nulla, de consec. dist. quarta, inquit. Nulla præter baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes si per sacramentum, quod ad hoc diuinitus est institutum in credentium numerum non transeant, in tenebris manent. Est præterea inter ipsos qui in mortali actuali peccato decedunt pro diuersitate peccatorum, diuersitas pœnarum, quia ut dicitur Deuter xxv. pro mensura peccati erit plagarum modus, unde beatus Gregorius quarto Dialogorum inquit, unus est gehennæ ignis, sed non uno modo cruciat peccatores uniuscuiusq; quantum exigit culpa tantum illic sentietur pœna; nam sicut in isto mũdo sub uno sole multi consistunt nec tamen eiusdem solis ardorem equaliter sentiunt, quia alius plus ęstuat, atque alius minus. Ita hic in uno igne non est unus modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum hoc illic agit diuersitas peccatorum ut & ignem non dissimilem habeant, & in eosdem singulos dissimiliter exurat. Si uero quæratur an sit aliqua disparitas, siue differentia in pœna ipsa quam patiuntur paruuli sine baptismo discedentes; Respondendum uidetur quod nõ quia omnes una, & eadẽ, & equali pœna puniuntur, uidelicet, carentia diuinæ uisionis quia culpa originalis, cui respondet prædicta pœna, secundum quod per se naturam respicit procul dubio ęqualiter in omnibus talibus inuenitur, ut ait sanctus Tho.

Albertus. August. Gregor. Thomas.

Item diffinimus Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in uniuersum orbem tenere primatum; & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & uerum Christi Vicarium totius Ecclesiæ, & caput omnium Christianorum patrem, atque Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi uniuersalem Ecclesiam à domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Occumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

HIc ponit octauus articulus controuersiæ, & discordiæ inter Latinos, & Græcos circa auctoritatem Romani Pontificis. Græci enim negabant Romanum pontificem uniuersalis Ecclesiæ habere primatum, & principem, ac patrem esse cæterorum omnium pontificum, solum illi dantes primum locum inter cæteros Patriarchas, absque quacunque superioritate prælationis. Latini uero è conuersio Romanum pontificem dicebant sicut semper affirmarunt primatum, & prelationem habere uniuersalis Ecclesiæ, & caput, & patrem esse cunctorum fidelium. Super quo articulo prouida, & matura habita ueritatis discussione, dante illo a quo cuncta bona

{I I proce-

processisse, Græcis & Latinis unanimiter consentientibus uniuersa synodo approbante facta est prædicta diffinitio, & diuiditur in duas partes; in prima ponitur diffinitio ipsius articuli; in secunda inducitur confirmatio testimonio ex gestis uniuersalium Conciliorum, & sacrorum Canonum reuerentia; secunda ibi, QVEMADMODVM ETIAM &c. Prima in septem, secundum septem partes côtentas in diffinitione; in prima declaratur Romanum pontificem primatum habere in uniuersum orbem; in secunda successorem esse beati Petri; in tertia uerum esse Christi Vicarium; in quarta caput esse totius Ecclesiæ; in quinta omnium christianorum patrem existere; in sexta Doctorem omnium fidelium esse; in septima plenitudinem potestatis regendi, pascendi, & gubernandi uniuersalem Ecclesiam à domino Iesu Christo suscepisse, singula loca patent, uerum, quia principatu. Romani pontifi. hoc in loco diffinitus præsupponit ecclesiæ regimen ita à Christo institutum, ut unus toti christianæ religionis præsideat multitudini, antequam ad declarationem præsentis articuli accedamus institutionem hanc Christi paucis, & breuibus conuenientissimam ostendamus; Primo quidem, quia naturalior est principatus unius in multos quàm possit esse multorum in unum. natura enim, principiorum amat singularitatem, ut ait beatus August. primo de Nuptijs & concupiscentia; Hinc Aristoteles probans unitatem primi principij. xij. Methaphy. ait, Entia nolunt male disponi, neque bona pluralitas principatuum, unus ergo princeps; in apibus etiam unus est princeps, & grues unam sequuntur ordine litterato, ait beatus Gregor. in cap. in apibus. vij. q j. secundo, quia inter species regiminis humanarum ciuilitatum nobilior, & præstantior est species regalis regiminis, in qua summa potestatis, & pincipatus auctoritas est, apud unum, ut. iij. Politicorum Aristo. docet tertio, quia huiusmodi regiminis dispositio magis assimilatur diuino regimini, in quo unus Deus toti mundo præsidet omnium gubernator & rector, Ecclesiastici primo, Vnus est altissimus creator omnium. Quarto quia in triumphante Ecclesia, à qua ecclesia militans exemplariter descendit, Apoc ultimo, Vnus supremus Hierarcha est cunctis ordinibus præsidens in quem omnis Hierarchia consumatur, ut diuinus ostendit, Dionysius. v. cap Ecclesiæ Hierarchiæ. Quinto, quia in lege ueteri quæ figura nouæ legis fuit unus summus sacerdos diuina dispositione fuit institutus, cui cæteri omnes parere deberent. Sexto quia uno toti Ecclesiæ præsidente nulli dubium quod unitas fidei, per quam Ecclesia maxime una dicitur melius conseruatur, de qua Apostol. prima ad Corint. primo, Idipsum dicatis omnes & non sint in uobis schismata; Qua institutionis diuinæ conuenientia unius supremi principis, & pastoris in tota Ecclesia iam illustrata, aperiamus consequenter quod huiusmodi unus, & uniuersalis princeps rector, & pastor in tota republica Christiana sit Romanus pont. partes singulas præsentis articuli diffiniti congruis declarationibus percurrentes. Quòd uero Apostolica Sedes, siue Romanus pontifex primatem habeat in uniuersum orbem, ut prima pars articuli dicit, licet ex multis sacræ scripturæ locis, secundum sanctorum Patrum, & Doctorum sententias, & expositiones manifestum haberi possit, breuitatis tamen gratia, ex solis duobus illud ostendamus; & primo quidem clarissimum est ex illo Math. xvj. Quod dominus specialiter loquitur Petro dicês, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. quia licet alij Apostoli etiam claues, acceperint, ex hoc tamen ꝙ Christus (a quo cum sit Dei sapien

August.

Aristo.

Gregor.

Aristo.

Diony.

tia nihil frustra dictum, aut factum putandum est.) ita præ cæteris Petro specialiter de clauibus loquitur apertissime datur intelligi, quod primatus, & principatus iudiciariæ potestatis super cæteras omnes Petro donatus fuerat. Quod testimonijs sanctorum Patrum, tam Grecorum, quàm Latinorum

Anacle. tractantium hunc locum Euangelicum apertum habemus. Sāctus enim Anacletus .iiij. a sancto Petro, & Gręcus natione in Decretis suis in cap. sacrosancta, distin. xxij ita dicit, Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ub Apostolis, sed ab ipso domino Saluatore primatum obtinuit; sicut beato Petro Apostolo dicit; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & reliqua, & infra; inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet omnes essent Apostoli Petro tamen concessum est à domino

Chrysost. ut reliquis omnibus præesset Apostolis. Item beatus Chrisost. natione Gręcus super Math. hunc locum exponens ita loquitur, Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam; hæc enim ei se promittit daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata soluere, & ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum & tentationum procel-

Thomas. las. Et iterum ut inducit sanctus Thom. in tractatu Græcorum, super Math. ita loquitur, Filius quæ patris est, & ipsius filij potestatem Petro ubiq; terrarum concessit, & homini mortali omnium quæ in cœlo sunt dedit auctoritatem dando ei claues ad hoc ut Ecclesiam ubiq; terrarum amplificet. Item

Cyrillus. sanctus Cyrillus Græcus in libro Thesaurorum exponens hāc auctoritatem ita loquitur, ut deducitur in glo. continua, secundum hanc autē domini promissionem, Ecclesie Apostolica Petri ab omni seductione. & hæretica circūuentione immaculata manet super omnes præpositos, & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum, & populorum in suis pontificibus, in fide plenissima & auctoritate Petri. Item in testimonium huius uniuersalis prima-

Anast. tus Anastasius Patriarcha Græcus scribens Felici Papæ, ut in cap. fuit. ix. q. tertia, ita dicit, fuit semper uestra Apostolicæ Sedis licentia iniustè damnatos, uel excommunicatos potestatiuè sua auctoritate restituere, & sua eis omnia reddere, & illos qui eos condemnauerunt, aut excōmunicauerunt Apostolico punire priuilegio, sicut etiam nostris, & antiquioribus nouimus factum temporibus. Testimonia sanctorum Patrum Latinorum, tam per glo. & expositiones canonis, & sermonis, quàm per decretum, & decretales dispersa plura sunt, de quibus pauca afferamus. Dicit enim beatissimus Clemens

Clemens papa. Papa in cap. in illis. lxxx. dist. ꝙ inter ipsos Apostolos non fuit par institutio,

August. sed unus præfuit omnibus. Item beatus August. in Epist. ad Glorium & Eleusium grammaticos dicit; ꝙ in Romana Ecclesia Apostolicæ cathedræ sem-

Leo pp̄. per uiguit principatus. Item sanctissimus Leo Papa in sermone tertio ordinationis suæ; de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & uniuersarum gentium uocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ patribus præponatur, & infra; propter quod dicitur beato Petro, Tibi dabo claues &c. Transiuit quidem in alios Apostolos uis potestatis istius, & ad omnes Ecclesię principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimatur, Petro .n. ideo hoc singulariter creditur, quia

Iulius pp̄. cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Item Iulius Papa, ut in cap. nolite errare, dist. xj. dicit, quod in apostolica Sede dominus totius Ec-

Gregor. clesiæ principatum posuit. Item beatus Gregor. Ioanni Subdiacono scribēs in cap. quanto, dist. lxiij. inquit, Apostolica Sedes auctoritate cunctis præla-

ta

ta constat ecclesijs. Item multa alia ad hoc pertranseo testimonia, sicut Origenis, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Bedæ, & Rabani, & multorum summorum pontificum. Præterea secundo primatus, & principatus Romani pontificis ostenditur apertissimè ex illo, Ioan. ultimo, ubi Christus inquit Petro; Pasce oues meas, idest loco mei, ut exposuit Chrysost. Præpositus esto, & caput fratrum tuorum; super quo uerbo Theophil. ut habetur in glo. continua inquit, finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendauit, & Chrysost. super Actus Apostolorum dicit; Petrus à filio super omnes qui filij sunt potestatem accepit; non ut Moyses in gente una, sed in uniuerso orbe dicente domino ipsi Petro, Pasce oues meas, Inter oues istas, & illas nō distinguens, sed uniuersas oues eius curæ commendauit. Præterea fœlicis recordationis Papa Adrianus in epistola transmissa Athanasio Patriarchæ Constantinopolitano inquit, inter cætera, sedes beati Petri in omnem terrarum orbem primatum tenēs refulget, & caput omnium Ecclesiarum Christi consistit. Præterea quod in uniuersum orbem beatus Petrus habuerit principatum uniuersa Ecclesia profitetur, quæ in eius solemnitate sibi à Christo dictum illud commemorat; Simon Petre antequàm de naui uocarem te noui te, & super plebem meam constitui te. Hinc est quod Constantinus Imperator fide Christi illuminatus hanc de Apostolicæ Sedis, & Romani pontificis principatu diuinam dispositionem intelligens, & deuotè amplectens per modum executionis diuinæ instituit quarto die sui baptismatis, ut in toto orbe Romanum pontificem cæteri pontifices, & sacerdotes ita caput habeant, sicut iudices reges, & ꝙ principatum teneat, tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam quàm super omnes in uniuerso orbe terrarum Dei Ecclesias, decernens ut pontifex qui pro tempore ipsius Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior, & princeps cunctis sacerdotibus, & totius mundi existat, & eius iudicio, quæ ad cultum Dei, uel fidem christianorum, uel ad stabilitatem procuranda fuerint disponantur in cap. Constantinus, dist. xcv. Quòd autem Romanus pontifex successor sit beati Petri principis Apostolorum in eadem plenitudine auctoritatis, & amplitudine principatus, ut secunda pars articuli præfatæ diffinitionis dicit, patet, quia cum potestas huiusmodi data fuit Petro à Christo ad edificationem Ecclesiæ, tam diu oportet hanc potestatem perpetuari, quàm diu necesse est Ecclesiam ædificari; Hoc autem necesse fuit post mortem Petri, usque ad finem seculi. Sic ergo data est potestas Petro, ut in alios post eum, qui in eius cathedra sederent diffunderetur, & deriuaretur. Ait enim dominus Math. ult. Ego autem uobiscum sum usque ad consumationem seculi. Quare beatus Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha ex persona Christi Petro loquens dicit, Tu cum fine, ego sine fine cum omnibus quos tuo loco ponam plenè & perfectè sacro & auctoritate cum eis ero, sicut & sum tecum; & beatus Cyrillus Alexandrinus in libro Thesaurorum, sicut Christus accepit à patre, ut dux, sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediēs super omnem principatum & potestatem, & super omne quodcunque, ut ei genua cuncta curuentur plenissimam potestatem, sic & Petro & eius successoribus plenissime commisit. & infra; Nulli alij quàm Petro, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; & infra, pedes Christi humanitas est ipse homo, cui tota trinitas dedit plenissimam potestatem, quam unus cum assumpsit & in unitatem personæ transuexit. ad patrem super omnem principatum, & potestatū, ut ado-

Chrysost. Idem. Adria. pp. Cyrillus. Cyrillus Alexādrinus.

rent eum omnes angeli Dei, quod totum dimisit per sacramẽtum & potestatem Petro, & Ecclesiæ eius. Item Innocentius Quartus ut in cap. ad apostolicum de sent & re iudi. cum Iesu Christi uices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisq; in beati Petri persona sit dictum quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis &c. Præterea quod Romanus pontifex uerus sit Christi Vicarius Christi uices agens in terris, quemadmodum tertia pars articuli diffinitionis habet manifeste apparet ex illo Io. ult. Pasce oues
Chrysost. meas, idest loco mei, ut exposuit Chrysost. Præpositus esto & caput fratrum tuorum, ut ipsi loco mei te assumentes, ubiq; terrarum te in throno tuo se-
Cyrillus. dentem prædicent, & confirment; & beatus Cyrillus Alexan. dicit in libro Thesaurorum; quod Apostoli & Euangelistæ in Euangelijs, & Epistolis affirmarunt in omni doctrina Petrum esse loco domini, & eius Ecclesiã ei dantes locum in omni capitulo, & synagoga, in omni electione & confirmatione; licet enim omnes Episcopi Christi dicantur Vicarij, secundum illud secunda ad corinth. v. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, & prima Corinth. iiij. sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei; hoc enim dicebat Apostolus de Apostolis, & per consequens de eorum successoribus qui sunt Episcopi, ut
Anacle. in cap. in nouo, dist. xxj. dicit sanctus Anacletus; unus tamen inter eos principalis Vicarius, & supremus est constitutus pro seruanda ecclesiæ unitate, uidelicet, Romanus pontifex. unde glo. super id Math xvj. Tu es Petrus & super hanc petram &c. dicit specialiter potestatem ligandi & soluendi Petro Christus concessit, ut ad unitatem nos inuitaret; ideo eum enim principem Apostolorum constituit, ut Ecclesia unum principalem Christi haberet Vicarium; ad quem diuersa membra Ecclesiæ recurrerent si forte inter se dissentirent, quod si diuersa capita essent in Ecclesia unitatis uincula rumperentur. Amplius quòd Romanus pontifex totius Ecclesiæ caput sit, ut quarta pars articuli diffinitionis dicit, clarissimum redditur tum ex iam dictis, tum ex illo Ioan. primo, quòd Christus ait Petro; tu uocaberis Cephas. Cephas enim & si secundum unam linguam, Petrus interpretatur, secundũ Græcam
κεφαλή tamen uidetur interpretari caput. Cephali en in dicitur Græce, caput Lati-
Isido. ne, dicit beatus Isidorus, & hoc modo exponunt doctores Græci; unde bea-
Anacle. tus Anacletus natione Græcus, ut in ca sacrosancta, dist xxij dicit, inter Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet omnes essent Apostoli Petro tantum concessum est à domino, ut reliquis omnibus precesset Apostolis, & Cephas, idest caput & principium teneret Apostolatus; Ad idem est bea-
Chrysost. tus Chrysost. qui exponens illud Io. ultimo, pasce oues meas ita dicit; præteriens alios Christus Petro loquitur, Eximius enim Apostolorum erat Pe-
Dionysi. trus os discipulorum & uertex collegij; & beatus Dionysius in quinto cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ beatissimorum Petrum uerticalem nominat disci-
Cyrillus. pulorum. Quo circa beatus Cyrillus Alexandrinus Patriarcha ita hortatur, ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorũ pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere; & tenere debemus ipsum uenerantes, ipsum rogantes, quoniam ipsius solius est reprehendere, & corrigere, statuere, disponere, soluere, & ligare loco ipsius qui ipsum ędificauit, cui omnes iure diuino caput inclinant & primates mundi, tanquam ipsi domino Iesu Christo obediunt. Sanctorum patrum Latinorum quasi innumera sunt huius ueritatis testimonia, de quibus solum duorum sanctorum antiquorum

quorum pontificum & martyrum testimonia sufficiant, quæ eo quod eadem cum beato Cyrillo exhortationem religiosam obedientiæ, & reuerentiæ apostolicæ prosequuntur magis præsenti loco fauere uidentur. Primo quidem beatus Calistus papa, & martyr omnibus Episcopis scribens, ita loquitur; Non decet à capite membra discedere, sed iuxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur: Nulli uero dubium est quod Apostolica Ecclesia mater omnium ecclesiarum sit, à cuius nos regulis nullatenus conuenit deuiare; & sicut filius uenit facere uoluntatem patris, sic & uos uoluntatem implete uestræ matris, quæ est Ecclesia, cuius caput, ut dictum est, Romana existit Ecclesia, in cap. non decet dist. xij. Secundo ad idem est beatus Marcellus papa, & martyr, qui uniuersis Episcopis per Antiochiam constitutis scribens ita dicit; Rogamus uos, fratres dilectissimi, non aliud doceatis, neque sentiatis, quam quod à beato Apostolo Petro, & reliquis Apostolis, & patribus accepistis; Ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui dominus ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, in cap. rogamus. xxiiij. q. j. item huius fidei professor Iustinianus Imperator in Epistola, inter claras quæ habetur, capitu. de summa trinita. & fide cathol. Romano pontifici ita scribens; Nec enim patimur quicquid ad ecclesiarum statum pertinet qua uis manifestum, & indubitatum sit, ut non etiam uestræ innotescat sanctitati, quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum; Cæterum quòd Romanus pontifex sit omnium christianorum pater, sicut quinta pars articuli diffinitionis dicit, manifestum est ex ipsa nominis interpretatione; Dicitur enim Papa quasi pater patrum; sicut Patriarcha summus patrum interpretatur, cap. cleros, distinct. xxj. ut possit dici omnibus fidelibus ex persona Christi de Simone Petro primo Romano pontifice, quòd Mathatias appropinquante tempore mortis dicit filijs suis de Simone filio suo; Ecce Simon frater uester, scio quod uir consilij est ipsum audite semper, & ipse uobis erit pater; quare beatus Marcellus scribens Episcopis Antiochenis dicit; Non oportet uos proprium relinquere patrem, & alios sequi, ipse est enim caput totius Ecclesiæ. Et patres in Chalcedonensi synodo circa finé quintæ actionis inquiunt hoc tenemus, & credimus, quod patris omnium Leonis confessio habet Vbi considerandum est quod Romanus pontifex potest dici pater omnium Ecclesiæ pontificum quadrupliciter, ætate, honore, genitura, & cura. Ætate quidem quodammodo, quia apostolica Sedes prima est inter omnes, quæ primo apud Antiochiam fuit, & postea iubente domino Romam translata, ut in cap. rogamus. xxiiij. quæst. prima, inquit sanctus Marcellus papa. Secundo est pater honore, beatus enim Petrus fuit primus Apostolorum honore, & dignitate, & ita Romana Ecclesia suo nomine consecrata domino instituente prima est, & caput cæterarũ ait Iulius papa scribens Orientalibus Episcopis in cap. di dum. iij. q. vj. & beatus Anacletus natione Græcus in cap. sacrosancta, distinct. xxij. prima sedes, inquit, cœlesti beneficio est Romana Ecclesia, quam Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Tertio est pater genitura, primo quia primus fidei qua quisque Christiano nomine censetur fundamenta posuerit; unde dominus Petro ait, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam &c. super quo uerbo beatus Ambrosius, ut in cap. fidelior. distinct. ... dicit, petra dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Ecclesiæ compagem, molemq; contineat, secundo quia, ut

Calistus. Iustinian. Marcel. Iulius. Anacle. Ambro.

Anacle. ait beatus Anacletus in capit. in nouo, distinct. xxj. In nouo Testamento est Christum dominum à Petro sacerdotalis incepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est dicēte domino ad eum, Tu es Petrus & super hanc petram &c. tertio quia omnes Sedes alias Patriarchales, siue Metropolitanas & cæteras cuiuscunq; ordinis Ecclesias, Ecclesia Romana instituit, & fundauit, ut in cap. omnes, distinct. xxij. textus clarissimus est. Item Vigilius papa Enthero Episcopo scribens ita dicit; Nulli uel tenuiter scienti, uel pleniter sapienti dubium est, quòd Ecclesia Romana fundamētum & forma sit ecclesiarum à qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat. quarto quia à Romano pontifice, siue ab apostolica Sede iurisdictionis auctoritas in omne corpus Ecclesiæ diffunditur, ut ait sanctissimus Leo papa in cap. dominus, distinct. xix. & quia patri debetur honor, & reuerentia, iuxta illud Malachiæ primo; si ergo pater ego sum ubi est honor meus? Dicebat deuotissimus Imperator Carolus, in memoriam beati Petri honoramus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quę nobis & mater sacerdotalis dignitatis esse debeat, Ecclesiasticæ magistra rationis, in cap. in memoriam, distinct. xix. Quarto modo Romanus pontifex dicitur pater omuium christianorum cura, Vnde Ioan. ultimo dictum est Petro, Pasce oues meas, glo. Chrysosto. Vniuersas oues suas Christus eius curæ commendat. Item Leo papa in Epistola quam scribit Anastasio Episcopo Tessalonicensi dicit, Sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis, ita & ego iam dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, uices mei moderaminis delegaui, ut curam quam uniuersis ecclesijs principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis effectus adiuuares; & Gregorius ad Imperatorem Mauritium scribens, ita dicit; cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd uoce dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro Apostolo totius ecclesiæ cura commissa est, ipsi quidem dicitur, Petre amas me pasce oues meas. Hinc Iustinianus Imperator. ubi supra scribens beatissimo papæ Ioanni Secundo summo pontifici dicit sic; in principio reddentes honorem apostolicæ Sedi, & uestrę sanctitati quod semper nobis fuit in uoto, & est &, ut decet patres, honorantes uestram beatitudinem omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam uestræ sanctitatis deferre. Præterea quod Romanus pontifex Doctor, & magister omnium christianorum existat, ut sexta pars articuli diffinitionis dicit manifestum est ex illo Ioan. ultimo, Pasce oues meas; pascere autem, ut ait Alchunius in glo. est credentes in Christo ne à fide deficiant confortare quod pabulo scientiæ & doctrinæ adimpleri dignoscitur, secundum illud Hierem. tertio, Dabo uobis pastores iuxta cor meum qui pascant uos scientia & doctrina; quare beatus Chrysostomus super Ioan. dicit Christus Iacobum localiter terminat, Petrum autem totius orbis ordinat magistrū & doctorem; unde in epistola Agatonis synodica recitata in. vj Cōcilio dicitur, quod pręcepto domini habet Romanus pontifex imbuere, & instruere populum christianum: & beatus Athanasius in epistola synodica quam scripsit beatissimo Felici papæ ita inter cætera dicit. Tu prophanarum heresum atque omnium impetitorum depositor ut princeps, & Doctor, & caput omnis Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis. Quare beatus Maximus in epistola Orientalibus directa, ita loquitur, Omnes fines orbis qui Deum sincere receperunt, & ubiq; terrarum catholici ueram fidem confitentes in ecclesia

Margin notes: Vigil. pp. — Leo pp. — Chrysost. — Leo pp. — Gregor. — Alchun. — Chrysost. — Agatonis — Athanasi.

Roma-

Romanorum pontificum tanquàm in Solem respiciunt, & ex ipso lumine catholicæ & apostolicæ fidei recipiunt ueritatem; Nec immeritò, nam Petrus legitur primo perfectam fidem esse confessus domino reuelante Mathæ.xvj. Tu es Christus filius Dei uiui, unde & dicit ei dominus; Rogaui pro te ut nó deficiat fides tua, hæc ille. Hinc apostolica Sedes mater & magistra fidei à sanctis patribus est appellata, ut in cap. omnes, distinct. xxij. ad quam omnes maiores & difficiliores causæ iubentur referri, ut in cap. præceptis, distinct. xij. & in cap. non licuit, distinct. xvij. beatus Gregorius papa dicit; & in cap. multis beatus Pelagius. & in cap. quotiens, papa Innocen. xxiiij. q j. & hoc rationabiliter quoniam soli Petro dictum est; duc in altum, glo. Ambrosij, & habetur in cap. non turbatur. xxiiij quæst. prima, idest in profundum disputationum. ET IPSI IN BEATO PETRO. Hic ponitur ultima pars articuli de primatu, & auctoritate Romani pontificis, in qua dicitur quod Romano pontifici in beato Petro sit à Christo data plena potestas pascendi. regendi, & gubernandi uniuersalem ecclesiam. Quæ pars luce clarius splédet, ex superioribus, tam ex Math xvj. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo &c. quàm ex Ioan. ultimo; pasce oues meas; in quibus uerbis, iuxta supra assignatas maxime Græcorum patrum sententias in secũda parte huius articuli data est Petro, & successoribus eius à Christo potestas plena pascendi, regendi, & gubernandi uniuersalem ecclesiam, ut solus Romanus pontifex uocatus sit in plenitudinem potestatis. Alij uero in partem sollicitudinis, ut in cap. decreto. ij. q. vj. & hoc quia aliorum potestas certis arctatur limitibus, potestas uero Romani pontificis extenditur & in ipsos qui super alios potestatem acceperint, ut deuotus ait Bernar. Vnde Leo papa in epistola, quam Anastasio episcopo Thessalonicẽ. scribit ita dicit; uices enim nostras ita tuæ credimus charitati, ut in partem sis uocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. IPSI IN BEATO PETRO, qui in hac parte figura erat omnium successorum suorum, Petrus enim non solum sibi soli ecclesiæ primatum & iudiciariæ potestatis principatum accepit, sed etiam omnibus suis successoribus, quorum repræsentabat personam. Hinc beatus Augustinus supra Ioan. & habetur in cap. quodcunq;. xxiiij. quæst. prima dicit, quod Petrus cum claues accepit ecclesiam sanctam significauit PASCENDI Ioan. ultimo; pasce oues meas. REGENDI pertinet autem ad pastorem regere plebem sibi commissam Actuum xx Attédite uobis, & uniuerso gregi in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. De amplitudine uero, & uniuersalitate potestatis regendi, quam habet Romanus pontifex respectu uniuersalis ecclesiæ. Sanctus Anacletus in epistola tertia decretali, quam omnibus episcopis scripsit ita loquitur, ut in cap. sacrosancta, dist nct. xxij. Sicut cardine ostium regitur sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ domino disponente reguntur; & beatissimus Leo papa in Sermone quodam ordinationis suæ ita loquitur, de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & uniuersarum gentium uocationi, & omnibus Apostoli, cunctisq; ecclesiæ patribus præponatur, ut quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint multiq; pastores, omnes tamen propriè regat Petrus quos principaliter regit & Christus. GVBERNANDI gubernare actus est prepositi, siue principis, secundum illud quod de Ioseph dicitur Gen. xxxix. prepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum; & de beato Petro Apo-

Gregor.

Innocen.

Bernar.

Leo pp̃.

August.

Anacle.

Leo pp̃.

ſtolorum principe beatus Leo papa, in ſermone quodam ordinationis ſuæ, inquit quod in aſſecuta fortitudine perſeuerans ſuſcepta Eccleſię gubernacula non reliquit, A DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO, non ab
Anacle. Apoſtolis, nam ut ait ſanctus Anacletus in Epiſtola ſua ſuperius commemorata, & habetur in cap. ſacroſancta, diſtinct. xxij. ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo domino Saluatore primatum obtinuit, ſicut beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus &c. A DOMINO IESV CHRISTO non à Concilijs uniuerſalibus, quia ut ait ſanctæ recordationis Papa Pelagius in cap. quamuis diſtinct. xxj. Sancta Romana Eccleſia catholica, & Apoſtolica nullis ſynodicis conſtitutis cæteris eccleſijs prælata eſt, ſed Euangelica uoce domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit; Tu es inquiens Petrus & ſuper hanc petram &c. A DOMINO IESV CHRISTO non à Cæſare, aut ab aliqua alia terrena poteſtate, quia, ut ait ſanctæ memoriæ Nicolaus papa ut in cap omnis, diſtinct. xxij. illam ſolus ipſe fundauit, & non ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit. Non ergo quælibet terrena ſubſtantia, ſed illud uerbum quo cõſtructum eſt cœlum, & terra, per quod denique cuncta condita ſunt elementa Romanam fundauit Eccleſiam; Hæc autem ueritas etiam manifeſta ratione ſic declaratur. Prima poteſtas in uno quoque ordine poteſtatis, quæ præſupponitur ab alijs poteſtatibus inferioribus illius ordinis, neceſſe eſt ut dependeat immediate ab auctore illius ordinis, patet de ſe, ſed poteſtas papalis eſt prima in ordine eccleſiaſtico inter oẽs partes poteſtatiuas illius, ut enim ait ſan-
Anacle. ctus Anacletus in cap. in nouo, diſtinct. xxj. in nouo Teſtamento poſt Chriſtum dominum à Petro ſacerdotalis cępit ordo & ipſi primo pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt. Præſupponitur etiam papalis poteſtas ab alijs cũ ad illas ſe habet, ſicut caput ad membra, ut in cap. ita dominus, diſtinct. xix. & ſicut fons ad riuulos, & radix ad ramos, ut in cap. loquitur dominus. xxiiij. quæſt. prima, ergo neceſſario dicẽdum eſt, quòd papalis poteſtas a ſolo Chriſto auctore primo eccleſiaſtici ordinis deriuetur. PLENAM ſecundum omnem differentiam loci, temporis, & conditionis perſonarum Mathæ. xvj. Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis &c. QVEMADMODVM ETIAM IN GESTIS OECVMENICORVM CONCILIORVM ET IN SACRIS CANONIBVS CONTINETVR. Hic ponitur confirmatio præfati articuli teſtimonio ſumpto, tam ex geſtis Oecumenicorum Conciliorum, quàm ex ſacrorum Canonum auctoritate, Colligitur quidem in primis primatus Romani pontificis ſuper uniuerſam eccleſiam ex geſtis uniuerſalis & Oecumenici Concilij Niceni, in ea parte, in qua ſancta ſynodus Decreta ſua a Romano pontifice humiliter ſupplicat roborari, & confirmari; unde patres præfatæ ſynodi ita beatiſſimo Silueſtro Romano, tunc pontifici ſcribunt. Beatiſſimo papæ urbis Romæ cum omni reuerentia colẽndo Silueſtro. Oſius Epiſcopus prouinciæ Hiſpaniæ, ciuitatis Cordubeñ. & cæteri coepiſcopi ccc.xviij. in domino ſalutem. Nunc omnia, ad ueſtræ ſedis augumentum accurrimus roborari, & infra; quicquid autem conſtituimus in Niceno Concilio præcamur ueſtri oris cõſortio confirmetur. Item ſecundo præfata Romani pontificis ſuperioritas colligitur ex geſtis tertiæ ſynodi, uidelicet, epheſinæ primæ in ea parte in qua tota ſynodus Neſtorio ſynodalia Decreta tranſmittens ita ſcribit. Ecce itaque te

ſimul

simul cum sancta synodo quæ apud amplam urbem Romam congregata est præsidente sanctissimo & uenerandissimo patre & consacerdote nostro Cæ-lestino Episcopo his scriptis synodicis te iam tertio conuenimus consilium dantes, ut à tam prauis abstineas dogmatibus quæ & sentire cognosceris, & docere. Recipias uero fidem rectam ecclesijs per beatissimos Apostolos & Euangelistas ab initio traditam qui & oculis inspexerunt, & ministri uerbi fuisse monstrantur. Quod si hæc religio tua facere distulerit iuxta dilationem litteris prædiffinitam sanctissimi & uenerandissimi consacerdotis nostri Romanæ præsulis Ecclesiæ Celestini suas te nullam sortem habere nobiscum nec locum aut conuiuium, uel colloquium cum Dei sacerdotibus & Episcopis obtinere hæc ibi. Planè nisi Romanus pontifex auctoritatis principatum haberet super omnes Ecclesiæ pontifices nullam beatus Celestinus præsul Romanus condemnandi Nestorium Constantinopolitanũ episcopum habuisset auctoritatem nec illius prædiffinitam termini peremptorij dilationem sancta synodus tam reuerenter obseruasset. Item tertio præfata superioritas pontificatus Romani præsulis colligitur ex gestis Chalcedonensis synodi tum primo in ea parte, in qua tota synodus legitur acclamasse beato Leoni papæ. Sanctissimus Leo Oecumenicus Patriarcha per multos annos uiuat; tum secundo in ea parte in qua eadem synodus Decreta sua per præfatum Romanum pontificem humiliter postulat cõfirmari. Vnde patres præfatæ synodi beatissimo Leoni Romano pontifici ita scribunt. Nouimus, quia quicquid rectitudinis à filijs fit ad patres recurrit facientes hoc quasi proprium sibi rogamus igitur & tuis nostrum Decretis honora iudicium, & sicut nos cupitam in bonis adiecimus cõsonantiam sic, & summitas filijs quod decet adimpleat; & infra, ut autem cognoscatis, qu a nihil cuilibet donando gratiam fecimus, aut per inimicitias aduersando, sed nutu gubernante diuino omnem uobis gestorum uim insinuamus ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum quæ à nobis gesta sunt firmitatem, & consonantiam. tum tertio superioritas primatus Romani põtificis colligitur ex gestis Chalcedonensis synodi in ea parte in qua damnationis sententia in Dioscorum per Paschasium Episcopum Lilibetanum & socios eius beatissimi Leonis papæ Legatos ad petitionem synodi legitur promulgata, & ea potissime ratione, quia in secunda synodo Ephesina aduersus Apostolicam Sedem latrare & aduersus Romanum pontificem Leonem dictare præsumpserat excommunicationis sententiam. Item in ea parte in qua synodus ordinationem factam à papa Leone de maximo in Episcopum Antiochensem deuote acceptauit. Item quarto primatus Romani pontificis colligitur ex gesto sextæ synodi uniuersalis in ea parte, in qua sancti patres eiusdem synodi, cum multa ueneratione recepisse leguntur Epistolas suggestionum Agathonis papæ quas ad Constantinum Imperatorem misit aduersus Monothelitas asserentes unam operatiouem, & unam uoluntatem in Christo. In quibus quidem epistolis plurima continentur de primatu Apostolicæ Sedis, & Romani põtificis principatu. Ait enim beatissimus Agathon in prima sua suggestione inter cætera de beato Petro sic ad propositum. Beatus Petrus spirituales oues ecclesiæ ab ipso redemptore omnium trina commendatione pascẽdas suscepit cuius annitente præsidio hęc Apostolica eius ecclesia nunquàm à uia ueritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Cuius auctoritate ut pote Apostolorũ omnium principis semper omnis catholica Ecclesia & uniuersales synodi fi-

deliter amplectētes in cunctis secutæ sunt, omnesq; uenerabiles patres Apostolicam eius doctrinam amplexi per quā & probatissima Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi uenerati atq; secuti sunt. Item quinto idem ex gestis septimæ synodi colligitur in ea parte, primo in qua tota synodus magna cum reuerentia epistolas legitur recepisse Nicolai papæ & eius successoris sancti Adriani in quibus apertissimè asseritur Apostolicam Sedem primatum habere in omnem orbem terrarum, & caput & magistram esse cæterarum ecclesiarum. Secundo in ea parte, in qua tota synodus ob seruatrix & cultrix obedientiæ, & reuerentiæ Apostolicæ Sedis Photium & Gregorium Syracusanum schismaticos condemnauit qui aduersus Apostolicæ Sedis principatum fallaciose conspirauerunt. IN SACRIS CANONIBVS CONTINETVR. Quòd autem sacri Canones contineant, & doceant Apostolicam Sedem & Romanum pontificem primatum, & principatum habere in uniuersum orbem testantur multi sancti patres. Sanctus
Iulius pp. enim Iulius papa à sancto Siluestro Secundus in cap. dudum. iij. q. vj. ita dicit, dudum à sanctis Apostolis successoribusq; eorum in antiquis Decretum est statutis, quę hactenus sancta & uniuersalis Apostolica tenet ecclesia nō oportere præter sententiam Romani pōtificis concilia celebrari, uel Episcopum condemnari quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem omnium ecclesiarum esse uoluerunt. Item Paschasius episcopus Vicarius Apostolicę Sedis & præsidens uice beatissimi Leonis papę in Concilio Chalcedonensi circa actionem decimamsextam dicit sic. Trecētorum decem & octo sanctorum patrum Canon sextus est quòd ecclesia Romana semper habuit primatum. Præterea idem testatur fœlicis recordationis Ioannes papa Secundus scribens Iustiniano Imperatori ut habetur cap. de summa trin. & fide catho. ita dicens Romanæ Sedi reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis unitatem ad cuius actorem hoc est Apostolorum primum domino loquente pręceptum est, Pasce oues meas quam esse omnium uere ecclesiarum caput & patrum regulæ & principium statuta declarant, & pietatis uestræ reuerendissimi affatus testantur. Item ad idem sanctus papa Gelasius scribens ad Anastasium Imperatorem ita dicit, Quòd uero Apostoli Petri Sedes cunctis seculi christianis, & ecclesiæ prælata sit uniuersæ & Canonum serie paternorum & multiplici traditione firmatur. Cæterum sanctus papa Pelagius in cap. ipsi sunt idem testatur dicens ipsi sunt Canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huiusmodi sedis examen uoluerūt deferre ab ipsa uero nunquàm prorsus appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius unquàm præceperunt iudicio iudicari sententiamq; eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda Decreta mandauerit Non est autem dubium hæc omnia clarissimum testimonium proferre primatus Apostolicę Sedis. Sed possit aliquis rationabiliter quærere, cū Græci de pluribus alijs articulis à Latinis doctoribus uidebantur accusati, quàm de istis octo in præsenti Decreto à sanctissimo domino nostro expressis. Cur non fuerit facta mentio de alijs articulis, in præfato Decreto, maxime cum omniū fidelium una sit fides, ut inquit Apostolus ad Ephe. quarto Respondetur primo, quia in istis octo articulis uidebatur esse principalis differentia inter Græcos & Latinos, plures autem aliorum non erant ita toti ecclesiæ Orientali communes. Secundo, quia multi aliorum articulorum qui Græcis ascribebantur

tur corollarie pendebant ex istis, qui consequenter sublati intelliguntur concordia habita in principalibus. Tum tertio, quia de multis aliqui Græcorum accusabantur superioribus temporibus, à quibus qui apud nos præsentes fuerunt, tam dictis, quam operibus immunes, & innocentes se manifestissime demonstrarunt, quare non fuit necesse de alijs mentionem facere.

Renouantes insuper ordinem traditum à Canonibus cæterorum uenerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus Secundus sit post sanctißimum Romanum Pontificem, *Tertius uerò* Alexandrinus, *Quartus autem Antiochenus, & Quintus* Hierosolmitanus *saluis, uidelicet, priuilegijs omnibus & iuribus eorum.*

POst diffinitionem primatus Romani pontificis consequenter hic ponitur ordo, quem cæteri principales Patriarchæ obseruare debent inter se, & diuiditur in duas partes; primo enim firmatur ordo Sedium cæterarum Patriarchalium; alias à patribus institutus, uidelicet, quod Constantinopolitanus Patriarcha sit secundus post Romanum pontificem: tertius uero &c. Secundo firmantur iura, & priuilegia prædictorum Patriarcharum, secunda ibi, SALVIS. TRADITVM A CANONIBVS, uidelicet, primo synodi uniuersalis Constantinopolitanæ primæ in qua, ut in cap. Constantinopolitanæ, dist. xxij. sic habetur Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propterea quòd sit noua Roma. Item secundo traditus est hic ordo in synodo Chalcedonensi, ubi circa actionem. xvj. sic habetur diffinitionem sanctorum patrum sequentes, ubiq; & regulam, quæ nunc lecta est, cêtum quinquaginta Deo amicissimorum episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore Theodosio in Regia ciuitate Constantinopoli Roma cognoscentes, & nos eadem diffinimus de priuilegijs eiusdem sanctissime Constantinopolitanæ ecclesiæ nouæ Romæ &c. item tertio idem haberi dicitur ex sexta synodo, in qua ut in cap. renouantes. xxij. distinct. inducit Gratianus, quanquam nos nihil tale in aliqua parte præfatæ synodi reperire potuerimus. Item quarto idem ordo habetur ex Canone Concilij generalis Lateranensis, quod Innocen. Tertio, cum multitudine maxima prælatorum Græcorum, & Latinorum Romæ celebrauit; in quo ut in cap. antiqua, extra de priuilegijs sic habetur antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouâtes sancta uniuersali synodo approbante sancimus, ut post Romanam ecclesiam, quæ disponête domino super omnes, alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater uniuersorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, & Hierosolimitana quartum locum obtineat, seruata cuilibet propria dignitate. Sed surgit hic satis rationabilis quæstio, cur totiens à patribus ordo iste Patriarcharum fuerit renouatus: Respondetur, quòd propter côtradictionê, quam habuit in principio suæ institutionis ab Apostolica Sede: Cum enim ab antiquo Ecclesia Alexandrina secundum locum teneret, ut testatur sanctus Anacletus in epistola sua decretali, ut in cap. sacrosancta, distinct. xxij. & hec ipsum sancti patres in Concilio Niceno decreuissent semper obseruandum, ut Anacle.

in cap.mos,distinct xlv. sancti patres Romani pontifices grauiter ferentes, quod ecclesia Alexandrina contra Nicenos Canones sua denudaretur prærogatiua nunquam uoluerunt assentire,nec robur adducere confirmationis prædicto Canoni. Sicut Damasus papa cuius tempore secunda synodus celebrata est,in qua primo Canon ille est introductus. Præterea Leo papa sub quo celebrata est quarta synodus, in qua primo Canon præfatus est renouatus multipliciter contradixit,sicut epistolæ eius aperte testantur, quas scribit, tam ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum,cuius suggestione renouatio prædicta fuerat attemptata,quàm ad patres eiusdem Chalcedonensis synodi. Cumq; patres ecclesiæ Orientalis optimè scirent Canones Conciliorum nullum robur posse firmitatis habere sine assensu & confirmatione Apostolicæ Sedis studuerunt per multas synodos prædictum Canonem renouare quousque ab Apostolica Sede Imperatoris precibus cõfirmationem obtinuerunt. Et ut uidetur papa Vigilius sub quo celebrata est quinta synodus confirmauit hunc ordinem secundum,ut etiam haberi potest ex auctentic. tit. de ecclesiasticis titulis collat. nona,ubi Iustinianus Imperator postquam professus est quatuor synodorum uniuersalium dogmata, sicut Sacras scripturas suscipere,& earũ regulas, sicut diuinas leges obseruare ita dicit: ideoq; sancimus secundum earum diffinitiones sanctissimum senioris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum,beatissimum autem Episcopũ Constantinopolis,nouæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem.& infra,loquendo de prouincijs, subiectis iurisdictioni illius ita dicit: & in subiectis sibi prouincijs obtinere eum locum Sedis Apostolicæ & Romæ,secundum ea quæ diffinita sunt à sanctissimo papa Vigilio, SECVNDVS, & ita posterior,scilicet potestatis,& dignitatis ordine.Ordo enim ut Priscianus ait; pars potestatis est; unde quę gradum differentem habent in ordine,habent etiam differentem gradum in potestate. hinc clarissima luce colligitur,quàm aperte errent, qui Constantinopolitanum Patriarcham equalis potestatis dignitatis, & honoris interpraetantur, cum Romano pontifice.Quis enim nisi mente alienus dubitat, quòd Romanus pontifex,qui caput & Pastor uniuersalis ecclesiæ est cæteros omnes ecclesiæ pontifices potestate,& auctoritate excedit? unde beatus Gregor. Io. Episcopo Siracusano scribens,& habetur in cap.de Constantinopolitana, distinct.xxij. Non est dubium ecclesiam Constantinopolitanam Apostolicę Sedi esse subiectam,quod etiam Imperator Iustinianus in auctentica loco superius annotato apertissime innuit. Ex quibus per consequens luce clarius,patet,quam aperte ueniat contra professionem fidei catholicę,quoniam iuxta institutionem Christi & ueterum Canonum reuerẽtiam in hac synodo Græci & Latini professi sunt, quòd Constantinus Episcopus se uniuersalem, ac Oecumenicum,aut orbicularem se nominet Patriarcham: repugnat plane huic appellationi,& ratio ipsa,& ecclesiæ unitas, & dispositio Euangelij, & communis omnium catholicorum fides,ut quilibet etiam parum doctus intelligit, aduersus quam intolerabilem superbæ appellationis temeritatem sanctæ memoriæ Pelagij,& sancti Gregorij multæ preclaræ, & acerrimæ extant epistolæ,de quibus in cap.nullus,& cap.ecce,distin.xcix. SALVIS VIDELICET PRIVILEGIIS OMNIBVS &c. Priuilegia enim ecclesiarum,& monasteriorum,sanctorum patrum auctoritate instituta nulla debẽt improbitate conuelli,nulla nouitate mutari, Ait beatus Anacletus in ca. pri

Gregor.

uilegia,

uilegia.xxv.quæst ij. Sunt autē quatuor priuilegia Patriarcharum. Primum est,quod postquàm recipiunt pallium à Sede Apostolica conferunt pallium Metropolitanis,qui sub eis sunt. Secundum est,quod recipiunt fidelitatis & obedientię iuramentum pro se,& Romana ecclesia. Tertium est,quod faciūt ante se ubiq; deferre crucem nisi ubi papa fuerit,aut eius Legatus utens insignibus papalibus,& nisi in urbe Romana. Quartum est,quia appellatur ad ipsos omissis medijs. Hæc omnia habentur,extra de priuilegijs in cap. antiqua in tex & glo.præcipue Innocentij IVRIBVS EORVM. Ita.n,Apostolica Sedes proprium uigorem retineat,ut à se concessa alijs iura non minuat,inquit beatus Gregorius in cap.quanto,dist.lxiij.& in cap. de ecclesiasticis. lv. q. ii. Sicut nostra iura defendimus ita singulis quibuscunque ecclesijs sua iura seruamus.

Datum Florentiæ in sessione publica synodali solenniter in Ecclesia maiori, celebrata Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Trigesimo nono Pridie nonas Iulij, Pont. nostri Anno nono.


FLORENTIAE. Nota conuenientiam nominis loci,in quo huius sanctæ unionis,& pacis Ecclesiæ opus perfectum est,& consumatum. Ait enim ipsa Christi sponsa sancta Ecclesia Cantic. primo, Lectulus noster Floridus est,ubi glo. inquit, pax Ecclesiæ uirtutibus floret. IN ECCLESIA MAIORI. licet enim domus Fratrum prædicatorum, quæ sub Titulo Sanctæ Mariæ Nouellæ fundata est & in qua pro amplitudine, & pulchritudine loci mansio est sanctissimi domini nostri locus fuerit institutus synodalis conuentus,quia tamen ad hanc desideratissimæ unionis conclusionem audiendam uniuersus populus,& magistratus ciuitatis sperabatur concurrere iussu. S. D. N. Eugenij assentientibus patribus eiusdem sacræ synodi ordinatum est,ut in ecclesia maiori, pro ampliori eius capacitate sessio hæc celebraretur.

Hæc sunt Pater beatissime,quæ pro declaratione ueritatis, & defensione auctoritatis eorum, quæ à tua beatitudine in Decreto Vnionis Græcorum diffinita sunt dicenda ad præsens occurrunt, quæ si tuæ sapientiæ sufficienter dicta uisa fuerint lætus Omnipotenti Deo gratias agam. Si uero minus, sanctitas tua,qui princeps es Doctor,& caput omnis Orthodoxæ doctrinæ, illa suppleri iubeat,& emendari.

Explicit Apparatus Domini Cardinalis Sancti Sixti,super Decreto Vnionis Græcorum Florentiæ.

Methodius humilis Archiepiſcopus Lacedemonień.ſſ.
Ignatius Archiepiſcopus Tornoni ſequen.ſſ.
Dorotheus Archiepiſcopus Mytilenen. Locumtenens Archiepiſcopi Sidiæ ſequendo.ſſ.
Damianus Archiepiſcopus Moldoblachiæ & Locumtenens Seuaſtień. Archiepiſcopi.ſſ.
Ioaſaph humilis Archiepiſcopus Amaſień.ſſ.
Bathanoel Archiepiſcopus Rhodi & Cicladarum Inſularum.ſſ.
Calitus Archiepiſcopus Driſte ſequendo.ſſ.
Mathæus Archiepiſcopus Mellenici ſequens.ſſ.
Geuadius Archiepiſcopus Gaui ſequendo.ſſ.
Bellarion Archiepiſcopus Nicenus per mandatum ſcriptum & ſubſcriptum à Manuele magno Sacellario Chriſococo Diacono eius depoſitioni hic ſubdeſignando ipſum hic demonſtro eadem nobis ſapere & cõſentire hoc omnes qui hic ſunt ſequi Theodoricus magnus Scenophilax Xantinopolus Diaconus.ſſ.
Michael Balſamon magnus Carthofilax Archidiaconus.ſſ.
Silueſter Siopolus magnus Eccleſiarcus & Diceofilax. ſſ.
Georgius Capedotius Prothedicus Diaconus.ſſ.
Conſtantinus primus presbyter & Vicarius Moldoblachiæ.ſſ.
Moyſes ſacer monachus eccleſiarchus uenerabilis & ſacer regalis ſacri mõtis magnæ Lauræ & ipſius Locumtenens.ſſ.
Dorotheus ſacer Monachus Vicarius uenerabilis & ſacri montis ſancti magni Monaſterij Vatepedi.ſſ.
Gerontius Sacer Monachus olim prior uenerabilis ſacri Regalis montis Chriſti omnipotentis.ſſ.
Athanaſius Abbas Monaſt. Circunſpecti.ſſ.
Germanus olim Abbas ſancti Baſilij ſſ.
Pachomius ſacer Monachus & Abbas ſancti Pauli ſubſcripſi.

F I N I S.



VENETIIS, apud Michaelem Tramezinum,
M D LXI.

[redacted]
Expd Rome die octaua nouemb
1562 Jul. xi

Ego Canonus episcopi Baiocen̄.
Ego Ludouicus episcopus Taruisinus subscripsi.
Ego Ioannes de Mella electus confirmatus Legion̄.subscripsi.
Ego Gulielmus electus confirmatus Andegauen̄.subscripsi.
Ego Angelus episcopus Parentin.subscripsi.
Ego Damianus episcopus Asisinen̄.subscripsi.
Ego Petrus episcopus Ansaren̄.subscripsi.
Ego Matheus episcopus Zapaten̄.subscripsi.
Ego Angelus de Grassis episcopus Arian̄.subscripsi.
Ego Petrus episcopus Massanus subscripsi.
Ego Bartholomeus episcopus Caualicen̄.subscripsi.
Ego Robertus Dexdunaris Diflo. episcopus Vulta. subscripsi.
Ego Antonius episcopus de Cæsenis subscripsi.
Ego Donatus episcopus Pistorien̄.subscripsi.
Ego Scipio episcopus Mutin̄.subscripsi
Ego Christophorus episcopus Coron̄.subscripsi.
Ego Andreas episcopus Conuersanus subscripsi.
Ego Alexius episcopus Clusinus subscripsi.
Ego Garsias episcopus Tuden̄.subscripsi.
Ego S. episcopus Ganaten.subscripsi.
Ego Aymericus episcopus Montis Regalis subscripsi.
Ego Baptista electns Theatinus subscripsi.
Ego Nicolaus episcopos Tricharien̄.subscripsi
Ego Ioannes electus Agauen̄ subscripsi.
Ego Ioannes electus Osilien̄. subscripsi.
Ego Gulielmus electus Leoren̄.subscripsi.
Ego Andreas episcopus Rossumen̄.subscripsi.
Ego Matheus episcopus Cortonen̄.subscripsi.
Ego Iulianus electus Citariden̄.subscripsi.
Ego Ioannes episcopus Conuerpen̄. subscripsi.
Ego Thadeus episcopus Acesnaten. subscripsi.
Ego Petrus cleri. Archidiaconus Treeen. ambasiator domini Ducis Burgundiæ,& Brabantiæ subscripsi.
Ego Ambrosius generalis ordinis Camaldulen̄.subscripsi.
Ego Gometius Abbas Florentiæ.ss.
Ego Ioannes de Vrsis Farisen̄ ss.
Ego Antonius Abbas sancti Caprasij ss.
Ego Franciscus Abbas sancti Leonardi.ss.
Ego Federicus Abbas de Borto.ss.
Ego Georgius Abbas de Fereallis.ss.
Ego Antonius Abbas de Alfiolo ss.
Ego Bartholomeus Abbas Campi Fullonis.ss.
Ego Sepulcrus Abbas de Vrano.ss.
Ego Angelus Abbas de Septimo ss.
Ego Paschasius Abbas sancti Sepulchri ss.
Ego Benedictus Abbas de Conco.ss.
Ego Iacobus Abbas sancti Salini subscripsi.
Ego Aluisius Abbas sancti Pauli ad Ripam Arnipisam subscripsi.

Ego Ioannes Abbas de Thiro subscripsi.
Ego Daniel Abbas de Saniliano subscripsi.
Ego Benedictus Abbas sancti Pancratij subscripsi.
Ego Franciscus Abbas sanctæ Mariæ de Pancriano subscripsi.
Ego Ioannes Ginauant. Abbas de R polis subscripsi.
Ego Angelus Abbas sancti Michaelis de Pistorio subscripsi.
Ego Nicolaus Abbas monasterii sancti Modesti subscripsi
Ego Iacobus Abbas sancti Saluatoris de Fenzot. ss.
Ego A. Abbas Montispian pist. dioc. ss.
Ego Petrus Abbas sancti Petri de Florentia. ss.
Ego M. Abbas sanctæ Mariæ de Diciano. ss.
Ego Gantellemen Abbas de Bibena. ss.
Ego Laurentius Abbas del Culres.
Ego Federicus Abbas monasterij sancti Panthaleonis de Lucca.
Ego Lucas Abbas Stuant. in Alpibus.
Ego Tonus Lucas Abbas Patrariat.
Ego Iacobus Abbas monasterij sancti Petri de Massa.
Ego Frater Ioannes Abbas sanctorum martyrum Cordubien.
Ego Gulielmus Abbas sansti Saluatoris Burdegalen.
Ego Georgius Abbas sancti Petri de Eugubio.
Ego Antonius Abbas sancti Saluatoris & Vigilij de Sen.
Ego Abbas sanctæ Mariæ de Morona.
Ego Abbas sanctæ Gaudæ.
Ego Gabriel Abbas sancti Iacobi de Pontida.
Ego Dionysius Abbas sanctæ Mariæ de Sandin Sagien.
Ego Timotheus Abbas sancti Andreæ de Mantua. ss.
Ego Frater Gulielmus Generalis Minorum.
Ego Frater Berardus Generalis Augustinen.
Ego Placidus Generalis Vallis Vmbrosæ.

Blondus.

SVBSCRIPTIONES GRÆCORVM.

Ioannes Paleologus in Christo Deo fidelis rex & Imperator Romanorũ
Antonius humilis Archiepiscopus Hiraclien. præsidens Ypertinarum & primus totius Macedoniæ,& Locumtenens Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Alexandrini,Philothei Patriarchæ Alexandrini subscripsi.
Gregorius Sacer monachus magnus prothosincellus & spiritualis, ac Vicarius Apostolicæ Sedis domini nostri Philothei Patriarchæ Alexandrini. ss.
Isidorus Archiepiscopus Gebien. ac totius Russiæ,ac Locum tenens Apostolicæ Sedis sanctissimi Patriarchæ Antiocheni domini Dorothei affirmans & diffiniens. ss.
Dositheus Archiepiscopus Locumtenens Apostolicę Sedis sanctissimi Patriarchæ Hierosolimitani Ioachini. ss.
Dorotheus Archiepiscopus Trapezantius sequendo. ss.
Metrophanus Archiepiscopus Zizici. ss.
Bissarion miseratione diuina Archiepiscopus Nicenus sequendo. ss.
Macharius Archiepiscopus Nicomediæ. ss.

Methodius